Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/doctrinaedivitho0000tria

P. LETHIELLEUX, ÉDITEUR, 4, RUE CASSETTE, PARIS.

LE CANONISTE CONTEMPORAIN

OU

LA DISCIPLINE ACTUELLE DE L'ÉGLISE

BULLETIN MENSUEL

DE CONSULTATIONS CANONIQUES ET THÉOLOGIQUES

ET DE DOCUMENTS ÉMANANT DU SAINT-SIÉGE

PAR

M. l'Abbé E. GRANDCLAUDE

Docteur et professeur en théologie et en droit canon, auteur du *Breviarium philosophiæ scholasticæ*, etc.

Prix de l'ABONNEMENT, pour un an seulement, HUIT francs, PAYABLES D'AVANCE. — Chaque livraison mensuelle contient 32 pages in-8

Les études canoniques, si longtemps négligées en France, reprennent à cette heure un vigoureux essor. L'épiscopat, pour se conformer aux intentions et aux désirs du Saint-Siége, a établi dans presque tous les séminaires des cours de droit pontifical; il a même poussé plus loin encore la sollicitude : comprenant combien il était nécessaire d'aller puiser la doctrine et les méthodes à leur véritable source, il a voulu que l'enseignement public de Rome servît en tout de règle. Aussi voyons-nous déjà aujourd'hui le résultat de ces louables efforts. L'attention du clergé se porte avec une prédilection marquée sur les ouvrages qui traitent de la discipline sacrée; d'autre part, les décisions de la Cour romaine sont partout accueillies avec le respect qui leur est dû, et étudiées avec un soin religieux.

Cette disposition si louable des esprits a fait naître l'idée de créer un bulletin qui pût concourir à la divulgation du *jus pontificium*. Appeler de plus en plus l'attention sur les lois de l'Eglise pour les faire aimer davantage et observer avec plus de soin, vulgariser les questions les plus importantes et les plus pratiques, tel est le but éminemment catholique et sacerdotal de cette modeste publication. Voici quel sera le programme du *Canoniste :*

1° Tous les points les plus importants et les plus pratiques de la *jurisprudence sacrée* seront l'objet de dissertations spéciales et approfondies. Dans le choix des questions, on prendra pour règle l'*utilité* et l'*actualité*. C'est pourquoi les points signalés par des *actes pontificaux*, en particulier par le *Syllabus* et la constitution *Apostolicæ Sedis*, auront nécessairement la priorité;

2° Le principal service que ce bulletin pourra rendre au clergé, consistera sans aucun doute dans la divulgation des *décrets* et *réponses* des *Congrégations romaines*. Parmi ces décisions, celles qui seront plus *pratiques pour la France* seront l'objet d'une analyse minutieuse; nous suivrons en ceci la méthode du savant canoniste Avanzini, dont les *Acta sanctæ Sedis* donnaient, il y a quelques années, les précieux travaux;

3° Le titre explicatif de *Consultations canoniques* ne sera pas non plus une indication vide; on répondra à toutes les *questions sérieuses* et d'un *intérêt général* qui pourraient être adressées. Il est bien évident, toutefois, qu'on ne fera aucune confusion entre le *droit canonique proprement dit* et notre *législation civile* relative aux choses ecclésiastiques. On sait que le propre caractère du gallicanisme pratique a toujours été de ramener tout le Droit sacré aux ordonnances et prescriptions du pouvoir séculier.

DOCTRINÆ

DIVI THOMÆ AQUINATIS

TRIA PRINCIPIA

DOCTRINA

DIVI THOMÆ AQUINATIS

TRIA PRINCIPIA

DOCTRINÆ
DIVI THOMÆ AQUINATIS
TRIA PRINCIPIA

CUM SUIS CONSEQUENTIIS

UBI TOTIUS DOCTRINÆ COMPENDIUM ET CONNEXIO CONTINETUR

Auctore R. P. Ant. REGINALDO, Ord. Præd.
In Academia Tolosana olim Professore et Doctore.

Editio nova, diligenter emendata, utilissima synopsi ditata, et percommodis Distincta divisionibus

A P. Fr. X. ejusdem Ordinis.

PARISIIS
SUMPTIBUS ET TYPIS P. LETHIELLEUX, EDITORIS
4, VIA CASSETTE, ET VIA RHEDONENSI, 75.

1878

(Omnia jura vindicabuntur)

31659

VITA FR. ANT. REGINALDI

(*Cf. Echard. script. O. Pr.*)

Antoninus Reginaldus Albiæ natus est ad Tarnem fluvium in Occitania. Qui cum egregiam sui etiam puer ingenii spem exhiberet, a parentibus litteris imbuendus ab infantia traditus eximios in eis et pietate fecit brevissimo tempore progressus. Ætatis jam 18 adeptus ordinem Fratrum Prædicatorum ingressus est Avenione, et probatione peracta anno 1624 professus in manibus F. Guilielmi Courtet Biterrensis, Avenionensis tunc prioris, ac postea martyrii palma laureati *Nangasaki* in Japonia. Hoc ergo tali tantoque magistro regularibus instructus egregie disciplinis, philosophicis dein et theologicis animum applicuit institutis; quibus adeo profecit, ac inter condiscipulos emicuit sive privatis sive publicis exercitationibus, ut erudiendis amodo sodalibus et extraneis a superioribus destinatus fuerit. Philosophiæ cursum itaque primum ordinante prælato circa 1632 prælegit, tunc et sacras est interpretatus Tolosæ apud suos litteras; laureamque in Academia consecutus ac Doctor conventualis et antecessor renunciatus, theologiam ab anno 1639 fere per decem annos integros in schola publica docuit. Quanta vero fama, quantoque auditorum frequentissimorum plausu spartam hanc ornarit, narrat vir gravissimus Joannes Franciscus Dufaur, prior conventus Tolosani, in epistola encyclica funerali anno 1676 obitum Reginaldi nuncians, cujus hæc pauca transcribere liceat : « Hunc, in« quit, Academia non solum ut « alumnum complectebatur, sed et « ut clarissimum lumen suspicie« bat. Eminebat maxime seque « ipse superare videbatur, cum pro « suo munere in Academia e sug« gestu difficillimas quæstiones ex« planaret. Tum vere pendebant « omnes e loquentis ore, quo ne« dum Augustinus et Thomas, sed « et concilia omnia et Patres loqui « dici potuissent. Adeo omnium « sententias alte infusas hauserat « et locupletaverat capacissimum « ingenium totius antiquitatis am« plissima et sanctissima suppelle« ctili, quam suis explicationibus « profundebat scholasticorum mul« titudini undecumque ad eum ut « ad oraculum confluenti, ut scho« læ locum amplissimum eos con« tinere non valentem ampliari « necesse fuerit et extendi. »

Solitas in schola Tolosana publicas prosecutus est indefesse lectiones, quibus non defuit nisi ut Academiæ jura vindicaturus Parisios se conferret, et Valentiæ Aragonum capitulo generali ordinis adesset, theses provinciæ Tolosanæ nomine defensurus. Mox vero, cum Romæ ferverent agitatæ propositionum illarum quinque famosarum contentiones, atque e re ordinis esset, in Urbe astare sapientissimos ex ejus alumnis, ut si de

SS. Augustini et Thomæ gratiæque per se efficacis, quæ ipsorum est, doctrina, agendum juberet summus pontifex Innocentius X, ad eam propugnandam parati promptique invenirentur, a magistro ordinis Joanne Baptista de Marinis eo accitus est Reginaldus. Non parum illic profuit dilucidandis qui tunc examinabantur articulis, qua verbo in collationibus, qua calamo in scriptis lineam veluti præscribens, in qua sistendum erat, ne quis Augustini et Thomæ discipulus, vel ad dextram vel ad lævam turbinibus tunc excitatis verteretur ac incautus raperetur. Unde et maximam sibi apud omnes omnium ordinum eruditos existimationem comparavit, imo apud ipsum summum pontificem, a quo est habitus in pretio, et cum rediret in Gallias vivæ vocis oraculo id in mandatis accepit, ut SS. Augustini et Thomæ dogmata tueri pergeret ac intrepide propugnaret.

Priusquam Roma discederet, Reginaldus a magistro ordinis institus est XXII prior provincialis Occitaniæ; et quadriennio expleto, ad Prullianum monasterium se recepit, annisque aliquot restitit iis quæ conceperat, ac animo delineaverat, operibus conficiendis totus incumbens. Verum filii uteri sui oblivisci non potuit mater Academia Tolosana, regiumque professorem delegit; quo in munere a Ludovico Magno diplomate confirmatus, illud cum majori etiam quam alias plausu, concurrentiumque auditorum multitudine implevit ab anno 1671 ad mortem usque, quæ ei accedit 12 aprilis 1676, ætatis 71.

Hæc autem sunt ejus ingenii monumenta :

1° *Opusculum de vero sensu composito et diviso ;*

2° et 3° *Duo opuscula de gratia.*

4° *Dissertatio de Catechismi romani auctoritate.*

5° *De mente S. concilii tridentini circa gratiam.*

6° *De la confrérie du nom de Jésus.*

Varia manuscripta opera reliquit, et ferunt nonnulli ipsum collaborasse, imo ultimam manum apposuisse *Apologiæ doctrinæ S. Thomæ*, quæ, initio *Clypei thomistici* a P. Gonet editi, præfixa est. Tandem edidit *Doctrinæ D. Thomæ Aquinatis tria principia cum suis consequentiis.* Tomus I exhibens primum principium: *Ens est transcendens ;* Tomus II secundum principium : *Deus solus est actus purus ;* Tomus III, secundi principii, secundam partem. Sequi debebat 2ⁱ principii 3ª pars : tum tertium principium, tomo V, scilicet : *Absoluta specificantur a se, relativa ab alio,* in quo de moralibus acturus erat : at cum eo interiere.

ILLUSTRISSIMO VIRO DOMINO

DOMINO GASPARI DE FIEUBET

TOLOSANI SENATUS PRINCIPI AUGUSTISSIMO

Compendium absque dispendio ex multis ingentibus, latissimeque patentibus rebus exhibere uti difficillimum, ita rarum omnino et infrequens, Augustissime Tolosani Senatus Princeps, *pene dixeram nulla penitus ratione fieri posse, nisi observans mentis oculis dignissima me Tui species ab hoc consilio deterruisset; in quâ intuenti vastissimam capacissimi genii Tui amplitudinem tantæ tot negotiorum moli parem, omni Heroïcarum virtutum apparatu abundantissime cumulatam, et splendissimis omnium scientiarum luminibus præfulgentem, omnium Te illa mihi ingeniorum, eunctarumque dotium absque ullo dispendio compendium certissime repræsentavit. Nihil igitur alicui, nisi Tibi ipsi, debes, quod hoc qualecumque opus honori tuo datur. Totius Philosophiæ ac Theologiæ Sanctissimi Aquinatis epitome ex suis deducta Principiis non potuit alteri, quam totius sapientiæ absolutissimo compendio consecrari. Nec vereor adulationis insimulationem a quocumque, qui Te noverit, imo qui Te vel semel conspexerit, et paulo attentius illam oris ac totius habitus majestatem, morum comitate temperatam observaverit, in qua Te Proto-Præsidem ex consummatissima sapientia, magis quam ex regio diplomate colligere fas est. Tu,* Heros Augustissime, *ex eo sanguine prognatus, quo germana Nobilitas coalescit, Parentem magno cum fœnore redivivum exhibes, quem Tolosa demirata est, ut juris et æqui tenacissimum; Lutetia coluit, ut Christianissimo Regi addictissimum; Gallia tota suspexit, ut virtutum ac scientiarum Patronum et exemplar clarissimum: quem Monarcha Prudentissimus meritis cumulavit honoribus, debitis Magistratibus exornavit, et justissimis etiam Principis Senatus Provinciæ diadematis auxit. Tu etiam Parentem superans,* Heros Nobilissime, *Regi potentissimo non aliter, quam Divina Providentia, natus es; et Ille vel maxime ad portentum Tuæ sapientiæ obstupescit, qui eam ex eminentiori solio sagacissime prospicit unus tuo genio major. Tu quantum est Heroum maxime et forsunam superas et conceptam de Te hominum existimationem, qui cum a Te laudando lassescant, ante nihilominus eloquentiam suam, quam Tuas laudes exhauriant. Jam diu est, quod inter hos Tuæ gloriæ præcones se totam Prædicatoria Familia vovit, non tam purpuræ, quam*

virtutum splendore pertracta. Ego interim in ea vel minimus, dum simul omnes plura meditamur, arbitratus sum minime despiciendum a Te istud opusculum, grati animi monimentum, sensuumque nostræ erga Te reverentiæ conpendium; sed sub Tuo Nomine lucem videre, atque ad æternitatis sudum efferri tanti Patroni gloriam passurum. In cujus beneficii gratiam, hoc deinceps vigilantissima observatione pro viribus enitar, ut quantum Tibi debeam et meo et mei Ordinis nomine, quantumque merita Tua laudes nostras superent, omnes intelligant

Servus obsequentissimus.

F. Antoninus REGINALDUS

Ordinis Prædicatorum.

PRÆFATIO

AD LECTOREM

Cum omnibus in rebus humanis, illa vel maxime vigere debeat, qua homines sumus, ratio ; id vero præcipue in scientiis vel addiscendis vel docendis : Quamvis enim Theologia fide Divina nitatur, atque ut suprema scientia, ceteras ut ancillas mittat ad arcem, certosque illis cancellos constituat, intra quos sapere debeant ; nihilominus et ipsa quoque ex firmissimis rerum revelatarum principiis ratiocinatur, colligitque ignota ex notis divino lumine. Qua in collectione illud diligentissime attendendum, ut consequenter loquamur, ne posteriora prioribus opponantur. Sunt siquidem, qui dum raciocinationes longius protrahunt, exerrant animis, et obliti quid primo constituerint, inconsequentia passim effutiunt, quæ aliunde forsitan improbanda non forent. Qua in re, cum inter omnes et veritate doctrinæ, et sententiarum delectu, et rationum pondere, et ipsa etiam sanctitate, quam docet, primas teneat inconcussa doctoris Angelici D. Thomæ et Philosophia Theologia : illud tamen in illa est omnium præstantissimum, quod tanta est cunctorum, quæ tradit, consonantia, tanta connexio, atque (ut sic loquar) conglutinatio, ut quodlibet ex alio, incredibili fere perspicuitate consequatur. Ordo, methodus, sententiæ admirationem quidem ingenerant ; sed concentus ille, tam variarum rerum ita rapit animos, ut nihil omnino sit, quo suavius delectentur. Prima consonant mediis, utrisque postrema, cohærent omnia, ut qui vel unam positionem admiserit, omnes teneatur admittere, nisi sibi ipsi contradicere voluerit : ac veluti in catena annulorum unus intra alium sic coaptatur, ut qui vel primum, vel medium, vel ultimum traxerit, omnes eodem tractu deducat ; sic plane in doctrina Divi Thomæ, qui unum aliquod dogma asseruerit, cetera fere omnia, nisi velit inconsequenter loqui, asserere, ipsa rerum consecutione adstringitur. Hoc igitur est, *Lector Benevole*, quod in his Principiis demonstrandum assumimus. Sunt alii et antiquiores et neoterici, qui disputationibus editis Scholæ angelicæ assertiones doctissime tutati sunt, atque ab æmulorum impetu et calumniis vindicarunt egregie : nos nihil aliud molimur, nisi ut consequentiam omnium ex paucis principiis, imo fere ex unico declaremus. Quamvis enim tria principia constituamus, attamen si quis attentius rem totam perpenderit, perspiciet secundum et tertium ex primo tamquam ex fonte unico, binos fluvios derivari. Placuit vero in tria dividere, ut dilucidior foret tractatio, et magis ad captum

accommodata. Primum Principium illud est, *Ens est transcendens;* Secundum istud, *Deus solus est actus purus;* Tertium, *Absoluta specificantur a se, relativa ab alio.* Ex primo, majori ex parte philosophica profluunt; Ex secundo, fere omnia Theologica, quæ ad speculativam partem pertinent; ex tertio, quamvis pleraque sint philosophica et speculativa, maxima tamen ex parte, moralia consequuntur. Ut autem opus integrum exhibeamus, addemus (si Deus faverit) quæ ad casus conscientiæ spectant ex illis tribus principiis derivata. Primum principium uno volumine absolvimus, una cum suis consequentiis; Secundum, utpote magis amplum ac latius patens (comprehendit enim, quæ de Deo uno et trino, ultimo fine, ac Redemptore hominum, docent Theologi) in tria distinguere necessarium fuit, ut legentium ac studentium commodo aptaremus. Quintum addemus, de tertio principio, ac mox moralem Theologiam absolvemus. Æmulorum nobis adversantium neminem vel nomine tenus perstrinximus; neque enim inconciliare nobis cujusquam animos placet, sed nudam veritatem amantibus illam proponere. Raro illorum argumenta in medium adduximus, ne solutionum ac replicarum longa serie turbaretur ordo, et difficilius consecutio unius ex alio innotesceret, qui unus est nobis scopus: quamvis, si quis animum advertat, et rationum momenta expendat, argumentorum omnium, quæ nobis objici possent, solutionem quivis, vel mediocri ingenio præditus, nullo fere negotio deprehendet. Illud vero monitum velim Lectorem Benevolum, ut si quando consequentiæ deducantur de iis, quæ ad fidem spectant, quasi ex principiis naturali lumine cognitis consequerentur, non id eo nos arbitretur animo præstitisse, ut, quæ sunt fidei, demonstrare conaremur: Hoc siquidem minime intendimus, sed solum ut ea probemus a ratione non abhorrere, neque illi esse opposita, et convenientiam dumtaxat in medium afferamus, quod et sæpius præstitit D. Thomas. Quod vero aliquando, ubi plura ex aliquo principio deduximus, iterum ad ipsum principium, vel ad aliqua ex ipso principio deducta redire, atque alia ex illis deducere coacti sumus, nulli mirum videri debet: neque enim fieri potest ut singula ex singulis uno veluti continuo inferantur; maluimusque aliquando, maxime in Theologicis, quæ ad secundum principium spectant, quæstionum et articulorum D. Thomæ ordinem sequi, quoad fieri potuit. Ceterum vix conclusionem ullam philosophicam aut Theologicam prætermisimus, quæ ex jam probatis, illata non sit.

Unum superest, ut probemus videlicet, nos, id est, quos communiter Thomistas nuncupant, Sanctissimi Doctoris vestigiis adhærere, illiusque mentem assequi; est enim tritum et obsoletum quorumdam ad versum nos criminationis argumentum, nos vel ex crassa quadam et supina ignorantia, vel ex crassori negligentia, vel ex affectu depravato, nostri Aquinatis doctrinam deseruisse. Quod licet per se incredibile videatur, et probabilitatis plus habeat, eos, qui sic accusant, aliis, quod ipsimet peccant, impingere; tuum tamen esto judi-

cium, *Lector Benevole*, uti potius a D. Thoma declinent, an qui se tantum Doctorem in plerisque deserere apertissime profitentur, an vero illi, qui se ipsi mordicus adhærere nedum verbis, sed factis ipsis atque adeo tota mentis sinceritate demonstrant? Illi exerte dicunt se D. Thomam non sequi in omnibus, quæ philosophica sunt; Hi Theologica philosophicis niti perspicientes, tuentur etiam ipsius dogmata philosophica, ut ipsum, quoad fieri potest, etiam in Theologicis assequantur. Illi doctrinam Aquinatis in scripturarum et Canonum interpretatione data opera palam rejiciunt; Hi ista etiam in parte seipsos D. Thomæ religiosa devotione eatenus adstringunt, ut aliorum interpretationem minime spernant: Illi etiam in Theologicis rationes angelici Præceptoris pro viribus enervare satagunt; Hi easdem accerrime propugnant: Illi præcipuas etiam in Theologia sententias vel non sequendas statuunt, vel illis annumerant, quas licet vel sequi vel persequi; Hi tamquam veras omnes tuentur: Illorum videas plerosque omnes discessum a D. Thoma tamquam sibi gloriæ inter suos futurum jactare liberius; Istos experiaris vel ad minimam deserti tanti Doctoris suspicionem verecundari et erubescere: Illi dubium D. Thomæ sensum variis quæsitis coloribus efficere; Hi certum enucleare pro viribus enituntur: Illi, novo quodam et ante hunc diem inaudito deflexu atque glossemate, in suas partes Sancti Viri verba detorquere student; Hi ea in illum sensum accipiunt, in quem ipsa interpretati sunt, quotquot ante natos heri vel nudiustertius hos neotericos scripsere veteres, etiam quos constat bellum doctrinæ angelicæ apertissime indixisse: Illi eo usque progressi sunt, ut morem illum sequendi D. Thomam, cæcam et superstitiosam servitutem scribere non erubuerint; Isti Conciliorum exemplo, maxime Tridentini, Summorum Pontificum jussu, Academiarum auctoritate, Religiosorum Patriarcharum, præsertim vero Beatæ Theresiæ, ac Sancti Ignatii Loyolæ, atque aliorum Ordinum sanctissimis statutis, et ex doctissimorum ac piissimorum hominum sententia, hoc nobilissimum servitutis obsequium gloriosissimum æque ac religiosissimum arbitrantur, et illi se ultro subjiciunt: Illi laudes D. Thomæ sive ad scientiam sive ad virtutem spectantes vix patienter audiunt; Isti in eo laudando toti sunt, fatigant sese, ac delectantur. Ex hoc disparibus horum et illorum sensu et habitu haud difficulter colliges, qui sint germani et non spurii tanti Doctoris discipuli. Verum hæc satis. Hoc unum addendum, me nedum Catholicæ, Apostolicæ ac Romanæ Ecclesiæ filium omnia omnino illi subjicere, illiusque visibili capiti Summo Pontifici, atque ex intimi animo sensu jam retractare, quæcumque ille retractanda censuerit; verum etiam paratissimum esse, si quid exciderit a sententia D. Thomæ alienum (quod non arbitror) ad omnia penitus corrigenda et emendanda. Hæc te monitum volui, *Lector Benevole*, ut, quo animo scripserim nosces, mox tibi, si hæc non displiceant, daturus alia de Scriptura, Conciliis et Patribus. Vale.

Licentia Reverendissimi P. Generalis, et deputatio Professorum ab admodum R. P. Provinciali.

Nos Frater Joannes Andræas Faure Provinciæ Tolosanæ Ordinis Prædicatorum humilis Prior Provincialis committimus RR. Patribus Petro de Liques, Dominico Destruels, et Ambrosio Prat Sacræ Theologiæ Lectoribus, ut examinent Librum de *Tribus doctrinæ D. Thomæ Principiis,* à R. P. Fr. Antonino REGINALDO Theologiæ Lectore compositum, cujus imprimendi facultatem alias idem R. Pater a Reverendissimo Patre Generali obtinuit. In quorum fidem his officii nostri sigillo munitis subscripsimus die octava Januarii 1669.

Fr. Joannes Andreas FAURE Provincialis.
Fr. Franciscus VIEULES Socius.

Approbatio Ordinis.

Nos infrascripti Sacræ Theologiæ Professores Ord. Prædicatorum ex mandato R. Admodum P. Joannis Andreæ Faure Provinciæ Tolosanæ Provincialis legimus Librum, cui titulus est, *Tria doctrinæ D. Thomæ Principia*, a R. P. Antonino REGINALDO compositum dignumque censemus prælo. Datum Tolosæ die 24 Aprilis 1669.

Fr. Petrus DELIQUES.
Fr. Dominicus DESTRUELS.
Fr. Ambrosius PRAT.

Approbatio.

Doctrinæ Thomisticæ Principia, e variis, ac prope innumeris Philosophorum, et Theologorum voluminibus, a Reverendo admodum Patre Reginaldo, Ord. Prædicatorum, Conventus Tolosani, Sacræ Theologiæ meritissimo Professore deprompta et in unum multo sudore congesta, in manibus habui, ac studiose perlegi. Verum in illis, nihil à fide Romana alienum, nihil optimis moribus inimicum offendi; imo omnia publica luce et cedro dignissima censui. Tolosæ in Collegio Bernarditarum, decimo quarto calendas Aprilis, anno Domini millesimo, sexcentesimo, sexagesimo nono.

F. Pontius Deexea
S. Theol. Doctor et in Academia Tolosana Professor.

Alia Approbatio.

Ego infrascriptus Cong. Doctr. Christ. Doct. Theol. legi librum cui titulus est, *Principia Doctrinæ S. Thomæ etc.* Auctore R. P. Reginaldo Ordinis Prædicatorum Doctore Theologo, in quo nihil mihi succurrit fidei contrarium aut bonis moribus; sed singula mihi visa

sunt orthodoxæ fidei et studiosis Theologiæ utilia. In quorum fidem hanc censuram propria manu subscripsi. Datum Tolosæ die quarta mensis Martii anno millesimo sexcentesimo sexagesimo nono.

MILHET R. C. D. Ch.

Facultas Vicarii Generalis.

VISIS Approbationibus Doctorum permittimus quod typis mandetur liber cui titulus, *Principia Doctrinæ D. Thomæ*, ab Admodum R. P. ANTONINO REGINALDO Ordinis Prædicatorum. Tolosæ die septima Decembris 1669.

DUFOUR Vic. Gen.

DOCTRINÆ D. THOMÆ

PRIMI PRINCIPII

SYNOPSIS

ENS EST TRANSCENDENS

Ex primo principio : *Ens est transcendens* infertur materiam esse puram potentiam passivam et receptivam, ea vero quæ habent aliquem actum sive potentiam activam, elevari aliquo modo supra materiam, præsertim illa quæ habent potentiam activam per modum causæ principalis quæque vocantur *viventia*. Inter vero viventia, alia aliis sunt perfectioris vitæ, vel minus perfectæ, juxta majorem vel minorem elevationem supra materiam. Nobis ergo progrediendum erit ad viventia *vegetativa*, *sensitiva*, et *intellectiva* (inter quæ Angeli comprehenduntur). Est autem Ens aliquod supremum omnino elevatum supra materiam, ita ut nihil potentiæ receptivæ in eo reperiatur. Ens illud debere esse *actum purissimum*, explicabimus in *secundo principio*.

Sic autem proceditur :

PARS PRIMA

DE ONTOLOGIA

Post elucidationem hujus principii *Ens est transcendens* quærimus :

Cap. 1. — In quonam reperiatur ratio entis. Seq. 1

Cap. 2. — De ista ratione entis præcipue in materia dicimus et inde occurrunt tractandæ quæstiones de materia et forma, de composito, de materia prima et de quantitate. 10

Cap. 3. — De principio individuationis, quod est materia quantitate signata. 57

Cap. 4. — De loco, tempore, numero, motu, quiete, augmentatione, alteratione, generatione, qualitate. 74

Cap. 5. — De entis divisione, id est de substantia et accidente. 166

Cap. 6. — De proprietatibus entis quæ sunt Unum Verum et Bonum, et per modum complementi de malo. 187

Cap. 7. — Ille qui producit ens sub ratione entis producere debet omnes rationes, modos entitatum et rerum, et per consequens, movet physice omnes causas secundas. 224

PARS ALTERA

DE PSYCHOLOGIA, CUM APPENDICE DE ANGELIS ET ANIMABUS SEPARATIS

Deinde nobis considerandum est de eis quæ plus minusve elevantur supra materiam. Seq. 240

Sic autem procedimus : Quæ habent in se principium principale sui motus, id est viventia, sunt plus elevata supra materiam quam ea quæ habent virtutem activam instrumentaliter tantum. Unde in tantum aliquid est vivens in quantum est elevatum supra materiam. Quare dicemus :

De anima, quæ est principium principale motus corporis viventis, et de *potentiis* ejus in genere. 243

Cap. 1. — De anima vegetativa, et de *potentiis* ejus, scilicet nutritiva, augmentativa, generativa. 269

Cap. 2. — De anima sensitiva. 295

§ I. — *De sensibus externis* in genere et in specie, scilicet de tactu, gustu, olfactu, auditu et visu. 298

§ II. — *De sensibus internis* in genere et in specie, scilicet : De sensu communi, de phantasia, æstimativa et memoria. 362

§ III. — *De duplici appetitu* scilicet *concupiscibili* et *irascibili*. 371

Et de passionibus concupiscibilis et irascibilis, scilicet de amore, desiderio, delectatione, odio, fuga, tristitia, spe, desperatione, ira, audacia et timore, et de natura, causa, effectibus, divisione earumdem in specie. 380

Cap. 3. — De anima rationali et de ejus spiritualitate, immortalitate, subsistentia, indivisibilitate. 486

§ I. — Ejus potentiæ, et primo de *intellectu* et ejus objecto ; de speciebus intelligibilibus, et de his quæ potest intellectus cognoscere. 502

De apprehensione, judicio et ratiocinatione. 544

De habitibus intellectus, scilicet de habitu primorum principiorum sive speculabilium, sive practicorum, de scientia, sapientia, prudentia et arte in genere et in specie, quorum occasione multa traduntur ad logicam spectantia, et speciatim de universalibus disseritur. 562

Probato quod sit aliqua scientia directiva operationum ad bonum attingendum, accedimus ad voluntatem.

§ II. — *De voluntate*, de ejus objecto et relationibus cum intellectu. 680

De libertate. 688

De fine qui ab omnibus intenditur. 735

De voluntario, et de his quæ tollere vel minuere possunt voluntarium, scilicet de violentia, metu, concupiscentia et ignorantia. 747

De accidentibus quæ quodam modo *stant circa* actum voluntarium, seu de circumstantiis. 763

De sex actibus voluntatis, scilicet de simplici finis volitione, de intentione, consensu, electione, usu activo, et fruitione, et de sex actibus intellectus qui præcedunt hos actus voluntatis, scilicet de simplici cognitione finis, de cognitione finis ut acquisibilis, de consilio, judicio, imperio, de cognitione finis ut possessi, et de his actibus in specie. 766

Et quia unumquodque in tantum est intellectivum et intelligibile, in quantum est immateriale, et nomine *angeli*, præcise intelligimus naturam creatam immaterialem, idcirco ascendendum est ad angelos.

Cap. 4. — De angelis et eorum dotibus. 828

De angelorum intellectu, de speciebus acceptis, de objecto intellectus et manifestatione cogitationum. 834

De voluntate et libertate angelorum. 929

Tandem ex omnibus quæ hucusque dicta sunt, deducuntur quædam ad *animas separatas* spectantia.

Cap. 5. — De animabus separatis, et præcipue de earum intellectu. 948

SECUNDI PRINCIPII

SYNOPSIS

DEUS EST ACTUS PURUS

Nunc autem tractandum est de illo Ente supremo, omnino elevato supra materiam, scilicet de Deo qui *solus est actus purus*. Et quum ex hoc secundo principio inferre debeamus quidquid ad S. Theologiæ doctrinam pertinet, sic erit procedendum : Deum cognoscere debemus, secundum quod est in se, secundum quod est principium et finis rerum, et tandem secundum quod est nobis via tendendi in finem. Unde :

1ª Pars : De Deo.

2ª Pars : De Deo auctore et fine creaturarum, præcipue intellectualium.

3ª Pars : De Deo-Homine.

PARS PRIMA

DE DEO

Disserere oportet : De existentia et natura Dei, et distinctione personarum, seu de Trinitate.

DISSERTATIO Iª

DE DEI EXISTENTIA ET ESSENTIA

Cap. 1. — Considerandum est an Deus sit, et quomodo sit vel potius non sit.

Cap. 2. — Considerandum postea, qualiter sit in cognitione nostra, id est quomodo cognoscatur a creaturis, et nominetur ab eis. Unde :

Sectio 1ª. De cognoscibilitate et visione Dei. Seq. 56

Sectio 2ª. De nominibus Dei. 101

Cap. 3. — Considerare debemus ea quæ pertinent ad operationem Dei, et quia operationes quædam manent in operante, ut intelligere et velle, quædam vero procedunt in exteriorem effectum, inde :

Sectio 1ª. De intelligere divino, quod est formale constitutivum naturæ divinæ, et de scientia Dei, idæis et veritate. 116

Sectio 2ª. De voluntate Dei et de his quæ ad eam pertinent, seu de amore, justitia et misericordia. 218

Sectio 3ª. De his quæ respiciunt simul intellectum et voluntatem, scilicet de providentia, prædestinatione et reprobatione. 312

Sectio 4ª. Tandem tractatur de potentia Dei quæ consideratur ut principium operationis divinæ in effectum exteriorem procedentis, et de ejus beatitudine. 408

DISSERTATIO IIª

DE DISTINCTIONE PERSONARUM

Cap. 1. — De processione et de relationibus.

Sectio 1ª. De processione Seq. 426

Sectio 2ª. De relationibus. 444

Cap. 2. — De personis divinis in communi et in specie.

Sectio 1ª. De personis in communi. 477

Sectio 2ª. De personis in specie. 532

Cap. 3. — De personis in comparatione ad essentiam, ad relationes, ad actus notionales, et de comparatione ipsarum ad invicem. 570

PARS SECUNDA

DE DEO AUCTORE ET FINE OMNIUM ET PRÆCIPUE CREATURARUM INTELLECTUALIUM

DISSERTATIO Iª

DE DEO AUCTORE RERUM

Cap. 1. — De creatione et principio durationis rerum. Seq. 618

Cap. 2. — De distinctione rerum.

Sectio 1ª. De distinctione rerum in communi, ubi de distinctione boni et mali. 648

Sectio 2ª. De distinctione corporalis et spiritualis creaturæ et primo de creatura pure spirituali (de qua jam multa sunt dicta in primo principio seq. 828, etc.); deinde de creatura corporali, et tandem de creatura composita ex corporali et spirituali, id est de homine (de quo jam dictum fuit in primo principio, seq. 486, etc.). 655

Cap. 3. — De conservatione et gubernatione rerum.

Sectio 1ª. De gubernatione in communi et de conservatione. 669

Sectio 2ª. De motu creaturæ, sive immediate a Deo, sive mediate per aliam creaturam, et primo, de motu creaturæ immediate a Deo. 684

Sectio 3ª. Quomodo angeli moveant seipsos, corpora et homines. 701

DISSERTATIO IIª

DE DEO FINE CREATURARUM ET PRÆCIPUE INTELLECTUALIUM

Non tantum Deus est causa omnium entium, sed, quia est summum bonum, debet præterea esse finis omnium, et præcipue creaturæ rationalis, de qua hic agendum venit. Et circa hoc considerandum est : 1º de creatura rationali ad finem supernaturalem in primo instanti creationis elevata; 2º de creatura aversa ab hoc fine (ubi de peccato et de ejus consequentiis); 3º tandem de dono gratuito quo Deus restaurat lapsam naturam humanam ipsique vires confert ut possit ad finem feliciter pervenire, seu de gratia.

Cap. 1. — De creatura rationali ad finem supernaturalem in primo instanti creationis elevata.

Sectio 1ª. De fine supernaturali. Seq. 733

Sectio 2ª. De auxiliis necessariis in genere, ad hunc finem attingendum. 795

Sectio 3ª. De dotibus quæ statum justitiæ originalis consequebantur. 822

Cap. 2. — De creatura rationali lapsa.

Sectio 1ª. De peccato naturæ angelicæ et de ejus consequentiis. 883

Sectio 2ª. De peccato originali hominis et ejus consequentiis. 898

Cap. 3. — De creatura humana lapsa restaurata per gratiam.

Sectio 1ª. De necessitate gratiæ. 974

Sectio 2ª. De divisione gratiæ. 1003

Sectio 3ª. De causa gratiæ. 1038

Sectio 4ª. De effectibus gratiæ, et primo de justificatione. 1056

Sectio 5ª. De altero effectu gratiæ, scilicet de merito. 1083

PARS TERTIA

DE DEO SECUNDUM QUOD EST VIA AD FINEM, SEU DE DEO-HOMINE

DISSERTATIO I[a]

DE INCARNATIONE

Cap. 1. — De necessitate et convenientia incarnationis.
Sectio 1[a]. De necessitate incarnationis. Seq. 1134
Sectio 2[a]. De convenientia incarnationis. 1143
Cap. 2. — De possibilitate incarnationis. 1158
Cap. 3. — Utrum de facto completa fuerit incarnatio.
Sectio 1[a]. Utrum Deus fuerit incarnatus. 1181
Sectio 2[a]. Utrum aliqua merita incarnationem præcesserint. 1186

DISSERTATIO II[a]

DE MODO UNIONIS VERBI INCARNATI

Cap. 1. — De modo unionis quantum ad personam assumentem. Seq. 1206
Cap. 2. — De modo unionis quantum ad naturam assumptam.
Sectio 1[a]. Quantum ad humanitatem assumptam. 1236
Sectio 2[a]. Quantum ad partes assumptas. 1260
Sectio 3[a]. Quantum ad ordinem durationis, dignitatis, causalitatis, executionis, intentionis (ubi de causa finali incarnationis). 1268
Cap. 3. — De coassumptis perfectionibus.
Sectio 1[a]. De gratia Christi prout est singularis homo, et secundum quod est caput eccles. 1308
Sectio 2[a]. De scientia Christi. 1408
Sectio 3[a]. De potentia Christi. 1472
Cap. 4 — De coassumptis defectibus. 1490

DISSERTATIO III[a]

DE HIS QUÆ CONSEQUUNTUR UNIONEM

Cap. 1. — De his quæ conveniunt Christo secundum se, et primo secundum esse et fieri. Seq. 1519
Cap. 2. — De his quæ conveniunt Christo secundum rationem unitatis.
Sectio 1[a]. Quantum ad esse. 1550
Sectio 2[a]. Quantum ad velle. 1556
Sectio 3[a]. Quantum ad operari (ubi de merito Christi). 1580
Cap. 3. — De his quæ conveniunt Christo per comparationem ad Patrem.
Sectio 1[a]. De subjectione ad Patrem. 1600
Sectio 2[a]. De oratione Christi. 1616
Sectio 3[a]. De sacerdotio Christi. 1621
Cap. 4. — De his quæ conveniunt Christo per comparationem ad nos (ubi de ecclesia).
Sectio 1[a]. De potestate regia et legislativa in Christo. 1640
Sectio 1[a]. De hac potestate, in quantum ecclesiæ fuit delegata. 1650
Sectio 3[a]. De hac potectate in quantum capiti ecclesiæ, scilicet vicario Christi, fuit eminenter delegata. 1660

DOCTRINÆ DIVI THOMÆ

TRIA PRINCIPIA

PRIMUM PRINCIPIUM

ENS EST TRANSCENDENS

PARS PRIMA

DE ONTOLOGIA

D. Thom. De verit. q. 1. a. 1. in corp. et q. 21. a. 3. in corp.; In 1. dist. 8. q. 1. a. 3. c.; De pot. q. 9. a. 7. ad 6; et 13 Opusc. 48 art. 29.

Principia non probantur a priori ab ulla scientia, sed supponuntur : explicantur tamen et probantur a posteriori, et hoc est quod jam præstare intendimus quoad hoc principium : *Ens est transcendens.* Nomine igitur entis, intelligimus quidquid quocumque tandem modo potest existere, sive quod aliquem ordinem dicit ad existentiam ; *ens* enim derivatur a verbo, *sum*, quod significat existere : quælibet ergo res vel ratio, quæ aliquomodo potest existere, potest etiam dici ens secundum hanc communem acceptionem, sive possit existere a se, sive ab alio, sive per se, sive in alio, sive ut pars, sive ut totum. *Transcendere* vero idem est, ac *trans,* sive ultra, *scandere*, unde aliquando sumitur pro penetrare : et hoc sensu, ratio entis dicitur *transcendens,* quia intime penetrat omnes alias rationes ; præterea, quia ratio entis dicit omnia secundum quamcumque rationem, secundum quam possunt intelligi. Denique dicitur ratio entis transcendere, quatenus in quocumque prædicamento scandendo ab ultima differentia etiam individuali per lineam directam vel indirectam, ratio entis semper ultra scandit, id est, semper est communior et universalior pervadens omnes gradus et omnia prædicamenta ; nam et differentia individualis, puta Petreitas est ens, et ipse Petrus est ens, et ascendendo ab individuis ad species et genera homo est ens, et rationale est ens, et irrationale est ens, et animal est ens, et sensibile est ens, et insensibile est ens, et corpus est ens, et substantia est ens. Et similiter in prædicamento quantitatis et qualitatis, et in omnibus aliis.

Ex hac ergo declaratione terminorum probatur principium. Ratio, quæ invenitur, et concipitur inveniri in omni alia ratione, quæcumque tandem illa sit, jure vocatur transcendens, ut patet ex declaratione terminorum ; Sed ratio entis, hoc est, ratio, quæ potest aliquo modo existere, invenitur, et concipitur inveniri in omni

alia ratione, quæcumque tandem illa sit ; nam in solo non ente, sive nihilo, non invenitur ratio entis : et quod est magis mirabile, non possumus intelligere non ens, sive nihilum, nisi ratione entis, quia non ens secundum se non est intelligibile : Ergo ratio entis est transcendens. Hinc :

CAPUT I

In quonam reperiatur ratio entis.

Sequitur primo, quod ratio entis reperiatur et concipiatur inveniri in ultimis rerum differentiis, etiam formalissime ut differentiæ sunt.

1. — D. Thom. 1. 2. q. 94. art. 2. c. ; 4 Metaph. lect. 1. et lect. 5 ; et De potentia q. 3. a. 16. ad 4.

Probatur sequela. Quod reperitur et concipitur inveniri in omnibus omnino rationibus, nulla prorsus excepta, reperitur et concipitur inveniri in ultimis rerum omnium differentiis, etiam formalissime ut differentiæ sunt ; qui enim omnia omnino dicit, nihil excludit : Atqui ratio entis, cum sit transcendens, invenitur et concipitur inveniri in omnibus omnino rationibus, nulla prorsus excepta : Ergo ratio entis reperitur et concipitur inveniri in ultimis etiam rerum omnium differentiis, etiam formalissime ut differentiæ sunt.

Explicatur. Dupliciter potest aliqua ratio in alia inveniri et includi : 1. *Explicite*, quando cognitio attingens hujusmodi rationem directe et expresse terminatur ad illam ; ut quando concipio hominem, mea cognitio directe et expresse terminatur ad animal rationale. 2. Potest aliqua ratio includi in alia *implicite*, idque rursum dupliciter : *a*) *Potentialiter*, quia videlicet ratio, quam concipio est potentialis et contrahibilis per alias rationes, ad quas cognitio mea non terminatur expresse : sic quando concipio animal, concipio implicite potentialiter hominem et brutum, quia ratio animalis est potentialis et contrahibilis per differentias rationalis et irrationalis ad hominem et brutum. *b*) Potest aliqua ratio concipi *implicite actualiter* et in actu exercito ; sicut quando judico Deum esse, implicite et in actu exercito concipio et judico, verum esse, quod Deus sit : quamvis enim intellectus meus non formet explicite hunc conceptum, veluti reflexum et in actu signato, verum est, quod Deus sit ; nihilominus eo ipso, quod intellectus meus concipit et judicat, Deum esse, implicite actualiter et in actu exercito concipit et judicat, verum esse, quod Deus sit.

In proposito ergo, quando concipio rationem entis secundum totam suam communitatem, concipio actualiter implicite omnes omnium rerum differentias, etiam ut differentiæ sunt : et similiter, quando concipio differentias, etiam ut differentiæ sunt, concipio rationem entis implicite actualiter.

Cujus rei duplex est ratio : Prima, quia eo ipso quod intelligo differentiam, etiam formalissime ut differentia est, v. g. rationalitatem, quatenus facit differre hominem a bruto, etiam concipio, quod faciat differre realiter et entitative : Atqui est omnino impossibile, quod concipiam illam facere differre realiter et entitative, nisi concipiam illam differentiam esse realitatem et entitatem : Ergo impossibile est, quod concipiam illam etiam formalissime ut differentia est, quin concipiam illam, ut entitatem, saltem in actu exercito. Secunda ratio est, quia quidquid intelligitur, eo ipso in actu exercito cognoscitur intelligibile ; nam intelligibile in actu exercito nihil aliud est, quam intelligi, sive intellectum esse : Sed quando concipio v. g. rationalitatem, sine dubio rationalitas intelligitur : Ergo rationalitas tunc in actu exercito cognoscitur intelligibilis : Ergo etiam tunc rationalitas in actu exercito, cognoscitur entitas ; cum intelligibilitas, ut postea ostendemus, nihil sit aliud, quam entitas.

et per hanc distinctionem solves omnia argumenta in oppositum.

Sequitur 2. Rationem entis non posse perfecte per intellectum præscindi ab illis, in quibus reperitur.

Probatur sequela. Perfecte per intellectum præscindi est, illa quæ cognoscuntur, ita per intellectum dividi, ut nihil unius, veluti partis, remaneat per intellectum in alia parte; sicut perfecta præscisio realis est, quando nihil unius partis remanet realiter in alia : Atqui ratio entis non potest per intellectum ita dividi ab illis, in quibus reperitur, puta ab ipsis differentiis, ut nihil entis remaneat secundum intellectum in ipsis differentiis, ut differentiæ sunt ; alias neque differentiæ illæ facerent differre, nec consequenter essent differentiæ, neque intelligerentur ut differentiæ, neque ullo modo possent intelligi et concipi ; quidquid enim intelligitur et concipitur est intelligibile, atque adeo est ens : Ergo ratio entis non potest perfecte præscindi ab illis, in quibus reperitur ; imperfecte tamen præscinditur, quia secundum conceptum explicitum non intelliguntur differentiæ illæ.

Sequitur 3. Ens non esse univocum respectu substantiæ et accidentis, sive respectu entium particularium.

3. — D. Thom. 1. p. q. 13. a. 5. ad 1 ; In 1. dist. 19. q. 5. a. 2. ad 2 ; In 2. dist. 1. q. 1. art. 1 ; 2. Metaph. lect. 2.

Probatur sequela. Ratio significata per nomen *univocum* debet perfecte præscindi a differentiis, quia univocum est unum nomen significans unam rationem perfecte eamdem in omnibus ; ita ut differentiæ, quatenus differentiæ sunt, in ea non includantur : Atqui ratio significata per hoc nomen, *ens,* non potest perfecte præscindi a differentiis, sive quasi differentiis entis, ut ostensum est : Ergo ens non potest esse univocum.

Sequitur 4. Ens non esse pure æquivocum respectu inferiorum entis.

4. — D. Thom. 1. p. q. 13. a. 10. ad 4. 2. 2. q. 120. a. 2. c. ; In 1. dist. 2. q. 3. a. 3. ad 2. et in omnibus locis mox citandis.

Probatur sequela. Nomen *æquivocum* significat rationem omnino diversam in iis, respectu quorum est æquivocum : Atqui ens non significat rationem omnino diversam in inferioribus, cum illa omnia in hoc aliquomodo conveniant, quod sunt entia et possunt existere, ut patet : Ergo ens non est pure æquivocum respectu inferiorum.

Sequitur 5. Ens esse analogum.

5. — D. Th. in 4. dist. 33. q. 1. art. 2. q. 2. in c. 1 ; Cont. gent. c. 32 et 34. q. 7 ; De pot. a. 7 ; Quæst. 7. De malo. a. 1. ad 1 ; Quodl. 2. art. 7. c. ; Opusc. 42. cap. 1 ; 4. Metaph. lect. 3 ; 11. Metaph. lect. 3.

Probatur sequela. Nomen *analogum* est, quod significat rationem aliquam partim eamdem et partim diversam, id est, quod significat rationem aliquam in qua inferiora partim conveniunt et partim differunt, ut omnes admittunt : Sed hoc nomen, *ens,* significat rationem aliquam, in qua inferiora partim conveniunt, quia possunt existere, et partim differunt, quia differunt differentiis, quæ sunt etiam entia, ut probatum est : Ergo ens est analogum.

Cum autem duplex sit *analogia ; proportionis,* videlicet et *proportionalitatis. Analogia proportionis* ea est, in qua una res participat rationem significatam per nomen analogum dependenter a ratione, quæ repetitur in alia re ; v. g. sanum, est nomen analogum analogia proportionis, quia sanitas reperta in medicina, aere, deambulatione, et aliis, convenit illis dependenter a sanitate, quæ est in animali. *Analogia proportionalitatis* consistit in hoc, quod ratio significata per nomen analogum se habeat in uno respectu aliquorum ;

sicut alia ratio diversa per idem nomen significata, se habet in altero respectu aliorum : sic, hoc nomen, duplum, est analogum analogia proportionalitatis, quia ratio per illud significata se habet in uno, v. g. in numero senario respectu ternarii, sicut se habet ratio duodenarii respectu senarii ; sicut enim senarius duos numeros ternarios continet, ita duodenarius duos senarios. Ens ergo est analogum duplici illa analogia : et quidem ens dictum de substantia et accidente, est analogum analogia proportionis, quia accidens, ut postea ostendemus, est entis ens, neque potest existere connaturaliter nisi dependenter a substantia ; similiter materia non potest existere sine forma, unde ens est analogum analogia proportionis respectu materiæ et formæ. Eodem modo ens est analogum analogia proportionalitatis respectu substantiæ et accidentis, quia ratio significata per hoc nomen, *ens*, quæ est potentia ad existendum, se habet in accidente, eo fere modo, quo eadem ratio se habet in subtantia ; ita ut sicut se habet substantia ad suam existentiam, ita se habeat accidens ad suam.

Sequitur 6. Ens non esse genus respectu substantiæ et accidentis, sive respectu decem prædicamentorum, sicut nec respectu materiæ et formæ.

6. — D. Thom. 1. p. q. 3. a. 5. c. et ad 1 ; In 1. dist. 8. q. 4. a. 2. ad 2. ; 1. Cont. gent. c. 25 ; De verit. q. 1. a. 1. c. et a. 10. ad 2 ; De potentia q. 3. a. 16. ad 4. et quæst. 7. art. 3. c. ; Quodl. 2. a. 3. c. ; Opusc. 42. cap. 13. et 10 ; 3. Metaph. lect. 8. et lib. 5. lect. 7. et lib. 8. in fine. lib. 10. lect. 4. et lib. 11. lect. 5.

Probatur sequela. Quod non est univocum non potest esse genus, ut ostendemus infra : Sed ens, ut diximus, non est univocum respectu Dei et creaturæ, respectu substantiæ et accidentis, materiæ et formæ : Ergo ens non est genus.

Sequitur 7. Non dari unum tantum prædicamentum entis.

7. — D. Thom. 5. Metaph. lect. 7. ; 3. Physic. lect. 4.

Probatur sequela. Prædicamentum est coordinatio generum et specierum sub supremo aliquo genere : Atqui non datur una coordinatio generum et specierum sub ente, tanquam sub genere supremo ; cum, ut diximus, ens non sit genus : Ergo non datur unum tantum prædicamentum. Quomodo vero ratio accidentis non sit univoca respectu novem prædicamentorum accidentium dicemus infra : atque adeo hinc sequitur dari vere decem prædicamenta.

Sequitur 8. Rationem entis in qualibet re esse totum, quod est in ipsa.

8. — D. Thom. De verit. q. 1. a. 1 ; 5. Metaph. lect. 7. et 10. lect. 4.

Probatur sequela. Ratio importans tam communia, quam propria ipsius rei, importat totum, quod est in ipsa re ; cum in re nihil sit aliud, nisi quod est commune, et quod est proprium : Sed ratio entis importat tam communia, quam propria, ut patet ex dictis : Ergo ratio entis est totum, quod in aliqua re invenitur.

Sequitur 9. Rationem entis in substantia importare etiam propriam rationem substantiæ, rationem entis in accidente importare propriam rationem accidentis, in rationali propriam rationem rationalis, et sic de aliis.

9. — Iisdem locis.

Probatur sequela. Quod importat totum, quod est in re, importat etiam rationem differentialem cujuslibet rei : Sed ratio entis importat totum, quod est in re ; Ergo importat etiam rationem differentialem cujuslibet rei.

CAPUT II.

De ratione entis in materia, de materia, forma, etc., et de quantitate.

Sequitur 10. Rationem entis in materia esse potentiam physicam receptivam formæ.

10. — Iisdem locis.

Probatur sequela. Propria *ratio materiæ* per se primo ipsi conveniens, quatenus distinguitur a forma, est quod sit potentia physica receptiva formæ, ut omnes fatentur : Atqui, ex dictis, ratio entis est, in qualibet re, propria ejus ratio, sive differentia : Ergo ratio entis in materia est, quod sit per se primo potentia physica receptiva formæ.

Sequitur 11. Rationem entis in materia non esse actum.

11. — 1. p. q. 4. a. 1. c.; In 3. dist. 4. q. 2 a. 1. ad 1. et dist. 14. art. 4. c.; Quodl. 10. a. 5. c.

Probatur sequela. Omnis *actus* vel est *physicus* vel *metaphysicus;* sicut enim omnis compositio per se est vel physica vel metaphysica, ita omnis actus est vel physicus vel metaphysicus, quia omnis compositio per se fit ex actu et potentia : Sed ratio entis in materia non est actus physicus; actus enim physicus est forma, ratio autem entis in materia non est forma, atque adeo non est actus physicus; non est etiam actus metaphysicus, quia actus metaphysicus est differentia : Sed ratio entis in materia non est differentia, imo est potius totum, quod est in re, ut diximus, et quia ratio communis analoga non habet differentiam propriæ : Sed ratio entis est analoga, ex dictis : Ergo ratio entis non habet differentiam, atque adeo ratio illa propria materiæ non est differentia : Ergo ratio entis in materia non est differentia, nec consequenter actus metaphysicus.

Sequitur 12. Rationem entis in materia non esse actum entitativum.

12. — Ex iisdem locis.

Explicatur. Nomine actus entitativi Scotus, et quidam alii intelligunt rationem entis realis et positivi, quod non est nihil, et hanc rationem vocant actum entitativum, quia, inquiunt, est quædam actualis ratio opposita nihilo. Rem concedimus, modum loquendi negamus.

Probatur sequela. Ratio, quæ ita est potentia, ut non possit etiam per intellectum a ratione potentiæ præscindi non potest vocari actus, ut patet ex terminis : Sed ratio entis in materia ita est potentia, ut non possit etiam per intellectum præscindi a ratione potentiæ, ut ex dictis constat : Ergo ratio entis in materia non potest vocari actus entitativus.

Sequitur 13. Rationem entis in materia per se primo respicere formam ut recipiendam.

13. — Quodl. 9. q. 4. a. 1. ad 3; Opusc. 30. lect. 10.

Probatur sequela. Omnis potentia per se primo respicit proprium actum, ut ostendemus in alio principio : Atqui ratio entis in materia est potentia per se primo receptiva formæ : Ergo ratio entis in materia per se primo respicit formam ut recipiendam.

Sequitur 14. Formam substantialem esse actum primum entis, quod est in materia.

14. — 1. p. q. 66. a. 1. et 2. c. et q. 76. a. 4. c.; De unione. a. 4. c.; 3. Cont. gent. c. 3. et alibi sæpe, præsertim 2. De anima com. 3.

Probatur sequela. Actus, quem potentia per se primo respicit, est actus primus hujusmodi potentiæ, ut in alio principio ostendemus : Atqui forma substantialis est actus, quem ratio entis in materia respicit per se primo, tanquam potentia, ex dictis : Ergo

forma substantialis est actus primus entis, quod est in materia.

Sequitur 15. Rationem entis in materia prius debere recipere formam, quam subsistentiam, existentiam vel accidentia.

15. — 1. p. q. 76. a. 6. et 7. c.; In 3. dist. 2. q. 2. a. 2. q. 1. a. 1. c.; 1. Cont. gent. c. 70; De verit. q. 13. a. 4. ad 4.

Probatur sequela. Omnis potentia receptiva prius debet recipere actum primum, quem per se primo respicit, quam quemcumque actum secundum, ut patet ex terminis : Sed forma substantialis est actus primus, quem per se primo respicit ratio entis, quod est in materia, ex dictis : Ergo ratio entis, quod est in materia prius debet recipere formam substantialem, quam quemcumque alium actum, atque adeo prius debet recipere formam, quam actum subsistentiæ, existentiæ, vel accidentium.

Sequitur 16. Materiam secundum se non habere propriam subsistentiam vel existentiam.

16. — De verit. q. 3. art. 5. ad 3.

Probatur sequela. Quod non habet actum primum non habet secundum, primus enim essentialiter præsupponitur ad secundum : Sed materia sive ratio entis in materia non habet actum primum vel differentiam, ut ostendimus : Ergo non potest habere actum secundum : Ergo, etc.

Sequitur 17. Materiam primam non posse existere sine forma.

17. — 1. Physic. lect 15. com. 1; De spiritualibus creaturis. a. 1. c. et ad 6. et art. 5. ad 10; Opusc. 30. lect. 10.

Probatur sequela. Implicat aliquid habere actum secundum sine primo, quia actus secundus essentialiter præsupponit primum. Sed actus primus materiæ est forma, actus vero secundus est subsistentia vel existentia, quam ostendemus in secundo principio distingui ab essentia in rebus creatis : Ergo implicat materiam existere sine forma. Secundo, quod non habet propriam existentiam vel subsistentiam debet existere ac subsistere per existentiam et subsistentiam alienam ; quia implicat illud existere sine existentia, vel subsistere sine subsistentia : Atqui, ex dictis, materia non habet propriam existentiam vel subsistentiam : Ergo debet existere per alienam, formæ videlicet vel compositi, quæ existentia compositi non est sine forma.

Sequitur 18. Quod materia amittendo unam formam, debet immediate recipere aliam.

18. — 1. p. q. 44. a. 4. ad 2; In 4. dist. 17. q. 1. a. 5. q. 2. a. 1. c.; De verit. q. 28. a. 1. et 7.

Probatur sequela. Quod non potest existere sine aliqua forma, si existat et non desinat esse, amittendo unam formam debet immediate recipere aliam . Atqui, ex dictis, materia non potest existere sine forma : Ergo materia amittendo unam formam debet recipere aliam immediate

Sequitur 19. Quod corruptio unius est generatio alterius; hoc est, ad corruptionem unius compositi, sive desitionem unius formæ substantialis in materia debet immediate sequi generatio alterius sive receptio alterius formæ in materia.

19. — Iisdem locis.

Probatur sequela. Expulsio unius formæ a materia, est corruptio unius compositi; introductio vero alterius formæ est generatio alterius compositi : Sed, ex dictis, post expulsionem unius formæ a materia, debet immediate subsequi introductio alterius formæ, alias materia desineret esse, cum non possit esse sine forma : Ergo ad corruptionem unius compositi debet subsequi immediate generatio alterius.

Sequitur 20. Quod generatio unius est corruptio alterius, hoc est, quod ad introductionem unius formæ in materia, debet subsequi immediate expulsio alterius formæ substantialis.

20. — Iisdem locis.

Probatur sequela. Quando aliquid non potest esse sine forma substantiali, neque potest habere duas simul, ex introductione unius debet subsequi expulsio alterius : Sed materia non potest esse sine forma substantiali, ex dictis, nec potest habere duas simul, ut statim ostendemus : Ergo ad introductionem unius debet subsequi expulsio alterius.

Sequitur 21. Quod materia non possit per se produci vel creari.

21. — 1. p. q. 45 a. 4.

Probatur sequela. Quod non potest per se existere, non potest per se produci vel creari ; quod enim est incapax viæ, est incapax termini, et e contra ; terminus autem cujuscumque produci vel creari est esse : Atqui, ex dictis, materia non potest per se existere : Ergo non potest per se produci vel creari.

Sequitur 22. Per se loquendo materiam concreari.

22. — Eodem loco.

Probatur sequela. Simul cum alio creari, est concreari, ut patet ex terminis : Sed materia per se loquendo debet simul cum forma creari, quia non potest per se produci, nec potest produci per generationem, ut statim ostendemus : Ergo debet per se loquendo concreari.

Sequitur 23. Materiam non posse produci per generationem.

23. — 1. p. q. 46. a. 1. ad 3 ; 2. Cont. gent. cap. 54.

Probatur sequela. Primum subjectum formæ substantialis non potest generari, quia, ut omnes fatentur, generatio præsupponit primum subjectum : Sed materia est primum subjectum formæ substantialis, quia, ut ostendimus, est per se primo potentia receptiva formæ : Ergo materia non potest generari, est ergo ingenerabilis et incorruptibilis.

Sequitur 24. In prima rerum productione materiam fuisse concreatam.

24. — Locis citatis.

Probatur sequela. In prima rerum productione materia fuit producta productione ipsi per se conveniente : Sed productio conveniens per se materiæ est concreatio, ex dictis : Ergo in prima rerum productione materia fuit concreata. *Major patet,* quia in prima rerum productione nihil erat, quod exigeret, ut materia produceretur per accidens productione distincta a productione formæ.

Sequitur 25. In prima rerum productione non fuisse eductionem formæ ex materia.

25. — Ibidem.

Probatur sequela. Eductio formæ ex materia præsupponit materiam alia actione, sive productione productam, aut saltem producibilem ; quia eductio per hoc differt a creatione, quod hæc sit ex nullo præsupposito subjecto, eductio vero sit ex præsupposito subjecto : Sed in prima rerum productione, materia non potuit esse producta, per aliam actionem, ut ostensum est : Ergo in prima rerum productione non potuit esse eductio.

Sequitur 26. Formas omnes substantiales non spirituales, sive corporeas, non fieri per se.

26. — 1. p. q. 45. a. 4.

Probatur sequela. Cujus non est esse per se, non est etiam fieri per se, cum esse sit terminus ipsius fieri, ut diximus : Atqui formæ corporeæ

non sunt per se, sed ratione totius compositi, quia sunt in materia et dependenter ab illa : Ergo nec fiunt per se.

Sequitur 27. Materiam solam sine forma, non posse esse subjectum accidentium.

27. — Opusc. 30.

Probatur sequela. Quod non potest subsistere, sive per se existere, non potest substare, sive esse subjectum sustentans aliud, ut patet ex terminis : Sed, ex dictis, materia sine forma non potest existere, atque adeo non potest per se subsistere : Ergo non potest etiam sola substare.

Sequitur 28. Subjectum omnium accidentium materialium esse totum compositum.

28. — 1. p. q. 36. a. 4. ad 7. et 39. c.; De potent. q. 9. a. 6. c.

Probatur sequela. Materia cum forma, sive unita formæ, est compositum, ut patet : Atqui subjectum accidentium materialium est materia unita formæ, cui soli convenit per se existere, ut ostensum est : Ergo subjectum accidentium materialium est compositum. Dixi, accidentium materialium, quia de spiritualibus est alia ratio, ut postea ostendemus.

Sequitur 29. Pereunte composito, omnia accidentia materialia perire, nec remanere eadem numero.

29. — In 3. dist. 31. q. 1. a. 1; De verit. q 2. a. 12. ad 12; q. De anima. a. 19. in c.

Probatur sequela. Pereunte subjecto pereunt accidentia naturaliter loquendo ; quia accidentia naturaliter non possunt esse, nisi inhærcant subjecto a quo sustentantur, ut dicemus statim : Sed pereunte composito, perit subjectum accidentium materialium, nimirum compositum, ut dictum est : Ergo pereunt etiam accidentia, nec remanent eadem numero.

Sequitur 30. In generatione dari resolutionem usque ad materiam primam.

30. — In 2. dist. 20 q. 1. a. 1. c.; In 4. dist. 11. q. 1. a. 3. ad 4; Opusc. 32. cap. 7.

Probatur sequela. Dari resolutionem usque ad materiam primam, non est materiam primam esse in aliquo instanti sine ulla forma substantiali vel accidentali; sed est nullam formam substantialem vel accidentalem eamdem numero ex his, quæ erant in composito corrupto, remanere in cōposito genito ; quia totum ita sōlvitur tunc et resolvitur, ut nihil ejus remaneat in genito, nisi sola materia prima : Atqui nulla forma vel substantialis vel accidentalis remanet in composito genito eadem numero, cum illa quæ præexistebat in corrupto; quia, ut diximus, pereunte composito pereunt etiam accidentia omnia, nec remanent eadem numero, quod etiam postea ostendemus, dum probabimus accidentia individuari a subjecto, quod, ut ostendimus, est solum compositum : Ergo in generatione substantiali datur resolutio usque ad materiam, quia non remanere ullam formam substantialem probabimus postea, dum ostendemus in composito non esse nisi unam formam substantialem; certum est autem, quod in generatione perit una saltem forma substantialis, quia (ut ostendimus) generatio unius est corruptio alterius.

Sequitur 31. Materiam primam ex se præcise, nullum habere principium actu distinctivum.

31. — In 1. dist. 26. q. 2. a. 2. c.; In 4. dist. 12. q. 1. a. 1. q. 3. ad. 3.

Probatur sequela. Quod nullum habet actum, nullum habet principium actu distinctivum, quia omnis actualis distinctio fit per actum : Sed materia prima nullum habet ex se actum, ex dictis : Ergo materia prima nullum habet ex se præcise principium actu distinctivum.

Sequitur 32. Materiam primam ex se non esse principium distinctionis specificæ et essentialis, sed formam.

32. — 1. p. q. 30. a. 3. c. et q. 47. a. 1. et 2; 3. Cont. gent. c. 92; De verit. q. 12. a. 13. ad 2; De pot. q. 9. a. 7. c.

Probatur sequela, Quod nullum habet ex se principium distinctionis, non habet etiam principium distinctionis specificæ, ut patet ex terminis : Sed materia prima nullum habet ex se principium distinctionis : Ergo non habet ex se principium distinctionis specificæ; atque adeo illam distinctionem specificam habet ab aliquo alio substantiali, nullum est autem aliud substantiale nisi forma: Ergo principium distinctionis specificæ est sola forma.

Sequitur 33. Materiam primam non esse ex se principium distinctionis partium ejusdem rationis sive speciei.

33. — De pot. q. 2. a. 4. c. et q. 3. a. 10. c.; De spiritual. creat. a. 1. ad 9. et ad 19. et locis jam citatis.

Probatur sequela. Quod nullo modo est ex se principium distinctivum, non est etiam principium distinctivum partium ejusdem rationis, ut constat : Atqui ex dictis materia prima nullo modo ex se est principium distinctivum : Ergo ex se non est principium distinctivum partium ejusdem rationis, sive speciei.

Sequitur 34. Substantiam materialem habere ab aliquo accidente aliquo modo distinctionem partium ejusdem rationis et entitativarum.

34. — In 1. dist. 16. q. 2. a. 1. c.

Probatur sequela. Quod habet aliquid et non habet illud ex se, habet ab alio : Atqui substantia materialis habet distinctionem partium ejusdem rationis et entitativarum, ut patet, et non habet ex se, ut constat; nam si haberet ex se, vel haberet a forma, et hoc non, quia, ut diximus, forma est tantum principium distinctionis formalis et specificæ, quæ est distinctio partium diversæ rationis, vel haberet a materia sola et nuda, et hoc etiam dici non potest, quia materia ex se nullum habet principium distinctivum : Ergo debet substantia materialis habere distinctionem partium ejusdem rationis et entitativarum ab aliquo accidente.

Sequitur 35. Substantiam materialem habere distinctionem partium ejusdem rationis, à quantitate.

35. — Ibid. et in 4. dist. 12. q. 1. a. q. 3. ad 3.

Probatur sequela. Substantia materialis habet distinctionem partium ejusdem rationis ab aliquo accidente, ex dictis : Atqui non est assignabile aliud accidens, quam quantitas. Nam qualitas, et relatio non possunt hoc præstare secundum suam generalem rationem, cum etiam reperiantur in iis, in quibus non sunt partes ejusdem rationis, ut in angelis, nec ultima prædicamenta possunt etiam hoc præstare, cum supponant potius partes ejusdem rationis, ut patet in situ, ubi, habitu, quando, imo et in actione transeunte, ac passione : Ergo a sola quantitate.

Sequitur 36. Substantiam materialem seclusa quantitate esse omnino indivisibilem in partes ejusdem rationis.

36. — 4. Contr. gent. c. 45.

Probatur sequela. Quod non habet partes aliquas est indivisibile in eas : Atqui substantia materialis non habet partes ejusdem rationis seclusa quantitate, cum illas habeat a quantitate, ut dictum est : Ergo substantia materialis seclusa quantitate est indivisibilis in partes ejusdem rationis.

Sequitur 37. Substantiam materialem secundum ea præcise, quæ habet intra prædicamentum substantiæ, non habere partes ejusdem rationis.

37. — 5. Metaph. lect. 14.

Probatur sequela. Substantia materialis seclusa quantitate non habet partes ejusdem rationis, ex dictis : Sed substantia materialis secundum ea, quæ habet intra prædicamentum substantiæ, est seclusa quantitate; nam quantitas non est de prædicamento substantiæ : Ergo substantia materialis, secundum ea, quæ habet præcise intra prædicamentum substantiæ, non habet partes ejusdem rationis, sed tantum habet partes, materiam et formam, quæ sunt partes diversæ rationis; quia materia est potentia, forma est actus.

Sequitur 38. Effectum formalem quantitatis esse tribuere substantiæ materiali partes ejusdem rationis.

38. — In 1. dist. 17. q. 2. a. 1. c. et dist. 19. q. 1. a. 1; De pot. q. 9. a. 7.

Probatur sequela. Effectus formalis formæ est, quem tribuit informando : Sed, ex dictis, quantitas informando substantiam materialem tribuit illi partes ejusdem rationis: Ergo tribuere partes ejusdem rationis, est effectus formalis quantitatis.

Sequitur 39. Essentiam quantitatis esse, quod sit accidens extensivum partium extra partes in substantia materiali.

39. — Iisdem locis.

Probatur sequela. Essentia formæ est posse tribuere effectum formalem subjecto : Sed effectus formalis quantitatis, est tribuere partes ejusdem rationis, sive extendere partes extra partes in substantia materiali, quod omnino idem est : Ergo posse illas tribuere, sive esse accidens extensivum hujusmodi partium, est essentia quantitatis.

Sequitur 40. Quantitatem non recipere augmentum intensivum, sive non intendi.

40. — 1. 2. q. 52. a. 1. et 2; 3. q. 7. art. 12; De malo. q. 7. a. 2; De verit. q. 1 a. 11. et q. 5. a. 3.

Probatur sequela. Quod recipit augmentum intensivum habet veluti plures partes sui in eadem parte subjecti : Atqui quantitas non potest habere plures partes sui in eadem parte subjecti, quia per suas partes facit partes extra partes in subjecto, ut dictum est antea : Ergo quantitas non recipit augmentum intensivum.

Sequitur 41. Condensationem non esse augmentum intensivum quantitatis.

41. — In 1. dist. 37. q. 2. a. 1.

Probatur sequela. Id quod convenit non habenti augmentum intensivum, non potest esse augmentum intensivum illius, ut ex terminis est evidens : Sed condensatio convenit ipsi quantitati, cui, ut diximus, non convenit augmentum intensivum : Ergo condensatio non est augmentum intensivum quantitatis. *Minoris prima pars patet* experientia, videmus enim eamdem quantitatem condensari : secunda vero pars jam probata est.

Sequitur 42 Rarefactionem intensivum non esse decrementum quantitatis.

42. — 1. De cœlo. lect. 7.

Probatur sequela. Rarefactio est motus contrarius condensationi, ita ut terminus *a quo* rarefactionis sit terminus *ad quem* condensationis, et e contra : Sed condensatio non est augmentum intensivum quantitatis, ita ut plures partes quantitatis sint per condensationem in eadem parte subjecti : Ergo rarefactio non erit decrementum intensivum quantitatis, ita

ut pauciores partes quantitatis sint in eadem parte subjecti.

Sequitur 43. Extensionem partium extra partes in ordine ad locum esse tantum proprietatem quantitatis.

43. — In 4. dist. 10. a. 1. ad 5. et a. 2. q. 3. ad 2. et dist. 44. q. 2. a. 2. q. 5. c.; Quodl. 1. a. 4. c. et Quodl. 7. a. 8. c.

Probatur sequela. Effectus formalis consequens ad alium priorem non est effectus primarius, sed secundarius et proprietas; quia proprietas consequitur ad essentiam, essentia autem formæ est tribuere suum primarium effectum : Atqui extensio partium in ordine ad locum est effectus formalis quantitatis consequens ad effectum alium priorem, qui est extensio partium extra partes in ordine ad se; ex hoc enim, quod partes sunt extra partes in ordine ad ipsas partes (quod, ut diximus, est effectus primarius quantitatis) consequitur, quod extendantur in ordine ad locum, sive quod diversæ partes locati correspondeant diversis partibus loci : Ergo extensio partium in ordine ad locum est tantum proprietas quantitatis.

Sequitur 44. Deum per absolutam suam potentiam posse impedire extensionem partium in ordine ad locum salva essentia quantitatis.

44. — 3. p. q. 76. a. 1. ad 3. et a. 3. et 4. et q. 81. a. 4. ad 3.

Probatur sequela. Deus potest impedire proprietatem salva rei substantia, ut in hoc principio ostendemus : Sed, ex dictis, extensio partium in ordine ad locum est tantum proprietas quantitatis : Ergo Deus potest impedire hanc extensionem salva essentia quantitatis.

Sequitur 45. Substantiam materialem non habere extensionem partium in ordine ad locum, nisi mediante extensione partium in ordine ad se.

45. — Ex iisdem locis.

Probatur sequela. Effectus formalis secundarius non tribuitur subjecto a forma, nisi mediante primario : Sed extensio partium in ordine ad locum est effectus formalis secundarius quantitatis, et extensio partium in ordine ad se est effectus formalis primarius : Ergo substantia materialis non habebit extensionem partium ad locum, nisi mediante extensione partium in ordine ad se.

Sequitur 46. Substantiam materialem esse in loco modo quantitativo, media extensione partium in ordine ad se et ad locum.

46. — Ex iisdem.

Probatur sequela. Esse in loco modo quantitativo, est substantiam esse extensam in ordine ad locum, ita ut partes ipsius correspondeant partibus loci : Sed substantia materialis non habet extensionem partium ad locum, nisi mediante extensione partium in ordine ad se : Ergo utraque extensio requiritur, ut substantia sit in loco modo quantitativo.

Sequitur 47. Partes substantiæ non esse in loco modo quantitativo et divisibili, sive extensione partium in ordine ad locum.

47. — Ex iisdem.

Probatur sequela. Esse in loco modo quantitativo est esse per extensionem partium in ordine ad se et ad locum; ex dictis : Sed substantia materialis non habet partes ex se extensas in ordine ad locum : Ergo substantia materialis non est in loco modo quantitativo sine extensione partium in ordine ad locum.

Sequitur 48. Casu, quo quantitas non haberet extensionem partium in ordine ad locum, fore in loco modo indivisibili.

48. — In 4. dist. 10. a. 2. q. 3. et a. 4. et dist. 12. q. 1. a. 2. q. 1. c.; 4. Contr. gent. c. 44. et 67.

Probatur sequela. Eo modo est aliquid divisibile vel indivisibile, quo habet partes, ut est evidens : Sed sub-

stantia materialis, sive quantitas non habet partes in ordine ad locum, sine extensione partium in ordine ad locum : Ergo substantia materialis, sive quantitas non est in loco modo divisibili sine extensione partium in ordine ad locum, atque adeo, si non habet hanc extensionem ad locum, non est in loco modo divisibili.

Sequitur 49. In tali casu substantiam fore totam in qualibet parte loci et totam in toto loco.

49. — 3. p. q. 76. a. 2. et 3. et q. 78. a. 6. ad 1. et q. 79. a. 1. ad 3. et q. 80. a. 12. ad 3.

Probatur sequela. Quod est in loco modo indivisibili est totum in toto loco et totum in qualibet parte : Sed, ex dictis, substantia materialis, sive quantitas, in tali casu esset in loco modo indivisibili : Ergo eo casu esset tota in toto loco, et tota in qualibet parte loci.

Sequitur 50. Corpus Christi in Eucharistia esse totum in tota hostia consecrata, et totum in qualibet parte hostiæ.

50. — Iisdem locis et 4. Cont. gent. c. 63. et 64. et 66; Joan. 6. lect. 7; 1. ad Corinth 11. lect. 5. et 6.

Probatur sequela. Substantia materialis existens in loco modo non quantitativo, sed indivisibili et per modum substantiæ, est tota in toto et tota in qualibet parte, ex jam-dictis : Atqui secundum fidem Corpus Christi in Eucharistia est in hostia consecrata modo non quantitativo, sed indivisibili et per modum substantiæ : Ergo Corpus Christi est in Eucharistia, totum in tota hostia et totum in qualibet ejus parte.

Sequitur 51. Quod, qui sumit unam particulam specierum consecratarum sumit totum Corpus Christi.

51. — Iisdem locis.

Probatur sequela. Qui sumit unam partem rei, sub qua totum existit, sumit simpliciter totum : Sed qui sumit particulam specierum consecratarum, sumit partem hostiæ consecratæ, sub qua totum Corpus Christi existit, ex dictis : Ergo sumit totum Corpus Christi.

Sequitur 52. Quod per se loquendo tantum effectum consequitur, qui sumit unam particulam sacramenti Eucharistiæ, quam qui sumit totam hostiam vel ambas species.

52. — 3. p. q. 74. a. 1. ad 3. et q. 80. a. 12; Joan. 6. lect. 7.

Probatur sequela. Qui applicat causam totam unius effectus, totum effectum producit : Sed qui sumit partem hostiæ, applicat totam causam gratiæ, æque ac qui sumit ambas species : Ergo recipit tantum effectum, æque ac ille, qui sumit ambas species.

Sequitur 53. Ecclesiam nullum præjudicium intulisse laicis prohibendo usum calicis.

53. — Ibidem et In 4. dist. 11. q. 2. a. 1. q 1. ad 3. et dist. 12. q. 3. a. 2. q. 3. ad 3.

Probatur sequela. Nullum præjudicium affertur illi, cui tantum relinquitur, quantum si nihil auferretur : Atqui, ex dictis, tantam causam gratiæ reliquit Ecclesia laicis relinquendo usum unius speciei, et auferendo usum calicis, ac si nihil abstulisset : Ergo Ecclesia nullum præjudicium intulit laicis.

Sequitur 54. Impenetrabilitatem, sive exclusionem unius corporis a loco, in quo est aliud corpus, esse proprietatem separabilem a quantitate.

54. — 1. p. q. 67. a. 2; 3. p. q. 54. a. 2. ad 1. et q. 57. a. 4. ad 2.

Probatur sequela. Quod oritur ab aliquo mediante alio separabili, est etiam separabile, ut patet ex terminis : Sed impenetrabilitas oritur a quantitate mediante extensione partium in ordine ad locum, quam ostendimus esse separabilem a quantitate; nam exclusio a loco non potest esse, nisi media extensione ad locum : Ergo

impenetrabilitas est separabilis a quantitate et consequenter a corpore.

Sequitur 55. Duo corpora posse esse divinitus in eodem loco sese penetrando.

55. — Ibidem et in 1. dist. 37. q. 1. a. 1; In 2. dist. 2. q. 2. a. 2. ad 5; 3. Contr. gent. cap. 101. et 102.

Probatur sequela. Ablata impenetrabilitate duo corpora possunt sese penetrare, ut patet ex terminis : Atqui, ex dictis, potest auferri impenetrabilitas, etiam stante quantitate : Ergo si divinitus auferatur impenetrabilitas, poterunt duo corpora esse in eodem loco.

Sequitur 56. Potuisse Corpus Christi exire ex utero beatissimæ Virginis salva ejus virginitate, ingredi ad discipulos januis clausis, et alia similia.

56. — Ibid. et 1. ad Corinth. 15. lect. 6. et 3; et In 3. dist. 22. q. 3. a. 3. q. 1. ad 2.

Probatur sequela. Corpus, quod potest aliud penetrare, potest ingredi vel egredi ex illo alio corpore, absque ulla fractura : Atqui Corpus Christi potuit penetrare aliud Corpus divinitus, ex dictis : Ergo potuit et exire et ingredi absque fractura.

CAPUT III.

De principio individuationis.

Sequitur 57. Materiam signatam, sive sigillatam quantitate esse principium substantiale radicale individuationis, sive distinctionis pure individualis.

57. — D. Thom. 3. p. q. 77. a. 2. c.; In 8. dist. 1. q. 2. a. 5. ad 1; In 4. dist. 12. q. 1. a. 1. q. 3. ad 3; 4. Cont gent. c. 65; De verit. q. 2. a. 6. et 7; Et aliis locis.

Explicatur : Materia hic sumitur pro altera parte compositi substantialis, quæ per modum potentiæ recipit formam substantialem tanquam actum proprium. Dicitur vero, signata vel sigillata quantitate, non quod existat aliquid, quod sit signum vel sigillum, in sola materia; nam, ut supra vidimus, nullum accidens subjectatur in sola materia, sed dicitur, signata vel sigillata quantitate, quatenus ex vi dispositionum, quæ præcesserunt in toto tempore alterationis, quando erat sub forma compositi corrupti, debet in instanti extrinsece terminativo illius motus sequi in composito genito, hæc numero quantitas potius quam alia, quia hæc quantitas debet sequi ex vi illarum dispositionum introductarum a tali agente, tali loco, tali tempore, etc. Hæc igitur materia hoc sensu signata, sive sigillata quantitate, est radix illius quantitatis. Quando vero inquirimus quodnam sit principium individuationis, non quærimus de principio efficiente, istud enim est generans; sed inquirimus de formali aut quasi formali : sed non quærimus de formali proximo; hoc enim est ipsa hæcceitas, sive differentia individualis cujuslibet substantiæ : sed inquirimus de radicali, hoc est, de eo, quod est prima radix illius hæcceitatis, sive differentiæ individualis; neque inquirimus de principio accidentali, hoc enim est collectio omnium accidentium individualium : sed agimus de principio substantiali radicali; supposita ergo hac explicatione :

Probatur sequela ex dictis supra a sequela 32 *usque ad* 36. Substantia, quæ est radix principii formalis proximi distinctionis pure individualis, est principium radicale distinctionis pure individualis, ut patet ex explicatione terminorum : Sed materia prima signata quantitate est principium radicale substantiale distinctionis pure individualis : Ergo materia prima signata quantitate est principium radicale individuationis. *Minor probatur:* Principium radicale partium, sive entitatum ejusdem rationis et speciei, est principium radicale distinctionis pure individualis, quia, quæ sunt ejusdem rationis et speciei, si distinguantur, distinguuntur pure individualiter, ut constat : Atqui materia

prima, ut signata quantitate, est radicale substantiale principium distinctionis partium ejusdem rationis : Ergo materia, ut signata quantitate, est principium radicale substantiale principii formalis distinctionis pure individualis. *Minor probatur :* Omne principium substantiale vel est materia vel forma ; in composito siquidem substantiali non est aliquid aliud, quod sit substantia, nisi materia et forma : sed forma non est principium distinctionis partium ejusdem rationis et speciei, ex dictis sequela 32 ; nec materia potest esse ex se et nuda principium distinctivum, ex dictis sequela 33. Ergo tota materia habebit, quod hoc sit principium ratione alterius, scilicet quantitatis, ex dictis sequela 34. Sed hoc non potest habere materia ratione quantitatis actu ei inhærentis ; quia quantitas non inhæret soli materiæ, ut ostendimus supra : et deinde, quia si quantitas, sive materia ratione quantitatis actu inhærentis diceretur principium radicale distinctionis partium ejusdem rationis, jam non assignaretur principium radicale substantiale, sed potius accidentale, quia materia, cui inest quantitas, si quid habet ratione quantitatis, habet ut principium accidentale ; quod enim convenit substantiæ ratione accidentis non est substantiale : Ergo esse principium substantiale radicale distinctionis partium ejusdem rationis non potest convenire materiæ ratione quantitatis illi actu inhærentis : Ergo debet materia hoc habere, quatenus est radix hujus, potius quam alterius quantitatis : Sed materia non est radix hujus potius quam alterius quantitatis, nisi quatenus ex vi dispositionum præcedentium in subjecto corrupto debet potius subsequi in composito genito hæc quantitas, quam alia : Ergo materia, ut est radix hujus quantitatis, potius quam alterius ratione dispositionum, quæ præcesserunt in composito corrupto est radix distinctionis partium ejusdem rationis : Sed materiam ex vi dispositionum in subjecto corrupto antecedentium debere recipere in instanti generationis hanc quantitatem potius quam aliam, est materiam esse signatam, sive sigillatam quantitate, ut patet ex explicatione : Ergo materia signata, sive sigillata quantitate est radix distinctionis partium ejusdem rationis.

Sequitur 58. Compositum et formam substantialem individuari ex materia signata.

58. — De verit. q. 10. a. 5 ; De malo. q. 6. a. 1. ad 18.

Probatur sequela. Principium radicale substantiale individuationis est materia signata, ut probatum est : Sed compositum et forma substantialis individuantur ex principio radicali substantiali individuationis : Ergo individuantur ex materia signata. *Minor est evidens :* Idcirco enim aliquid vocatur principium radicale individuationis, quia ex illo alia individuantur ; sicut universaliter principium radicale alicujus rei dicitur illud, ex quo alia eam habent.

Sequitur 59. Formam esse unam numero in ordine ad materiam signatam una numero quantitate.

59. — 1. p. q. 3. a. 3. c. et q. 39. a. 1. ad 3. q. 54. a. 3. ad 1. q. 56. a. 1. ad 2.

Probatur sequela. Individuari est esse unum numero : Atqui forma individuatur ex materia, sive per ordinem ad materiam signatam una quantitate, ex dictis : Ergo forma est una numero ex ordine ad materiam signatam una quantitate.

Sequitur 60. Quod ubi est una numero materia signata, non potest esse multiplex numero forma ; vel e contra ubi est una numero forma, non potest esse multiplex numero materia.

60. — 5. Metaph. lect. 8 ; 1. p. q. 3. a. 2. ad 3. a. 3. c. et q. 13. art. 9 ; 3. p. q. 77. a. 2. c. ; In 4. dist. 12. q. 1. a. 1. q. 3. ad 3 ; De pot. q. 9. a. 3. ad 5 ; De spirit. a. 5. ad 8. et a. 8. ad 4. et 13.

Probatur sequela. Quod est unum numero ex ordine ad aliud unum nu-

mero, non potest esse multiplex numero, nisi illud, per ordinem ad quod est unum, sit etiam multiplex numero, ut ex terminis patet : Atqui, ex dictis, forma est una numero per ordinem ad unam numero materiam : Ergo forma non potest esse multiplex numero, nisi materia sit etiam multiplex numero, et e contra, alias forma esset et non esset una numero.

Sequitur 61. Implicare, quod una numero forma substantialis informet duplicem numero materiam.

61. — De verit. q. 1. art. 5 ; et Opusc. 9. q. 103.

Probatur sequela. Implicat, quod una numero res, non sit una numero : Sed forma informans unam numero materiam est una numero res, et quæ informat duplicem numero materiam non est una numero res ; cum acciapiat suam unitatem numericam a materia signata : Ergo implicat, quod una numero forma substantialis informet duplicem numero materiam.

Sequitur 62. Implicare, quod duplex substantialis forma diversæ speciei unam numero materiam informet.

62. — 1. p. q. 85. art. 4 ; 1. Contr. gent. c. 55 ; De verit. q. 8. a. 14.

Probatur sequela. Si duplex substantialis forma diversæ speciei informaret unam numero materiam, unum individuum haberet duas differentias essentiales oppositas, puta idem animal esset rationale et irrationale : Atqui hoc implicat, ut est evidens : Ergo et id unde sequitur. *Sequela maioris probatur :* Ubi est duplex forma diversæ speciei, est etiam duplex differentia essentialis, quæ, ex dictis sequela 34, petitur a forma, et quæcumque illarum differentiarum realium est opposita alteri, quia vel sunt sub eodem genere, et sic sunt immediate oppositæ ; vel sunt sub diverso genere, et sic habent differentias subalternas oppositas : Atqui ubi est una numero materia est etiam unum numero individuum, ex dictis : Ergo in uno individuo, in quo sunt diversæ speciei formæ, sunt differentiæ essentiales oppositæ, quod implicat.

Sequitur 63. Implicare, quod duplex numero forma substantialis, ejusdem speciei, simul informet unam numero materiam.

63. — 3. p. q. 35. a. 5. c. ; In 3. dist. 23. q. 3. a. 4. q. 3 ; De verit. q. 1. a. 11. c. ; 5. Metaph. lect. 10.

Probatur sequela. Implicat, quod duplex numero forma sit una numero forma, ut patet : Atqui forma informans unam numero materiam, est una numero : Ergo duplex forma informans unam numero materiam, erit et non erit una numero forma, quod implicat.

Sequitur 64. Non dari formam corporeitatis coævam materiæ, ita ut aliæ formæ præsupponant illam, et ei superveniant.

64. — 1. p. q. 66. a. 2 ; In 1. dist. 12. a. 1. ad 1.

Probatur sequela. Non potest duplex numero forma, informare eamdem numero materiam, ex dictis : Sed forma illa corporeitatis et alia forma ei superveniens est duplex numero forma : Ergo non potest fieri, ut ambæ simul informent eamdem numero materiam : Sed constat alias formas informare, ut evidens est in generatione et corruptione : Ergo dicendum est, formam corporeitatis non informare, atque adeo non esse ; cum formæ materiales non possint esse sine materia, ex dictis.

Sequitur 65. Animam vegetativam et sensitivam in brutis non distingui realiter, nec in homine animam rationalem distingui a sensitiva, et vegetativa.

65. — 1. p. q. 76. a. 3. in c. ; 2. Contr. gent. c. 57. et 4. c. 80 ; De verit. q. 10. a. 1 ; De pot. q. 6. a. 4. ad 2.

Probatur sequela. Si hæ animæ distinguerentur, jam duæ formæ sub-

stantiales informarent eamdem numero materiam, ut patet : Atqui hoc implicat, ex dictis : Ergo etc.

Sequitur 66. In nulla re pure spirituali posse reperiri distinctionem pure numericam.

66. — De potentia. q. 2. a. 4. et q. 3. a. 10; De spirit. a. 1. ad 9. et 19; 1. p. q. 10. a. 6; 1. p. q. 47. a. 2. et q. 50. a. 4. q. 62. a. 6. q. 75. a. 5.

Probatur sequela. Ubi non est principium formale etiam radicale, non est effectus formalis; quia effectus formalis est ipsa forma, aut quasi forma communicata subjecto : Atqui in re pure spirituali, non est principium formale radicale distinctionis pure numericæ, quia, ex dictis, hoc principium est materia signata quantitate, quæ non reperitur in re omnino spirituali et immateriali : Ergo in nulla re pure spirituali, potest reperiri distinctio pure numerica.

Sequitur 67. Quemlibet Angelum distingui specie a quolibet alio.

67. — Ibidem et in 2. dist. 3. q. 1. a. 3. et 4; Dist. 9. a. 3; et 3. Dist. 17. q. 2. a. 1; et 2. Dist. 32. q. 2. a. 3; 2. Contr. gent. c. 91. 92. 93; et alibi sæpe.

Probatur sequela. Quæ aliquo modo distinguuntur, et non distinguuntur solo numero, distinguuntur saltem specie, ut ex terminis est evidens : Sed quilibet Angelus distinguitur ab alio quolibet, alias non esset alius, et alius, sed unus et idem; nec distinguitur solo numero, quia in nulla re pure spirituali, qualis est Angelus, datur distinctio pure numerica, ex dictis : Ergo quilibet Angelus distinguitur saltem specie a quolibet alio.

Sequitur 68. Unitatem et distinctionem pure numericam non reperiri, nisi in rebus materialibus.

68. — Iisdem locis.

Probatur sequela. Ubi non est principium distinctionis et unitatis pure numericæ, non reperitur unitas et distinctio numerica : Sed principium unitatis et distinctionis pure numericæ, non reperitur nisi in rebus materialibus, ex dictis : Ergo nec unitas et distinctio pure numerica.

Sequitur 69. Unitatem numericam esse distinctam ab unitate transcendentali.

69. — 1. p. q. 51. a. 1. et 2. et q. 30. a. 3; In 1. dist. 24. q. 1. a. 1. et 3; In 2. dist. 3. q. 1. a. 3.

Probatur sequela. Ea, quorum unum in uno reperitur, et aliud non reperitur, debent aliquo modo distingui, maxime in creatis : Atqui unitas transcendentalis reperitur in Angelis, cum sint entia, et unitas transcendentalis sit proprietas entis, ut mox dicemus; unitas vero pure numerica non reperitur in Angelis, ut constat ex dictis : Ergo unitas transcendentalis et pure numerica aliquomodo distinguuntur.

Sequitur 70. Unitatem numericam sicut et numerum proprie dictum, recte reduci ad speciem quantitatis.

70. — Iisdem locis.

Probatur sequela. Id, quod ex sola quantitate ortum habet et in solis quantis reperitur, recte reducitur ad speciem quantitatis, ut patet : Sed unitas pure numerica ortum habet ex quantitate et in solis quantis reperitur : Ergo, etc.

Sequitur 71. Etiam in Deo non reperiri distinctionem ullam pure numericam, sive inter attributa, sive inter relationes, sive in quocumque alio.

71. — 1. p. q. 47. a. 2. c.

Probatur sequela. In pure spiritualibus non reperitur distinctio pure numerica, ex dictis : Sed illa omnia, quæ sunt in Deo, sunt pure spiritualia, ut probabitur in secundo principio : Ergo in illis non reperitur distinctio pure numerica.

Sequitur 72. Unum corpus non posse habere duplicem quantitatem.

72. — Locis supra allegatis; et De malo. q. 16. a. 6.

Probatur sequela. Implicat unum corpus non esse unum : Atqui si ha-

beret duplicem quantitatem esset unum numero, ut supponitur, et esset duplex, sive non esset unum, quia haberet duplex principium distinctionis numericæ, atque adeo haberet duplicem unitatem numericam distinctam : Ergo implicat unum corpus habere duplicem quantitatem.

Sequitur 73. Unum corpus non posse habere duplicem extensionem partium in ordine ad se.

73. — Iisdem locis.

Probatur sequela. Quod non potest habere duplicem formam, non potest habere duplicem effectum formalem : Atqui unum corpus non potest habere duplicem quantitatem, cujus effectus formalis est extensio partium in ordine ad se, ut supra ostendimus : Ergo unum corpus non potest habere duplicem extensionem partium in ordine ad se.

CAPUT IV.

De loco, tempore, numero, motu, quiete, augmentatione, alteratione, generatione, qualitate.

Sequitur 74. Unum corpus non posse habere duplicem extensionem partium in ordine ad locum.

74. — Ibidem et 3. p. q. 16. a. 5. et 6.

Probatur sequela. Quod non potest habere duplicem effectum formalem primarium, non potest etiam habere duplicem effectum formalem secundarium : Sed, ex dictis, unum corpus non potest habere duplicem effectum formalem primarium quantitatis, qui est extensio partium in ordine ad se : Ergo non potest habere duplicem effectum formalem secundarium, qui est extensio partium in ordine ad locum. *Major probatur :* Quia sicut effectus formalis primarius est ipsa forma communicata subjecto, unde fit, quod implicat esse duplicem effectum formalem primarium sine duplici forma; ita ejus etiam effectus formalis secundarius est quid essentialiter dependens et præsupponens primarium : Ergo non potest multiplicari secundarius, nisi multiplicato primario.

Confirmatur 1 : Quia non potest prima proprietas formæ multiplicari, nisi multiplicetur forma : Sed effectus formalis primarius est prima proprietas formæ : Ergo non potest multiplicari effectus formalis primarius, nisi multiplicetur forma. *Major hujus confirmationis probatur :* Quia si multiplicaretur prima proprietas formæ non multiplicata forma, jam illa proprietas esset prima et non esset prima : esset prima, ut supponitur; non esset prima, quia in rebus essentialiter subordinatis non potest fieri, ut duo sint æque prima : Atqui essentia, et proprietates ex essentia consequentes sunt essentialiter subordinatæ : Ergo non potest fieri, quod duæ proprietates sint æque primæ.

Confirmatur 2. Implicat duo accidentia solo numero distincta esse simul et semel in eodem subjecto, ut statim ex hoc eodem principio demonstrabimus : Atqui duæ extensiones partium in ordine ad locum essent duo accidentia solo numero diversa, ut constat : Ergo implicat duas extensiones in ordine ad locum simul et semel esse in eodem corpore.

Confirmatur 3. In effectibus formalibus quod forma non potest præstare naturaliter, nec potest etiam supernaturaliter, quia semper manet eadem et omnino invariata, neque potest illi adjungi aliquid ab ipsa distinctum, quo forma præstet suos effectus formales : Atqui una quantitas non potest naturaliter præstare duas extensiones partium in ordine ad locum, alias unum corpus posset esse naturaliter in duobus locis, quod omnes fatentur falsum : Ergo etiam supernaturaliter non potest una quantitas præstare duas extensiones partium in ordine ad se vel ad locum.

Sequitur 75. Unum corpus non posse esse modo quantitativo in pluribus locis.

75. — Iisdem locis.

Probatur sequela. Esse in pluribus locis modo quantitativo, est habere plures extensiones partium in ordine ad diversa loca, quia per unam extensionem partium in ordine ad locum, corpus non est, nisi in uno loco : Atqui implicat unum corpus habere plures extensiones partium in ordine ad locum, ex dictis : Ergo implicat unum corpus esse modo quantitativo in pluribus locis.

Sequitur 76. Non esse necessarium imo esse impossibile ad salvandum mysterium Eucharistiæ recurrere ad hoc, quod unum corpus possit esse modo quantitativo in pluribus locis.

76. — D. Th. 3. p. q. 76. a. 5; In 4. dist. 10. a. 2.

Probatur sequela. Ad salvanda mysteria fidei non est necessarium, imo est impossibile recurrere ad ea, quæ implicant : Sed, ex dictis, implicat unum corpus esse simul et semel in pluribus locis modo quantitativo : Ergo etc.

Sequitur 77. Corpus Christi non esse in Eucharistia modo quantitativo.

77. — D. Thom. ibidem.

Probatur sequela. Corpus Christi est in omnibus locis, in quibus consecratur Eucharistia, ut est de fide : Sed implicat esse modo quantitativo in pluribus locis, ex dictis : Ergo Corpus Christi non est in Eucharistia modo quantitativo.

Sequitur 78. Corpus Christi non constitui in Eucharistia per actionem adductivam, hoc est, per quam de cœlo adducatur in terram sub speciebus.

78. — 3. p. q. 75. a. 4, 6. et 8 ; In 4. dist. 11. q. 1. art. 1. q. 2. et 3. et art. 3. q. 1.

Probatur sequela. Quod ponitur in loco per actionem adductivam, debet esse in illo modo quantitativo ; adduci enim non est, nisi ab uno loco duci ad alium, in ordine ad quem extendantur ejus partes : Atqui Corpus Christi non est sub speciebus modo quantitativo : Ergo ad illas non potest adduci.

Sequitur 79. Corpus Christi non posse poni sub speciebus Eucharisticis, nisi per conversionem substantiæ panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi.

79. — Iisdem locis ; et 4. Cont. gent. cap. 63 ; 1. ad Corinth. 11. lect. 4.

Probatur sequela. Corpus Christi non potest poni sub speciebus Eucharisticis, nisi vel per actionem adductivam, vel per conversionem ; nulla enim alia potest fingi actio, qua sub illis ponatur : Atqui, ex dictis, non potest poni per actionem adductivam : Ergo solum potest poni per conversionem.

Sequitur 80. Substantiam panis et vini esse terminum *a quo*, hujus conversionis.

80. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod convertitur, est terminus *a quo*, conversionis : Sed substantia panis et vini convertitur, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 81. Substantiam panis et vini desinere esse.

81. — Ibidem.

Probatur sequela. Terminus *a quo*, conversionis desinit esse, alias non esset terminus *a quo*, conversionis : Sed substantia panis et vini est terminus *a quo*, hujus conversionis : Ergo substantia panis et vini desinit esse.

Sequitur 82. Corpus et Sanguinem Christi esse formaliter et per se terminum *ad quem*, hujus conversionis.

82. — Ibidem.

Probatur sequela. Illud, in quod fit conversio, est formaliter et per se terminus *ad quem*, conversionis : Atqui

Corpus et Sanguis Christi est id, in quod fit conversio substantiæ panis et vini : Ergo Corpus et Sanguis Christi est formaliter et per se terminus *ad quem,* hujus conversionis.

Sequitur 83. Cætera, quæ ibi sunt, esse tantum per concomitantiam.

83. — 3. p. q. 76. a. 1. 2. 3. 4. et q. 78. art. 6. et q. 81. art. 4; In 4. dist. 8. q. 2. a. 4. q. 1. et dist. 10. a. 2. q. 2. et dist. 11. q. 4. a. 1.

Probatur sequela. Quod est aliquo modo terminus, et non formaliter et per se, est tantum per concomitantiam : Sed subsistentia Christi, et anima rationalis, Divinitas, et accidentia ipsius sunt aliquo modo terminus conversionis, quatenus post illam ibi reperiuntur, et non sunt per se et formaliter terminus : Ergo sunt tantum ibi per concomitantiam.

Sequitur 84. Casu, quo anima Christi non fuisset unita corpori, animam non futuram sub speciebus.

84. — 3. p. q. 76. a. 1. ad 1. art. 2. et q. 81. a. 4.

Probatur sequela. Quod est tantum per concomitantiam, non esset ibi casu, quo non esset unitum illi termino per se, ratione cujus est ibi per concomitantiam, ut patet : Atqui casu, quo anima Christi non esset unita corpori, non esset unita termino per se : Ergo in eo casu, non est anima Christi per concomitantiam, in Eucharistia.

Sequitur 85. Si quis consecrasset in triduo mortis Christi, animam rationalem Christi non futuram sub speciebus.

85. — Iisdem locis et in 4. dist. 10. a. 2. q. 1. et dist. 11. q. 3. a. 4. c. 2, 4; Cont. gent. cap. 64.

Probatur sequela. Casu, quo anima Christi non esset unita corpori, non esset sub speciebus : Sed in triduo mortis Christi, anima ejus non erat unita corpori : Ergo si quis, consecrasset, non fuisset ibi anima Christi.

Sequitur 86. Nomine corporis, quod est terminus per se hujus conversionis, intelligi materiam primam cum aliqua forma dante illi esse corpus indeterminate.

86. — 3. p. q. 76. a. 1. ad. 2. q. 78. a. 6. ad 1; 4 Cont. gent. cap. 63.

Probatur sequela. Corpus est terminus per se hujus conversionis : Sed non corpus animatum anima rationali, ut patet ex dictis : Ergo corpus, hoc est, materia informata aliqua forma.

Sequitur 87. Nomine corporis, quod ex vi verborum ponitur sub speciebus panis, intelligi ipsam materiam primam, ut informatam aliqua forma corporis, ut est radix quantitatis partium solidarum : nomine vero sanguinis, qui ex vi verborum est sub speciebus vini, intelligi eamdem materiam primam, ut informatam aliqua forma, et ut est radix quantitatis partium convenientium partibus illis fluidis, quæ vocantur sanguis.

87. — Colligitur ex iisdem locis.

Probatur sequela. Quia, ex dictis, nomine corporis, quod est terminus per se conversionis, intelligitur materia informata aliqua forma substantiali : Sed corpus, ut hoc modo informatum non potest esse terminus per se verborum utriusque consecrationis, alias ex vi verborum sanguis esset sub speciebus panis, et corpus sub speciebus vini : Ergo debet ex vi verborum sub speciebus panis esse materia informata forma substantiali, ut est radix quantitatis partium solidarum, et sub speciebus vini, ut est radix quantitatis partium liquidarum.

Sequitur 88. Corpus Christi, ut est in Eucharistia, non posse per se moveri localiter.

88. — 3. p. q. 76. a. 6; In 4. dist. 10. a. 2. q. 4. ad 3.

Probatur sequela. Corpus, quod per se potest moveri localiter, est in loco

modo quantitativo, alias non moveretur de loco ad locum : Sed Corpus Christi non est in Eucharistia modo quantitativo : Ergo Corpus Christi non potest per se moveri, localiter, ut est in Eucharistia.

Sequitur 89. Corpus Christi ut est in Eucharistia, non posse moveri etiam per accidens, ita ut motus localis in ipso Christi Corpore recipiatur.

89. — Iisdem locis.

Probatur sequela. Quod non est extensum in ordine ad locum non potest recipere in se motum localem, etiam per accidens, quia motus localis proprie dictus, non potest esse nisi rei extensæ in ordine ad locum : Atqui Corpus Christi in Eucharistia non est extensum in ordine ad locum, ex dictis : Ergo non potest recipere motum localem ad motum specierum : Quod ut intelligatur, adverte alio modo recipere motum localem hominem, verbi gratia, qui est intra navim et movetur ad motum navis, et alio modo angelum, qui movet lapidem v. g. ab uno loco in alium : nam homo, qui movetur per accidens ad motum navis vere recipit in se motum localem ejusdem rationis cum eo motu, quo movetur navis; at vero Angelus, qui movetur movendo lapidem, vere non recipit in se motum localem ejusdem rationis cum motu locali, quem recipit lapis motus : nam motus localis lapidis est motus extensus, non solum, quia est motus continuus, sed quia hujusmodi motus habet partes juxta motum ipsarum partium lapidis; at vero motus localis Angeli receptus in ipso Angelo non est extensus in ordine ad locum. Ita similiter Corpus Christi prout est in Eucharistia non potest recipere motum extensum : cum sit ibi modo inextenso et non quantitativo.

Sequitur 90. Corpus Christi, ut est in Eucharistia, non posse terminare actionem cujuscumque agentis corporei.

90. — 3. p. q. 76. a. 7. et 8; In 4. dist. 10. a. 2. q. 2. ad. 3. et art. 4. q. 1. et q. 4. a. 2. et art. 4. q. 2.

Probatur sequela. Quod terminat actionem cujuscumque agentis corporei, debet esse extensum in ordine ad locum; quia nullum agens corporeum agit, nisi mediante hujusmodi extensione tanquam conditione, eo quod debet contingere passum contactu quantitativo, ut est evidens : Atqui Corpus Christi in Eucharistia non est extensum modo quantitativo, ut dictum est : Ergo Corpus Christi in Eucharistia non potest terminare actionem cujuscumque corporei agentis.

Sequitur 91. Corpus Christi in Eucharistia non posse a quocumque agente corporeo alterari, vel corrumpi, etiam supposito, quod non esset gloriosum et incorruptibile, ita ut si antequam Christus moreretur in cruce, quis consecrasset Eucharistiam, tunc Corpus Christi in Eucharistia non potuisset a quocumque agente corporeo alterari vel corrumpi.

91. — Iisdem locis.

Probatur sequela. Quod non potest terminare actionem cujuscumque agentis corporei, non potest alterari vel corrumpi ab alio : Sed Corpus Christi in Eucharistia non potest terminare actionem cujuscumque agentis corporei, ex dictis : Ergo non potest alterari vel corrumpi. *Major est evidens :* Quia, quod alteratur et corrumpitur, vere terminat et recipit actionem agentis corporei.

Sequitur 92. Corpus Christi, ut est in Eucharistia, non posse videri, nec videre, vel alias actiones sensuum corporeorum terminare vel exercere.

92. — Iisdem locis.

Probatur sequela. Quæcumque exigunt necessario extensionem partium

in ordine ad locum, non possunt vel recipi vel fieri a re non extensa in ordine ad locum, ut patet : Atqui Corpus Christi in Eucharistia non est extensum in ordine ad locum, ex dictis : Ergo nullæ actiones vel passiones, quæ exigant extensionem partium in ordine ad locum, possunt recipi vel elici a Corpore Christi in Eucharistia. Cum ergo omnes actiones sensuum corporeorum exigant hujusmodi extensionem, illæ neque possunt terminari ad Corpus Christi in Eucharistia, neque ab illo elici.

Sequitur 93. Corpus Christi in Eucharistia esse modo veluti mortuo, quantum ad vitam sensibilem et vegetativam.

93. — Ex iisdem locis.

Probatur sequela. Quod ita est in loco, ut nequeat ullam actionem, vitalem elicere, est in illo modo quodam veluti mortuo ; nam privatio actionum vitalium omnium est quædam mors, quamvis aliunde anima supponatur unita corpori, ut constat ; Atqui Corpus Christi, ex dictis, est in Eucharistia, ita ut nullam actionem vitalem vitæ vegetativæ aut sensitivæ valeat elicere, ex dictis : Ergo Corpus Christi est in Eucharistia modo veluti mortuo : et sic licet anima Christi sit unita corpori, et ex hoc capite vere sit vivens, nihilominus habet modum quemdam mortui ob rationem jam dictam.

Sequitur 94. Corpus Christi in Eucharistia sacrificari.

94. — Colligitur ex dictis.

Probatur sequela. Quod offertur Deo in ipsius honorem cum immutatione hujusmodi, ut, cum si vivum quodammodo moriatur, et amittat vitam, vere sacrificatur, quia sacrificium est oblatio rei in honorem Dei cum hujusmodi immutatione : neque necessarium est, ut hostia oblata de facto moriatur ; nam si per miraculum, postquam Sacerdos veteris legis ictum lethalem intulisset alicui animali, Deus impedivisset, ne animal illud moreretur, nihilominus in illa actione fuisset vera et propria ratio sacrificii, quia fuisset oblatio rei cum immutatione de se tollente vitam : Atqui Corpus Christi in Eucharistia Deo offertur, ut nunc supponimus, et alias probabimus : et offertur cum hujusmodi immutatione, quæ faciat, ut Corpus Christi quodammodo moriatur, id est, sit ibi modo quodam mortuo, ut explicatum est : Ergo Corpus Christi in Eucharistia vere sacrificatur. Quod etiam alio modo explicari potest, quia corpus vivum, quod separatur a sanguine, aut saltem circa quod sit actio ex se separativa sanguinis ab ipso corpore, vere sacrificatur, ut patet ex dictis : Atqui Corpus Christi in Eucharistia sic ponitur sub speciebus panis et vini, ut ex vi verborum consecrationis panis et vini, Sanguis Christi deberet separari a Corpore, quatenus, ex vi verborum consecrationis panis, sub speciebus ponitur tantum corpus, id est, materia et forma, quatenus est radix quantitatis partium solidarum, quæ componunt corpus : ex vi autem verborum consecrationis vini ponitur tantum sanguis, id est, materia et forma, quatenus est radix quantitatis illarum partium liquidarum, quæ componunt sanguinem. quamvis aliunde Deus impediat, ne de facto sanguis separetur a corpore ; quia jam Corpus Christi est gloriosum et immortale. Quod vero in Missa sit vera ratio sacrificii docent omnes Patres et nos probabimus in secundo principio, ubi etiam reliqua ad hoc sacrificium spectantia explicabimus.

Sequitur 95. Modum, quo Christus est in Eucharistia videri non posse oculo corporeo.

95. — 3. p. q. 76. a. 7. et 8; In 4. dist. 10. a. 2. q. 2. ad 3. et art. 4. q. 2.

Probatur sequela. Non potest videri modus, ut actu modificans, nisi videatur res modificata, ut patet : Sed, ex dictis, non potest videri Corpus Chri-

sti, ut est in Eucharistia : Ergo nec modus, quo ibi est.

Sequitur 96. Solam substantiam materialem contingere locum modo quantitativo.

96. — 1. p. q. 8. a. 2. et q. 52. et 53.

Probatur sequela. Contingere locum modo quantitativo est esse in illo per extensionem partium in ordine ad locum : Atqui solæ substantiæ materiales possunt esse sic extensæ, ex dictis : Ergo solæ illæ possunt contingere locum modo quantitativo.

Sequitur 97. Res spirituales non posse contingere locum modo quantitativo, sed ita esse, ut sint totæ in toto loco et totæ in qualibet parte loci.

Probatur sequela. Quod est in loco et non est modo quantitativo, est totum in toto et totum in qualibet ejus parte, ut constat ex dictis : Sed res spirituales sunt in loco, ut omnes fatentur, et non sunt modo quantitativo, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 98. Deum et angelos non esse in loco per ubi divisible.

Probatur sequela. Quod contingit locum modo indivisibili non est per ubi divisibile; illud enim ubi divisibile deberet recipi in re locata, atque adeo deberet illi tribuere suum effetum formalem, videlicet divisibilitatem in ordine ad diversas partes loci; et consequenter res non contingeret locum modo indivisibili : Sed Deus et angeli, cum sint res omnino spirituales, contingunt locum modo non quantitativo et divisibili, sed modo indivisibili, ex dictis : Ergo Deus et angeli non sunt in loco per ubi divisibile.

Sequitur 99. Deum et angelos non posse contingere locum per ubi indivisibile.

Probatur sequela. Quia contingere locum est esse in loco divisibili, ut patet : Atqui ubi indivisibile non potest formaliter præstare, ut aliqua res contingat locum divisibilem, quia nulla forma potest præstare id, quod non habet saltem *ut quo* : Ergo ubi indivisibile non potest præstare Deo et angelis, ut contingant locum divisibilem.

Sequitur 100. Deum et angelos esse in loco per operationem transeuntem.

100. — Quodl. 1. q. 3. a. 1. et 2.

Probatur sequela. Quod est in loco debet aliquo modo contingere locum; esse enim in loco est locatum et locum sese contingere, ut patet ex terminis : Sed Deus et angeli non possunt contingere locum, nisi per operationem transeuntem : Ergo non possunt esse in loco, nisi per operationem transeuntem. *Minor prob.* Quia omnis contactus vel est quantitativus vel est contactus virtutis, ut omnes fatentur neque ullus alius est assignabilis : Sed, ex dictis, Deus et angeli non contingunt locum contactu quantitativo : Ergo contingunt locum contactu virtutis : Contactus autem virtutis est operatio transiens; sicut enim virtus est vis activa, ita etiam contactus virtutis est operatio, quæ, nisi sit transiens, non erit contactus alterius rei.

Sequitur 101. Operationem illam, qua Deus et angeli sunt in loco, esse formaliter immanentem et virtualiter transeuntem.

Probatur sequela. Quia, ut ex hoc eodem principio ostendemus, omnis operatio Dei et angelorum est formaliter immanens, et si sit transiens est virtualiter tantum : Sed ex dictis, Deus et angeli sunt in loco per aliquam suam operationem : Ergo sunt in loco per operationem formaliter immanentem et virtualiter transeuntem.

Sequitur 102. Deum esse ubique præsentem.

102. — 1. p. q. 8. a. 2. et alibi sæpe.

Probatur sequela. Deus est ubi operatur operatione formaliter immanente et virtualiter transeunte, ex dictis : Sed Deus operatione hujusmodi operatur ubique, ut in secundo principio ostendemus : Ergo, etc.

Sequitur 103. Deum non esse in spatiis imaginariis.

103. — Ex dictis et 1. p. q. 46. a. 1. ad 4; In 2. dist. 1. q. 1. art. 5. ad 4.

Probatur sequela. Deus non est ubi non operatur operatione virtualiter transeunte, ex dictis : Atqui Deus non operatur operatione virtualiter transeunte in spatiis imaginariis, quia ubi nullum est ens reale et positivum Deus non operatur operatione virtualiter transeunte; operatio siquidem dicitur transiens virtualiter, quia ponit aliquem effectum realem extra ipsum operantem : in spatiis autem imaginariis Deus nihil ponit ad extra. dicuntur enim spatia imaginaria, ubi nihil omnino est : Ergo, etc.

Sequitur 104. Angelos posse moveri ab extremo ad extremum impertransito medio.

104. — 1. p. q. 53. a. 2; In 1. dist. 37. q. 4. a. 2; De verit. q. 1. a. 13. ad 14; Quodl. 1. q. 3. a. 2.

Probatur sequela. Angeli possunt operari in uno extremo, et postea in alio non operando in medio, quia cum sint liberi in suis operationibus nihil cogit ipsos operari in medio, si velint successive operari in duobus extremis, ut patet : Atqui angeli sunt, ubi operantur, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 105. Angelos posse moveri motu discreto.

105. — Iisdem locis.

Probatur sequela. Motus discretus nil est aliud, quam immediata successio duarum vel plurium operationum transeuntium in diversa loca et subjecta, v. g. si angelus per totam horam impediat hic Tolosæ corpus grave ne cadat, et in tempore immediate sequenti operetur Parisiis aliquid simile, tunc movetur motu discreto : Atqui angeli possunt sic operari, quia, ut diximus, possunt transire ab extremo in extremum impertransito medio : Ergo possunt moveri motu discreto.

Sequitur 106. Dari in angelis tempus discretum.

106. — 1. p. q. 53. a. 3; 1. 2. q. 113. a. 7. ad 5.

Probatur sequela. Eo modo datur tempus, quo motus; quia tempus nil est aliud, quam mensura motus secundum prius et posterius : Sed, ex dictis, datur in angelis motus discretus modo explicato : Ergo et tempus discretum.

Sequitur 107. Hoc tempus discretum Angelorum constare solis indivisibilibus.

107. — In 1. dist. 37. q. 4. a. 3; 1 p. q. 63. a. 6 ad 4; 1. 2. q. 113. a. 7. ad 4.

Probatur sequela. Motus discretus, ex dictis, nihil aliud est, quam plures operationes angelicæ sibi immediate succedentes, quarum quælibet habet suam mensuram et durationem, et ex his pluribus durationibus harum operationum coalescit tempus discretum; hoc enim et nihil aliud intelligimus nomine temporis discreti : Atqui quælibet operatio angeli mensuratur duratione indivisibili, cum sit spiritualis, atque adeo indivisibilis, ex dictis : Ergo tempus coalescens ex illis durationibus plurium operationum constabit solis indivisibilibus.

Sequitur 108. Indivisibilia hujus temporis discreti posse coexistere vel instanti vel parti nostri temporis.

108. — In 2. dist. 37. q. 4. a. 3. ad 7; Opusc. 36. cap. 3. et 4.

Probatur sequela. Quia potest angelus elicere unam operationem in unico indivisibili, quod coexistat in-

stanti nostri temporis : vel potest persistere in eadem operatione, in unico quidem indivisibili ex parte sua, quia duratio illa spiritualis est, atque adeo indivisibilis ; sed ita ut illud indivisibile coexistat parti nostri temporis : Atqui tunc sunt duæ operationes, quæ mensurantur duobus instantibus, sive indivisibilibus temporis discreti : Ergo indivisibilia temporis discreti possunt coexistere vel instanti, vel parti nostri temporis.

Sequitur 109. Posse quidem unum angelum elicere duas operationes successive, quarum utraque coexistat parti nostri temporis, vel una coexistat instanti, altera coexistat parti nostri temporis ; non tamen posse elicere duas operationes, quarum altera uni instanti nostri temporis, altera vero immediate succedens coexistat alteri instanti.

109. — Iisdem locis.

Probatur sequela. Quia, ut dictum est, possunt duo indivisibilia duarum operationum temporis discreti sibi immediate succedere : Sed hoc non possunt, ita ut una uni instanti nostri temporis, altera alteri correspondeat ; quia in tempore nostro continuo duo instantia non se immediate consequuntur, ut dicemus postea : Ergo, etc.

Sequitur 110. Dum unus angelus facit duas operationes, alterum posse in eadem persistere, v. g., dum Gabriel elicit duos actus in parte temporis nostri, Raphaelem posse continuare unam et eamdem operationem.

110. — Elicitur ex locis citatis.

Probatur sequela. Quia, ut diximus, angelus potest operari vel in parte vel in instanti temporis nostri : Atqui dum unus operatur in parte nostri temporis, potest alter in duobus instantibus illius temporis diversas operationes elicere, cum sit liber. Ergo dum unus duas operationes elicit, alter potest persistere in una, atque adeo cum quælibet operatio mensuretur uno instanti temporis discreti angelorum, dum unus, eliciendo duas operationes, habet duo instantia, alter eliciendo unicam operationem non habet, nisi unicum instans.

Sequitur 111. Viam bonorum angelorum, id est, statum, in quo non fuerunt beati, durasse tantum per unicum instans, et in secundo illos fuisse beatos : viam vero malorum angelorum durasse per duo instantia, et in tertio illos fuisse damnatos.

111. — 1. p. q. 63. a. 6.

Probatur sequela. Via bonorum non fuit, nisi unica operatio, qua conditi in gratia libere amarunt Deum : via vero malorum fuit duplex operatio ; nam etiam illi fuere conditi in gratia, et elicuerunt in eodem instanti actum amoris Dei ; deinde vero peccaverunt, dum essent in via, alias non demeruissent, quia, ut alias probabimus ad meritum et demeritum requiritur status viæ : Ergo dum boni perseverantes in eodem actu amoris fecerunt sibi unicum instans, quod fuit instans creationis ipsorum et simul amoris Dei cum perseverantia, mali fecerunt sibi duo instantia, eliciendo primo quidem actum amoris, secundo vero actum peccati : Boni ergo in secundo instanti, fuerunt beati, mali vero in tertio fuere damnati.

Sequitur 112. Motum discretum in angelis non posse fieri in unico instanti sive nostri temporis, sive ipsorum angelorum.

112. — 1. p. q. 53. a. 3. Vide ibidem.

Probatur sequela. Quod includit duas operationes sibi succedentes, quarum quælibet habet suam propriam mensuram durationis, non potest fieri in uno instanti, ut est evidens. Sed, ex dictis, motus discretus angelorum includit duas operationes sibi succedentes, quarum quælibet habet

propriam mensuram durationis : Ergo motus discretus angelorum non potest fieri in unico instanti.

Sequitur. 113. Angelos posse etiam moveri motu continuo.

113. — 1. p. q. 53. a. 1.

Probatur sequela. Operari ad extra, est angelis esse in loco : Sed possunt angeli operari successive in aliquo spatio continuo, puta movendo aliquod corpus per aliquod spatium continuum : Ergo possunt angeli esse successive in aliquo loco continuo. Hoc autem est moveri motu continuo, ut constat : Ergo, etc.

Sequitur 114. Hunc motum continuum angelorum non fieri in instanti nostri temporis.

114. — Iisdem locis.

Probatur sequela. Hic motus continuus angelorum fit in spatio continuo, quod percurrunt successive, ut dictum est : Sed ex hoc capite repugnat motum corporum continuum esse in instanti, ut jamjam ostendemus : Ergo repugnat etiam motum angelorum continuum esse in instanti.

Sequitur 115. Angelum non posse esse naturaliter in pluribus locis adæquatis, bene tamen supernaturaliter.

115. — 1. p. q. 52. a. 2. q. 53. a. 1. et 2; In 1. dist. 37. q. 3. a. 2. 4. et q. 4. a. 2; In 4. dist. 24. q. a. 3. q. 2; De potentia, q. 3. a. 19.

Probatur sequela. Operari, est esse in loco respectu angeli, ex dictis : Atque adeo operari plures operationes adæquatas virtuti activæ angeli est esse in pluribus locis adæquatis : Sed non potest naturaliter angelus operari operationes adæquatas virtuti suæ activæ; potest tamen supernaturaliter, quia Deus potest supernaturaliter augere duplo virtutem activam angeli : Ergo non potest angelus naturaliter esse in pluribus locis adæquatis; bene tamen supernaturaliter, hoc sensu, quod quilibet locus erit adæquatus virtuti naturali, quam habet, et totus locus erit adæquatus virtuti, quam habet naturaliter, et ei quam haberet tunc supernaturaliter.

Sequitur 116. Unum angelum posse esse in pluribus locis inadæquatis intra sphæram suæ activitatis.

116. — In 1. dist. 37. q. 3. a. 2. et In q. de anima, a. 10 ad 18.

Probatur sequela. Angelus potest operari in duobus extremis activitatis suæ non operando in medio, non autem potest operari extra sphæram activitatis suæ, ut constat; alias non esset sphæra activitatis suæ : Atqui tunc erit in duobus locis inadæquatis intra sphæram activitatis suæ : Ergo potest esse in duobus locis inadæquatis intra sphæram activitatis suæ.

Sequitur 117. Angelum posse esse in loco divisibili vel indivisibili prout voluerit.

117. — 1. p. q. 52. art. 2. c. et q. 53. a. 1. et 2.

Probatur sequela. Potest angelus operari in loco divisibili, v. g. movendo corpus aliquod circulariter in aliquo loco, et potest operari in loco indivisibili, puta applicando virtutem suam in puncto, ad impediendum ne aliquod corpus grave cadat : Sed angelum esse in loco est ipsum in eo operari : Ergo angelus potest esse in loco divisibili, vel indivisibili ad libitum.

Sequitur 118. Duos angelos non posse esse in uno et eodem loco formaliter, bene autem materialiter.

118. — 1. p. q. 52. a. 3; In 1. dist. 37. q. 3. a. 3; In 4. dist. 44. q. 2. a. 2. q. 4; De potentia, q. 3. a. 7. ad 11. et a. 19. ad 1; Quodl. 4. ad 2.

Probatur sequela. Duos angelos posse esse in uno et eodem loco formaliter est operari unam et eamdem operationem, cum esse in loco sit operari, ex dictis : Sed implicat duos angelos vel duas causas operari unam

et eamdem actionem totaliter et formaliter, ut patet, et alias probabimus : Ergo implicat duos angelos esse in uno et eodem loco formaliter ; non implicat tamen duorum angelorum alterum movere aliquod corpus, alterum illud illuminare : tunc vero essent in eodem loco materialiter.

Sequitur 119. Motum localem in angelis esse aliquid partim intrinsecum, partim extrinsecum.

119. — 1. p. q. 53. a. 1; 2. Cont. gent. c. 89.

Probatur sequela. Operari operatione formaliter immanente et virtualiter transeunte, est aliquid partim intrinsecum et partim extrinsecum ; qua enim parte operatio est formaliter immanens, est intrinseca, et qua parte est transiens, est extrinseca : Sed angelum esse in loco et moveri est operari operatione formaliter immanente et virtualiter transeunte, ex dictis ; Ergo motus localis angelorum est quid partim intrinsecum, et partim extrinsecum.

Sequitur 120. Omne quantum, esse divisibile.

120. — In 1. dist. 17. q. 2. a. 1. et dist. 19. q. 1. a. 1; De pot. q. 9. a. 7; 5. Metaph. lect. 14.

Probatur sequela. Subjectum quod habet formam habet effectum formalem formæ, cum effectus formalis nihil aliud sit quam forma communicata subjecto : Sed omne quantum habet quantitatem, cujus effectus formalis est extensio et divisibilitas in partes ejusdem rationis, ut supra ostendimus : Ergo omne quantum est divisibile.

Sequitur 121. Nullum quantum constare solis indivisibilibus.

121. — D. Thom. 6. Physic. c. 1. lect. 2.

Probatur sequela. Nullum divisibile et extensum constat solis indivisibilibus : Sed omne quantum est divisibile, et extensum, ex dictis : Ergo nullum quantum constat solis indivisibilibus.

Major probatur : Omne constans ex solis indivisibilibus est inextensum : Sed nullum divisibile et extensum est inextensum, ut patet ex terminis : Ergo nullum divisibile et extensum constat ex solis indivisibilibus. *Major probatur :* Omne constans ex iis solis, quæ se totis se tangunt est inextensum : Sed omne constans ex solis indivisibilibus constat ex solis iis, quæ se totis se tangunt : Ergo omne constans ex solis indivisibilibus est inextensum. *Major probatur :* Omne extensum habet partes extra partes : Atqui quod constat ex iis, quæ se totis se tangunt, non habet partes extra partes : Ergo quod constat ex iis quæ se totis se tangunt est inextensum. *Minor vero probatur* : Unum indivisibile adjunctum alteri se toto tangit alterum, et si adjungas tertium, etiam tertium se toto tanget alia duo et si adjungas millia, etiam hæc millia indivisibilium se totis tangent alia : si enim una parte, sive aliquo sui se tangerent, et alia parte, sive aliquo sui non se tangerent, non essent indivisibilia mathematice ; posset enim dividi id quod tangit aliud, ab eo, quod non tangit : Atqui quod constat solis indivisibilibus sic componitur, ut unum indivisibile adjungatur alteri, et alia illis prioribus et sic consequenter : Ergo quod constat solis indivisibilibus constat iis, quæ se totis se tangunt, quorum unum nullomodo est extra aliud : Ergo constans ex solis indivisibilibus est inextensum : Ergo non est extensum, nec divisibile, nec quantum : Ergo nullum divisibile et extensum constat solis indivisibilibus.

Sequitur 122. In continuo dari partes.

122. — D. Thom. 5 Metaphysic. lect. 15.

Probatur sequela. In eo, quod non constat solis indivisibilibus, dantur partes : Sed continuum, cum sit quantum, non constat solis indivisibilibus, ex dictis : Ergo continuum habet partes.

Sequitur 123. In continuo dari indivisibilia.

123. — D. Thom. 6. Physic. c. 1. lect. 2.

Probatur sequela. Quæ se totis non se tangunt, constant aliquibus indivisibilibus, atque adeo in iis dantur indivisibilia : Atqui duo quanta se totis non se tangunt, alias daretur naturaliter penetratio, quod supra ostendimus impossibile : Ergo duo quanta se tangunt indivisibilibus, atque adeo in quantis dantur indivisibilia.

Confirmatur : Unum corpus planum, tangens aliud corpus planum, vel illud tangit aliqua tota sui parte determinata aut indeterminata, vel non tangit tota ulla parte : si tangit tota parte, datur penetratio, quia quælibet pars est divisibilis in alias ; si non tota parte : Ergo tangit sola superficie indivisibili quoad profunditatem : similiter duæ superficies se tangentes ex parte latitudinis, vel se tangunt parte vel indivisibili ; si parte, datur naturaliter penetratio, quod falsum est : Ergo se tangunt indivisibili ex parte latitudinis : Ergo datur linea. Præterea duæ lineæ sese tangentes in longitudine, vel se tangunt in parte et sic datur penetratio ; vel in indivisibili, et sic datur indivisibile punctum. Sic etiam si corpus perfecte rotundum tangeret corpus perfecte planum, non tangeret illud, nisi in puncto, et sic datur indivisibile, quod est punctum. Sicut etiam si corpus perfecte planum tangeret aliud perfecte planum, non tangeret illud, nisi in superficie indivisibili. Nec tamen hinc sequitur, quod continuum constet solis indivisibilibus, quia corpus perfecte rotundum non potest moveri supra corpus perfecte planum : cujus rei ratio est, quia motus est aliquid physicum, quod tantum competit corporibus physicis, quæ non possunt esse perfecte plana mathematice, neque perfecte rotunda mathematice, et corpori perfecte rotundo mathematice non potest convenire motus : contactus vero est quid competens etiam corporibus mathematicis, atque adeo contactus corporis perfecte sphærici ad perfecte planum ostendit quidem dari in corporibus illis puncta ; non ostendit autem illa constare solis punctis vel indivisibilibus.

Sequitur 124. Recte definiri locum per hoc, quod sit superficies immobilis corporis ambientis.

124. — Quodl. 6. q. 2. art. 2. et 4. Physic. lect. 6. Opusc. 52.

Probatur sequela. Corpus esse in loco, est extrema loci et locati sese contingere, ut patet : Atqui hæc extrema sunt superficies, quia ex jam dictis non se tangunt nisi in indivisibili quoad profunditatem : Ergo locus est superficies corporis ambientis superficiem locati. Quod vero hæc superficies debeat esse immobilis patet ; potest enim mutari materialiter superficies, non mutato loco, ut patet de aere ambiente montem, cujus aeris superficies vento agitatæ mutantur monte manente in eodem loco : Ergo superficies illa non habet rationem loci, nisi formaliter quatenus est immobilis, hoc est, quatenus dicit relationem distantiæ certæ ac determinatæ ad primum locans, et ad puncta fixa mundi.

Sequitur 125. Primum locans, sive primum corpus, quod cætera omnia loca ambit non esse in loco.

125. — In 2. dist. 2. q. 2. a. 1. ad 5. et a. 3. ad 1 ; Quodl. 6. q. 2. a. 2 ; 4 Physic. lect. 7 ; Ibidem et 1. p. q. 102. a. 2. ad 1 ; 1. p. q. 112. a. 1. ad 2 ; 4. Cont. gent. c. 87 ; 2. De cœlo, lect. 19.

Sequela est evidens : Quia non habet superficiem ambientem.

Sequitur 126. Cætera omnia materialia naturaliter esse in loco.

Patet etiam sequela : Quia cætera omnia naturaliter sunt extra se in ordine ad locum, et habent superficiem ambientem.

Sequitur 127. Tempus etiam habere partes et indivisibilia.

127. — D. Thom. 6. Physic. lect. 23 Opusc. 44.

Probatur sequela. Omne quantum, ex dictis, habet partes et indivisibilia : Sed tempus est quantum, ex dictis : Ergo tempus habet partes, scilicet præteritum et futurum, et habet indivisibilia scilicet præsens.

Sequitur 128. Partes temporis continuo sibi succedere.

128. — D. Thom. iisdem locis.

Probatur sequela. Tempus est quantum habens partes, ex dictis : Sed hujusmodi partes non sunt permanentes, quales sunt in continuo ; alias tempus esset quantum continuum permanens, et non successivum ; Ergo tempus habet partes sibi continuo succedentes

Sequitur 129. Tempus non existere per partem, quasi aliqua pars illius simul tota sit.

Probatur sequela. Omnis pars quanti est divisibilis in alias et alias partes : Ergo si tempus existeret per aliquam sui partem, simul essent plures partes ejus ; Atqui hoc est contra rationem quanti successivi, prout distinguitur a quanto permanente . Ergo tempus non existit per partem, quasi aliqua pars ejus simul tota sit.

Sequitur 130. Tempus non posse existere, nisi ratione instantis.

Probatur sequela. In tempore non sunt, nisi partes et instantia, sive indivisibilia : Sed tempus, ex dictis, non existit ratione partium : Ergo existit ratione instantium.

Sequitur 131. Existentiam temporis esse hujusmodi, ut ratione instantis præsentis pars, quæ præcedit existat in ratione præteritæ, et pars, quæ succedit existat in ratione futuræ.

Probatur sequela. In quanto successivo nulla pars tota simul existit, nisi ratione instantis : Ergo illud instans debet esse hujusmodi, ut ratione illius pars præterita et futura existat, in successivis enim pars non existit secundum se totam, sed solum ratione alicujus, quod ad ipsam spectat : nihil autem ad ipsam spectat nisi instans, et similiter dicendum de parte futura.

Sequitur 132. Numerum prædicamentalem habere suas partes.

132. — 7. Metaph. lect 13.

Probatur sequela. Omnis quantitas habet suas partes, ex dictis : Sed numerus prædicamentalis est quantitas : Ergo numerus prædicamentalis habet partes.

Sequitur 133. Numerum prædicamentalem habere partes ipsas unitates.

Probatur sequela. Numerus prædicamentalis habet partes non continuas, alias esset quantitas continua : Ergo habet partes discretas : Sed hæ partes discretæ non sunt nisi unitates prædicamentales, ut constat : Ergo numerus prædicamentalis habet partes ipsas unitates. *Subsumptum patet* : Quia numerus prædicamentalis non potest habere partes unitas aliquo indivisibili, alias esset quantitas continua ; nec potest habere partes, quæ sint unitates transcendentales, quia hæ sunt proprietates entis, quæ transcendunt omnia prædicamenta : unde non debent poni in specie quantitatis potius quam in specie alicujus alterius prædicamenti.

Sequitur 134. Has unitates non facere unam quantitatem discretam, nisi quatenus aliquem inter se habent ordinem, qui dicitur numerabilitas.

134. — 8 Metaph. lect. 3.

Probatur sequela. Distincta realiter non faciunt unum per se, nisi aliquo modo uniantur, alias essent purum aggregatum per accidens : Sed illæ unitates prædicamentales, qui-

bus constat numerus, sunt distinctæ realiter, ut constat ex dictis, cum habeant distinctam realiter quantitatem : Ergo ut faciant unum per se, in genere quantitatis (quod requiritur ad speciem in prædicamento directe contentam, videlicet numerum prædicamentalem) debent habere aliquam numerabilitatem, quæ consequitur ad quantitatem ; ex hoc enim, quod res materiales habent quantitatem sunt aptæ, ut numerentur.

Sequitur 135. Hanc numerabilitatem esse relationem quamdam, qua se mutuo quantitates illæ respiciunt, ut mutuo determinabiles, et mutuo sese determinantes in ratione prioris et ultimæ ad conficiendum numerum.

135. — Quodl. 10. a. 1 ; 5. Metaph. lect. 15. 8. Metaph. lect. 3

Probatur sequela. Hæc numerabilitas est ordo quidam quantitatum ad componendum numerum : Sed ordo ille non potest esse, nisi relatio mutuæ determinationis in ratione prioris et ultimæ : nam per talem relationem et determinationem componunt numerum : Ergo numerabilitas illa est relatio, etc.

Sequitur 136. Ultimam unitatem formaliter ut ultima est, dare speciem numero.

136. — Iisdem locis.

Probatur sequela. Omne relativum sumit speciem ex termino, quem respicit, ut dicemus in tertio principio : Sed numerabilitas hæc, est quid relativum, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 137. Nullam speciem numeri esse posse, nisi habeat ultimam unitatem.

Probatur sequela. Nulla potest dari species alicujus generis, quæ non habeat aliquam differentiam, per quam constituatur in certa specie sub genere : Atqui ultima unitas, ut ultima, dat speciem et differentiam numero, ex dictis : Ergo nullus potest dari numerus, nisi habeat ultimam unitatem.

Sequitur 138. Implicare dari infinitum actu in quantitate discreta, sive infinitum numerum.

138. — 1. p. q. 7. a. 4.

Probatur sequela. Implicat dari speciem numeri sub genere contentam, quæ non sit alicujus certæ et determinatæ speciei, alias daretur aliquid sub genere, quod non esset sub specie determinata, quod implicat ; quia genus, sive natura generica, non potest existere nisi in natura specifica, ut constat : Atqui infinitus numerus non esset in aliqua certa specie, quia non haberet ultimam unitatem, alias non esset infinitum actu : Ergo infinitus numerus actu implicat.

Sequitur 139. In quolibet quanto, esse partes proportionales infinitas in potentia, sive syncathegorematice.

139. — 5. Metaph. lect. 15; 6 Physic. text. 37.

Explicatur : Partes aliquotæ sunt partes certæ et determinatæ magnitudinis. Partes proportionales sunt illæ, quæ sumuntur cum quadam proportione, sive proportionalitate absque determinata magnitudine, puta medietates et medietates medietatum, etc. Esse autem infinitum syncathegorematice nil est aliud, quam nunquam posse devenire ad finem, quin semper restent alia et alia, et ideo vocatur etiam infinitum in potentia, quia nunquam devenitur ad finem, sed semper possunt alia et alia sumi.

Probatur ergo sequela : Ubi sunt partes partium et medietates medietatum semper aliæ et aliæ absque eo, quod possit deveniri ad ultimam partem vel medietatem, ibi sunt partes proportionales infinitæ syncathegorematice, ut patet ex explicatione : Atqui, ex dictis, in quolibet quanto, sunt partes partium et medietates medietatum, semper aliæ et aliæ abs-

que eo, quod possit deveniri ad finem, quia quantum constat partibus semper divisibilibus et non solis indivisibilibus, ut supra diximus : Ergo dantur in quanto partes proportionales infinitæ syncathegorematice.

Sequitur 140. Nullum motum posse fieri aut esse in instanti, etiam si fieret in vacuo.

140. — 6. Physic. lect. 12 ; In 4. dist. 44. q. 2. a. 3.

Probatur sequela. Omnis motus est quid quantum successivum, atque adeo habet partes extra partes sibi succedentes, quarum quælibet est divisibilis in infinitum in alias, ut patet ex dictis : Atqui implicat, quod partes extra partes sibi succedant in instanti, alias enim illæ partes non sibi succederent, sed essent simul : Ergo implicat, quod motus fiat vel sit in instanti.

Sequitur 141. Augmentationem esse motum continuum.

141. — D. Thom. lib. 1. de generat. lect. 11 ; 3. p. q. 33. a. 1.

Probatur sequela. Motus, qui habet terminum habentem partes, quatenus habet partes, et qui est conjunctus connaturaliter cum motu continuo, est etiam motus continuus, ut constat : Atqui augmentatio habet terminum, scilicet quantitatem, ut habet partes, et conjungitur connaturaliter cum motu locali, qui est motus continuus : Ergo augmentatio est motus continuus.

Adverte autem, augmentationem non dici motum continuum, quasi continuo duret, v. g. per totam vitam, vel quasi sit uniformis, ita ut secundum æqualitatem temporis sit æqualitas augmenti : Sed dicitur continua, quia est motus habens partes post partes.

Sequitur 142. Augmentationem non posse fieri in instanti.

142. — Ex dictis supra de motu.

Probatur sequela. Nullus motus continuus fit, aut est in instanti, ex dictis : Sed augmentatio est motus continuus, quia est necessario conjuncta cum motu locali, qui est continuus, quæ enim augmentantur mutant locum : Ergo augmentatio non potest fieri in instanti.

Sequitur 143. Nullum motum continuum incipere aut desinere in instanti intrinseco.

143. — D. Thom. 5. Phys. c. 5. et 6. lect. 15.

Explicatur : Incipere aut desinere in instanti intrinseco, est incipere aut desinere, ita ut res, quæ incipit aut desinit vere sit in illo instanti, in quo incipit aut desinit ; hoc enim vocamus instans intrinsecum. *Ex hoc probatur sequela subsumendo :* Atqui nullus motus continuus fit aut esse potest in instanti, ex dictis : Ergo nullus motus continuus incipit aut desinit esse in instanti intrinseco, ita ut sit verum dicere, nunc motus est, et antea non erat, aut, nunc motus est, et postea non erit.

Sequitur 144. Alia, quæ non fiunt per motum continuum posse incipere, aut desinere in instanti intrinseco.

Probatur sequela. Quæ possunt esse in instanti, possunt etiam incipere aut desinere in instanti intrinseco ; incipere quidem, quando verum est dicere, nunc in hoc instanti res est, et in tempore immediate antecedenti non fuit ; desinere vero, quando verum est dicere, nunc res est in hoc instanti, et immediate postea non erit : Atqui quæ non fiunt per motum continuum possunt esse in instanti : Ergo possunt etiam incipere aut desinere in instanti intrinseco.

Sequitur 145. Ea, quæ incipiunt ac desinunt eo modo, quo incipit ac desinit motus successivus, incipere aut desinere per instans extrinsecum : hoc est, quando verum est dicere, nunc motus non est, et immediate postea erit, quoad inceptionem ; quoad desitionem vero, nunc motus non est, et immediate antea fuit : ita similiter de re, quæ incipit per motum successivum vere dici potest, nunc res non est, et immediate postea erit ; et quæ desinit, nunc res non est, et immediate antea fuit.

Probatur sequela. Quæ incipiunt et desinunt sicut motus successivus, incipiunt et desinunt in instanti extrinseco : quia, ut diximus, motus incipit et desinit hoc pacto : Ergo, etc.

Sequitur 146. Quietem privativam incipere ac desinere in instanti extrinseco.

146. — Ibidem et Quodl. 7, q. 9.

Probatur sequela. Quæ incipiunt et desinunt sicut motus, incipiunt et desinunt in instanti extrinseco : Sed quies privativa incipit et desinit sicut motus, quia quies privativa non est, nisi quando potest esse motus : Atque adeo sicut motus non potest esse in instanti intrinseco, ita nec quies privativa : Ergo, etc.

Sequitur 147. Quietem negativam posse esse in instanti intrinseco.

Probatur sequela. Quia, quæ nullo modo sunt, neque incipiunt aut desinunt cum motu continuo, possunt esse in instanti intrinseco : Sed quies negativa est, et incipit ac desinit sine motu continuo, ut constat ; nam in instanti, quo aliqua substantia est et incipit sine motu, et in instanti terminativo motus, est et incipit quies negativa, quæ nihil aliud est, quam negatio motus, quæ necessario debet esse, quando verum est dicere, nunc non est motus et immediate antea fuit : Ergo quies negativa potest esse in instanti intrinseco.

Sequitur 148. Substantias omnes generabiles et corruptibiles incipere per primum sui esse, et desinere per primum non esse connaturaliter ac per se loquendo.

Probatur sequela. Ex dictis, materia nunquam potest esse sine aliqua forma, et nunquam potest esse sub duabus formis substantialibus : Ergo in eodem instanti, in quo verum est dicere, nunc non est forma corrupta, verum est etiam dicere, nunc est forma de novo genita in materia. *Probatur consequentia :* Quia si in uno instanti verum esset dicere, nunc non est forma corrupta in materia, et in alio posteriori verum esset dicere, nunc est forma de novo producta in materia, materia existeret sine forma in toto illo tempore intermedio inter illa duo instantia ; cum duo instantia non sibi immediate succedant, ut probatum est, et dato quod duo instantia sibi immediate succederent, saltem in illo instanti, in quo verum est dicere, nunc non est forma compositi physici in materia, materia esset sine forma, nisi forma compositi geniti esset in materia in eodem instanti. Si autem forma compositi corrupti desineret esse in instanti intrinseco, ita ut verum esset dicere, nunc forma est, et immediate post non erit, verum etiam esset dicere, nunc forma geniti est, et antea non erat ; alias materia maneret sine ulla forma : Illud autem implicat, quia jam esset duplex forma substantialis in materia, vel forma substantialis geniti inciperet in tempore quod fieri non posse constat ; quia connaturaliter forma geniti incipit in instanti extrinsece terminativo motus alterationis, in quo verum est dicere, nunc non est motus, et immediate postea erit, ut statim ostendemus.

Sequitur 149. Animam rationalem connaturaliter incipere per primum sui esse; absolute tamen posse incipere, non per primum instans nostri temporis, sed per instans temporis discreti, si Deus vellet illam in tali instanti discreto creare : quo casu forma, quæ desineret esse in materia, in quam post introduceretur anima rationalis, desineret esse per ultimum sui esse, quando verum esset dicere, nunc est talis forma et immediate postea non erit.

Probatur sequela quoad primam partem. Anima rationalis est forma corporis : Ergo debet incipere sicut aliæ formæ substantiales : Sed aliæ formæ substantiales incipiunt per primum sui esse, ut dictum est : Ergo et anima rationalis. *Secunda vero pars probatur* : Quia anima rationalis secundum se mensuratur, non tempore, sed ævo, utpote spiritualis; atque adeo potest produci in indivisibili temporis discreti, quod tempus mensurat actiones et mutationes rerum, quæ mensurantur ævo, ut patet ex dictis supra : Indivisibile autem temporis discreti, potest correspondere vel instanti, vel parti nostri temporis : Ergo potest Deus producere animam rationalem in instanti temporis discreti correspondente parti temporis nostri : Ergo hoc casu forma præcedens debet desinere in instanti antecedente illam partem temporis; alias vel materia remaneret sine forma, vel simul et semel haberet duas formas : utrumque autem est impossibile, ex dictis.

Sequitur 150. Alterationem esse motum continuum.

150. — D. Thom. 5. Physic. lect. 5. 6. et 7; Et 1. De generat. lect. 24; In 2 dist. 5. q. 2. a. 1.

Probatur sequela. Quia habet partes, tum ratione extensionis qualitatis ad diversas partes quantitatis subjecti, tum ratione intensionis qualitatis in eadem parte subjecti : quia alterans toto tempore alterat, v. g. calefaciens toto tempore, quo applicatum manet subjecto, illud calefacit.

Sequitur 151. Qualitates materiales per alterationem productas, absolute et in gradu indeterminato incipere per ultimum non esse, quando verum est dicere, qualitas, v. g. calor nunc non est, et immediate postea erit, et desinere per primum non esse, quando verum est dicere, qualitas, v. g. calor nunc non est, et immediate antea fuit.

151. — Ex dictis supra.

Probatur sequela. Quæ incipiunt et desinunt per motum continuum, incipiunt per ultimum non esse et desinunt per primum non esse, ex dictis : Sed qualitates in gradu indeterminato incipiunt, et desinunt per motum alterationis, qui est continuus, ex dictis : Ergo incipiunt per ultimum non esse, et desinunt per primum non esse.

Sequitur 152. Qualitates in gradu determinato, sive mutata esse qualitatum, incipere per primum sui esse, et desinere per ultimum esse.

152. — Locis supra citatis.

Probatur sequela. Qualitates in gradu determinato non sunt aliquid aliud, quam ipsa indivisibilia qualitatum unitiva et terminativa partium qualitatis, quæ indivisibilia vocamus mutata esse : Atqui hæc indivisibilia non possunt incipere, nisi in indivisibili temporis, atque adeo in instanti, quo verum est dicere, nunc sunt, et antea non erant; nec possunt desinere, nisi quando verum est dicere, nunc sunt et postea non erunt.

Sequitur 153. Generationem substantialem esse resultantiam et mutationem, non autem motum continuum.

153. — D. Thom. 5. Metaph. lect. 2; Opusc. 32. q. unic. de anima. art. 12; De potentia q. 3. a. 9.

Explicatur : Generatio substantialis dupliciter sumitur : *Primo* pro

toto illo processu, quo introducuntur in subjecto tum dispositiones, tum ipsa forma substantialis : et hoc sensu generatio includit motum continuum alterationis et ipsam introductionem formæ substantialis. *Secundo* generatio substantialis sumitur pro introductione solius formæ substantialis in materia, prout distinguitur ab alteratione sive introductione ipsarum dispositionum præcedentium : Hoc ergo secundo modo non potest generatio esse motus continuus.

Probatur sequela. Quia duo motus continui non possunt sibi immediate succedere ; ita ut inter illos duos motus non mediet saltem instans, cum prior motus desinat per primum sui non esse, quando verum est dicere, nunc non est motus continuus et immediate antea fuit ; alter succedens incipiat per ultimum non esse, quando verum est dicere, nunc non est et immediate postea erit : oportet, ergo ut illud instans desitionis prioris motus mediet inter ipsum motum et motum sequentem ; tunc enim verum est dicere, tunc non est prior motus sed fuit, et tunc non est secundus motus, sed immediate postea erit : Atqui generatio immediate succedit alterationi, ut experientia constat ; ignis enim alterando lignum generat alium ignem, ita ut quando est ultimum mutatum esse alterationis v. g. calefactionis, tunc fit calor in summo gradu, in quo est proprietas ignis, atque adeo tunc est etiam forma ignis ; cum proprietas non sit sine forma, cujus est proprietas : Ergo generatio non est motus continuus, sed resultantia, id est, naturalis quædam sequela ; ex eo enim quod ignis generans posuit calorem in gradu determinato ultimi mutati esse et summi gradus, resultat et sequitur forma ignis, quæ sequitur ad calorem, ut in summo gradu.

Sequitur 154. Qualitates introductas a generante esse dispositiones ad formam substantialem.

154. — D. Thom. q. unica de anima. a. 9.

Probatur sequela. Illa dicuntur dispositiones, ad quæ debet sequi connaturaliter loquendo forma ; hoc enim omnes intelligunt nomine dispositionum : Atqui ad qualitates introductas a generante connaturaliter debet sequi forma substantialis, ut constat ex dictis : Ergo qualitates illæ sunt dispositiones.

Sequitur 155. Qualitates in gradu determinato, quæ sunt proprietates formæ de novo genitæ, esse etiam dispositiones.

155. — D. Thom. 1. p. q. 77. a. 6 ; 1. 2. q. 113. a. 8 ; 3. p. q. 9. a. 3 ; Quæst. 28. de verit. a. 8.

Probatur sequela. Qualitates, ad quas sequitur forma, sunt dispositiones : Sed ad qualitates in gradu determinato, quæ sunt proprietates formæ, sequitur ipsa forma, ut constat ex dictis : Ergo illæ qualitates sunt dispositiones.

Sequitur 156. Hujusmodi qualitates, quæ sunt proprietates formæ, non esse dispositiones omnino antecedentes, sed concomitantes.

156. — Iisdem locis.

Probatur sequela. Qualitates, quæ sunt simul tempore cum ipsa forma, non sunt omnino antecedentes, sed concomitantes : Atqui qualitates illæ, quæ sunt proprietates, sunt in eodem instanti cum forma, quia nunquam est proprietas, quin sit forma, et nunquam est forma quin sit proprietas, ut constat : Ergo qualitates istæ, quæ sunt proprietates, sunt non antecedentes, sed concomitantes dispositiones.

Sequitur 157. Has dispositiones concomitantes esse simul priores natura et causalitate in genere causæ materialis.

157. — D. Thom. ibid.

Probatur sequela. Omnis dispositio, secundum quod est dispositio, ali-

quo modo antecedit illud, ad quod est dispositio ; disponit enim subjectum ad recipiendam formam, in quo includitur aliqua prioritas : Sed hæ dispositiones non antecedunt tempore, ut constat ex dictis : Ergo antecedunt tantum natura, et causalitate ; non causalitate efficiente, cum non sint causæ efficientes formæ substantialis, imo potius e contra ; nec causalitate finali vel formali, ut constat : Ergo causalitate tantum materiali.

Sequitur 158. Has dispositiones concomitantes esse posteriores in genere causæ efficientis vel formalis, sive ex parte formæ.

158. — Ibidem.

Probatur sequela. Hæ dispositiones concomitantes non recipiuntur in composito corrupto, ut dictum est ; quia jam est forma genita, atque adeo compositum corruptum jam non est, sed immediate antea fuit, ut diximus : Neque recipiuntur in sola materia ; quia, ut supra diximus, materia sola non est subjectum accidentium : Ergo recipiuntur in composito genito : Atqui qualitates in composito genito, quæ sunt proprietates formæ, dimanant a toto composito ratione formæ ; quæ dimanatio, ut in hoc principio dicemus, est per modum causæ efficientis : omnis autem causa efficiens est aliquo modo prior suo effectu, et effectus est posterior : Ergo qualitates illæ, quæ sunt proprietates formæ, sunt posteriores, si attendamus ordinem causæ efficientis, quamvis sint priores, si attendamus ordinem causæ materialis ; et quia dimanant a toto composito ratione formæ, etiam forma in genere causæ formalis est prior.

Neque mirum videri debet cuiquam si aliquid possit esse prius et posterius secundum diversum ordinem ; sicut enim in numeris, si numerare incipias ab una parte, unitas, quæ ab aliis omnibus determinatur, est prima, et quæ omnes alias determinat est ultima ; si vero numerare incipias al altera parte, illa, quæ in priori numeratione erat prima, fit ultima, et e contra : ita similiter in diverso genere causæ, id, quod est primum in uno, est ultimum in alio ; quia hujusmodi prioritas et posterioritas nihil aliud est, quam dependentia : in genere autem causæ materialis, qualitates illæ tempore concomitantes sunt priores, quia forma, ut introducatur in materia, materialiter ac dispositive dependet ab ipsis : in genere autem causæ efficientis e eontra istæ dispositiones non producuntur in materia, nisi ratione formæ, a qua dimanant efficienter.

Sequitur 159. Gratiam sanctificantem in justificatione adultorum infusam, posse esse priorem in genere causæ efficientis, ipso habitu et actu charitatis et contritionis, qui sunt dispositiones ad illam gratiam, et nihilominus posse esse posteriorem illis in genere causæ materialis et dispositivæ.

159. — D. Thom. 1. 2. q. 113. art. 8.

Probatur sequela. Quia eadem est ratio quoad hoc de gratia sanctificante respectu actus et habitus charitatis et contritionis, ac de forma substantiali respectu suarum dispositionum : quod vero ita res se habeat ostendemus in secundo principio.

Sequitur 160. Sacramenta pro materiali, incipere per ultimum non esse, et desinere per primum non esse.

160. — Locis supra citatis.

Probatur sequela. Omnis motus continnus et successivus incipit per ultimum non esse, et desinit per primum non esse, ex dictis : Atqui Sacramenta pro materiali, sunt quidam motus continui, puta prolatio verborum, ablutio, etc. Ergo, etc. Nota, quod hoc non intelligitur de Eucharistia ; quæ etiam post motum continuum prolationis verborum est Sacramentum.

Sequitur 161. Effectum Sacramentorum esse quando Sacramenta non sunt pro materiali.

161. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia significatio integra resultat ex motu, puta ex prolatione verborum, et ablutione integra et perfecta, ut constat : Sed motus ille non est perfectus et integer, nisi quando non est, ut patet ex dictis : Ergo significatio integra non resultat, nisi quando motus non est ; motus autem ille est materiale in Sacramento, cujus formale est ipsa significatio.

Sequitur 162. Sacramenta causare gratiam, quando non sunt pro materiali.

162. — Ibidem.

Probatur sequela. Motus successivus causat quando non est : Sed Sacramenta sunt pro materiali motus successivi : Ergo Sacramenta causant, quando non sunt pro materiali. *Major patet :* Quia motus successivus non attingit effectum, quamdiu est : Sed quando verum est dicere, nunc non est et immediate antea fuit. Præterea Sacramenta non causant gratiam, nisi quando est perfecta et integra significatio, quia, ut dicemus in secundo principio, Sacramenta novæ legis efficiunt quod significant, et causant media significatione tanquam conditione : Ergo non causant, nisi quando est perfecta significatio : Sed non est perfecta significatio, nisi quando Sacramenta pro materiali non sunt, ex dictis : Ergo non causant gratiam, nisi quando non sunt pro materiali.

Sequitur 163. Corpus Christi incipere esse in Eucharistia per primum sui esse, quando verum est dicere, nunc est, et immediate antea non fuit : et desinere per primum non esse, quando verum est dicere, nunc non est, et immediate antea fuit.

163. — D. Thom. 3. p. q. 78. a. 4. ad 3.

Probatur sequela quoad primam partem. Prolatio verborum consecrationis desinit esse, cum verum est dicere, nunc non est prolatio verborum et immediate antea fuit, cum sit motus successivus : Sed Corpus Christi incipit esse cum prolatio verborum desinit esse, quia tunc solum est significatio perfecta et integra : Ergo Corpus Christi incipit esse cum verum est dicere, prolatio verborum nunc non est et immediate antea fuit. 2ª *pars sequelæ probatur :* Corpus Christi desinit esse sub speciebus, sicut desineret esse substantia panis si adesset, ut omnes catholici fatentur : Sed substantia panis desineret esse per primum non esse eo modo, quo formæ aliæ substantiales, quæ desinunt esse per primum non esse : Ergo et Corpus Christi desinit esse per primum non esse.

Sequitur 164. Corpus Christi causare gratiam, quando sumitur, in instanti extrinsece terminativo motus localis, quo deglutiuntur species, vel quo illæ species per modum alimenti sunt in ipso stomacho.

164. — Ex 3. p. q. 73. a. 1.

Probatur sequela. Corpus Christi eo instanti causat gratiam, quo substantia panis, si adesset, confortaret et vegetaret, quia Corpus Christi est in Eucharistia per modum cibi, ut alias dicemus : Sed substantia panis confortaret in instanti extrinsece terminativo motus localis, quo deglutiuntur species, vel quo illæ species per modum alimenti sunt in stomacho : Ergo eodem instanti Corpus Christi nutrit animam et causat gratiam.

Sequitur 165. Materiam primam non esse subjectum generationis substantialis.

165. — D. Thom. 8. Metaph. lect. 4; 1. De generat. lect. 10. 1. p. q. 76. a. 6; De ente et essentia cap 7.

Probatur sequela ex dictis initio. Materia sola non est subjectum accidentium : Sed generatio substantialis est accidens; est enim, ex dictis, resultantia ex alteratione : Ergo materia sola non est subjectum generationis substantialis, sed totum compositum.

CAPUT V.

De entis divisione, id est de substantia et accidente.

Sequitur 166. Substantiam dici analogice de materia et forma.

166. — Opusc. 42. cap. 7. 9. 14. et 15.

Probatur sequela ex dictis initio : Substantia est ens per se subsistens : Sed ens per se subsistens dicitur analogice de materia et forma : Ergo, etc. *Probatur minor* : Quod convenit uni dependenter ab alio, dicitur etiam de uno dependenter ab alio; atque adeo analogice : Sed per se subsistere convenit materiæ dependenter a forma, ut supra ostensum est : Ergo per se subsistere dicitur de materia dependenter a forma, et consequenter analogice.

Sequitur 167. Substantiam, quæ est supremum genus primi prædicamenti, esse substantiam completam.

167. — Opusc. 42. cap. 10.

Probatur sequela. Substantia, quæ est supremum genus primi prædicamenti. est quid univocum, cum sit genus : Sed sola substantia completa est quid univocum; nam substantia incompleta, ut dictum est, est quid analogum; et idem dicendum est de substantia abstracta, ac completa et incompleta, ut constat : Ergo, etc.

Sequitur 168. Ens in accidente esse ipsam propriam rationem accidentis.

168. — Vide dicta supra.

Probatur sequela. Ens in qualibet re est ipsa propria ratio cujuslibet rei, ex dictis supra : Ergo ens in accidente est ipsa propria ratio accidentis.

Sequitur 169. Inhærentiam aptitudinalem esse ipsam rationem propriam entis in accidente.

169. — 3. p. q. 77. art. 1; In 4. dist. 12. q. 1. a. 1. q. 1. ad 2.

Probatur sequela. Propria ratio accidentis est inhærentia, non actualis, cum in Eucharistia sint accidentia sine inhærentia actuali : Ergo aptitudinalis : Sed ens in accidente est propria ratio accidentis, ex dictis : Ergo ens in accidente est ipsa inhærentia aptitudinalis.

Sequitur 170. Accidens, sive ens in accidente, respicere per se primo ipsam substantiam.

170. — 1. 2. q. 53. a. 2. ad 3; De verit. q. 3 art. 7. ad 2; 7. Metaph. lect. 4.

Probatur sequela. Inhærentia aptitudinalis per se primo respicit substantiam, cui debet inhærere : Sed ens in accidente est ipsa inhærentia aptitudinalis : Ergo ens in accidente per se primo respicit substantiam.

Sequitur 171. Ens in accidente specificari a substantia.

Probatur sequela. Ens, quod per se primo respicit aliud, specificatur ab ipso, ut probabimus in tertio principio : Sed ens in accidente per se primo respicit substantiam, ex dictis : Ergo ens in accidente specificatur a substantia.

Sequitur 172. Varia esse accidentium genera, pro varietate respectuum ad substantiam, et sic respicere substantiam tribuendo illi partes extra partes erit accidens, quod dicitur quantitas; respicere substantiam disponendo illam, erit qualitas; respicere substantiam referendo illam ad aliud, erit relatio; et sic de aliis.

172. — 5. Metaph. lect. 7; 3. Physic. lect. 4.

Probatur sequela. Quod specificatur ab alio, variatur per diversum respectum ad aliud, ut etiam in tertio principio ostendemus : Sed ens in accidente, sive accidens, specificatur a substantia, sive per ordinem ad substantiam, ut dictum est : Ergo accidens variatur ex diverso modo respiciendi substantiam.

Sequitur 173. Rationem accidentis non esse univocam, sed analogam.

173. — 5. Metaph. lect. 18.

Probatur sequela. Quod convenit alicui dependenter ab alio, non convenit univoce, sed analogice, ex dictis : Atqui respicere substantiam, quæ est propria ratio entis in accidente, ut dictum est, convenit uni accidenti mediante alio; nam habitus convenit mediante situ, situs mediante ubi, ubi mediante quantitate vel qualitate, qualitates materiales mediante quantitate, et inter qualitates spirituales habitus mediante potentia, et sic de aliis : Ergo ratio accidentis analogice tantum convenit et dicitur de accidentibus.

Sequitur 174. Accidentia etiam individuari a subjecto, sive distinctionem pure individualem accidentium sumi a subjecto.

174. — 1. p. q. 29. a. 1. et q. 39. a. 3; In 1. dist 9. q. 1. a. 2; In 2. dist 2. q. 1. a. 2; In 4. dist. 4 q. 1. a. 3. quæst. 2; De verit. q. 1. a. 11; Opusc. 29. et 36.

Probatur sequela. Ab eo petitur distinctio numerica formæ, a quo petitur ejus entitas : Atqui entitas accidentis, quod est forma, petitur a substantia : Ergo et distinctio numerica.

Explicatur : Distinctio accidentis specificatur et petitur ex variis modis informandi et afficiendi formaliter substantiam, quæ est distinctio formalis; non enim potest alia intelligi distinctio formalis in formis, nisi penes diversos modos informandi et afficiendi subjectum : Ergo distinctio materialis et numerica, non potest peti ex illis variis modis afficiendi, et informandi subjectum : Ergo distinctio illa pure materialis debet peti ex eo, quod habeat rationem materiæ respectu accidentis : Sed solum subjectum, sive substantia secundum suam rationem individualem habet rationem materiæ respectu accidentis : quia accidens non est compositum ex materia et forma, sed est tantum forma : illud autem, quod habet rationem materiæ in accidente, est ipsum subjectum, sive ipsa materia, ut est individua : Ergo distinctio materialis et individualis accidentis, debet peti ex ipsa substantia, atque adeo pro varietate materiali subjecti, sive substantiæ, erunt diversa numero accidentia; numero, inquam, vel prædicamentali, si sint accidentia materialia; vel transcendentali, si sint accidentia pure spiritualia.

Sequitur 175. Quantitatem quodammodo a seipsa individuari.

175. — 5. Metaph. lect. 14; 2. 2. q. 24. a. 5. ad 1.

Probatur sequela. Quantitas est accidens : Ergo individuatur a subjecto, ex dictis : Sed, ex dictis etiam, ipsa quantitas quodammodo concurrit ad individuationem subjecti, cum, ut diximus, substantia materialis individuetur a materia signata quantitate : Ergo eadem quantitas concurrit etiam quodammodo ad propriam individuationem : quod enim est causa causæ, est causa causati : quantitas est causa quodammodo individuationis subjecti : subjectum est causa individua-

tionis quantitatis, utpote accidentis : Ergo ipsa quantitas quodammodo est individua ex se.

Explicatur. Illi convenit quodammodo individuari ex se, cui per se primo convenit habere partes ejusdem rationis; nam individua sunt quodammodo partes ejusdem rationis, cum conveniant in natura et ratione specifica, et distinguantur intra eamdem rationem : Sed quia quantitas est accidens, et accidens non habet esse, nisi in ordine ad subjectum, quidquid convenit quantitati, convenit ipsi per se primo in ordine ad subjectum : Ergo hoc ipsum, quod est tribuere partes ejusdem rationis, convenit per se primo quantitati in ordine ad substantiam et subjectum, atque adeo magis per se primo convenit quantitati tribuere partes extra partes substantiæ, quam habere partes extra partes : Ergo magis ipsi competit concurrere ad individuationem substantiæ, quam ad suam propriam individuationem, quamvis hæc ipsi etiam conveniat per se primo : primum ipsi competit *ut quo*, tanquam formæ accidentali habenti aptitudinalem inhærentiam; secundum convenit illi quodammodo *ut quo, et ut quod;* unde ipsa quantitas est etiam quanta.

Sequitur 176. Unum accidens non posse esse connaturaliter in duobus subjectis.

176. — In 4. dist. 4. q. 1. a. 3. quæst. 2; et Dist. 14. q. 1. art. 3. quæst. 1. et dist. 40. a. 4. ad 1.

Probatur sequela. Non potest unum accidens esse unum et non esse unum : Atqui accidens existens connaturaliter in duobus subjectis esset unum, ut supponimus, et non esset unum : *Quod probatur :* Quia ubi est duplex principium distinctionis numericæ accidentis, non est unum accidens, sed duplex : Atqui in eo casu esset duplex principium distinctionis numericæ, nimirum duplex subjectum, a quo, ut diximus, accidens habet suam distinctionem numericam : Ergo implicat unum accidens esse connaturaliter in duobus subjectis.

Sequitur 177. Duo accidentia ejusdem speciei non posse esse simul et semel in uno et eodem subjecto.

177. — 1. p. q. 94. a. 3. ad 1; 1. 2. q. 63. a. 4. ad 3; In 2. dist. 30. q. 2. a. 1. ad 7; De verit. q. 1. art. 10. ad 2.

Probatur sequela. Quia jam illa essent duo accidentia, ut supponitur, et non essent duo : *Quod sic probatur :* Ubi est unicum duntaxat principium unitatis individualis, est tantum unica unitas individualis : Sed in eo casu esset tantum unicum principium unitatis individualis, scilicet subjectum : Ergo esset tantum unica unitas individualis accidentis; nec est idem de pluribus accidentibus diversæ speciei : quia cum differant specie, debent etiam differre numero; nec etiam est idem de pluribus accidentibus ejusdem speciei successive in eodem subjecto existentibus : quia est quodammodo duplex subjectum ratione diversitatis temporis.

Sequitur 178. Unicam tantum esse relationem in patre ad plures filios simul existentes.

178. — Ibidem et 3. p. q. 35. a 5; Quodl. 1. art. 3. et Quodl. 9. a. 4; Opusc. 3.

Probatur sequela. Duo accidentia solo numero diversa non possunt esse simul et semel in eodem subjecto : Sed duæ relationes ad filios sunt accidentia solo numero diversa : Ergo non possunt esse simul in eodem patre : Est ergo tantum unica, quæ post generationem alterius filii ad illum extenditur; et idem dicendum de aliis similibus.

Sequitur 179. Augmentum intensivum qualitatum non fieri per additionem gradus ad gradum ejusdem rationis, imo nec augmentum extensivum.

179. — 1. 2. q. 52. a. 2; 2. 2. q. 24. art. 5; Quæst. 1. De verit. art. 11; In 1. dist. 17. q. 2. a. 2.

Explicatur : Augmentum intensivum in qualitatibus est, cum eadem qualitas in eodem subjecto, et in eadem parte subjecti, et circa idem fit major, v. g. cum calor in eadem parte subjecti fit vehementior, aut cum scientia circa unam et eamdem conclusionem fit evidentior et certior : Augmentum vero extensivum est, cum in diversa parte subjecti continuo ponitur eadem qualitas, vel cum eadem est circa diversa, v. g. cum calor, qui erat in brachio, etiam fit in manu, vel cum scientia, quæ habetur de una conclusione ejusdem objecti, habetur postea etiam de alia conclusione ejusdem objecti.

Probatur sequela. Duo accidentia solo numero distincta non possunt esse in eodem subjecto, ex dictis : Sed duo gradus qualitatis ejusdem sunt duo accidentia solo numero distincta, ut constat. Nam si essent gradus diversi specie, et diversæ rationis, non possent intendere eamdem specie qualitatem; qualitas enim non augetur per gradus diversæ speciei : Ergo duo gradus ejusdem qualitatis non possunt esse in eodem subjecto : essent autem si intentio qualitatis in eadem parte subjecti fieret per additionem gradus ad gradum, ut est evidens : Ergo sicut illud est impossibile, ita et istud.

Similiter extensio qualitatis non potest fieri per additionem gradus ad gradum ejusdem speciei, ita ut sint solo numero distincti, quia etiam tunc essent duo accidentia solo numero distincta in eodem subjecto : Sed quando extenditur qualitas, manet eadem numero, sicut etiam manet numero idem subjectum in augmentatione, licet fiat majus : sic manet eadem numero scientia quamvis ad varias conclusiones ejusdem objecti extendatur.

Sequitur 180. Intensionem qualitatum fieri per majorem radicationem qualitatis in subjecto.

180. — Iisdem locis.

Explicatur : Accidens duo quædam habet, quæ duobus correspondent ex parte substantiæ : Sicut enim substantia habet subsistentiam, per quam redditur incommunicabilis et completa, ut dicemus in secundo principio, et habet existentiam per quam ponitur omnino extra suas causas : ita etiam accidens habet inhærentiam actualem, per quam redditur incommunicabile alteri subjecto, et per quam completur inhærentia aptitudinalis, quæ, ut diximus, est essentia accidentis, et habet existentiam : sed quia accidens per actualem inhærentiam actuat subjectum, et perficit potentiam ipsius receptivam, fit inde ut quædam accidentia ex propria ratione hoc habeant, ut magis vel minus perficiant, et actuent illam potentiam receptivam subjecti, quod illis tantum accidentibus competit, quæ non totaliter ex natura sua illam primo perficiunt : hæc ergo accidentia ultra modum inhærentiæ actualis, habent etiam alios modos perfectius vel minus perfecte actuandi subjectum; et hos modos vocamus modos majoris radicationis, locutione metaphorica desumpta ab arboribus, quarum quædam altiores, aliæ minus altas radices agunt.

Probatur sequela. Intensio qualitatum non fit per additionem gradus ad gradum, ut probatum est : Sed nullus alius superest modus, nisi admissis illis modis majoris, vel minoris actuationis, quos vocamus modos majoris vel minoris radicationis : Ergo, etc. *Minor probatur :* Quia dicere, quod v. g. calor dum intenditur corrumpitur, et distinctus alius numero calor supervenit, est contra ex-

perientiam, qua videmus priorem calorem non corrumpi : dicere vero quod sit per depurationem a contrario patet esse falsum; quia quædam qualitates intenduntur, quæ non habent contrarium : ut patet in luce; nullus autem alius superest modus, quo explicetur hæc qualitatum intensio : Ergo, etc. Solum advertendum est modos istos majoris radicationis alios esse determinatos v. g. modum ut quatuor qui continet modum ut tria et amplius; alios esse indeterminatos.

Sequitur 181. Non posse dari qualitatem actu infinite intensam.

181. — 1. p. q. 7. a. 1 et 2; 3. p. q. 7. a. 11; 8. Phys. lect. 1; De potent. q. 1. et 2.

Probatur sequela. Quod fit per radicationem in subjecto habente potentiam receptivam finitam, non potest esse infinitum, quia actus proprius potentiæ finitæ non potest esse infinitus : Sed intensio fit per radicationem et actuationem finitæ potentiæ in subjecto finito, ut dictum est : Ergo non potest intensio esse actu infinita, nec proinde qualitas infinite intensa.

Sequitur 182. Scientiam unam v. g. logicam terminatam ad omnes conclusiones sui objecti, non esse aggregatum quoddam ex variis qualitatibus, sed esse unam simplicem qualitatem.

182. — D. Thom. 1. 2. q. 54.

Probatur sequela. Quia vel illud aggregatum coalesceret ex qualitatibus solo numero distinctis, vel specie : Non solo numero, alias duo vel plura accidentia solo numero distincta essent simul in eodem subjecto; Non etiam specie, quia alias tot essent specie distincti habitus logicæ, quot essent conclusiones materiales, cujus oppositum ostendemus in tertio principio, probantes scientiam quamlibet specificari a suo objecto formali, non autem a materiali : Ergo habitus scientiæ non potest esse aggregatum ex pluribus qualitatibus.

Sequitur 183. Accidentia panis et vini, quæ remanent in Eucharistia post consecrationem, non subjectari in novo aliquo subjecto substantiali.

183. — 3. p. q. 77. art. 1. et q. 75. a. 5; In 1. dist. 47. a. 4; In 4. dist. 12. q. 1. a. 1; 4. Cont gent. cap. 63 et 65.

Probatur sequela. Eadem numero accidentia non possunt esse in pluribus subjectis, quia, ut diximus, individuantur a subjecto, atque adeo essent et non essent eadem numero : Atqui accidentia panis et vini, quæ remanent in Eucharistia post consecrationem, sunt eadem numero, alias non esset vera conversio et transsubstantiatio, ad quam requiritur, ut aliquid remaneat de termino a quo : hic autem nihil remanet de substantia, debent ergo remanere eadem numero accidentia : Ergo hæc accidentia non subjectantur in novo aliquo subjecto substantiali.

Sequitur 184. Hæc accidentia in Eucharistia subjectari in quantitate.

184. — 3. p. q. 77. a. 2; In 4. dist. 12. q. 1. a. 2. q. 3; 4. Cont. gent. cap. 62; 2. ad Corint. 11. et 4.

Probatur sequela. In Eucharistia non sunt multiplicanda miracula sine necessitate, et amplectenda est ea sententia, quæ clarius explicat mysteria hujus sacramenti : Sed minus multiplicantur miracula, et clarius explicatur mysterium dicendo hæc accidentia sustentari in quantitate, quia hæc asserendo, soli quantitati datur modus per se existendi, cætera vero accidentia inhærent ipsi quantitati, nec quodlibet habet modum per se existendi; aliunde vero, cum, ut diximus, omnia accidentia materialia subjectentur in substantia, media quantitate, quæ quantitas dat quodammodo individuationem ipsi substantiæ, et consequenter aliis accidentibus, et ipsa sit quodammodo ex se ipsa individua, facilius explicatur, quomodo accidentia maneant ea-

dem numero et habeant partes sicut ante transsubstantiationem habebant, quia semper, sicut prius, inhærent ipsi quantitati, cui soli datur modus per se existendi, et supplendi vices substantiæ materialis panis et vini.

Sequitur 185. Soli quantitati in Eucharistia tribui modum per se existendi.

185. — Ibidem.

Probatur sequela. Illi soli tribuitur modus per se existendi post transsubstantiationem, quod supplet vices substantiæ panis et vini : Sed sola quantitas supplet vices substantiæ; tum quia est veluti primum accidens, quod convenit substantiæ materiali, tum quia cætera fere omnia accidentia inhærent substantiæ media quantitate : Ergo soli illi tribuitur modus per se existendi similis ipsi subsistentiæ et existentiæ substantiali panis et vini : nam dicere, quod Deus per seipsum immediate sustentet quantitatem, possibile quidem est sed magis congruum videtur mysterio, quod Deus immediate id non præstet, sed medio illo modo per se existendi, præsertim cum post consecrationem Deus alio modo conservet quantitatem, quam ante consecrationem : quæ mutatio non potest esse ex parte actus divini conservantis, atque adeo debet esse ex parte quantitatis conservatæ.

Sequitur 186. Quando ex speciebus Eucharistiæ corruptis generantur v. g. vermes, quantitatem ex vi prioris miraculi converti in materiam compositi de novo geniti.

186. — 3. p. q. 77. art. 5. ad 3; 4. Cont. gent. cap. 66.

Probatur sequela. Quantitas ex vi prioris miraculi conversionis panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi, supplet vices substantiæ sive subjecti et causæ materialis : Sed non potest hoc supplere in composito de novo genito immediate per seipsam : alias compositum de novo genitum non constaret materia et forma, sed sola quantitate loco materiæ, et forma de novo genita, atque adeo non esset compositum physicum : Ergo ex vi prioris miraculi debet quantitas converti in materiam, vel materia de novo debet creari; Sed magis conforme est quod quantitas in materiam convertatur, tum quia hæc conversio magis conformis est priori miraculo, tum etiam quia facilius est intelligere, quod quantitas sit terminus *a quo*, conversionis, et materia compositi de novo geniti sit terminus *ad quem*, quam intelligere quod materia de novo creetur : Ergo ita res fit, ut in instanti, in quo verum est dicere, nunc non est Corpus Christi sub speciebus, et immediate antea fuit, quantitas præexistens convertatur a Deo in materiam, ex qua in eodem instanti etiam forma educatur vi actionis agentis naturalis, et hoc modo materia illa terminat actionem conversivam, quæ actio non habet pro termino ipsum esse materiæ, quasi per illam conversionem detur esse soli materiæ, sed terminatur ad materiam, ut habet esse ex vi alterius actionis scilicet generationis substantialis, quæ fit per actionem agentis naturalis.

CAPUT VI.

De proprietatibus entis quæ sunt Unum, Verum, Bonum.

Sequitur 187. Proprietates entis unum, verum, bonum, aliquid, rem, non addere aliquid supra ipsum ens.

187. — In dist. 8. q. 1. a. 3; De verit. q. 1. a. 1; De potent. q. 9. a. 7. ad 6; Opusc. 42. cap. 2.

Explicatur. Ens tripliciter sumi potest : *Primo* nominaliter et universalissime, prout idem est, ac quod potest existere quocumque tandem modo possit existere; *Secundo* universaliter quidem, sed magis limitate prout idem est ac, quod potest ha-

bere propriam existentiam ; *Tertio* participaliter prout idem est ac existens. Ens primo modo est transcendens et est subjectum, aut quasi subjectum illarum proprietatum : ens secundo modo non est quidem transcendens, sed non dicitur nisi de iis, quæ possunt habere propriam existentiam : alia vero non dicuntur entia nisi secundum quid, unde materia prima dicitur ens secundum quid, quia non est nihil, nec ens rationis ; sed non habet propriam existentiam, ut diximus supra, et sic etiam in divinis, tres relationes non dicuntur tria entia, quia quamvis quælibet relatio divina non sit nihil, vel ens rationis, sed vere sit realis, non dicit tamen ordinem ad existentiam nisi ratione ipsius essentiæ divinæ ob suam infinitatem transcendentaliter inclusæ in relatione.

Res vero dupliciter dicitur : *Primo* prout est idem ac non nihil, et hoc modo res non est proprietas entis, sed potius est subjectum omnium proprietatum entis ; *Secundo* modo res dicitur ens habens esse ratum et fixum, et hoc mode est proprietas entis aliquatenus ; quia sicut ens dicit ordinem ad existentiam, ita res dicit ordinem ad durationem quatenus hoc, quod est, esse ratum et firmum, quodammodo importat durationem. Primo modo relationes in divinis dicuntur tres res : non autem secundo modo, quia non habent aliam durationem, quam ipsam æternitatem quæ est duratio naturæ divinæ.

Unum importat indivisionem rei in se et divisionem a quolibet alio, et hanc etiam divisionem importat aliquid : dicitur enim aliquid, quasi aliud quid, quod idem est ac divisum a quolibet alio. Verum importat ordinem ad intellectum ; et bonum, importat ordinem ad appetitum : His suppositis.

Probatur sequela. Nihil potest addi proprie supra id quod importat totum, ut constat : Sed, ex dictis initio, ens transcendentaliter sumptum importat totum quod est in re : Ergo nihil potest addi supra ens, atque adeo proprietates entis nihil addunt supra ens : nam res importat ratum esse ac firmum, et hoc quod est esse ratum ac firmum est entitas quædam, non enim est nihil : similiter indivisum in se et divisum a quolibet alio, vel dicit nihil, vel importat ens ; sicut et ordo ad intellectum et ad appetitum entitas quædam est.

Sequitur 188. Istas proprietates entis recte dici proprietates attributales, non autem prædicamentales.

188. — Colligitur ex dictis locis citatis

Probatur sequela. Proprietas attributalis dicitur illa, quæ nihil addit supra id, cujus est proprietas, nisi tantum majorum expressionem. Proprietas vero prædicamentalis dicitur, quæ addit aliquid supra id, cujus est proprietas : unde et in prædicamento ponitur : Sed supradictæ proprietates nihil addunt supra ens, ut diximus, et solum magis exprimunt : Ergo non sunt proprietates prædicamentales, sed attributales.

Sequitur 189. In rigore tres tantum esse proprietates entis, videlicet unum, verum, bonum.

189. — Locis citatis supra seq. 187.

Probatur sequela. Proprietates entis nil addunt supra ens, nisi majorem aliquam expressionem ex dictis : Sed solum tres illæ addunt illam majorem expressionem, quia res solum dicit quidditatem, et non nihil, quod prorsus idem est ac ens, imo videtur esse prius ipso ente, nam prius videtur esse realitas et nonnihil, quam dicere ordinem ad existentiam. Aliquid autem includitur in uno, quia aliquid est aliud quid, in quo importatur distinctio ab alio, quæ distinctio includitur etiam in uno : non enim potest esse unum, nisi sit distinctum ab alio. Unum autem exprimit ens cum negatione divisionis, quæ negatio est ipsum ens, si concipiatur ratione sui

fundamenti sicut debet necessario concipi. Verum exprimit ordinem ad intellectum, bonum exprimit ordinem ad appetitum.

Quia tamen subjectum proprietatum solemus vocare illud, quod secundum se est notius, et secundum se notius est rem aliquam esse possibilem, et dicere ordinem ad existentiam, quam quod sit quædam quidditas et realitas, idcirco possumus hoc sensu minus rigorose loquendo dicere, quod res sit proprietas entis, et similiter quia aliud primo intuitu videtur negatio divisionis a se, aliud divisio a quolibet alio, etiam minus proprie possumus dicere, quod aliquid sit proprietas entis.

Sequitur 190. Proprietates entis quodammodo consequi ex ordine ad existentiam.

190. — Iisdem locis.

Probatur sequela. Omnis proprietas entis consequitur ex ordine ad existentiam : Sed, ex dictis, ista quinque sunt quodammodo proprietates entis : Ergo quodammodo consequuntur, etc. Unde ex ordine ad existentiam videtur consequi certa et determinata realitas, et hæc est res. Ex eodem ordine sequi videtur negatio divisionis rei a seipsa, et hæc est unitas, et consequenter divisio sive distinctio a quolibet alio; non enim esset certa et determinata realitas, nisi posset existere, et nisi divideretur ab aliis, et esset indivisa in se, quia alias non posset existere. Ex hoc autem, quod quid potest existere consequitur ordo quidam conformitatis ad intellectum divinum; et ad voluntatem divinam, quæ potest efficere ut existant.

Sequitur 191. Unitatem de formali dicere entitatem ipsam cum negatione divisionis.

191. — In 1. dist. 19. q. 4. a. 1. ad 2; De potent. q. 9. a. 7; 1. p. q. 6. a. 3. et q. 11. a. 2. ad 2.

Probatur sequela. Quia, ut diximus, hæ proprietates nihil addunt supra ens, atque adeo de formali dicunt ipsam entitatem : Sed unitas est una ex his proprietatibus entis : Ergo, etc. Quod vero debeat addi negatio divisionis patet, quia res ut sit una, non potest esse divina in se.

Sequitur 192. Veritatem transcendentalem esse entitatem cum relatione conformitatis ad intellectum divinum.

192. — 1 p. q. 16. a. 1. et 3; In 1. dist. 8. q. 1. a. 3. et dist. 19. q. 1. art. 5. ad 2; De verit. q. 1. a. 1.

Probatur sequela. Hæ omnes proprietates dicunt entitatem, et exprimunt aliquid : Atqui veritas nil aliud potest exprimere nisi ordinem conformitatis ad primam mensuram totius veritatis, quæ est intellectus divinus : Ergo, etc.

Sequitur 193. Hunc respectum conformitatis ad intellectum divinum esse fundamentum relationis rationis, quatenus res concipitur apta ad faciendum verum sui conceptum in intellectu nostro.

193. — 1 Periermenias, lect. 3.

Probatur sequela. Hæc conformitas rei ad intellectum divinum præbet nobis occasionem concipiendi, quod res illa possit facere conceptum verum sui in intellectu nostro, ut patet : Sed hæc relatio non potest esse realis, quia res non respiciunt realiter intellectum nostrum, ut constat : Ergo, etc.

Sequitur 194. Bonitatem in rebus creatis esse entitatem rei cum conformitate ad voluntatem divinam ordinantem eam in finem.

194. — 1. p. q. 5. art. 1. et 3. et q. 16. a. 1. et 3; In 1. dist. 8. q. 3. a. 3. et dist. 19. q. 9. art. 1; De verit. q. 1. a. 1; Opusc. 42.

Probatur sequela. Bonitas est entitas exprimendo aliquam relationem, ut constat ex dictis : Sed nulla potest esse alia relatio, quam ipsa conformitas cum voluntate divina, ad quam nulla res dicit conformitatem, nisi quatenus ab ipsa voluntate divina ordinatur ad finem; voluntas enim

divina primo vult seipsam tanquam rationem finalem, et deinde alia a se tanquam ordinata ad eumdem finem : Ergo, etc.

Sequitur 195. Bonum idem esse ac perfectum.

195. — 2. p. q. 5. a. 1. 3. 5. et q. 6. a. 3. et q. 16. a. 3. et 4. 1. 2. q. 52. a. 1 ; 1. Cont. gent. c. 37.

Probatur sequela. Conformitas rei ordinatæ ad finem voluntate ordinante est ejus perfectio, ut patet, et ostendemus infra : Atqui bonitas est conformitas rei ordinatæ ad finem, ex dictis : Ergo hæc conformitas est ejus perfectio, atque adeo bonum est idem, quod perfectum : ex hac autem conformitate sequitur, quod illa res sit perfecta, et ex hoc quod sit perfecta in se, sequitur quod sit perfectiva aliorum, et consequenter appetibilis : unde dicitur quod bonum et appetibile idem sunt.

Sequitur 196. Unumquodque in tantum esse bonum in quantum est actu.

196. — 1. p. q. 5. a. 3. et q. 17. a. 4. et q. 9. art. 1. et 3 ; 1. 2. q. 18. art. 1. 2. et 3. et 4 ; In 1. dist. 1. ad 11. et dist. 8. q. 1. art. 3 ; In 2. dist. 17. q. 1. art. 3 ; 2. Cont. gent. c. 40. et 3. c. 20 ; De potent. q. 3. a. 6.

Probatur sequela. Bonum idem est ac perfectum : Sed in tantum aliquid est perfectum in quantum est actu : quia perfectum idem est ac penitus factum : quod autem est penitus factum est actu : Ergo, etc. Quia tamen bonitas competit rei ex ipso actu, ad quem ens dicit ordinem, et hoc ipsum, quod est esse actu, est ens, ideo bonum, est proprietas entis, ita ut, quod est ens in potentia, sit bonum in potentia, et quod est ens actu, sit simpliciter et absolute bonum.

Sequitur 197. Divisionem boni in honestum, utile et delectabile esse analogam.

197. — 1. p. q. 5. a. 6. ad 3 ; 1. 2. q. 8. a. 2. ad 2. et art. 3. ad 3.

Probatur sequela. Divisio, in qua ratio per divisum importata convenit uni per ordinem ad aliud et dependenter ab illo, est analoga : Sed divisio ista boni convenit honesto per se, utili vero ac delectabili dependenter ab honesto, quia bono honesto soli convenit ex se, quod sit conforme voluntati divinæ ordinanti in finem : bono autem utili in quantum conducit ad consecutionem honesti, et bono delectabili in quantum sequitur ex bono honesto : Ergo divisio illa boni est analoga.

Sequitur 198. Bonum proprie dictum habere rationem causæ finalis.

198. — 1. p. q. 5. a. 2. ad 1. et 2. et a. 4. et q. 48. a. 1. ad 2 ; In 2. dist. 38. 1. ad 3 ; 1. Cont. gent. cap. 38. et 40.

Probatur sequela. Appetibile proprie est, quod ratione sui appetitur, quod enim appetitur ratione alterius non proprie appetitur, sed magis appetitur illud, ratione cujus appetitur : Sed finis est id, quod appetitur ratione sui, in quo distinguitur a mediis : Ergo appetibile et finis idem sunt : Sed bonum est appetibile, ex dictis : Ergo bonum habet rationem finis.

Sequitur 199. Bonum consistere in modo, specie, et ordine, sive numero, pondere, et mensura.

199. — 3. Cont gent. c. 16. 17. et 19. 1. p. q. 5. a. 5 ; De verit. q. 21. a. 6.

Explicatur : Modus et mensura præexigitur ad formam, quia modus sive determinatio sive commensuratio principiorum materialium et efficientium, prærequiritur ad formam. Forma determinat speciem, et species rerum sunt sicut numeri ; sicut enim numerus variatur addita unitate, ita species variatur per formam : ad formam vero sequitur pondus et inclinatio ad finem.

Probatur sequela. Bonum est ens perfectum et conforme voluntati divinæ ordinanti ad finem : Sed, ut aliquid sit perfectum, debet esse ens perfectum per formam, atque adeo in quo sit modus et commensuratio

principiorum materialium et efficientium, quæ causant formam, atque adeo speciem, et ad hanc sequitur inclinatio ad finem : Ergo bonum consistit in modo sive mensura, specie sive numero, et ordine sive pondere.

Sequitur 200. Media, ut media præcise non habere bonitatem, nisi ex fine, sive ex ordine ad finem.

200. — De malo. quæst. 1. a. 2. ad 9.

Probatur sequela. Utile est bonum, quia conducit ad bonum honestum, ut diximus : Sed media, ut media, sunt tantum bona utilia : Ergo media, ut media, non habent bonitatem, nisi ex bono honesto, quod habet rationem finis, ut diximus.

Sequitur 201. Quædam media habere bonitatem intrinsecam, quædam tantum extrinsecam.

201. — De verit. q. 21. a. 1.

Probatur sequela. Media habent bonitatem ex ordine ad finem, ex dictis : Sed quædam media habent intrinsecum ordinem, et alia solum extrinsece ordinantur ad finem, ut constat experientia : Ergo quædam habent intrinsecam et quædam extrinsecam bonitatem.

Sequitur 202. Bonitatem, quæ convenit mediis, ut media sunt, non esse eamdem cum bonitate, quæ illis convenit, ut res sunt.

202. — Iisdem locis.

Probatur sequela. Bonitas, quæ convenit mediis, ut media sunt, potest quandoque esse extrinseca, ut dictum est : Sed bonitas, quæ convenit illis, ut res sunt, non potest esse extrinseca : Ergo, etc. Cætera, quæ de mediis et fine dicenda sunt, infra dicuntur.

Sequitur 203. Malum, quod opponitur bono transcendentali, esse tantum privationem boni debiti secundum exigentiam rei.

203. — 1. p. q. 48. art. 1. et locis ibidem citatis.

Probatur sequela. Omne ens positivum quatenus est ens positivum, est bonum : Ergo malum oppositum debet esse non ens : non ens autem idem est ac nihil, quod est negatio totius entitatis, et hoc proprie non est malum : alias non entia essent mala : Ergo malum est in quantum aliqua participant de non ente, maxime vero quando participant de negatione illius entitatis, quam deberent habere, quæ est privatio boni debiti inesse.

Sequitur 204. Malum esse in bono sicut in subjecto.

204. — 1. p. q. 48. a. 3.

Probatur sequela. Omnis privatio est in subjecto, quod deberet habere quod non habet : Sed ex dictis malum est privatio : Ergo malum est in subjecto : Sed subjectum est ens et bonum : Ergo malum est in bono sicut in subjecto.

Sequitur 205. Malum reperiri in rebus.

205. — 1. p. q. 48. a. 2.

Probatur sequela. Privatio aliqua boni debiti inesse, reperitur in rebus, ut patet in cæcis, etc. Sed malum est privatio boni debiti inesse : Ergo, etc.

Sequitur 206. Malum non totaliter tollere totum bonum.

206. — 1. p. q. 48. a. 4.

Probatur sequela. Quod debet esse in aliquo tanquam in subjecto, non potest illud tollere, alias nec ipsum esset : Sed malum debet esse in bono, tanquam in subjecto : Ergo malum non potest tollere totaliter totum bonum : malum ergo quod est totalis privatio alicujus boni tollit illud bonum, non autem totum bonum : Malum, quod est aliqualis privatio boni, diminuit bonum, sed nunquam malum tollit totum bonum.

Sequitur 207. Non omne malum universaliter consideratum esse culpam vel pœnam.

207. — 1. p. q. 48. a. 5.

Probatur : Privatio boni debiti inesse est malum : Sed non omnis

privatio boni debiti inesse est culpa vel pœna : nam v. g. privatio lucis in aere non est culpa aut pœna : Ergo, etc.

Sequitur 208. Malum omne in rebus voluntariis esse culpam vel pœnam.

208. — 1. p. q. 48. a. 5.

Probatur sequela. Privatio boni debiti inesse in rebus voluntariis est culpa vel pœna, quia vel est privatio actus secundi sive operationis debitæ inesse, et hæc est culpa; vel est privatio actus primi debiti inesse, et hæc in voluntariis est pœna : Ergo, etc. Utrum vero malum culpæ sive peccatum in sola privatione, vel in positivo aliquo consistat, dicemus infra.

Sequitur 209. Malum culpæ plus habere de ratione mali, quam malum pœnæ.

209. — D. Thom. 1. p. q. 48. a. 6.

Probatur sequela. Privatio majoris boni habet plus de ratione mali, ut patet ex dictis : Sed privatio actus secundi debiti inesse, quod est culpa, est privatio majoris boni, quam privatio actus primi, quod est pœna, nam actus secundus est majus bonum, quam primus : Ergo, etc.

Sequitur 210. Malum non posse causari nisi a bono.

210. — 1. p. q. 49. a. 1.

Probatur sequela. Omnis privatio debet causari in quantum causa causat fundamentum privationis, quo fundamento posito, res aliqua caret bono quod deberet habere : nam res ex seipsa non potest suo bono carere : Omnis autem causa est bonum, omne enim quod est in actu est perfectum et bonum : Sed omne quod causat, est in actu, nulla siquidem causa causat nisi in quantum est actu, quia omnis causa est : Ergo etiam causa mali est bonum.

Sequitur 211. Non posse dari unum summum malum, quod sit causa omnis mali.

211. — 1. p. q. 49. art. 2.

Probatur sequela. Omnis causa est bonum, quia est actu; ens autem actu est bonum, ex dictis : Ergo causa mali non potest esse summum malum.

Sequitur 212. Unum de formali importare entitatem cum negatione divisionis.

212. — D. Thom. 1. p. q. 11. art. 1.

Probatur sequela. Omnis proprietas entis importat entitatem cum aliqua negatione vel relatione, ex dictis supra : Sed unum est proprietas entis, quæ non importat relationem, ut patet : Ergo importat negationem : Hæc autem negatio non potest esse alia, quam negatio divisionis in se, ex qua consequitur relatio divisionis a quolibet alio : Ergo, etc.

Sequitur 213. Unitates, tot esse quot entitates.

Probatur sequela. Unitas est entitas : Ergo tot dantur unitates, quot entitates.

Sequitur 214. Unitatem aliam esse formalem et aliam materialem.

214. — 1. p. q. 30. art. 3; et q. 47. a. 1. et 2; 1. Cont. gent. c. 38. et lib. 3. cap. 92; De verit. q. 12. a. 13; De potent. q. 9. a. 7.

Probatur sequela. Tot sunt unitates, quot entitates : Sed entitates omnes vel sunt forma aliqua, vel materia et subjectum receptivum : Ergo et unitates omnes vel erunt formales vel et materiales.

Sequitur 215. Distinctionem omnem realem vel esse formalem vel materialem.

Probatur sequela. Tot modis dicitur unum oppositorum, quot modis dicitur et alterum, ut omnes concedunt : Sed, ex dictis, omnis unitas vel est formalis vel materialis : Ergo omnis

distinctio, quæ est oppositum unitatis, vel erit formalis vel materialis.

Sequitur 216. Distinctionem omnem vel esse specificam vel individualem.

216. — Ibidem.

Probatur sequela. Omnis dictinctio, quæ est a forma, est specifica; forma enim ut forma dat speciem : distinctio vero, quæ est a materia, est individualis : quia materia individuat, ex dictis supra : Sed omnis distinctio vel est a forma vel a materia, ex jam dictis : Ergo omnis distinctio realis, vel est specifica vel individualis.

Sequitur 217. Distinctionem omnem vel esse realem vel esse rationis.

217. — Ex cap. 3. de ente et essentia.

Probatur sequela. Omne ens vel est ens reale vel rationis : Sed unitas et distinctio est entitas ut divisa vel non divisa : Ergo omnis unitas et distinctio vel est realis, vel est rationis. *Major constat :* Quia omne ens vel est reale, vel non reale : cum reale et non reale sint contradictoria : Sed ens rationis, etsi aliquo modo habeat rationem entis saltem specie tenus, est tamen ens non reale.

Sequitur 218. Non dari distinctionem mediam inter realem et rationis.

218. — Ibidem.

Probatur sequela. Omnis distinctio vel est realis vel rationis, ex dictis : Ergo non datur media.

Sequitur 219. Veritatem transcendentalem, importare entitatem cum relatione ad intellectum.

219. — 1. p. q. 16. a. 1; 1. p. q. 21. a. 2.

Probatur sequela. Omnis proprietas entis importat entitatem cum negatione vel relatione, ex dictis : Sed veritas est proprietas entis, quæ non importat negationem : Ergo relationem.

Sequitur 220. Veritatem importare entitatem cum relatione ad intellectum divinum.

220. — 1. Periermenias, lect. 3.

Probatur sequela. Relatio importata per veritatem non potest esse ad intellectum creatum, quia hæc non potest esse nisi rationis ; Sed relatio quam importat veritas est realis : Ergo debet esse ad intellectum divinum. *Minor patet* ex dictis, nam relatio importata per veritatem est proprietas realis entis.

Sequitur 221. Hanc relationem esse relationem conformitatis cum idea, quæ est in intellectu divino.

221. — 1. p. q. 21. a. 1. et 3.

Probatur sequela. Veritas proprie est ipsius intellectus, qui dicitur verus aut falsus et ab intellectu derivatur ad ipsas res, quia, ut dicemus infra, cognitio veritatis fit per hoc, quod res intellecta est in intellectu, et ab intellectu derivatur ad res : Sed hæc veritas non derivatur ab intellectu creato ad res : nam potius intellectus creatus dicitur verus aut falsus, ex eo quod sit, vel non sit conformis ipsi rei : Ergo hæc veritas derivatur ab intellectu divino, quatenus Deus cognoscendo res facit eas esse veras, et conformes ideæ, quam de illis habet.

Sequitur 222. Unicam esse veritatem, a qua omnia denominantur vera transcendentaliter.

222. — 1. p. q. 21. a. 6.

Probatur sequela. Unica est veritas intellectus divini, quia Deus unus est, ut in secundo principio demonstrabimus : Sed omnia dicuntur vera a conformitate cum veritate intellectus divini, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 223. Nullam esse falsitatem transcendentalem in rebus naturaliter.

223. — 1. p. q. 17. a. 1.

Probatur sequela. Quia quod est verum veritate transcendentali non

est falsum ut patet ex terminis : Sed omne ens est verum, ex dictis : Ergo nullum ens est falsum transcendentale.

CAPUT VII.

De præmotione physica.

Sequitur 224. Eum, qui producit ens sub ratione entis, producere omnes omnino rationes repertas in ente.

224. — 1. p. q. 65. a. 3; 2. Cont. gent. c. 16. et lib. 3. cap. 24; 6. Metaph. lect. 3; 2. Phys. lect. 6.

Probatur sequela. Ens sub ratione entis includit omnes modos et differentias entis, et omnes modi et differentiæ entis includuntur in ente absque eo, quod possit fieri perfecta præcisio etiam per intellectum : Ergo qui producit ens producibile sub ratione entis, producit omnes modos et differentias entis.

Sequitur 225. Deum producere omnes modos et differentias omnium entitatum et rerum.

225. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui producit ens sub ratione entis, producit omnes modos et differentias omnium entitatum et rerum, ex dictis : Sed Deus producit ens sub ratione entis, quia, ut dicemus in secundo principio, causæ universalis debet assignari effectus proprius universalissimus, id est, qui tam late pateat, quantum ejus causalitas, quæ non reperiatur, nisi ubi reperitur ejus proprius effectus, aut e contra : Ergo cum sola ratio entis sit hoc pacto universalissima, Deus producit ens sub ratione entis producibilis.

Sequitur 226. Deum producere ipsas actiones causarum secundarum, etiam ut dependent ab ipsis causis secundis.

226. — 1. 2. q. 19. a. 4; In 4. dist. 49. q. 1. a. 3. q. 2; De potent. q. 3. a. 4. et q. 5. a. 8.

Probatur sequela. Qui producit ens sub ratione entis, producit etiam actiones causarum secundarum, ut dependent ab ipsis causis secundis, quia etiam illa dependentia non est nihil, sed est entitas quædam vel modus entis : Sed Deus producit ens sub ratione entis, ex dictis : Ergo Deus producit ipsas actiones causarum secundarum, etiam ut dependent ab ipsis causis secundis.

Sequitur 227. Deum movere physice omnes causas secundas ad agendum.

227. — 1. p. q. 105. a. 5; 3. Cont. gent. c. 66. et 67; Et alibi sæpe.

Probatur sequela. Qui producit actionem alicujus causæ, ut pendet ab ipsa, movet physice illam causam ad agendum, quia non potest producere physice illam dependentiam actionis a causa, nisi attingendo ipsam causam ut actu agentem ; si enim solam actionem materialiter spectatam attingeret physice, et non ipsam causam, non attingeret illam ut dependentem a causa illa formaliter : Atqui Deus attingit actiones causarum secundarum sub ratione entis, atque adeo ut dependet ab ipsis causis secundis : Ergo Deus movet physice illas causas secundas ad agendum.

Sequitur 228. Nullam causam secundam posse attingere rationem entis ut sic ex se et ex propria virtute.

228. — 1. p. q. 105. art. 5; Et alibi sæpe.

Probatur sequela. Nulla causa potest ex se attingere effectum proprium alterius causæ, ut probabimus in tertio principio, quia alias confunderentur causalitates diversæ variarum causarum : Sed, ex dictis, ens sub ratione entis est proprius effectus Dei, ut etiam ostendemus in secundo principio : Ergo nulla causa secunda potest attingere ens ut ens.

Sequitur 229. Nullam causam secundam posse attingere rationem entis, nisi prius accipiat a Deo aliquam virtutem, qua illam attingat.

229. — Iisdem locis.

Probatur sequela. Causa, quæ debet effective attingere aliquem effectum, et non habet ex se virtutem attingendi illum effective, debet prius accipere virtutem ut illum attingat, alias non ageret; actus enim secundus supponit essentialiter primum, et causa, quæ non potest agere, id est, quæ non habet potentiam et virtutem agendi, non potest agere, id est, nunquam contingit, quod agat : Atqui omnis causa secunda debet attingere effective rationem entis ut sic, quia debet attingere aliquam rationem realem particularem, in qua transcendentaliter includitur ratio entis, ex dictis, et nulla causa secunda habet ex se virtutem attingendi rationem entis ut sic, ut diximus : Ergo nulla causa secunda potest attingere effective rationem entis, nisi prius accipiat virtutem a Deo.

Sequitur 230. Illam virtutem, quam causa secunda debet accipere a Deo, ut attingat rationem entis ut sic, non posse esse permanentem et connaturalem.

230. — Quæst. 3; De pot. a. 7. ad 7.

Probatur sequela. Nulla causa pot est habere virtutem permanentem et connaturalem attingendi proprium effectum alterius causæ alias talis effectus non esset proprius illi alteri causæ, quando quidem conveniret etiam alteri causæ ratione illius virtutis permanentis et connaturalis, ut dicemus in tertio principio : Atqui ens ut sic est proprius effectus Dei : Ergo nulla causa secunda potest attingere ens ut sic per aliquam virtutem permanentem et connaturalem.

Sequitur 231. Illam virtutem, quam causa secunda debet accipere a Deo, ut attingat rationem entis ut sic, debere esse transeuntem.

231. — Ibidem.

Sequela patet : Causa secunda debet recipere aliquam virtutem, ut attingat effective rationem entis, ex dictis : Non permanentem etiam, ex dictis : Ergo transeuntem.

Sequitur 232. Illam virtutem esse per modum motionis.

232. — Ibidem.

Probatur sequela. Omnis virtus transiens est per modum motionis; ideo enim vocatur transiens, quia non est permanens, sed est dispositio et motio, sicut rubor ex verecundia, et sicut virtus in instrumento artis ad producendum artefactum : Sed virtus illa, quam debet recipere causa secunda a prima est transiens : Ergo est motio.

Sequitur 233. Dari in omnibus causis secundis præmotionem physicam ad agendum.

233. — 1. p. q. 105. a. 5; Quæst. 3; De pot. a. 7; 3. Cont. gent. c. 66. et 67; Et alibi sæpe.

Probatur sequela dupliciter. Ex dictis, omnis motio, quæ physice movet mobile ad agendum, prius saltem natura quam mobile agat, est præmotio physica, ut constat ex terminis : Sed motio, qua Deus movet physice ad agendum ipsas causas secundas est prior natura et causalitate, quam ipsum agere causarum secundarum : Ergo est præmotio physica. *Minor probatur* : Quia omne principium est prius termino : Sed motio, qua Deus movet physice ad agendum causas secundas, est principium motus in causis secundis, alias per illam nec Deus moveret physice causas secundas, nec causæ secundæ moverentur physice a Deo, et ipsum agere causarum secundarum non esset terminus

illius motionis; illud enim est terminus motionis, ad quod movens movet mobile, et ad quod mobile a movente movetur : Cum ergo per hujusmodi motionem Deus physice moveat omnes causas secundas ad agendum, illa motio debet esse prior natura et causalitate, quam ipsum agere causarum secundarum.

Secundo probatur sequela ex dictis. Omnis causa, quæ antequam agat debet a Deo recipere virtutem aliquam physicam et realem, et physice et realiter influentem in actionem et effectum per modum motionis, debet præmoveri physice a Deo, quia virtus illa est motio physica et est prior, atque adeo præmotio : Sed, ex dictis, omnis causa secunda debet a Deo recipere per modum motionis virtutem aliquam realem, realiter et physice influentem in actionem, etiam ut dependet ab ipso agente secundo, ut habet rationem entis, ex dictis : Ergo omnis causa secunda debet præmoveri physice a Deo.

Sequitur 234. Hanc præmotionem physicam esse etiam prædeterminationem.

234. — Ibidem.

Probatur sequela. Primo : Omnis virtus per modum motionis, qua attingitur ens ut ens, est prædeterminatio : Sed præmotio illa physica est virtus per modum transeuntis, qua causæ secundæ attingunt ens ut ens, ex dictis : Ergo præmotio illa physica est prædeterminatio. *Major probatur :* Virtus per modum motionis, qua attingitur ratio non determinabilis, sed potius determinans, debet esse virtus determinativa, imo et prædeterminativa; ipsa enim virtus secundum se debet esse talis, qualis est ratio quam attingit, neque virtus a Deo procedens secundum se determinatur effective a causa aliqua, sed solum ratione sui effectus sive rationis, quam attingit : Sed ratio entis ut sic, non est determinabilis, cum includatur in omnibus modis determinantibus, et aliunde non solum ratio entis, sed etiam ipsum esse, quod est ultima actualitas et ultimum determinativum rei, est proprius effectus Dei, ut ostendemus in secundo principio : Ergo omnis virtus, qua attingitur ens et esse, est prædeterminatio.

Secundo probatur sequela : Omnis præmotio physica ad certam et determinatam actionem cum illa semper conjunctam, ita ut illa posita ponatur actio, non posita non ponatur, est prædeterminatio : Sed præmotio physica, qua Deus movet omnes causas secundas est ad certam et determinatam actionem intentam, et prædefinitam a Deo, ut etiam ostendemus in secundo principio, et est semper conjuncta cum actione, quia movere et moveri sunt correlativa, et fieri non potest, quod movens moveat mobile, quin mobile moveatur, et si movetur motu sine motione instantanea, fieri non potest, quin simul sit terminus : Ergo per illam præmotionem causæ secundæ moventur ad agendum certam et determinatam actionem, ita ut in eodem instanti, quo Deus illam causam secundam movet, causa secunda moveatur ad agendum, et in eodem instanti sit terminus illius mutationis instantaneæ, qua causa secunda recipit motionem illam : terminus autem illius mutationis est ipsum agere causæ secundæ, ut ostendimus; atque adeo semper est conjunctum illud agere cum præmotione illa, et sine illa præmotione ipsum agere causæ secundæ non potest esse, ut jam probatum est : Ergo illa præmotio est prædeterminatio.

Sequitur 235. Etiam ipsas causas liberas præmoveri ac prædeterminari physice a Deo.

235. — Ibid. et 1. p. q. 105. art. 4. et 1. 2; Quæst. 9. a. 6. et quæst. 109; Singulis fere articulis.

Probatur sequela. Omnis causa secunda debet præmoveri ac prædeterminari physice a Deo, idque intel-

ligitur de omnibus omnino causis secundis sine ulla exceptione, ut patet ex ratione, qua hoc probavimus : Sed omnis causa libere creata est etiam causa secunda : Ergo, etc.

Sequitur 236. Hanc præmotionem sive prædeterminationem physicam non tollere libertatem, sed potius causare illam.

236. — Ibidem.

Probatur sequela. Præmotio, quæ causat omnes modos entis non tollit, sed causat libertatem actualem in actu libero ; illa enim libertas actualis, vel nihil est, vel est aliqua ratio entis ; si nihil, ergo non datur libertas actualis, nec consequenter potentialis ; nam potentia non dicitur libera, nisi per ordinem ad actum liberum, qui si nihil est, etiam nihil est potentia libera, si aliquid, ergo ens : Sed, ex dictis, præmotio physica datur causæ secundæ, ut attingat omnes modos entis in sua actione et effectu : Ergo illa causat libertatem actualem, et facit ut causa secunda illam causet.

Sequitur 237. Præmotionem illam et prædefinitionem physicam dando illam libertatem actualem efficere, ut voluntas sive potentia libera, quæ præmota operatur, ita operetur, ut ex vi modi, quo operatur, possit non operari sive retineat potentiam ad operandum, non autem, quod possit componere simul et semel non operationem, sive contrariam operationem cum operatione.

237. — Ibidem.

Probatur sequela. Libertas actualis creata consistit in dependentia actionis liberæ a potentia libera, quatenus ita dependet a potentia, ut ex modo operandi ipsa potentia possit non ponere illam actionem liberam, hoc est, retineat in se potentiam ad non ponendam illam, quamvis dum illam ponit non possit simul et semel componere oppositam sive negative, hoc est non actionem, sive contrarie, hoc est, contrariam actionem; hoc enim implicat, atque adeo non est necessarium ad libertatem actualem : Atqui præmotio illa physica causat libertatem illam actualem, ex dictis : Ergo præmotio illa physica efficit, ut voluntas, quæ præmota operatur, ita in eodem instanti, quo præmovetur, operetur, ut possit non operari, hoc est, retineat potentiam ad non operandum ex modo, quo operatur ; non autem, quod possit componere simul et semel cum præmotione et operatione, quæ simul sunt, ipsam non operationem vel operationem contrariam.

Sequitur 238. Optime salvari libertatem per distinctionem illam sensus compositi et divisi, si bene explicetur.

238. — Opusc. 39. de fallaciis ; 1. p. q. 14. a. 13. ad 3 ; 1. 2. q. 10. a. 4. ad 3 ; 1. Cont. gent. c. 67 ; 1. p. q. 19. a. 8. ad 1. et ad 3 ; 1. 2. q. 112. art. 3 ; 2. 2. q. 24. a. 11.

Explicatur : Quando adversarii objiciunt : Libertas est facultas, quæ positis ad agendum omnibus prærequisitis, potest agere vel non agere : Sed voluntas præmota physice ad agendum non potest non agere : Ergo voluntas tunc non est libera : *Respondemus distinguendo majorem :* in sensu diviso, Concedo ; in sensu composito, Nego : *Et distinguo minorem*, voluntas præmota non potest non agere, in sensu composito, Concedo ; in sensu diviso, Nego.

Adversarii per summam calumniam rationem nostram sic interpretantur, quasi diceremus, voluntatem præmotam posse quidem agere in sensu diviso, id est, si ab ea voluntate dividatur et auferatur præmotio ; non autem posse agere in sensu composito, id est, si componatur et supponatur in ipsa voluntate præmotio. Hæc explicatio est voluntaria, nec est ullius Thomistarum, sed est conficta ab adversariis, ut possint contra illam

arguere. Nostra igitur explicatio est, quod de ratione libertatis sive voluntatis liberæ actualiter operantis non est, quod possit cum omnibus prærequisitis prioritate naturæ agere et non agere in sensu composito, id est, quod possit componere actionem et non actionem simul et semel, quia hoc implicat; sed est de intrinseca ratione libertatis, quod cum omnibus prærequisitis possit ponere divisim vel actionem vel non actionem, ita ut semper retineat cum omnibus illis prærequisitis, imo cum actione ipsa, potentiam ad non agendum; unde quando dicimus ad minorem, voluntas præmota non potest non agere in sensu composito, bene autem in sensu diviso, sensus non est, quod divisa et semota præmotione, voluntas possit non agere, et composita præmotione non possit non agere; sed sensus est, quod etiam supposita et composita præmotione cum voluntate, voluntas adhuc ex modo, quo operatur, et ex modo, quo præmotio dat illi actualiter operari actum, retinet potentiam ad non operandum, et hic est sensus divisus : non tamen habet potentiam ad componendam non operationem vel contrariam operationem cum præmotione, quia cum illa præmotio non sit prior nisi prioritate naturæ et causalitatis, et sit simul tempore cum ipsa operatione, ad quam datur, quia illa præmotio dat actualiter operari, consequens est, ut nulla omnino potentia fieri possit, quod sint simul præmotio et non operatio aut operatio contraria, cum illa præmotio sit in eodem instanti cum operatione, quæ est incompossibilis cum non operatione, vel operatione contraria; sicut tamen cum una operatione stat potentia ad non operationem vel operationem contrariam, ita et cum præmotione ad unam operationem stat potentia ad non operationem vel operationem contrariam : et hoc est, quod alii dicunt, quod voluntas habet simultatem potentiæ, quia simul et semel habet potentiam ad duas operationes oppositas; non tamen habet potentiam simultatis, quia non habet potentiam ad ponendas simul et semel duas operationes oppositas, eodem plane modo ac cum dicitur, album potest esse nigrum, verum est in sensu diviso, falsum in sensu composito : in sensu diviso est verum, quia subjectum, quod est album, etiam dum habet albedinem, simul habet potentiam ad nigredinem, quamvis non habeat potentiam ad utramque qualitatem, albedinem scilicet et nigredinem simul recipiendam.

Explicatio autem adversariorum procedit ex ignorantia illius distinctionis de sensu composito et diviso : non enim sensus dicitur compositus ex eo, quod componatur aliqua forma cum subjecto; nec divisus ex eo, quod dividatur aliqua forma a subjecto; sed dicitur sensus compositus ex eo, quod modus propositionis modalis afficiat compositum ex prædicato et subjecto : et dicitur sensus divisus ex eo, quod modus non afficiat totum compositum ex prædicato et subjecto; sed ponat ipsam suam, modi scilicet significationem inter subjectum et prædicatum : sicut quando dico : *Petrum ambulantem moveri est necessarium* est modalis composita et vera, quia necesse sive necessitas prædicatur de toto hoc composito : *Petrum ambulantem moveri* quasi dicerem, hæc propositio, Petrus ambulans movetur, est necessaria : si autem dicerem : *Petrus ambulans necessario movetur* est modalis divisa et falsa; quia necessitas prædicaretur de Petro ambulante in ordine ad motum : falsum autem est, quod necessitas conveniat Petro ambulanti in ordine ad motum, quia sicut libere ambulat, ita libere movetur : similiter : *album esse nigrum est impossibile* est modalis composita et vera, quia impossibilitas prædicatur de toto hoc composito, album esse nigrum; quasi dicerem, hæc propositio, album est nigrum, est impossibilis; hæc vero : *album impossibile est esse nigrum* est modalis divisa et

falsa, quia impossibilitas prædicatur de subjecto, quod est album ; quasi dicerem, dum est album non habet potentiam ad nigredinem, quod est falsum. Denique ista : *album esse nigrum est possibile* est modalis composita et falsa, quia possibilitas prædicatur de toto hoc composito : *album esse nigrum* quasi dicerem, hæc propositio : *album esse nigrum est possibilis* quod tamen falsum est : hæc vero : *album possibile est esse nigrum* est divisa et vera, quia possibilitas sive potentia prædicatur de subjecto albo, etiam quando est album in ordine ad ipsam nigredinem, quasi dicerem, album etiam dum est album, habet potentiam ad nigredinem, et simul cum ipsa albedine stat in subjecto albo potentia ad nigredinem, quod verissimum est. Ita in proposito : *voluntatem præmotam non operari est possibile* est composita et falsa, quia possibilitas prædicatur de toto hoc composito, voluntatem præmotam non operari, quasi dicerem : *hæc propositio, voluntas præmota non operatur, est possibilis* : cum enim nunquam sit præmota, quin in eodem instanti operetur, non est possibile simul et semel illam non operari : hæc vero : *voluntas præmota potest non operari* est modalis divisa et vera, quia prædicatur possibilitas non de toto hoc composito, voluntatem præmotam non operari ; sed tantum de voluntate præmota in ordine ad operationem, quasi dicerem : *voluntas præmota imo et operans habet et retinet potentiam ad non operandum* quod verissimum est. Solent tamen Theologi etiam hanc propositionem : *voluntas præmota potest non operari* distinguere, quia quamvis in rigore dialectico faciat sensum divisum ; ad tollendam tamen æquivocationem distinguunt illam, et dicunt esse veram in sensu diviso, et falsam in sensu composito. Hæc fusius explicare libuit ob importunitatem adversariorum.

Probatur sequela. Distinctio illa sensus compositi et divisi bene explicata nihil aliud dicit, nisi, quod voluntas præmota, etiam dum est præmota, retinet potentiam ad non operandum, non necessario operatur, sed cum operatione stat potentia illa ad non operandum, quia illam simul retinet ex vi modi, quo operatur ; hæc enim est vera intelligentia, et explicatio sensus divisi, quamvis præmota voluntas non habeat potentiam ad componendam non operationem vel operationem contrariam cum præmotione, utpote conjuncta in eodem instanti cum operatione, ad quam datur talis præmotio, quæ est vera expiicatio sensus compositi : Atqui, ex dictis in sequela 239 hoc sufficit ad salvandam libertatem : Ergo distinctio sensus compositi et divisi optime salvat libertatem actualem, si vere explicetur.

Sequitur 239. Non valere aliud argumentum, quod contra præmotionem physicam adversarii objiciunt ; scilicet, quod Deus esset auctor peccati, quia præmoveret physice ad peccatum.

239. — 1. 2. q. 79. a. 1. et 2 ; Et locis ibidem citatis.

Probatur sequela. Qui præmovet tantum ad ens ut ens est et bonum, non præmovet ad idem ens, ut habet privationem boni et ut est malum : Sed Deus, ex dictis, præmovet tantum ad ens ut ens est : Ergo non præmovet ad ens ut habens privationem boni, et ut est malum : Causa ergo illius entis ut habet privationem non est Deus efficiens totum, quod bonum est, sed voluntas deficiens ab eo, quod bonum est. Neque hoc argumentum plus urget in ea sententia, quæ docet præmotionem, quam in ea, quæ docet concursum simultaneum ; nam concursus simultaneus, sive Deus per illum est causa totius entitatis in actione mala reperta : nec propterea est causa peccati, quia non est causa illius entitatis ut habet conjunctam privationem boni ; quando enim duo

agentia concurrunt ad eumdem effectum, cuilibet debet assignari ratio in effectu, quæ correspondet propriæ illius causalitati : Sed propriæ causalitati Dei correspondet ens et bonum, malum vero culpæ est extra sphæram causalitatis ejus : Propriæ autem causalitati causæ deficientis correspondet defectus, ut patet : Ergo propriæ causalitati Dei totum bonum, defectus vero totus et purus causalitati secundæ deficientis correspondet.

PARS ALTERA

DE PSYCHOLOGIA

Sequitur 240. Omne illud, quod habet virtutem aliquam activam, debere esse aliquo modo elevatum supra materiam.

Probatur sequela. Quod est activum, est elevatum supra potentiam physicam pure passivam ut est omnino manifestum : Sed, ex dictis in principio, ens in materia est potentia physica pure passiva : Ergo omne illud, quod habet aliquam virtutem activam, est aliquo modo elevatum supra materiam ; elevari autem supra materiam, nil est aliud, quam aliquomodo non dependere ab ipsa materia, sed habere aliquid supra illius conditiones.

Sequitur 241. Quæ virtutem habent aliquam activam tantum instrumentaliter, non esse multum elevata supra materiam.

241. — 4. Cont. gent. c. 2. et sequentibus.

Probatur sequela. Quod plus patitur quam agat, magis ad potentiam passivam spectat quam ad activam, unde parum est elevatum supra materiam : est enim aliquatenus elevatum, quia agit ; et tamen parum, quia magis patitur, quam agat : Sed quæ habent tantum virtutem instrumentalem agendi, magis patiuntur quam agant : agunt quidem, sed parum, cum magis recipiant ; nam instrumentum agit ut motum, ut ostendemus infra : Ergo quæ habent virtutem tantum instrumentalem ad agendum, parum elevantur supra materiam.

Sequitur 242. Gravia et levia non esse multum elevata supra materiam.

242. — 1. p. q. 18. a. 1. ad 2. et q. 105. a. 2 ; 1 2. q. 25. art. 1. ad 2 ; In 2. dist. 14. a. 3 ; 2. Cont. gent. c. 46. et lib. 3. cap. 23 ; De verit. q. 24. a. 1. etc.

Probatur sequela. Quæ tantum habent virtutem instrumentalem agendi non multum sunt elevata supra materiam, ex dictis : Sed gravia et levia habent tantum virtutem instrumentalem agendi, moventur enim per gravitatem et levitatem tanquam per virtutem instrumentalem, ut postea dicemus : Ergo, etc.

Sequitur 243. Alia, quæ habent in se principium principale sui motus, esse multo plus elevata a materia.

243. — 1. p. q. 18. a. 1. 2. et 3 ; 2. 2. q. 179. a. 1 ; In 3 dist. 35. quæst. 1. art. 1 ; In 4. dist. 14. q. 2. a. 3. quæst. 2. et dist. 49. q. 1. a. 2. q. 3. 1 ; Cont. gent. cap. 97 ; De verit. quæst. 4. art. 8 ; De potent. quæst. 10. art. 1.

Probatur sequela. Quia, quæ principaliter agunt, sunt magis activa, quam passiva, quoad hoc, et consequenter sunt magis elevata supra potentiam pure passivam : Ergo, etc.

Sequitur 244. In tantum aliquid est vivens, in quantum est elevatum supra materiam.

244. — 4. Cont. gent. c. 2. et sequentibus.

Probatur sequela. Quod est causa principalis sui motus est multum elevatum supra materiam, ex dictis : Sed in tantum aliquid est vivens,

quatenus est causa principalis sui motus : Ergo in tantum aliquid est vivens quatenus est elevatum supra materiam. *Minor patet*, quia vivere est movere se a principio intrinseco.

Sequitur 245. Animam esse principium principale motus corporis viventis.

245. — Locis superius citatis.

Probatur sequela. Forma, quam habet vivens ut vivens, est principium principale motus ipsius, quia vivere ut sic est moveri a principio principali intrinseco, ut diximus : Sed anima est forma viventis ut vivens est ; nihil enim aliud intelligimus nomine animæ : Ergo anima est principium principale intrinsecum motus ipsius viventis.

Sequitur 246. Optimam esse secundam definitionem animæ traditam ab Aristotele: Anima est principium, quo vivimus, id est, vegetamur, sentimus, movemur, et intelligimus.

246. — 1. p. q. 76. art. 4. et art. 8; Quæst. de spiritu creat. a. 3; Quæst. un. de anima, art. 19. et 10; Lib. 1. de anim. lect. 15.

Probatur sequela. Anima est principium principale intrinsecum motus viventis, ut vivens est : Sed omnis motus viventis ut vivens est, vel est vegetari, vel sentire, vel moveri, sive progredi, vel intelligere : Ergo anima est horum motuum principium et recte per illos definitur.

Sequitur 247. Optimam etiam esse primam definitionem animæ ab eodem traditam.

Probatur sequela. Forma viventis ut vivens est, est *actus corporis organici potentia vitam habentis :* Sed anima est forma viventis ut vivens est : Ergo, etc. *Major explicatur. Actus*, idem est ac forma; *Corporis,* id est, materiæ ut ab eadem forma habet gradum corporeitatis, quia, ex dictis supra, non dantur formæ plures in eadem materia : *Organici,* id est, dispositi ad recipiendam animam, ad quam necessariæ sunt partes corporis dispositæ ad potentias vitales, quæ per ipsam debent operari, et ideo vocantur organa, sive instrumenta animæ : unde dicuntur organicæ : *Potentia vitam habentis,* id est, habentis potentiam activam proximam ad operationes vitales, hoc est, procedentes a principio intrinseco ut causa principali.

Sequitur 248. Tres esse animas.

248. — 1. p. q. 78. a. 1 ; Opusc. 43.

Probatur sequela. Quot sunt formæ substantiales elevatæ supra conditiones materiæ, tot sunt animæ, ex dictis : Sed tantum sunt tres formæ substantiales sic elevatæ : Ergo, etc. *Minor probatur : Prima* forma est, quæ omnino est independens a materia, ejusque conditionibus et qualitatibus, ut *intellectiva. Secunda* est, quæ licet præsuppositive dependeat propter subjectum, formaliter tamen secundum illam operationem, cujus est causa principalis, non dependet, et sic est *sensitiva,* quæ actione sui et organi dependet a quantitate, frigore, calore, et aliis qualitatibus materialibus ; formaliter tamen non dependet ab illis ratione operationum sensuum, quæ ut postea ostendemus exercentur mediis speciebus non autem mediis illis qualitatibus materialibus. *Tertia* est, quæ pendet etiam formaliter a qualitatibus illis materialibus, sed est causa principalis sui motus, in quo elevatur supra materiam, et hæc est *vegetativa*, quæ elicit quidem suas operationes mediis qualitatibus materialibus, ut calore, humiditate, etc. est tamen causa principalis earum. Quia vero modi vivendi attenduntur, non secundum hanc elevationem, sed secundum gradus vivendi, quorum unus sine alio potest existere, et in conchiliis, aliisque affixis videmus sensitivum reperiri sine loco motivo, sive progressivo : idcirco licet sint

tres tantum animæ, sunt tamen quatuor modi vivendi.

Sequitur 249. Animas plantarum et animalium imperfectorum valde dependere a materia.

249. — 4. Cont. gent. c. 2; Locis superius citatis.

Probatur sequela. Animæ, quo imperfectiores sunt, magis dependent a materia : Sed, ex dictis, anima, quæ est tantum vegetativa, est valde imperfecta, sicut et animæ quorumdam animalium, quæ magis appropinquant ad vegetativam : Ergo, etc.

Sequitur 250. Has solas animas vegetativas et sensitivas valde imperfectas, recipere effectum formalem quantitatis.

250. — De potent. q. 3. a. 12. 2; De anima lect. 4; Quæst. un. De anima a. 10; 1. p. q. 76. a. 8.

Probatur sequela. Quæ valde dependent a materia debent recipere effectum formalem primi accidentis materialis, quod est quantitas : Sed istæ animæ valde dependent a materia, ex dictis : Ergo debent recipere effectum formalem quantitatis, quæ est primum accidens materiale ; atque adeo debent esse divisibiles, cum primus et formalis effectus quantitatis sit extendere partes extra partes, ut supra diximus.

Sequitur 251. Quamlibet animam habere potentias sibi proportionatas et connaturales.

251. — 1. p. q. 77. art. 1; 1. 2. q. 110. a. 4; In 1. dist. 3. q. 4. a. 2; In 2. dist. 17. q. 1. art. 2. ad 6; Opusc. 3. c. 89. 90. et 239.

Probatur sequela. Anima debet esse principium principale et connaturale suarum operationum, ex dictis : Sed non potest esse hujusmodi principium immediate per se ipsam, quia, ut ostendemus in secundo principio, nulla substantia creata est immediate per se ipsam operativa : Sed tantum mediis potentiis, quæ necessario debent esse proportionatæ et connaturales ipsi animæ : Ergo, etc.

Sequitur 252. Illas potentias dimanare ab anima, non per veram actionem, sed per resultantiam et naturalem sequelam

252 — 1. p. q. 77. a. 1. et 6. 1. 2. q. 110. art. 4; 3. p. q. 7. a. 2 et q. 62. a. 2. et q. 89. a. 1; In 1. dist. 5. q. 4; In 2. dist. 31. q. 2. a. 1; In 3. dist. 27. q. 2. a. 4. q. 1; Et alibi sæpe.

Probatur sequela. Potentiæ illæ animæ debent aliquo modo procedere ab anima, alias anima non esset principium potentiarum, nec consequenter operationum ab illis elicitarum, quod est contra rationem animæ, ut ostendimus : Sed non possunt hæ potentiæ procedere ab anima per veram actionem, quia anima est substantia, quæ non est immediate operativa, ut jam dictum est, et probabitur in secundo principio : Ergo, cum nullus alius supersit modus, debent ab illa procedere per resultantiam, id est, per sequelam naturalem in quantum agens producens formam debet etiam producere, quæ ad formam necessario consequuntur, ita ut per eamdem actionem, per quam producit formam primario, producat secundario potentias, quæ ideo dicuntur connaturales, quia simul cum natura producuntur.

Sequitur 253. Unam potentiam dimanare ab anima, mediante alia potentia.

253. — 1. p. q. 77. art. 7. et quæst. 78. a. 4. ad 3; In 1. dist. 3. q. 4. a. 3; In 2. dist. 24. q. 1. a. 2; De verit. q. 14. a. 5. et q. 25. a. 6.

Probatur sequela. Dimanare est simul et semel produci secundario ex naturali sequela, ex dictis : Sed una potentia simul et semel producitur cum anima et alia potentia ex naturali sequela, sicut ostendemus et patet de appetitu, qui naturali sequela sequitur ad potentiam cognoscitivam : Ergo, etc.

Sequitur 254. Potentias radicatas in eadem anima, posse se mutuo juvare vel impedire in suis operationibus.

254. — 1. 2. q. 12. art. 3; et q. 37. a. 1. et q. 77. a. 1; 3. p. q. 46. a. 7; De Verit. q. 13. art. 3. et q. 26. a. 3. et 9; De malo q. 3. a. 9. et q. 15. a. 4; Quodl. 11. a. 5; Q. de anima. art. 4.

Probatur sequela. Operans limitatum maxime intentum uni operi non potest ita bene alteri vacare, ut patet: Sed, ex dictis, anima est operans limitatum, cum recipiatur in materia tanquam forma, et operatur per potentias, ut dictum est: Ergo anima operans intense per unam potentiam impeditur ab operatione alterius potentiæ; similiter agens habens plures virtutes unitas et affines ac similes, quando operatur per unam, potest aliquando juvari ab alia: Sed anima operatur per potentias in se ipsa unitas et affines: Ergo, etc.

Sequitur 255. Potentias illas esse proprietates animæ.

255. — In 1 dist. 3. q. 4, a. 1; In 3. dist. 27. q. 1. a. 1; De verit. q. 22. a. 3.

Probatur sequela. Quæ consequuntur necessario formam, sunt proprietates formæ; conveniunt enim omni, soli, et semper: Atqui, ex dictis, hæ potentiæ consequuntur necessario formam: Ergo, etc.

Sequitur 256. Illas potentias esse per se primo ordinatas ad operationes proportionatas animæ.

256. — 1. p. q. 19. a. 3; De Verit. q. 25. a. 1.

Probatur sequela. Quod ponitur in aliquo, ad hoc præcise, ut sit immediatum principium operationum, ordinatur per se primo ad illas operationes; quia sunt finis primus et proximus, ut dicemus in tertio principio: Atqui, ex dictis, hæ potentiæ ponuntur in anima, ut sint principia immediata operationum: Ergo hæ potentiæ per se primo ordinantur ad operationes.

Sequitur 257. Potentias illas distingui et specificari ab objectis formalibus, circa quæ operationes versantur.

257. — 1. p. q. 1. a. 3. et q. 59. a. 2. et 4. et q. 77. a. 3; 1. 2. q. 54. a. 2. et q. 57. a. 2; 2. 2. q. 59. a. 2; In 1. dist. 17. q. 2. a. 4. et dist. 44. q. 1. a. 1; In 2. dist. 24. q. 20. a. 2; In 3. dist. 24. a. 1. q. 1. et dist. 26. q. 2. art. 3; Quæst. 1. De Verit. q. 15. a. 2. et q. 22. a. 10; De potent. quæst. 9. a. 9. etc.; 2 De anima. lect. 4; Quæst. un. de anima. art. 22.

Probatur sequela. Quod per se primo ordinatur ad aliud, distinguitur et specificatur ex ordine ad illud, ut dicemus in tertio principio: Sed, ex dictis, illæ potentiæ per se primo ordinantur ad operationes, et operationes ad objecta ex eadem ratione: Ergo potentiæ specificantur et distinguuntur per ordinem ad operationes; non secundum rationem materialem, quia ratio materialis non dat speciem; sed secundum rationem formalem.

Sequitur 258. Potentias illas esse vitales.

258. — In 3. dist. 17. q. 1. a. 1; De verit. q. 22. a. 3.

Probatur sequela. Potentia ordinata ad operationes vitales est vitalis, quia specificatur ab operatione, ex dictis: Sed potentiæ animæ ordinantur ad operationes vitales, ut est evidens, ex dictis: Ergo potentiæ illæ sunt vitales.

Sequitur 259. Potentias illas vitales duo per se primo respicere, scilicet principium, a quo dimanant, et operationes atque objecta, circa quæ versantur.

259. — 1. p. q. 77. a. 1; 1. 2. q. 83. a. 2. etc.

Probatur sequela. Quod est connaturale alicui ut sic, per se primo respicit id, cui est connaturale, et quod est connaturale alicui in ordine ad aliud, per se primo respicit illud, ad quod ordinatur, ut ostendemus in tertio principio: Sed, ex dictis, potentiæ istæ vitales sunt connaturales

animæ in ordine ad operationes et objecta, circa quæ versantur : Ergo per se primo respiciunt utrumque, animam scilicet, a qua dimanant, et operationes et objecta, circa quæ versantur.

Sequitur 260. Has potentias vitales ut proprietates, per se primo respicere animam; et ut virtutes activas, per se primo respicere suas operationes.

260. — Locis supra allegatis.

Probatur sequela. Nihil potest per se primo respicere duo sub eadem ratione, ut dicemus in tertio principio : Sed istæ potentiæ vitales per se primo duo respiciunt : Ergo illa respiciunt sub diversa ratione : Sed ratio proprietatis ut sic, respicit per se primo principium, a quo dimanat : virtus autem activa respicit per se primo operationes proprias et objecta : Ergo, etc.

Sequitur 261. Potentias istas vitales tam intrinsecum dicere ordinem ad animam, a qua dimanant, ut non possint separari ab illa.

261. — Ex locis citatis.

Probatur sequela. Proprietas vitalis in hoc differt a non vitali, quod vitalis non possit separari a principio radicali vitæ : Sed, ex dictis, hæ potentiæ sunt proprietates vitales : Ergo, etc. *Major patet ex dictis;* Quia operatio vitalis debet effective procedere a principio radicali vitæ ut causa principali, cum in hoc consistat ratio vitalitatis, ex dictis : Sed a proprietate vitali debet semper procedere operatio vitalis, alias esset potentia vitalis, ut supponitur, et non esset; quia ab ea non posset procedere operatio vitalis : Ergo a potentia vitali debet semper procedere operatio vitæ, ita ut sit a principio radicali vitæ tanquam a causa principali : Cum ergo sola potentia separata non sit causa principalis, nec sit radicale principium vitæ, sed sola anima, non poterit potentia vitalis esse separata ab anima.

Sequitur 262. Non posse dari intellectum separatum, ut fingebat Averroes.

262. — 1. p. q. 76. a. 2. et q. 79. art. 5. et q. 117. a. 1. et q. 118. art. 2; 1. 2. q. 50. a. 4; In 7. dist. 17. q. 1. a. 1. et dist. 19. art. 1; Et distin. 28. art. 5; 2. Contra gent. cap. 58. 72. 74. et 75; De potent. quæst. 3. art. 10; Opusc. 3. cap. 85. et 86; Opusc. 16.

Probatur sequela. Nulla potentia vitalis potest esse separata a radicali principio vitæ, ex dictis : Sed, ut statim ostendemus, omnis intellectus est potentia vitalis : Ergo nullus intellectus potest esse separatus a radicali principio vitæ, quod est anima.

Sequitur 263. Nullam potentiam vitalem posse operari extra proprium et per se specificativum objectum.

263. — De Verit. q. 20. a. 2.

Probatur sequela. Nullum agens respiciens per aliquam virtutem per se primo aliquod objectum potest extra illud principaliter operari : Sed omnis anima, mediante potentia, respicit per se primo aliquod objectum particulare, ut circa illud operetur principaliter : Ergo nulla anima mediante aliqua potentia vitali poterit operari extra proprium et specificativum objectum hujusmodi virtutis

Sequitur 264. Actus vitales creatos non posse a solo Deo immediate produci.

Probatur sequela. Quod, ut proprietas, dicit intrinsecum et essentialem ordinem per se primo ad aliquam causam efficientem, non potest ab ulla alia causa produci; alias produceretur sine tali ordine, nisi forte ille ordo possit suppleri, quo casu non erit per se primo a tali causa : Sed actus vitales, ex dictis, dicunt per se primo ordinem essentialem ad animam, ut causam principalem : Ergo non possunt a tali ordine absolvi : Atqui si producerentur a solo Deo

absolverentur a tali ordine : Cum ergo hoc sit impossibile, non possunt a solo Deo produci. Nec dicas talem ordinem posse suppleri; nam essentialis ordo ad principium conjunctum radicali principio vitæ non potest suppleri, quia per modum causæ formalis tribuit vitalitatem : ordo autem causæ formalis non potest suppleri a Deo, unde Deus non potest facere album sine albedine : Ergo etiam non potest facere vitale sine vitalitate : vitalitas autem est ordo ad principium radicale vitæ conjunctum principio proximo operanti, quia vivere est moveri a principio intrinseco, ut supra diximus.

Sequitur 265. Animam, potentiam, operationem vitalem et objectum habere inter se proportionem.

265. — 1. p. q. 77. a. 1; 1. 2. q. 83. a. 2. et q. 110. art. 4. et alibi.

Probatur sequela. Quia, quæ se mutuo respiciunt, habent inter se proportionem, ut patet : Atqui prædicta quatuor, ex dictis, se mutuo respiciunt; nam potentia respicit animam, et operationem : anima respicit quodammodo potentiam, operatio respicit potentiam et objectum : objectum, licet ut res quædam non respiciat operationem, tamen ut objectum, formaliter illam respicit, ut est evidens ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 266. Objectum cujuslibet potentiæ vitalis æque fere debere esse, aut fieri immateriale, ac est immaterialis ipsa potentia et operatio; et potentiam atque operationem æque debere esse immaterialem sicut et animam, et e contra.

266. — Iisdem locis.

Probatur sequela. Quæ debent esse proportionata et veluti mutuo se specificantia, debent esse aut fieri æque immaterialia; alias non haberent sufficientem proportionem : Atqui hæc, ex dictis, debent esse proportionata : Ergo, etc.

Sequitur 267. Objectum operationis potentiæ intellectivæ debere esse magis immateriale objecto sensitivæ, ut et objectum hujus objecto vegetativæ.

267. — 1. p. q. 1. a. 1. ad 2. et q. 59. a. 4; Et q. 77. a. 3. et q. 78. a. 1; In 3. dist. 33. q. 1. a. 1. q. 1; De pot. q. 2. a. 6.

Probatur sequela. Objectum operationis et potentiæ vitalis debent esse ejusdem immaterialitatis, ex dictis : Sed, ex dictis, anima et potentia intellectiva est immaterialior sensitiva, et hæc est immaterialior vegetativa : Ergo, etc.

Sequitur 268. Objectum potentiæ intellectivæ esse universalius objecto sensitivæ, et hoc esse universalius objecto vegetativæ.

Probatur sequela. Quo aliquid est immaterialius, est universalius; quia materia limitat, ut diximus : Sed objectum potentiæ intellectivæ est immaterialius objecto sensitivæ, etc. Ergo, etc.

CAPUT I

De anima vegetativa.

Sequitur 269. Objectum potentiæ vegetativæ esse magis limitatum.

269. — Iisdem locis.

Probatur sequela. Quia, ut diximus, est minus universale : sicut ergo ipsa potentia vegetativa est quidem vitalis, et movet se ex se principaliter, dependet tamen a qualitatibus materialibus, ut diximus, ita objectum ipsius erit hujusmodi, ut ipsa circa ipsum principaliter operari possit dependenter a qualitatibus materialibus.

Sequitur 270. Objectum potentiæ vegetativæ esse proprium corpus, quod informat anima vegetativa, vel aliud simile in specie.

270. — 1. p. q. 78. a. 1. et 2. et q. 79. a. 2

Probatur sequela. Objectum potentiæ vegetativæ est corpus, circa quod

potest principaliter operari mediantibus qualitatibus materialibus : Sed illis mediantibus non potest operari, nisi circa proprium corpus, vel simile in specie : Ergo, etc.

Sequitur 271. Tres esse tantum potentias vegetativas proprie.

271. — 1. p. q. 78. a. 2; 4. Contra gent. c. 58; Quæst. de anima. a. 13.

Probatur sequela. Tot sunt potentiæ vegetativæ, quot sunt necessariæ, ut anima vegetativa possit in corpus proprium, vel simili in specie operari : Atqui sunt tantum tres potentiæ, nimirum duæ, quibus in proprium corpus operatur, scilicet *nutritiva*, qua quod deperditur per calorem naturalem reparetur, et *augmentativa*, qua proprium corpus ad debitam quantitatem operationi vitali necessariam perveniat; hanc enim quantitatem non habet corpus vivens ab initio, utpote productum per semen, quod est quid minimum respectu corporis viventis. Tertia vero potentia est, qua in corpus simile operetur illud producendo, et hæc est *generativa*.

Ex his habes potentiam nutritivam, augmentativam, et generativam non esse calorem, aut temperamentum primarum qualitatum, quod etiam docet D. Thom. *1 p., q. 78., a. 1., ad 1. et 118., a 1. ad 3.*

Sequitur 272. Nutritionem esse reparationem humidi radicalis deperditi per caloris naturalis actionem.

272. — 1. p. q. 78. a. 2. et q. 97. a. 4; In 2. dist. 30. q. 2. a. 1; In 4. dist. 12. q 3. a. 1. quæst. 1; 5. Metaph. lect. 5.

Probatur sequela. Prima operatio potentiæ vegetativæ est reparatio humidi radicalis : Sed nutritio est prima operatio, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 273. Nutritionem præsupponere alias operationes : scilicet, sumptionem alimenti, retentionem, digestionem, concoctionem, et distributionem.

273. — 3. p. q. 74. art. 5; In 4. dist 11. q. 2. a. 3. quæst. 3. et dist. 43. a. 4 q 1. 2. 2. q. 148. art. 1. ad 3; De malo. q. 14. a. 1. ad 4; Quodl. 4. a. 21. c. 1; Opusc. 35.

Probatur sequela. Reparatio humidi radicalis has omnes actiones præsupponit; alias enim non posset reparari : Sed nutritio est reparatio humidi radicalis : Ergo has omnes actiones præsupponit. De his medici. Nota solum has operationes non exigere diversas potentias, quia sunt operationes per se ordinatæ ad unam, et ideo per eamdem potentiam elici possunt.

Sequitur 274. Nutritionem adæquate esse alterationem, qua materia cibi disponitur ad introductionem animæ jam præexistentis in eam.

274 — 1. p. q. 119. a. 1; In 2. dist. 30. q 2. a. 1; In 4. dist. 44. q. 1. a. 2. q. 4; 1. De gen. cap. 5.

Probatur sequela. Reparatio humidi radicalis est adæquate alteratio, qua materia cibi disponitur ad introductionem animæ ipsius viventis : Sed nutritio est reparatio humidi radicalis : Ergo, etc.

Sequitur 275. Nutritionem fieri medio calore naturali, tanquam instrumento.

275. — 1. p. q. 78. a 1; In 2. dist. 1. q. 1. a. 4. ad 5; Lib. 1. de anima. lect. 14. et lib. 2. lect. 9.

Probatur sequela. Omnis alteratio fit mediante aliquo alterante, et alteratio in viventibus fit eo mediante, quod est maxime alterativum : Sed nutritio est alteratio cibi in viventibus : Ergo debet fieri mediante eo, quod est maxime alterativum : Hoc autem est calor, ut constat : Sed calor non potest ex se, ac principaliter facere nutritionem, quatenus est dispositio ad formam substantialem vi-

ventis introducendam; hoc enim excedit vim cujuslibet accidentis : Ergo calor ad hoc pertinget tantum instrumentaliter.

Sequitur 276. Nutritionem etiam fieri mediante subjecto caloris, hoc est, sanguine et spiritibus vitalibus, qui sunt quidam radii sanguinis tenuissimi, in quibus est maximus calor.

276. — Ibidem.

Probatur sequela. Calor non potest esse sine subjecto, ut diximus supra, cum sit accidens : Sed, ex jam dictis, nutritio fit mediante calore : Ergo fit mediante calore existente in subjecto : Sed illud subjectum debet etiam concurrere ad nutritionem; quia calor, cum sit accidens, non habet ex se producere substantiam, alias operaretur extra sphæram activitatis, quod in tertio principio ostendemus impossibile : Ergo convenientissime fit per sanguinem et spiritus vitales ut subjectum caloris, qui spiritus formantur in corde ex sanguine purissimo, et aere, de quibus ad medicos.

Ex his habes sanguinem esse duplicem : Alium, qui est imperfectus, et dicitur nutrimentalis : Alium, qui est perfectus, et dicitur naturalis. Nutrimentalis est ille, qui nondum perfecte decoctus, est materia, ex qua fit nutritio in animalibus : Naturalis vero est ille, qui una cum spiritibus est subjectum caloris vitalis, et instrumentum, aut organum ad nutritionem, sive conversionem cibi in substantiam aliti.

Sequitur 277. Sanguinem naturalem esse animatum anima, qua est animatum animal.

277. — D. Thom. 3. p. q. 44. a. 2. et q. 54. a. 2 et q. 76. a. 1; Et in 4. dist. 44. q. 1. a. 2. q. 3. ad 3.

Probatur sequela. Organum conjunctum sive instrumentum substantiale ad actionem vitalem debet esse animatum anima totius, alias non posset esse instrumentum vitale, ut constat : Sed sanguis naturalis, ex dictis, est instrumentum, sicut et spiritus sunt instrumentum vitale ad actiones vitales : Ergo sanguis naturalis est animatus.

Sequitur 278. Verbum divinum assumpsisse sanguinem naturalem.

278. — D. Thom. ibidem.

Probatur sequela. Quidquid fuit animatum anima rationali in humana Christi natura, fuit assumptum a Verbo divino; quia, ut dicemus in secundo principio, Verbum divinum assumpsit naturam humanam integram exclusa subsistentia : Atqui sanguis naturalis est animatus anima rationali in homine, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 279. Sanguinem naturalem, qui erat in Corpore Christi tempore Passionis, fuisse reassumptum totum in Resurrectione.

Probatur sequela. Totum, quod erat de integritate naturæ humanæ, et unitum divinitati, fuit reassumptum in Resurrectione, ut dicemus in secundo principio : Sed totus sanguis naturalis fuit de integritate naturæ humanæ, et unitus divinitati : Ergo, etc.

Sequitur 280. Idem dicendum de tribus aliis humoribus, videlicet utraque bili flava, et atra, et de phlegmate.

280. — Ibidem.

Probatur sequela. Iisdem rationibus distinguendo similiter flavam, et atram bilem, et phlegma in humorem excrementitium et naturalem.

Sequitur 281. Semen et lac non esse animata.

281. — D. Thom. De Pot. q. 3. art. 9. ad 9.

Probatur sequela. Quia non sunt instrumenta et organa conjuncta.

Sequitur 282. Dentes, capillos, et ungues esse animatos.

282. — D. Thom. In 4. dist. 44. q. 1. a. 2. q. 2.

Probatur sequela. Quia et ista habent nutritionem et augmentationem per intrasusceptionem.

Sequitur 283. Augmentationem esse actionem, qua vitaliter producitur in vivente major quantitas.

283. — Lib. 1. de gent. cap. 5. lect. 11.

Probatur sequela. Potentia augmentativa, ex dictis, ponitur in vivente, ut acquirat quantitatem sufficientem ad exercendas suas operationes, quam non habet a principio suæ generationis : Sed augmentatio est operatio virtutis augmentativæ, ut constat : Ergo, etc. Hoc autem fit quando calor naturalis viget, et de materia cibi plus convertit in materiam aliti, quam depereat, eo quod calor ille agendo, minus repatitur, et est magis connaturalis, quod contingit usque ad tertium septenarium completum.

Sequitur 284. Augmentationem viventium per hoc differre ab augmentatione non viventium, quod illa fit per intussusceptionem, id est, quia materia augmenti intra ipsum recipitur vivens, et ibi alteratur per actionem præcedentem ab ipso vivente principaliter : augmentum vero non viventium fit per juxtapositionem, id est, quod juxta præexistentem materiam non viventis additur materia alterius per actionem alterius agentis.

284. — 1. De gener. lect. 17 ; In 4. dist. 12. q. 1. a. 2. q. 7 ; Quæst. un. De anima art. 13. ad 15.

Probatur sequela. Quia per hoc differt vivens a non vivente, quod vivens seipsum movet principaliter ; non vivens autem non se movet principaliter, atque adeo vivens augmentatione vitali seipsum movet principaliter ad majorem quantitatem : Atqui non potest seipsum movere principaliter ad majorem quantitatem, nisi habeat intra se materiam, ex qua educat majorem illam quantitatem ; quia, ut alias probabimus, non datur actio in distans, et quia, cum actio vitalis maneat in ipso vivente aliquatenus, debet materia aliquo modo esse intra ipsum vivens, et sic augmentatio fit in viventibus per intussusceptionem : in non viventibus autem per juxtapositionem ob contrariam rationem.

Sequitur 285. Terminum formalem augmentationis esse majorem quantitatem vitaliter et principaliter a vivente in seipso productam.

285. — D. Thom. 2. De anima. c 4. lect. 9. lib. 1 ; De generat. cap. 5. lect. 6. et 7.

Probatur sequela. Terminus, ad quem per se primo ordinatur potentia, est etiam terminus formalis operationis illius potentiæ, cum habeant eumdem terminum et objectum : Sed potentia augmentativa habet pro termino formali ipsam quantitatem ut vitaliter in ipso vivente productam : Ergo et operatio sive augmentatio.

Sequitur 286. Augmentationem non fieri sine nutritione.

Probatur sequela. Non potest major educi quantitas, nisi adjuncta nova materia, quæ majorem exigit quantitatem, quia materia est radix quantitatis, ut diximus : Sed per ipsam augmentationem producitur major quantitas, ex jam dictis : Ergo debet simul cum augmentatione adjungi materia nova exigens quantitatem majorem : Sed hæc materia non potest adjungi sine nutritione, ut patet ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 287. Nutritionem et augmentationem esse actiones et mutationes realiter distinctas.

287. — D. Thom. 5. Phys. lect. 16. et locis antea citatis.

Probatur sequela. Actiones, quarum termini formales et per se primo specie distinguuntur, debent specifice et realiter esse distinctæ : Sed nu-

tritio et augmentatio sunt actiones et mutationes, quarum termini per se primo specie distinguuntur ; nam nutritio per se primo terminatur ad introductionem formæ viventis in materia alimenti : augmentatio vero per se primo terminatur ad majorem quantitatem : Ergo hæ actiones et mutationes specifice ac realiter distinguuntur.

Sequitur 288. Nutritionem et augmentationem fieri in vivente secundum omnes suas partes proportionaliter.

288. — Lib. 1. De gen. text. 33. lect. 14 ; In 1. dist. 17. q. 2. a. 1.

Probatur sequela. Nutritio est actio introductiva formæ viventis in materiam alimenti, et ipsa augmentatio est productio majoris quantitatis : Sed hæc introductio et hæc productio majoris quantitatis fit secundum omnes partes proportionaliter : Ergo nutritio et augmentatio fit secundum omnes partes proportionaliter. *Minor patet* experientia.

Sequitur 289. Nutritionem et augmentationem esse successivas.

289. — D Thom. lib. 1. de gen. lect. 11. et 16 ; 3. p. q. 33. a. 1.

Probatur sequela. Motus, qui fit per partes indeterminatas, est successivus, ex dictis : Sed nutritio, et augmentatio fiunt per partes indeterminatas ; nam non introducitur forma vi præcedentis alterationis, sicut nec quantitas primo in parte aliqua determinata, sed solum indeterminata : Ergo, etc. Quare in generatione substantiali, quantitas producitur ad modum substantiæ, sed in augmentatione, producitur ad modum quantitatis.

Sequitur 290. Augmentationem non fieri toto tempore vitæ, bene autem nutritionem.

290. — D Thom. 3. de anima. text. 59. et lib. 1 ; De gener. text 41 ; 2. 2. quæst. 147. a. 4. ad 2 ; In 2. dist. 30. q. 2. a. 1. ad 5.

Probatur sequela. Productio majoris quantitatis non fit toto tempore vitæ, bene autem introductio formæ viventis in materiam alimenti : Sed augmentatio est productio majoris quantitatis, et nutritio est introductio formæ viventis in materiam ipsius alimenti, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 291. Vivens manere idem toto tempore augmenti.

291. — 1. De gen. text. 3. lect. 14.

Probatur sequela. Generatio per hoc distinguitur ab augmentatione et nutritione, quia in istis forma eadem præexistens introducitur in novam materiam : in generatione vero nova forma producitur, ex dictis : Sed hoc sufficit, ut vivens maneat idem : Ergo, etc.

Sequitur 292. Potentiam nutritivam et augmentativam per totum corpus viventis esse diffusam.

292. — Locis supra citatis.

Probatur sequela. Potentia nutritiva, et augmentativa est ubicumque est ipsa nutritio et augmentatio ; potentia enim, præsertim vitalis, debet esse conjuncta quodammodo suo actui : Sed nutritio et augmentatio fit secundum omnes partes, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 293. Generationem viventium differre a generatione non viventium.

293. — 1. p. q. 118. art. 2. et alibi sæpe.

Probatur sequela. Actio vitalis differt a non vitali, ex dictis : Sed generatio viventium est actio vitalis, ex dictis, et generatio non viventium est actio non vitalis : Ergo differunt. Sicut ergo omnis actio vitalis debet esse a principio aliquomodo conjuncto, ita et generatio viventium : et quia generatio viventium, ut diximus, est a principio intrinseco et est in corpus simile in specie, consequens est, ut generatio viventium sit processio viventis a vivente conjuncto (scilicet in principio generationis) in similitudinem naturæ specificæ : In viventibus ergo principium generatio-

nis est in ipso generante, quo movetur ipsum generans : in non viventibus principium est quidem intrinsecum generanti, sed quo movetur ; non generans, sed materia generandi. De actionibus autem hujus potentiæ ad medicos.

Sequitur 294. Animalia quædam imperfectissima non habere virtutem generativam.

294. — 1. p. q. 41. a. 8. et q. 70. art. 3. et q. 71. a. 1. et q. 91. art. 2. et alibi sæpe.

Probatur sequela. Imperfectissima potentia convenit rebus imperfectissimis ; quia talis est potentia, qualis est ipsa res, cujus est potentia : Sed potentia generativa est perfectissima in potentiis vegetativis, utpote potentia ad bonum speciei ordinata ; cæteræ vero potentiæ vegetativæ sunt valde imperfectæ : Ergo hæ potentiæ conveniunt illis imperfectis, non autem illa.

Sequitur 295. In vivente vita sensitiva tot ponendas esse potentias, quot illa anima sensitiva exigit connaturaliter, et quot sunt objecta formalia diversa ; ac primo quidem potentiam sensitivam et appetitivam.

295. — 1. p. q. 77. a. 1. et q. 110. a. 4 ; De spirit. creat. a. 11 ; De anima a. 1 ; Opusc. 3. cap. 158.

Probatur sequela. In quolibet vivente tot sunt constituendæ potentiæ, quot exigit ipsius anima, et quot sunt objecta formalia, ex dictis : Atqui anima sensitiva exigit potentiam sensitivam et appetitivam, et objecta formalia sensus et appetitus sunt diversa : Ergo, etc. *Probatur minor :* Anima sensitiva exigit per se primo potentias, quibus percipiat et prosequatur vel fugiat objecta necessaria ad sui conservationem, quæ objecta ut perceptibilia, et ut convenientia vel ut disconvenientia sunt formaliter diversa ; aliud enim est percipere, et aliud est esse conveniens : Ergo debent in anima sensitiva constitui sensus, quibus percipiat, et appetitus, quibus prosequatur.

Sequitur 296. Potentiam locomotivam activam non esse distinctam a potentia sensitiva et appetitiva.

296. — De potent. q. 3. a. 11. ad 20.

Probatur sequela. Quia potentia locomotiva non est, nisi ut vivens sensitivum possit prosequi et fugere objecta sensibilia : Sed, ex dictis, hoc fit per sensitivam et appetitivam : Ergo non datur locomotiva activa, sed tantum passiva.

CAPUT II.

De anima sensitiva.

Sequitur 297. In vivente vita sensitiva animali debere constitui sensus externos et internos, id est, potentias sensitivas habentes organa externa, quibus immediate percipiant objecta ad extra posita, et alias, quæ habeant organa intra ipsum corpus, quibus percipiant objecta, quæ immediate non possunt percipi per externos.

297. — 1. p. q. 78. a. 3. et 4 ; In 2. dist 2. q. 2. a. 2. ad 5 ; Quæst. un. De anima art. 13 ; 3. De anima lect. 7.

Probatur sequela. Quia alias animal non haberet sufficientes potentias ad percipienda convenientia et disconvenientia, puta differentias sensibilium etiam absentium, et alia, de quibus postea : hæc enim non possunt percipi per sensus externos, ut postea ostendemus.

§ 1. De sensibus externis.

Sequitur 298. In animali (si sit perfectum) posse ac debere constitui quinque sensus externos, tactum, gustum, olfactum, auditum, et visum.

298. — Locis citatis.

Probatur sequela. In animali tot debent constitui sensus externi, quot

sunt necessarii ad hoc, ut percipiat objecta convenientia vel disconvenientia, quæ immediate possunt ad extra percipi, ex dictis : Sed isti quinque sunt necessarii ; animal enim est quoddam mixtum, et est vivens et est sensitivum, in quantum mixtum debet percipere quatuor primas qualitates, calorem, frigus, humiditatem, et siccitatem ; quia istæ si superexcederent læderent ipsum, imo et destruerent : Et ex consequenti debet etiam percipere qualitates, quæ consequuntur immediate ex permixtione eorum, quæ sunt minus activa inter istas ; quales sunt humidum et siccum, ex quarum permixtione oritur durum et molle : et has omnes percipit per sensum tactus. Secundo anima debet posse percipere, quæ necessaria sunt ad vitam vegetativam, ad quam est necessarius cibus, et sic debet poni in animali gustus ad percipiendum ciborum sapores, qui oriuntur ex permixtione humidi aquei, et sicci terrestris cum calore decoquente : Quod si calor externus agens exhalet ex humido aqueo vel aereo, cum siccitate continente fit odor, quo etiam percepto animalia quærunt cibum ; debet ergo etiam poni odoratus : Et quia animal etiam, potest lædi vel adjuvari ex motu et collisione duorum corporum, præsertim quando dura sunt, idcirco debet poni auditus ad percipiendum sonum, qui est qualitas ex motu et collisione duorum corporum orta : Denique, quia etiam ex colore et luce potest adjuvari ad quærenda necessaria, debet constitui visus circa lucem, et colorem.

Hæc vero distinctio sensuum etiam peti potest, ex objectis : nam in primis quatuor primæ qualitates, et quæ ex duabus earum minus activis consequuntur immediate, ut sunt durum, et molle, sunt magis quodammodo materiales ; unde modo etiam minus immateriali percipiuntur, atque adeo connaturaliter exigunt physicam alterationem, ut percipiantur : et ad hoc ponitur tactus, qui inter sensus est magis materialis. Sapor vero habet aliquid magis immateriale, in quantum præexigit quidem tactum, ut percipiatur ; sed formaliter percipitur modo magis immateriali et independenter ab illis primis qualitatibus : Et similiter odor. Sonus etiam et oritur ex aliquo magis elevato supra materiam, scilicet motu, qui convenit etiam nobilissimis corporibus non habentibus illas primas qualitates, et percipitur modo quodam magis immateriali. Denique lux est nobilissima inter qualitates materiales et omnino independens a quatuor illis primis qualitatibus, atque adeo est nata percipi modo pene omnino immateriali.

Sequitur 299. Quemlibet sensum habere quamdam universalitatem.

299. — Ex locis supra adductis.

Probatur sequela. Quod habet aliquam immaterialitatem, habet etiam universalitatem et veluti indifferentiam, ex dictis supra : Sed quilibet sensus habet quamdam immaterialitatem, ut vidimus : Ergo habet etiam quamdam universalitatem et veluti indifferentiam, in quantum secundum se consideratus, non est magis determinatus ad percipiendum hoc objectum, quam aliud intra latitudinem sui objecti specificativi.

Sequitur 300. Quemlibet sensum, quando elicit sensationem hujus potius objecti, quam alterius, debere determinari.

300. — 3. De anima, lect. 17.

Probatur sequela. Causa indeterminata et universalis, non procedit in actum determinatum, nisi ab aliquo determinetur, ut ostendemus : Atqui sensus quilibet est causa indeterminata et universalis, ex dictis : Ergo non procedit in actum determinatum, nec percipit hoc objectum potius quam aliud, nisi determinetur.

Sequitur 301. Quemlibet sensum debere determinari modo sibi proportionato.

301. — Ibidem.

Probatur sequela. Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur, ut omnes admittunt : Sed sensum determinari est in sensu aliquid recipi; determinatur enim per aliquid receptum, et sensus determinari debet, ex dictis, atque adeo in sensu debet aliquid recipi : Ergo debet in eo recipi modo proportionato ipsi sensui : Debet ergo quilibet sensus determinari modo proportionato ipsi sensui.

Sequitur 302. Quemlibet sensum debere determinari modo immateriali eo immaterialitatis gradu, quo ipse sensus est immaterialis.

302. — Ibidem.

Probatur sequela. Modus proportionatus sensui est modus immaterialitatis, quem habet sensus; quia, ut diximus, ratio propria vitæ et sensus petitur ex modo immaterialitatis : Sed, ex dictis, quilibet sensus debet determinari modo proportionato ipsi sensui : Ergo debet determinari modo immateriali.

Sequitur 303. Sensum non posse percipere objectum positum supra sensum.

303. — 2. De anima lect. 15. et 23; Quæst. 2. De verit. a. 1; Opusc. 3. cap. 28. et 35.

Probatur sequela. Quilibet sensus, ut sentiat, debet determinari modo immateriali proportionato ipsi sensui, alias non potest elicere sensationem, ex dictis : Sed per objectum positum supra sensum, sensus non determinatur modo immateriali proportionato ipsi sensui; quia objectum ipsum immediate positum supra sensum determinat modo omnino materiali, sicut et ipsum objectum est omnino materiale : Ergo objectum positum supra sensum non potest determinare sensum, ut eliciat sensationem.

Sequitur 304. Reperiri medium in quolibet sensu.

304. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod debet fieri et non potest fieri immediate, fieri debet mediate, sive per aliquod medium : Atqui sensus debet determinari, nec potest determinari immediate per objectum positum supra sensum, ut diximus : Ergo debet determinari per aliquod medium.

Sequitur 305. In quolibet sensu debere esse organum.

305. — Opusc. 3. c. 89. 90. et 239; De Verit. q. 26. a. 9.

Probatur sequela. Eo modo debet sensus esse immaterialis, quo modo ipsa anima, ex dictis supra : Sed anima sensitiva est ita immaterialis, ut tamen sit actus corporis : Ergo etiam sensus debet esse actus alicujus partis corporeæ. Non quidem actus substantialis, quia, ex dictis, non potest duplex actus substantialis esse in eadem materia, et aliunde sensus, cum sit immediate activus, non potest esse substantia, ex dictis : Ergo sensus debet esse actus accidentalis alicujus organi corporei, atque adeo debet esse accidens inhærens alicui parti corporis : Hoc autem vocatur organum.

Sequitur 306. Quemlibet sensum debere habere organum sibi proportionatum, et in quo possit suas operationes exercere.

306. — Ibidem.

Probatur sequela. Accidens connaturaliter non recipitur, nisi in subjecto sibi, quantum fieri potest, proportionato; hoc enim exigit ratio connaturalitatis : Sed, ex dictis, sensus est accidens receptum in organo, in quo debet exercere suas operationes : Ergo, etc.

Sequitur 307. Organum sensus quantum fieri potest debere esse denudatum a qualitatibus sensibilibus, quas percipit sensus.

307. — Ibidem.

Probatur sequela. Sensibile supra sensum positum non facit, imo impedit sensationem, ex dictis supra : Sed qualitates physicæ sunt sensibiles : Ergo positæ supra sensum impedirent sensationem. Ut ergo non impediant, debent non inhærere organo sensus, quantum fieri potest, ut etiam postmodum explicabimus.

Sequitur 308. Quemlibet sensum externum debere determinari ab objecto ad sensationem ipsius.

308. — Locis supra citatis.

Probatur sequela. Tum experientia, tum etiam, quia sensus determinari debet, ex dictis : Sed non potest determinari ad perceptionem hujus objecti potius quam alterius, nisi ex ipso objecto; nam medium præcise non determinat, sicut nec organum : Ergo debet determinari ab objecto ipso.

Sequitur 309. In quolibet sensu debere recipi species, id est, formas quodammodo immateriales et intentionales, quibus sensus determinetur ad eliciendam sensationem et percipiendum hoc objectum potius quam aliud.

309. — 3. De anima lect. 7. et 13; 1. p. q. 125. art. 2. et q. 55. art. 1. et q. 79. a. 2; 3. Contra gent. c. 49.

Probatur sequela. Determinari est actuari et recipere aliquem actum seu formam ; sed, ex dictis supra, quilibet sensus debet determinari ab objecto modo quodam immateriali : Ergo debet recipere aliquem actum, seu formam modo immateriali, sive non modo materiali, quia, ut diximus, sensibile supra sensum positum impedit sensationem, sed modo quodam intentionali : Atqui formæ istæ modo immateriali et intentionali receptæ et determinantes vocantur species, quia sunt veluti imagines objectorum. Ergo, etc.

Sequitur 310. Has species esse per se primo institutas ad repræsentandum objectum proprium cujuslibet sensus.

310. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod est per se primo institutum ad determinandam potentiam cognoscitivam, ut percipiat potius hoc objectum, quam aliud, est per se primo institutum ad repræsentandum : Sed, ex dictis, hæ species sunt per se primo institutæ ad determinandum sensum, ut percipiat hoc objectum, potius quam aliud : Ergo, etc. *Major patet :* Quia non alia ratione species determinat potentiam cognoscitivam ad percipiendum objectum istud potius quam aliud, nisi quatenus aliquomodo repræsentat illud potius quam aliud.

Sequitur 311. Quamlibet speciem esse formalem repræsentationem objecti.

311. — 1. p. q. 12. art. 2; 1. p. q. 35. a. 1. et q. 93. art. 2 68; In 1. dist. 28. quæst. 2. a. 1; In 2. dist. 16. a. 1. 2. 4; 7. Phys. lect. 5; 2. De anima lect. 15. et 20; In 4. dist. 44. q. 2. a. 1. q. 1; 2 Contra gent. c. 98; 3. Contra gent. c. 49.

Explicatur : Formalis repræsentatio est imago formaliter ratione sui, et per se primo repræsentans rem. *Virtualis* est illud, quod ratione cujusdam virtutis facit devenire in cognitionem, sicut imago hominis formaliter repræsentat figuram et lineamenta ipsius : sed vestigium non repræsentat formaliter hominem, sed tantum virtualiter ignem.

Probatur ergo sequela. Quod per se primo institutum est ad repræsentandum, formaliter repræsentat, et non tantum virtualiter : Sed species per se primo institutæ sunt ad repræsentandum, ex dictis : Ergo, etc. *Major probatur.* Quod tantum virtualiter repræsentat, repræsentat ratione alterius, quod ipsi prius competit : illud autem quod ratione sui et per se primo

repræsentat, debet repræsentare formaliter : Sed quod per se primo institutum est ad repræsentandum, repræsentat per se primo ratione sui, et non ratione alicujus alterius per prius ipsi convenientis ; alias non per se primo institutum esset ad repræsentandum, sed per se primo illi competeret illud, ratione cujus prius cogniti faceret devenire in cognitionem alterius : sicut, quia fumus non est per se primo institutus ad repræsentandum, ideo tantum virtualiter repræsentat ratione connexionis, quam habet cum igne ; imago autem depicta in tabella, per se primo instituta est ad repræsentandum, unde formaliter repræsentat : Ergo, etc.

Sequitur 312. Has species recte dici ipsam naturam objecti in esse intentionali.

312. — Iisdem locis, et q. 2 ; De verit. a. 2 ; Quodl. 8. a. 4.

Probatur sequela. Omnis similitudo præsertim formalis fundatur in unitate naturæ ; idcirco enim aliqua dicuntur similia, quia habent eamdem naturam juxta modum similitudinis : Atqui, ex dictis, species quælibet est formalis similitudo et repræsentatio objecti : Ergo habet unitatem naturæ cum objecto.

Sequitur 313. Has species repræsentare etiam sensibilia, quæ vocantur communia.

313. — 1. p. q. 78. a. 3 ; In 4. dist 49. q. 2. a. 2 ; 2. De anima lect. 13. et 3. lect. 6.

Explicatur : Illud, quod aliquomodo sentitur per sensus externos vocatur sensibile : *Tripliciter* autem aliquid sentitur, vel per se primo, tanquam objectum per se primo correspondens alicui sensui, ut color a visu, sapor a gustu, odor ab odoratu, etc. *Secundo* sentitur aliquid non per se primo, sicut figura sentitur a visu et tactu, etc., non per se primo, alias non sentiretur a pluribus sensibus ; quod enim alicui convenit per se primo, nulli alteri convenit. *Tertio* sentitur aliquid per accidens, sicut substantia hominis sentitur a visu, non in quantum est substantia, sed in quantum colorata, quod ei convenit per accidens. Primum sensibile vocatur *proprium*, secundum *commune*, tertium *per accidens* : Quod ergo dicimus est, speciem, per quam repræsentatur sensibile proprium, repræsentare etiam sensibile commune.

Probatur sequela sic explicata : Eo modo aliquid repræsentatur per speciem, quo est sensibile a sensu, ut patet ex dictis ; quia in tantum repræsentatur, in quantum est sensibile : Sed sensibile commune non est sensibile a sensu aliquo particulari, nisi ratione sensibilis proprii ; omne enim sensibile, quod non est proprium et per se primo objectum potentiæ sensitivæ est sensibile ratione sensibilis proprii, ut alias dicemus ; quia nulla potentia attingit aliquid, nisi ratione sui objecti primarii : Ergo sensibile commune attingitur atque adeo repræsentatur ratione proprii, ita ut v. g. figura attingatur a visu ratione coloris.

Sequitur 314. Sensibile commune non posse immittere propriam sui speciem distinctam a specie sensibilis proprii, sed tantum modificare speciem sensibilis proprii.

314. — 1. p. q. 78. a. 3. ad 3 ; 2. De anima lect. 13.

Probatur sequela. Quod non sentitur ratione sui, sed ratione alterius, non immittit ex se speciem distinctam a specie illius, ratione cujus sentitur ; quia, ex dictis, unumquodque in tantum sentitur, in quantum immittit speciem : Sed, ex dictis, sensibile commune sentitur ratione proprii : Ergo, etc. Nec propterea dicas sensibile per accidens, quia sensibile per accidens nullam omnino speciem sui mittit in sensum ; nam quamvis sensibile commune et sensibile per accidens conveniant in hoc, quod utrumque sentitur ratione alterius, est tamen differentia, quia ad sensatio-

nem omnino per accidens est, quod sit vel non sit substantia, unde etiam remota substantia eodem modo fieret sensatio, ut patet in Sacramento Eucharistiæ ante et post consecrationem : sensibile autem commune, saltem aliquod, per se secundo requiritur ad sensationem, quæ etiam variatur pro varietate sensibilis communis; nam, ut patet ex dictis, quantitas, quæ est unum et præcipuum ex sensibilibus communibus ita requiritur, ut sensibile proprium percipiatur, ut nec per potentiam Dei absolutam possit aliquatenus sentiri, v. g. aliquis color videri, nisi supponatur quantitas, quia implicat agens corporeum agere connaturaliter, nisi per contactum corporeum, alias daretur actio in distans : contactus autem corporeus nequit fieri sine quantitate : Atqui objectum sensibile producens sui speciem in sensu est agens corporeum, et aliquo modo materiale, ut patet ex dictis : Ergo implicat ipsum immittere speciem sui in sensum, sine contactu quantitativo medii, per quod species defertur ad sensum.

Sequitur 315. Sensibilia communia esse quinque, motum, quietem, numerum, figuram, et quantitatem.

315. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia hæc modificant sensibile proprium et percipiuntur pluribus sensibus, ut patet : alia vero, quæ possent numerari, ut tempus, unitas, situs, distantia reducuntur ad illa quinque; nam tempus ad motum, unitas ad numerum, situs ad figuram, distantia ad quantitatem reducuntur.

Sequitur 316. Sensum raro et duntaxat per accidens decipi circa sensibile proprium.

316. — 1. p. q. 17. art. 2. et locis ibi notatis.

Probatur sequela. Quod tendit in objectum, prout est in se, et ratione formæ, quæ est agens naturale, raro et duntaxat per accidens potest decipi, quia in naturalibus, quæ sunt per se primo, raro contingit inveniri defectum : Sed sensus tendit per se primo in objectum proprium prout est, et per formam, sive per speciem; quare est agens naturale, ut patet ex dictis : Ergo, etc. Et hinc habes posse frequenter et per se decipi circa sensibile commune.

Sequitur 317. Tanto perfectiorem futurum esse sensum, quanto perfectior fuerit organi complexio, et magis denudata a qualitatibus, quæ sunt objectum sensus.

317. — 2. De anima lect. 13.

Probatur sequela. Quod essentialiter dependet ab aliquo dependentia naturali, non libera, tanto perfectius est, quanto magis est ipsi proportionatum et magis aptum ad operationem ipsius, quia operatio est cujuslibet rei perfectio : Sed sensus dependet essentialiter ab organo, ex dictis; et organum tanto est magis proportionatum ad operationem sensus, quanto est magis denudatum a qualitatibus sensibilibus : Ergo tanto perfectius percipiet sensibile, quanto erit in organo magis proportionato; et eo minus impedietur a sensatione, quo magis denudatum erit organum a sensibilibus.

Sequitur 318. Quando sensibile est nimis intensum, ita ut multum excedat supra sensum, lædere sensum etiam secundum quod recipitur intentionaliter et secundum sensationem.

318. — Quæst. un. De anima a. 8. lib. 2; De anima lect. ultim. lib. 3. de an. lect. 2. et 7.

Explicatur : Non est dubium, saltem in tactu, sensibile posse lædere sensum; si enim calor nimius admoveatur organo tactus, solvit temperiem ejus, et sic lædit etiam sensum; verum etiam ratione speciei sensibilis receptæ in sensu, posse lædere docet Aristoteles *secundo De anima textu* 123 quia ab excellenti sensibili solvitur ratio, id est, proportio, et hoc etiam fieri ratione sensationis dicimus.

Probatur sequela. Passum et receptivum læditur a forma sibi non proportionata, sicut etiam agens corporeum ab actione excedente mediocritatem virium, quia lassatur : Sed sensus est passum a sensibili ratione speciei, et est agens corporeum respectu sensationis : Ergo sensus læditur ab excellenti sensibili ratione speciei, et lassatur in elicienda sensatione supra mediocritatem virium.

Sequitur 319. Organum sensus cujuslibet debere habere aliquam proportionem cum medio.

319. — 2. De anima lect. 19. et 23.

Probatur sequela. Ut fiat sensatio species objecti debent transire a medio in organum, ex dictis : Sed non possunt transire sine aliqua proportione, non enim transeunt sicut aqua transit per canale, sunt enim accidentia, quæ non possunt transire de subjecto in subjectum, ut diximus, sed transeunt per medium; in quod objectum producit hujusmodi accidentia, et mediante illa productione etiam producit in organo prædictas species, quod, ut apparet, non potest fieri sine aliqua proportione medii et organi : Ergo, etc.

Sequitur 320. Organum sensus cujuslibet debere recipere spiritus a cerebro, quos vocant animales, quia deserviunt ad sensationes, quæ sunt propriæ animalis.

320. — Ibidem.

Probatur sequela ex dictis supra : Omnis actio vitalis fit mediante calore et mediantibus spiritibus : Sed sensatio est actio vitalis : Ergo, etc.

Sequitur 321. Organum cujuslibet sensus externi debere esse aliquo modo continuatum cum cerebro.

Probatur sequela. Quod debet recipere aliquod corporeum et materiale ab alio, debet aliquo modo illi continuari vel continuatione proprie dicta vel improprie : Atqui organum sensus debet recipere a cerebro spiritus animales, qui, ut diximus, sunt quid corporeum; sunt enim radii quidam sanguinei, et ut postea dicemus, sensus debet etiam transmittere species proprii objecti ad sensum communem in anteriori parte cerebri residentem : Ergo, etc.

Sequitur 322. In quolibet sensu externo tria esse consideranda : objectum, medium, et organum.

Probatur sequela. Quia his explicatis, ut constat ex dictis, cætera patebunt ; nam explicato objecto explicata manet species, quæ, ut diximus, est similitudo formalis objecti : Explicato autem medio et organo satis patet quomodo fiat sensatio.

Sequitur 323. In quolibet sensu organum saltem inadæquatum debere esse nervum aliquem.

323. — Ibidem.

Probatur sequela. Organum cujuslibet sensus debet aliquo modo continuari cerebro : Sed cerebrum non continuatur, nisi nervis, qui ab eo oriuntur, sicut arteriæ a corde, et venæ ab epate : Ergo, etc.

Sequitur 324. Organum tactus esse nervos per totum corpus animalis per modum cujusdam retis diffusos.

324. — 2. De anim. lect. 23.; Qu. un. de anim. a. 8.; 1. p. q. 76. a. 5. et q. 91. a. 1. ad 3. et a. 3. ad 1; In 4. dist 49. q. 3. a. 5. q. 2; De verit. q. 22. a. 5; De malo q. 5. a. 5.

Probatur sequela. Organum cujuslibet sensus debet esse aliquis nervus, ex dictis : Atqui non potest alius nervus assignari, nisi ille, qui sic diffusus est per totum corpus, quia et hac ratione per totum corpus fit sensatio tactus, et nervus ille, cum sit magis temperatus eo, quod carne est vestitus undique, maxime est aptus ad sentiendum, præsertim cum experientia doceat, partes, in quibus sunt plures nervi, esse magis sensibiles : Ergo, etc.

Sequitur 325. Cutem et carnem non posse esse organum tactus, sed medium.

325. — 2. De anim. lect. 22. et 23; De sensu et sensato lect 5.

Probatur sequela. Sensibile supra sensum positum, sive supra organum sensus, non facit sensationem, saltem directe et per se, ut diximus : Sed sensibile supra cutem vel carnem positum facit sensationem directe et per se, ut patet experientia : Ergo organum tactus non est cutis vel caro, sed nervus; unde partes magis nervosæ melius sentiunt.

Sequitur 326. Organum tactus esse affectum qualitatibus tangibilibus.

326. — 1. p. q. 91. a. 1. ad 3; De verit. q. 22 art. 1. ad 8; Qu. un. de an. art. 8; 2. De anim. lect. 10; De sensu lect. 9; 2. De anim. lect. 23.

Probatur sequela. Omnis pars animalis est mixta, et per consequens est affecta qualitatibus tangibilibus, quia totum animal essentialiter est mixtum : Atqui, ex dictis, nervus qui est organum tactus, est pars animalis : Ergo, etc.

Sequitur 327. Tactum non percipere, nisi solas exuperantias qualitatum tangibilium.

Probatur sequela. Sensibile positum supra sensum, vel etiam inhærens sensui impedit sensationem, saltem secundum illud, quod inhæret, ex dictis : Atqui organo tactus inhærent qualitates tangibiles : Ergo tactus non percipiet illas, nisi secundum exuperantias, id est, secundum excessum, quo qualitates tangibilis objecti excedunt qualitates organi.

Sequitur 328. Unam partem organi tactus posse percipere aliam partem secundum qualitates excedentes, quæ sunt in illa.

328. — 1. p. q. 78. a. 3; Qu. un. de an. art. 13; 2. De anim. lect. 15. et 23.

Probatur sequela. Quia sensus potest percipere exuperantias, ut diximus : Atqui in una parte possunt esse exuperantiæ qualitatum tangibilium supra alteram. Ergo, etc. Et hoc etiam patet experientia.

Sequitur 329. Animal per se secundo debere immutari physice a qualitatibus tangibilibus, ut percipiat illas per sensum tactus.

329. — 1. p. q. 67. a. 1. et q. 78. a. 3; In 2. dist. 24. art. 2. quæst. 2; In 4. dist. 8 q. 1. a. 3. q. 1. et 2. et dist. 9. a. 1. quæst. 1. et dist. 49. q. 3. art. 5. q. 2; De malo. q. 14. a. 4. ad 1; 3. De an. lect. 17; Quæst. un. de anima a. 13.

Probatur sequela. Animal non potest percipere qualitates tangibiles, nisi ipsæ sint præsentes, et immittant sui speciem, ex dictis : Sed non immittunt speciem sine alteratione physica, qualitates enim istæ, calor, frigus, etc., non immittunt speciem sui, nisi aliquo modo alterent, ut etiam experientia constat : Ergo, etc.

Sequitur 330. Posse qualitates tangibiles per absolutam Dei potentiam sentiri absque immutatione physica.

330. — In 4. dist. 50. q. 2. a. 3. qu. 1. et sequentibus.

Probatur sequela. Quod tantum per se secundo, et ut proprietas non vitalis, convenit alicui, potest ab illo separari, ut alias diximus : Sed immutatio physica solum per se secundo convenit qualitatibus tangibilibus : Ergo, etc.

Sequitur 331. Posse illas qualitates tangibiles etiam sine immutatione physica perceptas torquere sensum.

331. — Ibidem.

Probatur sequela. Sensibile excedens potest torquere et lædere sensum, etiam intentionaliter, ut supra diximus : Sed hæ qualitates sensibiles, etiam sine immutatione physica, possunt percipi et afficere intentionaliter, ex jam dictis : Ergo, etc.

Sequitur 332. Corpora damnatorum torqueri in inferno, per qualitates tangibiles in esse intentionali.

332. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia hoc est possibile, ex dictis, et aliunde non possunt torqueri per alterationem physicam; tum, quia cessante motu primi alterantis, quod est cœlum, debet cessare omnis alteratio; tum etiam, quia ad omnem alterationem debet sequi corruptio substantialis; implicat enim alterari physice corpus, v. g. per calorem ut octo, et manere in connaturali dispositione ad animam rationalem; tum denique, quia etiam implicat, summum calorem, et summum frigus, simul et semel alterare physice idem corpus secundum eamdem partem : Hoc autem non repugnat in esse intentionali.

Sequitur 333. Organum gustus esse nervum quem vocant gustatorium, intra carnem linguæ et palati residentem.

333. — De sensu et sensat. lect. 5; Opusc. 43.

Probatur sequela. Organum cujuslibet sensus est nervus aliquis, ex dictis : Sed nullus alius nervus potest assignari, qui sit organum gustus; sunt quidem alii nervi in lingua ad alias functiones, ut ad motum localem, etc. : Sed nervus ille siccus, cum sit denudatus qualitate maxime prædomiuante in sapore scilicet, humiditate, atque adeo ipso sapore, est maxime aptus ad gustum, præcipue in cuspide linguæ : Ergo, etc.

Sequitur 334. Medium in gustu esse carnem, qua obtegitur nervus ille gustatorius.

334. — D. Thom. 2. De anim. lect. 21.

Probatur sequela. Medium debet esse illud, per quod transeunt et deferuntur species ad organum, ut patet ex dictis : Sed species saporum non possunt transire ad organum, nisi per carnem illam linguæ et palati, quæ idcirco spongiosa est : Ergo, etc.

Sequitur 335. Saporem esse objectum gustus.

335. — D. Thom. 2. De anim. lect. 5; et de sensu et sensato. lect. 10.

Probatur sequela. Ad hoc constituitur per se primo gustus in animali, ut ex sapore discernat cibum convenientem, ut diximus supra : Sed illud est objectum sensus, ad quod per se primo sensus ponitur : Ergo objectum gustus est sapor; est autem sapor passio, sive patibilis qualitas a sicco terrestri et humido. De speciebus saporum vide D. Thom. 2. *De an. lect.* 21. *et De sens. et sensato. lect.* 11.

Sequitur 336. Gustum esse quemdam tactum.

336. — 1. p. q. 78. art. 3; 2. De anim. lect. 21. et 22.

Probatur sequela. Quia medium ejus est caro, et nervus intra carnem et organum; et objectum, non nisi applicatum supra carnem, ipsam movet : Atqui hæc omnia sunt similia tactui, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 337. Organum odoratus esse infimam partem nervorum, qui per duo foramina ossis, quod a medicis vocatur cribrum, procedunt; et hæ duæ extremitates sunt intra nasum, quæ sunt fere similes capitibus mamillarum, et idcirco vocantur processus mamillares.

337. — De sensu et sensibili. lect. 5.

Probatur sequela. Organum cujuslibet sensus est aliquis nervus : Sed nullus alius potest designari ad odoratum, nisi iste, qui habet omnia requisita ad perceptionem odoris, nam isti nervi secundum illas extremitates sunt spongiosi, qui dilatantur respiratione, et retentione respirationis restringuntur; et cum sint juxta cerebrum, quod est humidum et frigidum, habent aliquid humiditatis et frigoris : unde etiam foramina, per quæ pendent illi nervi deserviunt ad excrementa cerebri et muscosam pluviam emungendam, ex quo fit, quod maxime sint in potentia ad siccita-

tem et calorem; ex quibus præcipue, ut supra diximus, generatur odor : Ergo, etc.

Sequitur 338. Hominem excedi a quibusdam aliis animalibus quantum ad perceptionem odorum delectabilium per se.

338. — 1. p. q. 76. art. 5; In 2. dist. 2. q. 2. a. 5. et dist. 32. q. 2 a. 3; Quæst. un. de an. a. 8. 2; De an. lect. 19; De sensu lect. 9.

Probatur sequela. Quia eo melior est sensus, quo organum est melius dispositum, ex dictis : Sed organum aliquorum animalium, ut canis, est melius dispositum per se loquendo; quia magis porosum, magis frigidum, et humidum et sic magis dispositum, dummodo non sit nimius excessus : Ergo, etc.

Sequitur 339. Hominem in sensu tactus excellere.

Probatur sequela. Quia eo melior est sensus, quo organum melius dispositum : Sed organum tactus est melius dispositum in homine, ob majorem æqualitatem temperamenti : Ergo, etc. Unde homo est prudentior, et quo molliores habet carnes, eo ut plurimum acutioris est ingenii.

Sequitur 340. Medium olfactus esse aerem vel aquam.

340. — 2. De anim. lect. 19. et 20.

Probatur sequela. Medium est, per quod deferuntur species ad organum, ex dictis : Sed per aerem vel aquam deferuntur species odorum ad organum, ut patet experientia : nam et nos sentimus per aerem, et quædam animalia aquatilia etiam odorem percipiunt infra aquam.

Sequitur 341. Objectum olfactus esse odorem.

341. — D. Thom. De sens. et sensibili lect. 10. et 12.

Probatur sequela. Quia ad percipiendum odorem olfactus per se primo institutus est. Est autem odor qualitas pâtibilis, vel passio ex quatuor primis qualitatibus orta, ita ut siccitas contineat humiditatem.

Sequitur 342. Non esse necessarium ad sensationem olfactus, quod objectum per fumosam exhalationem diffundatur usque ad olfactum.

342. — In 2. dist. 2. q. 2. a. 2. ad 5; In 4. dist. 44. q. 2. a. 1. q. 4. ad 3; 2. De anim. lect. 20.

Probatur sequela. Quia, ex dictis et ut constat experientia, aqua est medium : Sed non potest fumosa illa evaporatio, per aquam diffundi, sicut nec potest etiam diffundi ad tam longinqua spatia, a quibus odor sentitur : Quamvis ergo ex parte objecti odoriferi, ut odor perveniat ad organum, requiratur aliqua exhalatio, non est tamen necessarium, quod illa diffundatur per totum medium usque ad organum, licet id possit contingere, ut patet experientia.

Sequitur 343. Organum auditus esse nervos molles, qui a cerebro ad aures descendunt, ut terminantur pellicula quadam tenui, quæ vocatur tympanum, seu myringa, intra quam continetur aer innatus seu vitalis, et quæ sustentatur tribus ossibus, quorum unum incudi, alterum malleolo, tertium stapedæ est simile, ita ut aer ille innatus una cum nervo debeat esse organum auditus.

343. — 2. De anim. lect. 17; Opusc. 43. cap. 3; De sens. et sensib. lect. 5.

Probatur sequela. Quia, ut diximus, organum sensus debet esse nervus, ut deferantur spiritus vitales ad potentiam, et species transmittantur ad cerebrum, et debet etiam aliquam habere similitudinem ac proportionem cum medio, ut ab ipso possit recipere species : Atqui hæc omnia conveniunt illis nervis, ut terminantur prædicta pellicula includente aerem, nam ratione illius aeris potest de facili recipere species pellicula, et anfractibus aurium impedientibus, ne sonus vehementius pulsando a-

erem innatum, illum corrumpat; unde etiam foramen aurium a medicis vocatur cœcum, quia et ad modum labyrinthi est, et plenum denso ac viscoso humore, ne de facili etiam bestiolæ intrare possint, et extra illam pelliculam intra ipsas aures est aer.

Sequitur 344. Medium auditus esse aerem vel aquam una cum aere illo, qui est intra aurem.

344. — 2. De anim. lect. 16. et 17.

Probatur sequela. Medium est, per quod deferuntur species, sed species soni deferuntur per aerem, et etiam aquam, ut experientia constat, quamvis difficilius per aquam : qua etiam ratione Aristoteles 2. *De anima, textu* 76 et 82, videtur negare aquam esse medium auditus, quod ipse satis explicat *textu* 79 quia minus auditur sonus ab inclusis in aqua. Quod autem audiatur ab inclusis intra aliquod corpus solidum, id fit per poros et rimulas, sine quibus non audiretur sonus.

Sequitur 345. Ad sensationem auditus requiri immutationem aliquam physicam medii, saltem secundum aliquam sui partem.

345. — In 2. dist. 2. q. 2. a. 2; 2. De anim. lect. 16.

Probatur sequela. Medium, ex dictis, est aer vel aqua : Sed ad sensationem auditus requiritur immutatio physica, scilicet motus localis aeris vel aquæ, ut enim supra diximus, sonus causatur ex collisione duorum corporum sonororum, et medii resilientia, atque adeo medium debet moveri localiter, imo debet etiam physice recipere sonum, qui cum sit unum numero accidens non potest subjectari in corporibus se collidentibus ; nam, ut diximus, unum accidens non potest subjectari in duobus subjectis : Ergo requiritur immutatio aliqua physica medii.

Sequitur 346. Sonum esse qualitatem sensibilem ex percussione duorum corporum se collidentium causatam.

346. — 2. De anim. lect. 16.

Probatur sequela. Omne objectum sensus est qualitas sensibilis, ex dictis : Sed sonus est objectum sensus : Ergo, etc.

Sequitur 347. Sonum non esse ipsum motum.

347. — 2. De anim. lect. 16. et 17.

Probatur sequela. Motus non est qualitas sensibilis proprie, sed tantum est sensibile commune, ex dictis : Sed sonus est quid sensibile proprium et per se : Ergo, etc.

Sequitur 348. Sonum non esse in corpore sonante, sed in medio.

348. — D. Thom. 2. De anim. lect. 16.

Probatur sequela. Quia solus motus in corporibus se collidentibus subjectatur : Sed sonus non est motus, ut patet : Ergo sonus non subjectatur in illis corporibus, quod etiam experientia constat, nam stante vento ab una parte sonus facilius vel difficilius auditur : quia cum sit in aere medio, juxta venti impetum sonus una cum aere vel impellitur, vel repellitur.

Sequitur 349. Motum esse causam soni.

349. — In psal. 17.

Probatur sequela. Sonus est qualitas sensibilis ex collisione duorum corporum causata : Sed collisio est motus : Ergo, etc.

Sequitur 350. Eumdem sonum numero esse per totum medium continuum per modum unius.

Probatur sequela. Sonus est qualitas sensibilis ex collisione corporum : Sed non est necessarium ut multiplicetur, cum unum possit esse in medio : Ergo, etc.

Sequitur 351. Sonum reflexum sive Echo audiri per hoc, quod sonus sive aer percussus, et resiliens in suo motu inveniens aliquod corpus solidum et concavum, quod resistit illi motui veluti directo, reflectitur, et sic iterum auditur.

Probatur sequela. Quia, ex dictis, sonus est in aere vel medio tanquam subjecto motus et soni : Sed subjectum motus, si inveniat aliquod corpus obsistens, reflectitur, ut constat experientia : Ergo et sonus, quamvis non sit improbabile posse reflecti solas soni species intentionales saltem aliquando.

Sequitur 352. Organum visus esse nervos opticos, sive visorios cum pupilla, sive humore cristallino.

352. — De sensu et sensib. lect. 5. et lect. ultim.; Opusc 43. c. 3.

Probatur sequela. Quia organum sensus debet esse nervus aliquis, et aliunde debet esse aliquomodo proportionatum medio : Atqui hoc convenit nervis opticis, ut continuatis cum humore cristallino, nam ratione humoris cristallini, qui est perspicuus, habet proportionem cum medio, hoc est, aere, et ratione nervorum opticorum continuatur cum cerebro et in illis est una potentia visiva : Ergo, etc.

Sequitur 353. Medium visus esse diaphanum illuminatum.

353. — 2. De anim. lect. 15.

Probatur sequela. Medium est, per quod deferuntur species ad sensum : Sed per diaphanum illuminatum deferuntur species ad oculum, ut patet experientia; nam si vel corpus opacum intercedat inter visum et objectum, vel si sint tenebræ in corpore diaphano interjacente, non potest visus percipere species : Ergo, etc.

Sequitur 354. Lucem et colorem prout conveniunt in hoc, quod sint actus diaphani, posse videri, atque adeo esse objectum visus.

354. — D. Thom. 2. De anim. lect. 4.

Probatur sequela ex dictis supra. Quod absque ulla omnino immutatione physica, vel ex parte objecti, vel ex parte organi per se requisita potest percipi per potentiam visivam est objectum visus : Sed lux et color hoc habent in quantum sunt actus diaphani, ut patet experientia, etc.

Sequitur 355. Colorem esse per se visibilem.

Probatur sequela. Objectum, quod potest terminare potentiam sensitivam sub ejus ratione formali est per se sensibilis : Atqui color, ex dictis, est objectum, quod potest terminare potentiam visivam sub ejus ratione formali : Ergo, etc.

Sequitur 356. Lucem non esse necessariam ad videndum colorem ex parte objecti, sed tantum ex parte medii.

356. — 2. De anim. lect. 14; 3. De anim. lect. 10.

Probatur sequela. Lux est necessaria ad videndum, ut dictum est : Sed non est necessaria ex parte objecti, ut probatur ex dictis, quia objectum per se visibile non indiget aliquo alio ex parte sui, ut fiat visibile et videatur in actu, quod enim est per se tale, non fit tale per aliud : Sed, ex dictis, color est per se visibilis : Ergo, etc. Hinc habes recte definiri colorem in ratione objecti visibilis per hoc, quod sit motivus diaphani secundum actum, id est, immutativus intentionaliter perspicui illuminati; in ratione vero entis definitur ab Aristotele : Extremitas perspicui in corpore terminato, id est, qualitas quodammodo terminans perspicuum, quatenus perspicuitas est in corpore opaco, id est, habente aliquam opacitatem. Habes etiam, quomodo verus color et lux essentialiter

differant, quia lux est actus perspicui ut perspicuum est, color autem virus non est, nisi in corpore mixto et terminato, ut dictum est.

Sequitur 357. Lucem esse per se visibilem.

357. — 2. De anim. lect. 14; De sens. et sensib. lect. 6.

Probatur sequela. Actus diaphani, prout diaphanum, est per se visibilis, cum sit objectum visus, ex dictis : Sed lux est actus diaphani ut sic, ut patet : Ergo, etc.

Sequitur 358. Lucem non esse corpus, sed qualitatem.

358. — 2. De anim. lect. 14; 1. p. q. 67. a. 2. et 3.

Probatur sequela. Nullum corpus est per se sensibile, ex dictis supra : Sed, ex jam dictis, lux est per se sensibilis et visibilis : Ergo lux non est corpus, imo nec forma substantialis propter eamdem rationem, sed qualitas, est per se sensibilis.

Sequitur 359. Lucem videri per se ipsam.

359. — 2. De anim. lect. 14.

Probatur sequela. Quod est per se visibile et defert necessaria ex parte medii, ut videatur, videtur per se ipsum; hoc enim est videri per se ipsum, quod est non indigere aliquo alio, ut videatur : Atqui lux est per se visibilis, et ipsa sola est necessaria ex parte medii, ut patet ex dictis : Ergo lux videtur per se ipsam : quare color est quidem visibilis per se ipsam; non tamen videtur per se ipsam, quia ut videatur indiget luce ex parte medii, ut diximus.

Sequitur 360. Lucem esse rationem distinguendi res visas.

Probatur sequela. Quod per se videtur, est quodammodo ratio videndi, et consequenter est ratio distinguendi res visas; quia quod est per se, est ratio cæterorum, quæ sunt per aliud : Atqui, ex dictis, lux per se videtur : Ergo, etc.

Sequitur 361. Visionem non fieri per extramissionem, sed per receptionem.

361. — 3. De anim. lect. 7. et 13; 1. p. q. 12. a. 2. et q. 55. art. 1. et q. 79. art. 2; 3. Cont. gent. c. 49.

Probatur sequela. Actio immanens manet in suo principio, ut patet ex dictis; aliunde vero actiones sensuum fiunt per receptionem specierum : Sed visio est actio immanens, cum sit vitalis, et est actio cujusdam sensus nimirum visus : Ergo visio manet in potentia visiva, et fit per receptionem speciei visibilis. Adde, quod spiritus animales, quibus mediantibus fit visio non debent ad ipsa objecta transmitti ad accipiendas species : cum enim hæc transmissio specierum non sit vitalis, ut patet in speculo, ad quod transmittuntur species rerum inanimatarum, ad illam transmissionem non requiruntur spiritus, qui ad solas actiones vitales necessarii sunt, cum ut diximus, sint instrumenta ipsius animæ.

§ II. De sensibus internis.

Sequitur 362. Debere dari quatuor potentias sensitivas internas realiter a sensibus externis et inter se distinctas.

362. — 1. p. q. 78. a. 4; Quæst. un. De anim. a. 13.

Probatur sequela. Tot dantur potentiæ realiter distinctæ, quot sunt necessariæ animali ad percipienda objecta diversa formaliter ex modo immutandi magis vel minus materiali, et quæ etiam exigunt organa per se diversa quoad temperiem, ut patet ex dictis supra : Sed quatuor potentiæ sensitivæ internæ sunt necessariæ animali : Ergo, etc. *Probatur minor* : Differentia sensibilium propriorum sensibus externis et ipsæ illorum sensationes præsentes magis materialiter attinguntur, quando percipiuntur ut præsentia, quam dum percipiuntur, ut quodammodo abstrahunt a præsentia et absentia, ita ut tam possint

percipi dum absunt, ac dum adsunt; illa enim dependentia ab objecto sensibili præsenti, importat majorem materialitatem : Ergo pro his duobus percipiendis debent constitui duæ potentiæ sensitivæ internæ, scilicet *Sensus communis*, qui percipiat differentiam sensibilium propriorum, et sensationes sensuum externorum in præsentia, et *Phantasia,* quæ eadem percipiat in absentia; et ideo sensus communis exigit per se organum valde humidum et facile immutabile, ut de facili possit percipere statim, ubi sensus externi percipiunt. Phantasia vero, cum debeat retinere species illorum, non debet esse ita humida, ut sit magis retentiva. Similiter sunt aliquæ rationes, quæ formaliter non percipiuntur sensibus externis, nec illis duobus internis jam dictis, qui nihil percipiunt, quod ab externis non fuerit prius perceptum. Has rationes vocant insensatas, quia non percipiuntur sensibus prædictis; puta rationes convenientiæ, disconvenientiæ, quæ adhuc magis elevatæ sunt supra materiam; et hæ possunt percipi, vel in præsentia objecti, vel in absentia, et magis materialiter percipiuntur in præsentia, quam in absentia : Atqui necesse est, ut animal percipiat has rationes ad sui conservationem; necesse est enim, ut animal percipiat proprias sensationes externas, et differentiam objectorum sensibilium propriorum, tum in præsentia, tum in absentia; aliter enim non sufficienter fuisset provisum animali ad quærenda necessaria; nisi enim canis, v. g. cognosceret differentias illas, non meminisset loci, ubi prædam invenit : similiter necessarium est animali, ut percipiat rationes insensatas, puta ovi necessarium est, quod percipiat lupum ut disconvenientem : idque tum in præsentia (quod fit per *Æstimativam*) tum in absentia, ut sibi caveat, quod fit per *Memoriam :* Ergo, etc.

Sequitur 363. Potentias sensitivas esse in composito tanquam in subjecto.

363. — 1. p. q. 77. a. 5. 6. 8; Quæst. de spir. a. 4. et 11; Quæst. un. de anim. a. 12; Opusc. 3. cap. 89. et 92.

Probatur sequela. Omne accidens materiale est in toto composito materiali tanquam in subjecto, ex dictis supra : Sed potentiæ sensitivæ sunt accidentia materialia, cum sint affixæ organis corporeis, ut dictum est : Ergo, etc.

Sequitur 364. Convenienter poni sensum communem in anteriori parte cerebri, imaginativam in proxima cellula, æstimativam in media, memoriam in occipite.

364. — Ibidem. De verit. q. 18. art. 8.

Probatur sequela. Quia organum convenienter ponitur in partibus magis proportionatis ad functiones potentiarum exercendas : Sed sensus communis cum debeat judicare de distinctione objectorum sensuum externorum, et de ipsis sensationibus, debet esse valde vicinus ipsis sensibus externis, et hoc fit per situationem in anteriori parte capitis : Imaginativa vero, cum debeat retinere species a sensibus externis ad communem delatas, debet esse vicina sensui communi : Æstimativa, quæ ex speciebus sensatis debet elicere insensatas, debet esse vicina imaginationi : memoria denique, quæ ex eisdem insensatis debet retinere species insensatas, in posteriori parte : Ergo, etc.

Sequitur 365. Sensum communem non sentire, nisi in præsentia objectorum.

365. — Ibidem et 3. De anim. lect. 2.

Probatur sequela. Sensus, qui judicat de ipsis sensationibus, non sentit, nisi in præsentia objectorum, quando scilicet sunt ipsæ sensationes : Sed sensus communis judicat de ipsis sensationibus sensuum externorum : Ergo non sentit nisi in præsentia objectorum

Sequitur 366. Imaginativam esse conservativam specierum sensatarum.

366. — De verit. q. 15. a. 2. ad 8.

Probatur sequela. Potentia, quæ debet percipere res per sensum acceptas, etiam in absentia objectorum, debet esse conservativa specierum sensatarum, alias non posset percipere in absentia : Sed imaginativa debet percipere res per sensus perceptas etiam in absentia : Ergo, etc.

Sequitur 367. Accidere frequenter somnia.

367. — 2. 2. q. 80. a. 2. et q. 95. a. 6. et q. 54. a. 5. et q. 172. a. 1 ; 3. p. q. 80. a. 7.

Probatur sequela. Quando aliqua potentia habet species objectorum absentium, potest illa percipere in absentia : Sed imaginativa conservat species objectorum absentium per sensus externos perceptorum : Ergo potest illa percipere in absentia : Quando ergo humoribus commoventibus species objecta percipit animali dormiente, fiunt somnia.

Sequitur 368. Imaginationem naturaliter unire et copulare species.

368. — 1. p. q. 78 art. 4. et q. 84. a. 6. et c. 85. art. 2; De verit. quæst. 8. art. 5. et 9. et quæst. 9. art. 1.

Probatur sequela tum experientia, tum etiam, quia humores per organum imaginationis fluentes excitant species, et eas uniunt, etc.

Sequitur 369. Æstimativam percipere rationes insensatas in præsentia, Memoriam in absentia.

369. — 1. p. q. 78. a. 4; 3. De anim. lect 13.

Probatur sequela. Quia ad hoc ponuntur.

Sequitur 370. Animalia imperfecta carere imaginativa, et memoria : alia vero habere hanc potentiam imperfectam.

370. — 2. De anim. lect. 3. et 6; 3. De anim. lect. 14. et 16.

Probatur sequela. Eo modo habent has potentias, quo sunt viventia sensitiva : Atqui sunt viventia sensitiva imperfecta : Ergo, etc.

§ III. De duplici appetitu et de passionibus ejus.

Sequitur 371. Debere etiam in animali constitui appetitum duplicem, scilicet concupiscibilem et irascibilem.

371. — 1. p. q. 59. art. 4. et q. 78. a. 1. et q. 81. a. 2. et 3; 2. 2. q. 18. a. 1. etc.; 3. De anim. lect. 14.

Probatur sequela. Quia, ut diximus, debent in animali constitui potentiæ necessariæ ad ejus conservationem, et ad operationes necessarias : Sed sicut potentiæ cognoscitivæ sunt necessariæ, ita et appetitivæ; tam enim necessarium est, quod animal appetat, quam, quod cognoscat : Ergo, etc.

Sequitur 372. Appetitum concupiscibilem distingui realiter ab irascibili.

372. — Ibidem.

Probatur sequela. Potentiæ habentes diversum objectum formaliter, distinguuntur inter se realiter, ut diximus et fusius probabimus in tertio principio : Atqui appetitus concupiscibilis habet diversum formaliter objectum ab objecto irascibili : Ergo sunt duæ potentiæ realiter distinctæ. *Minor patet :* Quia bonum sensibile, ut sic ac præcise, et bonum sensibile arduum, ut arduum, sunt objecta formaliter diversa : Atqui objectum concupiscibilis est bonum sensibile ut sic, objectum autem irascibilis est bonum sensibile arduum; cum enim animal, debeat per appetitum quærere bonum sibi conveniens, ut diximus, necessarium est, ut quandoque illud quærat, etiam quando arduum est, ut constat etiam ipsa experientia : Ergo debet in animali esse duplex hic appetitus; concupiscibilis, quo quærat bonum sensibile præcise; et irascibilis, quo quærat bonum arduum.

Sequitur 373: Utrumque hunc appetitum esse potentiam affixam organo corporeo.

373. — De verit. q. 26. a. 3; 1. p. q. 20. a. 1 ad 1; 1. 2. q. 10. a. 3. et q. 22 art. 2. ad 3.

Probatur sequela ex dictis. Tales sunt potentiæ, qualis est ipsa anima, cujus sunt potentiæ : Atqui anima sensitiva est forma corporis : Ergo et istæ potentiæ sensitivæ debent esse formæ non substantiales, sed accidentales alicujus organi corporei, sicut supra diximus de sensibus.

Sequitur 374. Cor esse organum et subjectum hujus utriusque appetitus.

374. — Ibidem.

Probatur sequela. Cuilibet potentiæ sensitivæ debet assignari organum conveniens et proportionatum, ex dictis supra : Atqui nullum aliud est in animali conveniens et proportionatum appetitui, nisi cor : Ergo cor est organum et subjectum appetitus. *Minor patet* : Quia cor solum est illa pars corporis, quæ ob suum calorem intensum potest ferri quodammodo in objecta per amorem, desiderium, etc.

Sequitur 375. Quemlibet horum appetituum habere proprios actus.

375. — Iisdem locis.

Probatur sequela. Quælibet potentia activa constituitur ad hoc, ut agat, vel operetur : Sed, ex dictis, uterque hic appetitus est potentia activa, qua videlicet animal quærit sibi bonum sensibile conveniens : Ergo quilibet horum appetituum debet habere proprios actus.

Sequitur 376. Hos actus horum appetituum fieri cum aliqua transmutatione corporali.

376. — Ibidem et De verit. q. 25. a. 3.

Probatur sequela. Omnis actus potentiæ affixæ organo corporeo, præsertim quæ magis recipit quam agat, debet fieri cum aliqua transmutatione corporali : Atqui hæ duæ potentiæ appetitivæ sunt affixæ organo corporeo, ex dictis, et ex propria ratione potentiæ appetitivæ magis patitur; quia per hoc differt potentia apprehensiva ab appetitiva, quod potentia apprehensiva quodammodo trahit res percipiendas ad se, appetitiva vero trahitur ad res : Cujus differentiæ ratio est, quia potentia apprehensiva non quærit nisi notitiam rei, unde cum hujusmodi perceptio fieri possit per solam rei speciem, non quærit rem ipsam secundum suum esse reale : potentia vero appetitiva trahitur ad res, quia quærit ipsas res in seipsis realiter; qui enim appetit rem aliquam, vult frui illa non tantum quoad speciem et repræsentationem, sed quoad realem bonitatem, quam habet. Adde quod appetitus sensibilis, cum sit in corde, non trahitur ad res. nisi cum immutatione sanguinis et spirituum vitalium in corde existentium : Ergo, etc.

Sequitur 377. Hos actus appetitus sensitivi recte vocari passiones

377. — 1. 2. q. 22. a. 1. et 2.

Probatur sequela. Actus, qui fiunt cum magna transmutatione corporali, recte vocantur passiones, quia tunc agens patitur per hujusmodi transmutationem : Atqui actus appetitus sensitivi fiunt cum magna transmutatione corporali, ex dictis : Ergo hi actus recte vocantur passiones.

Sequitur 378. Hos actus esse motus quosdam et mutationes.

378. — Ibidem.

Probatur sequela. Actus, qui fiunt cum transmutatione corporali sunt motus quidam et mutationes, ut patet ex terminis : Atqui actus appetitus sensitivi fiunt cum transmutatione corporali, ex dictis : Ergo hi actus sunt quidam motus et mutationes

Sequitur 379. Hos actus distingui et ex objectis, sive terminis, et ex accessu vel recessu respectu ejusdem termini.

379. — 13. q. 23. art. 1. et sequentibus.

Explicatur. In motibus duplex potest inveniri distinctio et contrarietas;

nam motus specificatur et distinguitur a termino, et præterea ex accessu, vel recessu respectu ejusdem termini : sic generatio est motus ad esse, corruptio est motus ab esse, dealbatio vero est motus a nigro in album, denigratio est motus ab albo in nigrum. In appetitu igitur sensitivo potest attendi distinctio ex contrarietate terminorum, ad quos fit motus : sic distinguuntur amor et odium : quia amor fertur in bonum, odium in malum. Potest etiam attendi contrarietas et distinctio respectu ejusdem termini; nam v. g. bonum arduum in quantum est bonum attrahit appetitum per spem, et in quantum est arduum repellit appetitum, et efficit, ut resiliat ab ejus prosecutione per desperationem.

Probatur ergo sequela. In motibus invenitur distinctio, vel ex terminis, vel ex accessu aut recessu respectu ejusdem termini : Atqui, ut dictum est, passiones sunt quidam motus : Ergo in passionibus invenitur distinctio, vel ex contrarietate terminorum, vel ex accessu aut recessu respectu ejusdem termini.

Sequitur 380. Dari undecim passiones; sex in concupiscibili, et quinque in appetitu irascibili.

380. — Ibidem a. 4.

Probatur sequela. Tot debent esse actus sive passiones, quot necessariæ sunt animali ad quærendum bonum, et fugiendum malum : Atqui undecim sunt necessariæ animali ad prosecutionem boni et fugam mali : Ergo, etc. *Minor probatur :* Nam sicut in qualibet re debet esse primo inclinatio in bonum conveniens, deinde prosecutio boni, et quies in bono, debet etiam esse horror disconvenientis et fuga ipsius : ita etiam in animali debet esse : *Amor,* qui est inclinatio et complacentia in bono, quod si fuerit absens debet esse prosecutio ipsius per *Desiderium;* si fuerit præsens, debet esse quies in ipso per *Delectationem :* et respectu mali debet esse *Odium,* quod est horror et displicentia mali : *Fuga* respectu mali absentis : et *Tristitia* de malo præsenti. Si autem sit bonum arduum debet esse necessario absens; nam bonum præsens et adeptum non potest esse arduum : in bonum autem absens arduum dupliciter potest ferri appetitus; primo quidem prosecutione, et sic est *Spes :* secundo recessu ex eo, quod sit nimis arduum, et sic est *Desperatio.* Similiter respectu mali præsentis est *Ira,* quæ habet repellere malum præsens : respectu mali nondum præsentis, difficilis, id est, quod difficulter evitari potest per accessum, est *Audacia* ad vincendam difficultatem; per recessum, est *Timor.* Vide D. Thom. 1. 2. q. 23. a. 4.

Hinc habes etiam ordinem passionum; nam cum bonum sit prius malo, sicut forma est prior privatione, passiones circa bonum sunt priores iis, quæ sunt circa malum, et passio, quæ est circa bonum absolute, prior est illis, quæ sunt circa bonum, ut absens, vel præsens, et sic amor est prior desiderio et delectatione, sicut et odio; et odium est prius fuga, sicut fuga est prior tristitia. Passiones etiam saltem aliquæ concupiscibilis, sunt priores passionibus irascibilis : nam passio amoris et desiderii prior est passione spei, vel desperationis; quamvis hæ sint priores delectatione. Similiter odium et fuga mali sunt priores ira, timore et audacia : sed tristitia est posterior timore et audacia, et aliquando est prior ira; quia ex tristitia aliquando consurgit ira. Omnes autem passiones irascibilis terminantur ad aliquam passionem concupiscibilis : nam passiones irascibilis, quæ sunt circa bonum per accessum terminantur ad delectationem; quæ vero sunt circa bonum per recessum terminantur ad tristitiam; quæ sunt circa malum per recessum terminantur ad delectationem; quæ per accessum, ad tristitiam.

Sequitur 381. Amorem esse passionem, qua appetitus sibi complacet in bono abstrahendo a præsentia et absentia.

381. — 1. 2. q. 25. a. 2. et q. 26. art. 1. et 2.

Probatur sequela. Amor est passio circa bonum distincta a desiderio et delectatione, ex dictis : Atqui non potest esse distincta, nisi per hoc, quod est complacentia in bono, abstrahendo a præsentia et absentia, ut patet ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 382. Amorem recte dividi in amorem amicitiæ, concupiscentiæ

382. — 1. 2. q. 26. a. 4.

Probatur sequela. Complacentia in bono recte dividitur in complacentiam amicitiæ et concupiscentiæ : alia enim est complacentia, qua quis complacet sibi in amico, alia, qua complacet sibi in bono, quod sibi, vel amico vult : Atqui amor est complacentia in bono : Ergo amor recte dividitur in amorem *Amicitiæ* et *Concupiscentiæ*. Hinc etiam habes differentiam inter Amorem, Amicitiam, Dilectionem, et Charitatem ; nam *Amor* proprie dicit complacentiam actualem in bono ; *Amicitia* veluti habitualem, et mutuam ; *Dilectio* supponit electionem, quæ cum non sit, nisi in appetitu libero, non omnis amor est dilectio ; *Charitas* vero addit supra amorem, in quantum amor ipse facit existimationem boni tanquam rari.

Sequitur 383. Causam amoris esse bonum.

383. — 1. 2. q. 27. a. 1.

Probatur sequela. Objectum actuum, qui sunt passiones, est causa ipsorum actuum ; et idcirco dicuntur passiones, quia objectum veluti trahit ad se potentiam et causat actum : Sed bonum est objectum amoris, ex dictis : Ergo bonum est causa amoris.

Sequitur 384. Cognitionem non esse causam, sed solum conditionem, sine qua non, ipsius amoris.

384. — 1. 2. q. 27. a. 2.

Probatur sequela. Quod se habet, ut applicans causam, non est causa, sed est potius conditio : Sed cognitio se habet ut applicans bonum, quod est causa amoris, ex dictis : Ergo cognitio non est causa amoris, sed potius conditio, sine qua non.

Sequitur 385. Similitudinem et convenientiam per se quidem esse causam amoris, quamvis per accidens possit esse causa odii.

385. — 1. 2. q. 27. a. 3.

Probatur sequela. Bonum est causa amoris : Sed simile et conveniens est bonum : est enim veluti unum cum eo, cui est simile et conveniens : Ergo simile et conveniens est causa amoris, sed diversimode ; nam simile utrinque in actu est causa amicitiæ, et simile in potentia, hoc est, quod habet potentiam ad habendam formam similem, est causa amoris concupiscentiæ ; concupiscimus enim, quæ possumus habere. Per accidens tamen similitudo est causa odii, in quantum est impeditiva boni proprii, et sic figulus figulo invidet, et superbus superbum odit.

Sequitur 386. Unionem esse effectum amoris.

Probatur sequela. Amor est unio affectuum ad realem, quantum fieri potest, unionem inclinans, ita ut unio affectuum sit formalis effectus amoris ; realis autem unio boni concupiti cum amante, sit effectus amoris in genere causæ efficientis : Ratio est, quia, ut diximus, amans concupiscit sibi unire amatum realiter ; in amore quidem amicitiæ per conversationem et mutuam collocutionem ac communicationem : in amore vero concupiscentiæ, per fruitionem boni amati.

Sequitur 387. Mutuam inhæsionem esse effectum amoris.

387. — 1. 2. q. 28. a. 2.

Probatur sequela. Illi mutuo sibi inhærent, qui et cogitant de se invicem, ac se penitus cognoscere satagunt, et habent complacentiam mutuam : Sed, hoc est effectus amoris, qui applicat vim apprehensivam ad cogitandum de bono amato, et facit complacentiam in illo : Ergo mutua inhæsio provenit ab amore; et ab amore quidem amicitiæ provenit inhæsio perfecta; ab amore vero concupiscentiæ imperfecta, præsertim quando bonum amatum non est capax amoris reciproci.

Sequitur 388. Extasim esse effectum amoris.

388. — 1. 2. q. 28. a. 3.

Probatur sequela. Quod facit exire extra se, causat extasim, *Extasis* enim nihil aliud est, quam exitus extra se : Sed amor facit exire amantem extra se, ad bonum amatum, quatenus, ut dictum est, amans trahitur ad bonum extra se : Ergo amor facit et causat extasim. Adverte tamen, quod amor non facit formaliter extasim illam, quæ consistit, in eo, quod quis ponatur extra modum connaturalem cognoscendi; hanc enim extasim non facit amor, nisi dispositive, quatenus ex eo, quod quis amat, appetitus applicat vim apprehensivam ad cogitandum intense de re amata : unde fit, quod per intensam illam cogitationem ponitur extra modum cognoscendi sibi connaturalem.

Sequitur 389. Quod effectus amoris sint etiam Liquefactio, Fruitio, Languor, Fervor, et Zelus.

389. — 1. 2. q. 28. a. 4. et 5.

Probatur sequela. Quia per amorem disponitur cor ad hoc, ut bonum amatum quodammodo subintret ipsum cor, quod vult frui illo bono amato realiter, ut dictum est : Atqui ad hoc necessarium est ut cor *Liquefiat,* ad hoc ut bonum amatum penetret et subintret; ad quam penetrationem sequitur *Fruitio:* Quod si bonum sit absens sequitur quidam impulsus frequens, ita ut cor veluti ebullire ac *Fervere* videatur, ut versus amatum tendat et feratur : ad quod, si pervenire non valeat, sequitur tristitia de absentia boni amati, et hæc tristitia vocatur *Languor.*

Adverte autem, quod in corde materialiter fiunt similes motus; nam per amorem dilatatur cor cum quadam suavitate, ut sanguis, et spiritus vitales egrediantur et remeent, vel cum majori suavitate, si bonum amatum sit præsens, vel cum minore impetu et languenter, si sit absens, et iterum ebullit sanguis, et fervent spiritus, ut quærant amatum. Quod vero *Zelus* sit etiam effectus amoris intensi patet, quia intensus amor, quærit expellere omne id, quod sibi repugnat.

Sequitur 390. Objectum et causam odii esse malum.

390. — 1. 2. q. 20. a. 1.

Probatur sequela. Dissonantia appetitus ad id, quod apprehenditur ut repugnans et nocivum, est odium : Sed ad malum utpote disconveniens est dissonantia appetitus, ut patet ex dictis : Ergo malum est objectum et causa odii.

Sequitur 391. Amorem esse aliquo modo causam odii.

391. — 1. 2. q. 29. a 2.

Probatur sequela. Causa cur aliquid sit repugnans et nocivum est, quia est impeditivum vel corruptivum convenientis : Sed amor est respectu convenientis, ex dictis : Ergo amor est causa, cur aliquid habeatur ut disconvenlens. *Explicatur :* Idcirco odio habemus aliquid, quia illud impedit aut tollit bonum quod amamus : Sed hoc est amorem esse aliquo modo causam odii, idcirco enim odio habemus malum, quia contrarium est bono, quod amamus : Ergo, etc.

Sequitur 392. Odium non posse esse fortius amore, quamvis quandoque magis sentiatur.

392. — 1. 2. q. 29. a. 3.

Probatur sequela. Nullus effectus potest esse perfectior et fortior sua causa : Sed, ex dictis, odium est effectus amoris : Ergo odium non potest esse fortius amore. Quod vero magis sentiatur patet; quia, quod magis immutat, magis sentitur : odium magis immutat; quia disconveniens magis immutat, quam conveniens.

Sequitur 393. Neminem, per se, seipsum odisse, bene tamen per accidens.

393. — 1. 2. q. 29. a. 4.

Probatur sequela. Unumquodque per se naturaliter appetit sibi conveniens : Atqui hoc est amare seipsum, quia amare est velle bonum, quod nihil aliud est, quam sibi conveniens : Ergo unumquodque se naturaliter amat, atque adeo per se. Per accidens tamen potest seipsum odisse : 1° quia amat tanquam sibi conveniens, quod revera est disconveniens; 2° quia amat se secundum partem corporalem et sensitivam, quod est id, quod minus est in ipso.

Sequitur 394. Nullum posse odisse veritatem in communi, bene autem in particulari.

394. — 1. 2. q. 29. a. 5.

Probatur sequela. Bonum in communi est ens et verum in communi : Sed nullus potest odisse bonum in communi : Ergo nullus potest odisse ens et verum in communi. In particulari vero potest, 1. Quia potest velle non esse verum quod est verum; 2. Quia veritas aliqua potest esse secundum existimationem impeditiva boni, quod amatur; 3. Quia potest quis velle, quod alii non cognoscant veritatem.

Sequitur 395. Odium appetitus sensitivi non posse ferri in objectum universale, quamvis possit ferri ob rationem quamdam, quæ est universalis.

395. — 1. 2. q. 29. a. 6.

Probatur sequela. Objectum odii, tale est, qualis est cognitio, ad quam sequitur odium : Sed cognitio ad quam sequitur odium appetitus, non potest ferri in objectum universale, quia cognitio sensitiva non fertur in objectum universale, ut patet ex dictis, cum hoc sit proprium intellectus : potest tamen cognitio sensitiva ferri in objectum, ob rationem, quæ revera est universalis, sicut visus fertur in objectum particulare propter rationem coloris, quæ est universalis; ita tamen, ut universalitas non cognoscatur ab ipso sensu, sed solum ab intellectu : Ergo, etc.

Sequitur 396. Desiderium boni sensibilis proprie vocari concupiscentiam.

396. — 1. 2. q. 30. a. 1.

Probatur sequela. Concupiscere est cum alio cupere : Sed in desiderio boni sensibilis et delectabilis secundum sensum anima cum corpore cupit bonum sensibile; in desiderio autem boni spiritualis sola anima videtur cupere : Ergo, etc.

Sequitur 397. Concupiscentiam esse passionem distinctam ab omnibus aliis.

397. — 1. 2. q. 30. a. 2.

Probatur sequela. Objectum, quod diversimode ab aliis objectis movet appetitum, facit passionem distinctam ab aliis passionibus, quia, ut diximus, hæ passiones diversificantur ex vario modo. quo objectum movet appetitum : Atqui bonum delectabile secundum sensum, dum est absens, diversimode movet appetitum, quam bonum ut sic, vel bonum præsens; bonum enim ut sic movet ad simplicem complacentiam; bonum præsens

ad delectationem ; bonum vero absens movet ad sui inquisitionem, ut patet etiam ex dictis : Ergo bonum absens facit passionem distinctam ab omnibus aliis. Hæc autem, ut diximus, vocatur concupiscentia.

Sequitur 398. Dari concupiscentias naturales, et concupiscentias non naturales.

398. — 1. 2. q. 30. art. 3. Ab Aristotele 3. eth. c. 11.

Explicatur 1. Concupiscentia naturalis vocatur cupiditas boni sensibilis, quod omne animal in quantum animal appetit, quale bonum est cibus, potus, etc. Concupiscentia non naturalis vocatur cupiditas boni sensibilis, quod appetit homo, non quidem ut animal est, sed quatenus etiam per sensum quærit aliquod bonum sensibile excogitatum per rationem, ut sunt divitiæ, varia condimentorum genera et hujusmodi.

Ex his ergo *patet sequela :* Quia homo cupit nedum cibum, potum, et alia, quæ omne animal cupit, sed præterea cupit divitias, condimenta, etc. Hoc vero oritur ex eo, quod etiam aliquis sensus hominis aliquid participat de ratione, sicut et appetitus in homine aliquid participat de libertate, de quo nos alias.

Sequitur 399. Concupiscentiam naturalem esse finitam, non naturalem esse infinitam.

399. — 1. 2. q. 30. a. 4.

Probatur sequela. Natura semper tendit ad aliquid certum et finitum ; Ratio vero procedit in infinitum aliquo modo : Sed concupiscentia naturalis tendit in bonum juxta naturam, non naturalis tendit in bonum juxta rationem, ut diximus : Ergo concupiscentia naturalis est finita, non naturalis infinita ; et sic videmus, quod animalia non nisi finitum cibum et potum cupiunt : homo vero cupit infinitas divitias.

Sequitur 400. Delectationem esse passionem.

400. — 1. 2. q. 31. a. 1.

Probatur sequela. Motus appetitus in bonum sensibile est passio, ex dictis : Atqui delectatio est motus appetitus in bonum sensibile : Ergo est passio. *Minor probatur :* Quia quamvis delectatio sit quies in bono, quatenus anima cessat a motu executionis, quo ferebatur ad adipiscendum bonum, nihilominus eadem delectatio est motus, quatenus appetitus immutatur ab appetibili.

Sequitur 401. Delectationem esse passionem appetitus concupiscibilis circa bonum præsens.

401. — Ibidem.

Probatur sequela. Delectatio est passio distincta a desiderio, sive concupiscentia, et amore, et aliis : et quidem a passionibus irascibilis differt, quia non est circa bonum arduum : ab amore autem et concupiscentia ; quia est circa bonum præsens.

Sequitur 402. Delectationem, ut est quid commune ad delectationem appetitus et voluntatis, non esse in tempore per se, sed tantum ratione boni, de quo est.

402. — 1. 2. q. 31. a. 2

Probatur sequela. Quod est per se in tempore, est quid successivum, vel annexum successivo : Atqui delectatio, quatenus est quid commune ad delectationem appetitus et voluntatis per se non est quid successivum ; quia potius est terminus motus executionis, ut diximus : nec ratione boni, quod est objectum delectationis ; quia hoc bonum potest esse omnino intransmutabile, ut patet de iis, qui in Deo delectantur : Ergo, etc.

Sequitur 403. Delectationem differre a gaudio.

403. — 1. 2. q. 31. a. 3.

Explicatur : Delectatio potest sumi dupliciter : 1° generice, prout est

quid commune ad quietem in bono adepto, sive sit quies rationis et voluntatis, sive sit quies appetitus sensitivi; 2° potest sumi, prout est quies in bono sensibili præcise ut est appetitus. Primo modo delectatio distinguitur a gaudio, sicut genus a specie; secundo modo distinguitur sicut una species ab alia sub eodem genere.

Probatur sequela. Quod est cum ratione et voluntate rationali distinguitur ab eo, quod est tantum cum appetitu sensitivo : Sed delectatio, ut est quies in bono sensibili jam adepto præcise, est tantum cum appetitu sensitivo; gaudium vero est cum ratione : Ergo, etc. *Nota,* quod possumus gaudere etiam de bono sensibili, quia possumus etiam per rationem valde delectari de illo : Sed bruta non possunt, nisi delectari, non autem gaudere, si proprie sumatur gaudium, bene tamen si sumatur improprie, prout bonum præsens apprehenditur per sensum internum. Hinc habes delectationem partis intellectivæ esse gaudium.

Sequitur 404. Delectationem esse posse etiam de ipsa operatione sensus, vel intellectus, vel etiam appetitus.

404. — 1. 2. q. 31. a. 4.

Probatur sequela. Bonum omne conjunctum et possessum, est id, de quo potest esse delectatio : Sed intellectio, volitio, sensatio, appetitio sunt bonum aliquod conjunctum, quia sunt actiones immanentes : Ergo de illis potest etiam esse delectatio.

Sequitur 405. Delectationes spirituales esse majores sensibilibus.

405. — 1. 2. q. 31. a 5.

Probatur sequela. Eo delectatio est major, quo bonum possessum est majus, et conjunctio intimior, et id, cui conjungitur est nobilius : Atqui in delectationibus spiritualibus bonum possessum est majus, quia si sit de operatione, operatio spiritualis est majus bonum, quam sensitiva, et similiter bonum spirituale est majus, quam sensibile. Conjunctio etiam est intimior, quia intellectus percipit essentiam rei, sensus percipit tantum accidentia, conjunctioni boni sensibilis adjungitur motus, non autem conjunctioni boni spiritualis; unde delectatio sensibilis non est tota simul, bene autem spiritualis : denique bonum sensibile est corruptibile, non autem bonum spirituale.

Sequitur 406. Delectationes sensibiles quoad nos esse vehementiores.

406. — 1. 2. q. 31. a. 5.

Probatur sequela. Quia sensibilia sunt magis nota : quia passiones sunt cum transmutatione corporali, quæ magis percipitur : et quia delectationes sensibiles, cum habeant tristitias contrarias, magis sentiuntur, quam spirituales, quæ non habent tristitias contrarias.

Sequitur. 407. Delectationes tactus esse majores in ratione delectationis sensibilis, quam delectationes aliorum sensuum.

407. — 1. 2. q. 31. a. 6.

Probatur sequela. Delectatio propter duo diligitur, propter cognitionem et propter utilitatem : propter cognitionem, sicut delectamur visione, quia affert cognitionem; propter utilitatem, sicut delectamur iis, quæ nobis utilia sunt, ut cibo, etc. Sed delectatio, quæ est propter utilitatem est major quam illa quæ est propter cognitionem; quia, quæ est propter utilitatem, est conservativa naturæ animalis : Cum ergo delectationes tactus sint et aliquo modo propter cognitionem, et simpliciter propter utilitatem, istæ simpliciter sunt majores.

Sequitur 408. Dari delectationes naturales, et non naturales.

408. — 1. 2. q. 31. a 7.

Explicatur : Delectatio dicitur naturalis quia est conveniens naturæ ; natura autem in homine duplex est, spiritualis, scilicet anima, et corporea : secundum animam delectatio in contemplatione veritatis et bono virtutis est naturalis ; secundum corpus delectatio de conservatione individui vel speciei est naturalis : sed quia quandoque contingit inclinationes naturæ corrumpi in aliquo individuo sive ex parte animæ propter malam consuetudinem et habitus jam contractos, sive ex mala humoris complexione, sive ex ægritudine, inde fit, quod illud individuum delectatur in rebus, quæ non sunt naturales, imo sunt contra naturam, id est, contra inclinationem naturæ specificæ ; hoc pacto febricitantes non delectantur dulcibus, et aliqui delectantur comestione terræ, carbonum, etc. ob malam complexionem et alii comestione carnium humanarum, coitu bestiarum, vel masculorum : et hæ delectationes vocantur innaturales. Ex his patet sequela.

Sequitur 409. Delectationes aliquando esse contrarias, non ratione sui, sed ratione boni, de quo est delectatio.

409. — 1. 2. q. 31. a. 8.

Probatur sequela. Quia licet in bono virtutis nunquam sit contrarietas, eo quod virtus virtuti non est contraria, bonum tamen corporis potest esse alterius boni impeditivum, et sic contrarium. Adverte autem, quod diversitas et contrarietas delectationum non solum est materialis, sed etiam aliquando formalis, quando bona illa habent diversum modum delectabilitatis, puta delectabilitas divitiarum et delectabilitas ciborum, etc.

Sequitur 410. Operationem esse causam delectationis.

410. — 1. 2. q. 32. a. 1.

Probatur sequela. Adeptio boni cogniti, est causa delectationis, ex dictis : Sed hæc adeptio boni et cognitio est aliqua operatio : Ergo operatio est causa delectationis : Sed quia aliquando operatio est laboriosa, idcirco etiam cessatio ab aliqua operatione causat delectationem ; verum etiam tunc est ibi aliqua operatio, ut patet in ludo, vel saltem est ibi cognitio boni.

Sequitur 411. Motum etiam posse causare delectationem.

411. — 1. 2. q. 32. a. 2.

Probatur sequela. Tria sunt de ratione delectationis, *Bonum* delectans, ejus *Consecutio*, et *Cognitio* hujus consecutionis : Atqui ex his tribus fit, quod motus causet delectationem : Ergo, etc. *Minor probatur :* Et quidem ex parte boni, quia bonum idem est ac conveniens alicui : Sed fieri potest, ut quod est modo conveniens processu temporis fiat disconveniens, ut calefieri est conveniens hieme et disconveniens æstate : Requiritur ergo motus et mutatio ex parte boni, quia natura nostra est transmutabilis. Ex parte consecutionis etiam, quia fieri potest, ut consecutio boni continuata sit disconveniens, ut patet in eo, qui per longum tempus calefieret. Denique ex parte cognitionis, quia quandoque neque possumus habere totum bonum nisi per motum, neque possumus cognoscere nisi per motum, quod illud habeamus totum, et sic in comestione et aliis motus est causa delectationis. Sed in bono intransmutabili, in cujus possessione non potest esse excessus, et quod potest cognosci ut habitum totum simul, non potest esse motus causa delectationis.

Sequitur 412. Spem et memoriam esse quandoque causam delectationis.

412. — 1. 2. q. 32. a. 3.

Probatur sequela. Consecutio boni est causa delectationis : Sed spes et memoria est aliqua consecutio boni : Ergo, etc. *Minor probatur* : Quia licet maxima delectatio consequatur in reali consecutione boni, spes tamen aliquo modo reddit bonum præsens, sicut et memoria.

Sequitur 413. Tristitiam per accidens esse posse causam delectationis.

413. — 1. 2. q. 32. a. 4.

Probatur sequela. Quod facit bonum aliquomodo præsens causat delectationem : Sed tristitia facit bonum aliquo modo præsens ; quando enim quis tristatur de amissione boni, meminit illius boni, et sic bonum illud fit illi præsens secundum apprehensionem. Et similiter quando aliquis meminit se evasisse tristia, delectatur : sicut etiam tristatur, quando meminit se amisisse delectabilia.

Sequitur 414. Operationes aliorum posse esse causam delectationis.

414. — 1. 2. q. 32. a. 5.

Probatur sequela. Quod causat bonum adeptum, vel dat cognitionem boni tanquam adepti, vel habetur ut bonum proprium, potest esse causa delectationis, ut patet ex dictis : Atqui operationes aliorum possunt nobis esse causa boni aut adeptionis ejus, vel etiam cognitionis boni tanquam adepti, vel haberi ut bonum proprium : Ergo, etc. *Minor probatur:* Quia quando aliqui operando nobis bona faciunt, operationes illorum sunt nobis causa boni : similiter quando aliqui per operationes suas, puta laudem, admirationem, imo et adulationem testantur bonum aliquod esse in nobis, efficiunt ut cognoscamus bonum aliquod esse in nobis : denique quando aliquem diligimus, æstimamus bona illius tanquam propria, et sic de operationibus ejus tanquam de bono proprio delectamur.

Sequitur 415. Benefacere alteri esse causam delectationis per se ; punire autem, increpare, aut vindicare per accidens.

415. — 1. 2. q. 32. a. 6.

Probatur sequela. Bonum est causa delectationis quando est habitum : Atqui benefacere alteri est bonum, vel quia alterum tanquam nos ipsos ob amorem æstimamus, vel quia benefaciendo bonum speramus, vel quia benefacere indicat plenitudinem boni, habitum benefaciendi, et amorem. Quod vero punire per accidens causet delectationem, patet, quia punire per accidens causat bonum alterius, vel quia hoc indicat potentiam, auctoritatem, etc., ita et irasci et vincere, etc., possunt esse causa delectationis.

Sequitur 416. Similitudinem esse per se causam delectationis, licet per accidens sit causa tristitiæ.

416. — 1. 2. q. 32. a. 7.

Probatur sequela. Quod est causa amoris, potest esse etiam causa delectationis, quia utrumque est bonum : sed, ex dictis supra, similitudo per se est causa amoris, et per accidens est causa odii : Ergo, etc.

Sequitur 417. Admirationem esse causam delectationis.

417. — 1. 2. q. 32. a. 8.

Probatur sequela. Desiderium et spes boni adipiscendi sunt causa delectationis, ex dictis supra : Sed admiratio habet adjunctum desiderium et spem cognoscendi causam ignotam, cujus effectus admirationem facit : Ergo, etc.

Sequitur 418. Dilatationem esse effectum delectationis.

418. — 1. 2. q. 33. a. 1.

Probatur sequela. Amplificatio sive augmentum perfectionis metaphorice dicitur dilatatio, quia sicut corpora dilatantur recipiendo aliquo modo

majorem quantitatem molis, quo fiunt capacia recipiendi aliquid amplius, ita etiam per delectationem animal recipit bonum sibi conveniens, quod est veluti quantitas virtutis, cum sit ejus perfectio, et sit capax recipiendi ulterius bonum.

Sequitur 419. Delectationem causare sui sitim vel desiderium.

419. — 1. 2. q. 33. a. 2.

Probatur sequela. Delectatio vel est in actu, vel in memoria : Sed utroque modo aliquatenus causat sui sitim vel desiderium : Ergo, etc. *Minor probatur.* Sitis vel desiderium potest sumi proprie vel improprie. Delectatio in memoria causat sitim et desiderium proprie, quia qui meminit delectationis præteritæ, cupit etiam iterum percipere hanc delectationem, si sit in eadem dispositione. Delectatio vero in actu etiam causat sitim vel desiderium proprie, quando possessio boni non habetur tota simul ; et sic in bonis quæ successive possidentur, delectatio in parte boni possessi causat desiderium possidendi aliam partem : in bonis autem quæ non successive, sed tota simul possidentur, delectatio causat sitim et desiderium improprie ; id est, intensionem affectus sine fastidio, quando possidens bonum non lassatur possessione ; et hoc contingit, quando continuatio possessionis non facit super excrescentiam naturalis habitudinis, id est, non tollit convenientiam boni possessi cum possidente : nam quando tollit hanc convenientiam tunc fit fastidium, ut patet in comedente, qui quando satur est, fastidit cibos ; hoc autem non contingit in bonis spiritualibus, nisi per accidens, ratione actionis corporalis annexæ.

Sequitur 420. Delectationes corporales impedire usum rationis, non autem spirituales, saltem semper.

420. — 1. 2. q. 33. a. 3.

Probatur sequela. Quando anima intensius operatur per unam potentiam, non potest ita intense operari per aliam, ut diximus, præsertim circa objecta contraria, et quæ sunt cum transmutatione corporali : Sed in delectationibus corporeis anima intensius operatur per sensus, præsertim per imaginationem et appetitum, et frequenter bona illa, circa quæ operatur et delectatur, sunt contraria rationi : ut plurimum enim bona sensibilia sunt contraria rationi, et in hujusmodi delectationibus utpote passionibus invenitur transmutatio corporalis. Et hæc omnia patent, ex dictis : Ergo delectationes corporales impediunt usum rationis : spirituales autem non semper, nisi quando sunt vehementissimæ, ut patet in iis, qui Divino amore raptum patiuntur.

Sequitur 421. Delectationem perficere operationem.

421. — 1. 2. q. 33. a. 4.

Probatur sequela. Bonum superveniens bono, quodammodo illud perficit : Sed delectatio est bonum superveniens operationi, quæ est etiam bonum, cum sit actus : Ergo delectatio perficit operationem. Præterea, quia delectatio in operatione facit ut agens agat attentius et perfectius.

Sequitur 422. Dolorem vel tristitiam esse proprie passionem.

422. — 1. 2. q. 35. a. 1.

Probatur sequela. Motus appetitus sensitivi circa malum præsens est proprie passio, ut constat ex dictis supra, eo vel maxime, quod, quæ molesta sunt, passionem sive tolerantiam efficiunt : Sed dolor est motus appetitus sensitivi circa malum præsens : Ergo, etc.

Sequitur 423. Dolorem distingui a tristitia, sicut delectationem à gaudio.

423. — 1. 2. q. 35. a. 2.

Probatur sequela. Quia sicut gaudium est delectatio de bono præsente per rationem, vel sensum internum apprehenso, ita tristitia est dolor de

malo præsente per rationem vel per sensum externum apprehenso : et sicut delectatio stricte est de bono præsente per sensum externum apprehenso, ita dolor est de malo præsente per sensum externum, maxime per tactum, apprehenso.

Sequitur 424. Tristitiam esse contrariam delectationi.

424. — 1. 2. q. 35. a. 3.

Probatur sequela. Actus, qui sunt circa objecta contraria, sunt contrarii : Atqui tristitia et delectatio sunt actus circa objecta contraria, ut patet ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 425. Omnem tristitiam omni dolori aliquo modo esse contrariam, quamvis aliquando possit fieri, quod sint motus disparati secundum proprias rationes, vel etiam aliquo modo convenientes.

425. — 1. 2. q. 35. a. 4.

Probatur sequela. Quia omnis tristitia est horror mali, omnis delectatio est acceptatio boni : Hæc autem sunt contraria ; sicut etiam quando de uno et eodem objecto est tristitia et delectatio, puta quando unus tristatur de morte hominis, et alter gaudet : Sed quando objecta sunt disparata, puta mors amici, et contemplatio veritatis, tunc etiam tristitia et delectatio sunt motus disparati. Quod si quis v. g. tristetur de aliquo malo et gaudeat de bono opposito, tunc hujusmodi tristitia et delectatio habent quamdam convenientiam, ut patet.

Sequitur 426. Per se loquendo appetitum delectationis fortiorem esse, quam fugam tristitiæ ; quamvis per accidens contingat oppositum.

426. — 1. 2. q. 35. a. 6.

Probatur sequela. Per se loquendo bonum est fortius malo, tum quia bonum per se est objectum appetitus, malum vero per accidens in quantum est privatio boni ; tum quia, cum bonum sit conveniens, et malum disconveniens, potest dari bonum omnino conveniens, non potest dari malum omnino disconveniens, eo quod, ut supra diximus, non potest dari summum malum : Sed delectatio per se respicit bonum, tristitia malum : Ergo appetitus delectationis per se fortior est, quam fuga mali. Per accidens tamen contingit oppositum : 1° ratione apprehensionis, quia amor est causa delectationis, et amor magis sentitur in absentia rei amatæ propter tristitiam adjunctam, et sic per accidens ratione amoris tristitia fortior est ; 2° quia contingit aliquando tristitiam esse de malo, quod est privatio boni magis amati, et sic fortior est tristitia ob bonum illud magis amatum, quam sit delectatio de alio bono minus amato ; 3° quia tristitia ut plurimum excludit omnem delectationem, et sic magis fugitur, quam appetatur una aliqua delectatio.

Sequitur 427. Dolorem interiorem per se majorem esse, quam exteriorem, quamvis per accidens contingat oppositum.

427. — 1. 2. q. 35. a. 7.

Probatur sequela. Quando causa per se major est et magis applicatur, etiam per se effectus major est, ut patet : Sed causa per se doloris interioris est malum repugnans ipsi appetitui per se ; causa vero doloris exterioris est malum repugnans ipsi appetitui non per se, sed ratione corporis, cui infligitur dolor ; et malum repugnans appetitui per se applicatur per sensum internum, vel per rationem, quæ fortius et altius applicant ; malum vero repugnans appetitui ratione corporis applicatur per sensum externum, qui minus applicat : Ergo dolor interior per se major est quam exterior. Per accidens tamen est minor, quia quidquid repugnat corpori, repugnat appetitui, et quidquid apprehenditur sensu externo, apprehenditur etiam interno, quamvis non o contra.

Sequitur 428. Recte enumerari quatuor species tristitiæ, improprie tamen.

428. — 1. 2. q. 35. a. 8.

Probatur sequela. Quia, ut supra diximus, genus continet in potentia differentias, quæ quodammodo illi superadduntur; unde quoties aliquid superadditur alicui communi, solet vocari species improprie : Atqui ita fit in additione quatuor specierum tristitiæ, quæ sunt *Misericordia,* quæ est tristitia de malo alieno, quatenus æstimatur proprium : *Invidia,* quæ est tristitia de bono alieno, sub qua continetur Zelus et Nemesis, hoc est, tristitia de bono alterius, quatenus est indignus illo : *Anxietas* sive angustia, quæ est tristitia tanta, ut fugam mali impediat veluti ob stuporem : *Accidia*, quæ est anxietas, etiam membra exteriora impediens a fuga.

Sequitur 429. Bonum amissum et malum conjunctum esse causam tristitiæ, sed magis malum conjunctum.

429. — 1. 2. q. 36. a. 1.

Probatur sequela. Omne malum præsens est causa et objectum tristitiæ : Sed bonum amissum est etiam malum : Ergo bonum amissum est causa tristitiæ. Quia tamen malum conjunctum apprehenditur per modum cujusdam positivi, eo quod privatio apprehenditur ut ens; inde fit, quod malum conjunctum, licet de facto sit privatio, est magis causa doloris et tristitiæ.

Sequitur 430. Concupiscentiam esse causam tristitiæ.

430. — 1. 2. q. 36. a. 2.

Probatur sequela. Quo magis amamus et concupiscimus bonum, eo magis tristamur de retardatione vel substractione illius : Sed hoc est concupiscentiam esse causam tristitiæ : Ergo, etc.

Sequitur 431. Appetitum unitatis esse causam tristitiæ.

431. — 1. 2. q. 36. a. 3.

Probatur sequela. Concupiscentia boni est causa tristitiæ, ex dictis : Sed appetitus unitatis est concupiscentia boni, quia bonum, unum, et ens idem sunt, et cuilibet rei unitas bonum est : Ergo, etc.

Sequitur 432. Potestatem majorem inflictivam mali esse causam tristitiæ.

432. — 1. 2. q. 36. a. 4.

Probatur sequela. Quod est causa mali ut præsentis, est causa tristitiæ, ut patet ex dictis : Sed potestas major, cui resisti non potest, est causa mali ut præsentis : Ergo, etc.

Sequitur 433. Dolorem vel tristitiam impedire disciplinam, sive ne homo addiscat.

433. — 1. 2. q. 37. a. 1.

Probatur sequela. Quia anima intenta valde uni operationi, non potest valde aliis intendere, ut supra ostendimus : Sed in dolore sive tristitia anima est valde intenta ad repellendum malum præsens : Ergo non potest intendere rebus addiscendis, imo nec considerandis, si dolor sit valde intensus.

Sequitur 434. Aggravationem animi esse effectum tristitiæ.

434. — 1. 2. q. 37. a. 2.

Probatur sequela. Aggravatio animi metaphorice dicitur ex eo, quod sicut res aliqua gravitate deprimitur, sive comprimitur, ita animus malo præsenti tanquam pondere impeditur, ne possit operari : Atqui ita in tristitia accidit, ut patet ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 435. Tristitiam impedire aliquam operationem, et augere aliam.

435. — 1. 2 q. 37. a. 3.

Probatur sequela. Tristitia, quæ est cum spe evadendi malum præsens aliquando non absorbet totam animam,

sed facit, ut fortius anima conetur ad repellendum malum : Sed in hoc casu tristitia impedit quidem aliquam operationem, puta impedit, ne homo addiscat, ut ostendimus ; non tamen impedit, imo auget actionem, qua malum repellitur : Ergo, etc.

Sequitur 436. Tristitiam inter omnes passiones esse maxime læsivam corporis.

436. — 1. 2. q. 37. a. 4.

Probatur sequela. Ubi est transmutatio corporalis potest esse læsio corporis ; sed quando talis transmutatio corporalis repugnat motioni vitali sanguinis et spirituum, tunc maxime fit læsio corporis viventis, ut patet : Atqui tristitia inter omnes passiones habet maxime transmutationem corporalem repugnantem motioni vitali, quia habet transmutationem sibi proportionatam : unde sicut per tristitiam aggravatur et comprimitur anima, ita per eamdem comprimitur cor et impeditur sanguis et spiritus vitalis, ne moveatur a corde in membra : et si moveatur, facit ut moveatur languide : Ergo, etc.

Sequitur 437. Tristitiam mitigari vel tolli per delectationem.

437. — 1. 2. q. 38. a. 1.

Probatur sequela. Unum contrarium mitigatur vel tollitur per contrarium : Sed tristitia est contraria delectationi, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 438. Tristitiam mitigari per fletum.

438. — 1. 2. q. 38. a. 2.

Probatur sequela. Ex dictis, omnis delectatio mitigat tristitiam : Sed fletus et gemitus causant delectationem aliquam, quia est conveniens tristi : Ergo delectatio, quæ fit ex fletu mitigat tristitiam.

Sequitur 439. Tristitiam mitigari per compassionem amicorum.

439. — 1. 2. q. 38. a. 3.

Probatur sequela. Omnis delectatio mitigat tristitiam : Sed compassio amicorum facit delectationem, quia est signum amoris, quem habent ad nos amici : amari autem causat delectationem : Ergo, etc.

Sequitur 440. Tristitiam mitigari per contemplationem veritatis.

440. — 1. 2. q. 38. a. 4.

Probatur sequela. Omne, quod causat delectationem, mitigat tristitiam, ex dictis : Sed contemplatio veritatis causat delectationem, ut etiam diximus : Ergo, etc.

Sequitur 441. Tristitiam mitigari per somnum, balnea, etc.

441. — 1. 2. q. 38. a 5.

Probatur sequela. Quia ista et causant delectationem et reficiunt corpus, sanguinem, et spiritus vitales.

Sequitur 442. Spem esse passionem animæ a cupiditate et aliis passionibus distinctam.

442. — 1. 2. q. 40. a. 1.

Probatur sequela. Passio de bono futuro, arduo ac possibili distinguitur ab aliis, quæ non habent idem objectum, quia ut dicemus in tertio principio, motus et actus specificantur ab objecto : Sed spes est passio de bono futuro, arduo et possibili, ut patet ex dictis supra : Ergo, etc.

Sequitur 443. Spem esse in parte appetitiva quatenus dirigitur ab apprehensiva.

443. — 1. 2. q. 40. a. 2.

Probatur sequela. Extensio animæ ad bonum est in parte appetitiva, ad quam pertinet se ad bonum extendere, sicut ad apprehensivam ad se trahere bonum : Sed spes est quædam extensio animæ ad bonum, ut patet ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 444. Spem esse in brutis.

444. — 1. 2. q. 40. a. 3.

Probatur sequela. Passio appetitus sensitivi est in brutis : Sed spes est passio appetitus sensitivi : Ergo, etc. Adverte autem, quod licet bruta non

apprehendant futurum, possunt tamen cognoscere aliquid præsens, ex cujus apprehensione per instinctum superioris agentis possunt ferri in bonum futurum.

Sequitur 445. Spei contrariari desperationem.

445. — 1. 2. q. 40. a. 4.

Probatur sequela. Accessus et recessus respectu ejusdem termini sibi invicem contrariantur : Atqui spes est accessus ad bonum arduum, desperatio est recessus, ut patet ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 446. Experientiam esse causam spei.

446. — 1. 2. q. 40. a. 5.

Probatur sequela. Quod facit bonum arduum esse possibile, et existimari ut possibile, est causa spei, ut patet ex dictis : Sed experientia facit ut bonum arduum sit possibile; quia per experientiam homo acquirit facilitatem faciendi aliquid; experientia etiam facit ut bonum arduum cognoscatur ut possibile : et quamvis experientia etiam quandoque faciat ut homo existimet aliquid impossibile, quia tamen semper ipsa experientia dat homini facilitatem, idcirco experientia magis dicitur causa spei.

Sequitur 447. In juvenibus et ebriis abundare spem.

447. — 1. 2. q. 40. a. 6.

Probatur sequela. Quod facit ut bonum arduum futurum sit possibile facit abundare spem : Sed in juvenibus sunt aliqua, quæ faciunt bonum arduum futurum esse possibile, aut saltem apprehendi ut possibile; quia juvenes, cum parum habeant de præterito, existimant se habere multum de futuro, et sic posse consequi bonum : et quia multum caloris habent, sunt animosi, sicut et ebrii quia habent cor plenum spiritibus : et quia non habent experientiam, existimant sibi aliquid esse possibile : Ergo, etc.

Sequitur 448. Spem aliquando esse causam amoris.

448. — 1. 2. q. 40. a. 7.

Probatur sequela. Amor est inquisitio ejus, quod est bonum etiam utile : Sed spes est causa inquirendi illud, quod est utile ad bonum speratum consequendum : Ergo, etc.

Sequitur 449. Spem per se adjuvare operationem.

449. — 1. 2. q. 40. a. 8.

Probatur sequela. Tum quia spes causat delectationem, quæ adjuvat operationem, ex dictis : tum quia bonum arduum possibile excitat attentionem animæ ad operationem, ut patet.

Sequitur 450. Timorem esse passionem.

450. — 1. 2. q. 41. a. 1. et 2.

Probatur sequela. Motus appetitus sensitivi cum transmutatione corporis, existens præsertim cum nocumento est proprie passio : Sed timor est motus appetitus sensitivi circa malum difficile vitandum cum transmutatione corporali et nocumento; constat enim ex dictis, timorem, cum sit mali sensibilis futuri fuga, ad appetitum spectare, ad quem spectat bonum et malum sensibile respicere : Et cum appetitus sensitivus sit potentia affixa organo corporeo, ejus motus fieri non potest sine transmutatione corporali, et cum sit circa malum imminens constringit cor : hæc autem cordis constrictio est nociva: Ergo, etc. Hinc constat timorem esse passionem specialem, quia habet objectum speciale.

Sequitur 451. Timorem omnem aliquo modo esse non naturalem, et aliquo modo naturalem; sed præterea aliquem timorem esse non naturalem.

451. — 1. 2. q. 41. a. 3.

Probatur sequela. Quod est nocivum naturæ non est naturale : Sed, ex di-

ctis, omnis timor appetitus est nocivus naturæ : Ergo, etc. Aliunde vero timere malum corruptivum naturæ, puta vulnus, etc. est quid naturale, timere vero malum non corruptivum naturæ, sed tantum contristativum appetitus, v. g. infamiam, non est quid naturale : unde non reperitur nisi in habentibus cognitionem.

Sequitur 452. Sex dari species timoris, Segnitiem. Erubescentiam, Vereçundiam, Admirationem, Stuporem, Agoniam.

452. — 1. 2. q. 41. a. 4.

Probatur sequela. Tot sunt species timoris, quot sunt species mali difficulter vitandi, cum ex dictis, malum difficulter vitandum sit objectum timoris : Sed sunt sex species mali difficulter vitandi : Ergo sunt sex species timoris. *Minor probatur :* Malum potest reperiri vel in operatione, vel in rebus externis : Sed in operatione potest dupliciter inveniri malum difficulter vitandum; ac primo quidem potest reperiri labor gravans et superexcedens potentiam, et sic timor hujusmodi vocatur *Segnities :* secundo potest reperiri in operatione infamia, et sic timor hujus mali si sit de actu committendo est *Erubescentia*, si vero sit de turpi jam facto est *Verecundia :* si autem malum sit in rebus externis, et tantum ut etiam timens cognoscere non sufficiat, etiam si velit, est *Admiratio :* si sit tantum ut timens nec considerare sufficiat, nec velit, est *Stupor :* denique si sit tantum, ut nullo modo possit provideri aut caveri, quia est improvisum, est *Agonia.*

Sequitur 453. Timorem proprie esse de malo, quamvis secundum quid possit esse de bono, quatenus bonum est privativum vel illativum mali.

453. — 1. 2. q. 42. a. 1.

Probatur sequela. Quia per hoc, ut diximus, timor distinguitur ab aliis passionibus, quod est de malo difficulter vitando : Sed bonum aliquando potest esse privativum alterius boni, vel inflictivum mali, unde potestas potens nos privare bono, vel nobis infligere malum, quamvis in se sit bona, est objectum timoris : Ergo, etc.

Sequitur 454. Malum quod timetur, debere esse futurum, et aliquo modo vitabile, licet difficulter.

454. — 1. 2. q. 42. a. 2.

Probatur sequela. Quia timor per hoc distinguitur a cæteris passionibus. quia est circa malum, quod apprehenditur ut imminens ac difficulter vitabile : Sed quando non est futurum, vel saltem non apprehenditur ut brevi futurum, non est imminens; et quando nullo modo potest vitari, non est vitabile : Ergo tunc non est timor. Et propterea non timemus mortem, quando illam æstimamus procul abesse, nec quando nullo modo est vitabilis, ut contingit in his, qui jamjam a carnifice plectendi sunt.

Sequitur 455. Malum culpæ non esse objectum timoris.

455. — 1. 2. q 42. a. 3.

Probatur sequela. Quod potest vitari ex sola voluntate, non est difficulter vitabile : Sed malum culpæ potest vitari ex sola voluntate : Ergo, etc. Adverte autem, quod qui timeret culpam ex substractione Divinæ gratiæ, non tam timeret culpam, quam timeret pœnam, scilicet ipsam substractionem gratiæ, ad quam sequitur culpa.

Sequitur 456. Timorem aliquo modo posse timeri.

456 — 1. 2. q. 42. a. 4.

Probatur sequela. Malum imminens difficulter vitabile timeri potest, ex dictis : Sed timor ipse, cum sit nocivus, est malum et aliquando potest esse imminens; et aliunde ratio et voluntas non ita dominantur appetitui, ut possint ad libitum motum timoris in appetitu cohibere, ut constat experientia, atque adeo timor incussus ab aliquo extrinseco est difficulter vi-

tabilis : Ergo timor ipse potest timeri. Augustinus alicubi dicit oppositum ; sed hoc est, quia potest homo absolute per rationem corrigere appetitum.

Sequitur 457. Repentina magis timeri.

457. — 1. 2. q. 42. a. 5.

Probatur sequela. Quo malum majus apprehenditur et difficilius vitatur, eo magis timetur, ut patet ex dictis : Sed mala repentina majora apparent et difficilius vitantur, quia ut plurimum quando quis magis et attentius considerat, videt illud, quod apprehendebat ut malum, vel esse minus, vel non esse omnino malum ; etiam prævisione munit se et investigat remedia adversus malum, sive ut malum repellat : Ergo, etc.

Sequitur 458. Mala, quæ cum acciderint, sunt irremediabilia, magis timeri, quando imminent.

458. — 1. 2. q. 42. a. 6.

Probatur sequela. Malum, quo apprehenditur majus, eo magis timetur : Sed malum, quod cum acciderit, non habet remedium, apprehenditur ut majus ; quia ipsa perpetuitas vel continuatio mali auget rationem mali : Ergo, etc.

Sequitur 459. Amorem esse causam timoris.

459. — 1. 2. q. 43. a. 1.

Probatur sequela. 1. Quia, ex dictis, amor est quodammodo causa omnium passionum. 2. Quia, quod est causa, cur aliquid apprehendatur ut malum, est causa timoris : Sed amor est causa materialis dispositiva, cur aliquid apprehendatur ut malum ; qui enim amat bonum aliquod, ex hoc apprehendit oppositum ut malum, quod nullo modo ut malum apprehenderet, nisi amaret ; nam nisi quis amaret amicum, mortem ejus non apprehenderet ut malum : Ergo, etc.

Sequitur 460. Defectum virtutis esse causam timoris.

460. — 1. 2. q. 43. a. 2.

Probatur sequela. Quod facit malum difficilius fugiendum, facit timorem, ut patet ex dictis : Sed defectus virium in timente efficit malum difficilius fugiendum, ut patet : Ergo defectus virium est causa timoris.

Sequitur 461. Contractionem esse effectum timoris.

461. — 1. 2. q. 44. a. 1.

Probatur sequela. Tunc appetitus dicitur contrahi, quando non ita se extendit ; hoc enim est contrahi in corporibus, non se ita extendere : Sed timor facit ne appetitus se extendat, quia est ex apprehensione debilitatis virtutis, qua possit resisti malo, ut dictum est : Ergo timor facit contractionem. Adverte quod timor facit etiam contractionem spirituum et sanguinis, qui ex timore infrigidantur, et cum frigus sit contractivum, etiam contrahuntur : unde provenit tremor ; et fiunt etiam graves spiritus, unde moventur ad inferiora : et hinc provenit, quod timentes purgantur ventre, pallescunt, etc. in verecundia tamen rubescunt ad tempus, quia sanguis procedit a corde ad vultum, quasi ipsi vultui suppetias laturus.

Sequitur 462. Timorem facere consiliativos aliquo modo.

462. — 1. 2. q. 44. a. 2.

Probatur sequela. Quod dat sollicitudinem capiendi consilium, facit consiliativos occasionaliter, non autem effective ; nam effective solum judicium, non passio, facit consiliativos : Atqui timor dat sollicitudinem capiendi consilium, quia respicit malum difficulter vitandum, ut dictum est ; in difficilibus autem consiliamur : Ergo, etc.

Sequitur 463. Timorem causare tremorem.

463. — 1. 2. q. 44. a. 3.

Probatur sequela. Quod facit frigidum et contrahit sanguinem et spiritus ab externis ad interna, facit tremorem, ut patet experientia : Sed, ex dictis, timor facit frigidum et contrahit spiritus et sanguinem ab externis ad interna : Ergo timor causat tremorem.

Sequitur 464. Timorem aliquo modo impedire operationem, et aliquo modo illam juvare.

464. — 1. 2. q. 44 a. 4.

Probatur sequela. Quod impedit instrumentum, impedit operationem agentis per instrumentum : Sed timor impedit membra externa, quæ sunt instrumenta animæ ad externas operationes, quia frigefacit, ex dictis; frigus autem impedit operationes vitales, quæ maxime perficiuntur calore, ut alias probavimus : Ergo, etc. Sed quia timor, quando non est nimius, dat sollicitudinem consiliandi, ut diximus, et consilium juvat operationem.

Sequitur 465. Audaciam esse passionem contrariam timori.

465. — 1. 2. q. 45. a. 1.

Probatur sequela. Motus appetitus sensitivi per modum accessus et recessus sunt contrarii, sicut etiam in corporibus accessus contrariatur recessui : Sed, ut patet ex dictis, timor est motus appetitus sensitivi per modum recessus a malo ut fugiendo, audacia vero est motus appetitus sensitivi ad malum ut vincendum : Ergo audacia est passio contraria timori.

Sequitur 466. Audaciam consequi ad spem.

466. — 1. 2. q. 45. a. 2.

Probatur sequela. Quod est per accidens consequitur ad hoc, quod est per se : Sed prosecutio mali ardui, quæ pertinet ad audaciam est quid per accidens; prosecutio vero boni ardui, quæ pertinet ad spem, ut patet ex dictis, est quid per se, quia bonum per se est objectum prosecutionis : malum vero per se est objectum fugæ : Ergo audacia consequitur ad spem, sicut desperatio, quæ est fuga boni ob difficultatem, consequitur ad timorem, qui est fuga mali.

Sequitur 467. Nullum defectum per se causare spem.

467. — 1. 2. q. 45. a. 3.

Probatur sequela. Illa solum causant audaciam, quæ causant spem, a qua procedit audacia, ut dictum est et quæ expellunt timorem : Sed nullus defectus causat per se spem, vel expellit timorem : Ergo nullus defectus causat per se audaciam. *Major patet. Minor probatur :* Ea solum causant spem, quæ faciunt ut æstimemus bonum possibile adipisci, ut fortitudo, divitiæ, amici, etc. vel quæ removent terribilia, aut reddunt malum possibile ad excludendum, ut sunt non habere inimicos, etc. et quæ faciunt calidiatem circa cor, ut cor parvum, pulmo magnus sanguineus, vinum, bilis, etc. Sed hæc non dicunt defectum, ut patet : Ergo, etc. Per accidens tamen defectus experientiæ facit audaces.

Sequitur 468. Audaces promptiores esse in principio, quam in fine.

468. — 1. 2. q. 45. a. 4.

Probatur sequela. Qui non agunt ex collatione rationis, sed ex motu passionis promptiores sunt in principio, quam in fine; quia non bene ponderant pericula, quæ in fine experiuntur majora, quam apprehenderant in principio : Sed audaces agunt ex audacia, quæ est passio, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 469. Iram non esse passionem generalem proprie.

469. — 1. 2. q. 46. a. 1.

Probatur sequela. Quod est generale, quia est effectus ex multis causis

consurgens, non est generale nisi improprie, ut patet : Atqui ira non est passio generalis, nisi quia est passio ex multis aliis passionibus consurgens; consurgit enim ex tristitia mali illati, quam vindicando iratus desiderat et sperat repellere, ut constat experientia et generali divisione passionum : Ergo ira non est proprie passio generalis.

Sequitur 470. Iræ objectum esse quidem directe malum præsens, hoc est, injuria vel læsio ut repellenda per vindictam, et indirecte bonum vindictæ, quod videtur bonum irato, sed malum ei cui irascitur, quem respicit etiam ut nocivum.

470. — 1. 2. q. 46. a. 2.

Probatur sequela. Ira est appetitus vindictæ contra injuriam illatam, ut constat ex dictis : Sed hic appetitus directe respicit injuriam ut repellendam per vindictam, et indirecte bonum vindictæ; apprehendit enim vindictam ut bonum, eamque appetit ei, contra quem irascitur : Ergo, etc.

Sequitur 471. Objectum iræ esse complexum quoddam ex bono, quod appetit, scilicet vindicta, et ex malo, scilicet eo, cui irascitur, quod tanquam malum apprehendit.

471. — 1. 2. q. 46. a. 2.

Probatur sequela. Objectum iræ est vindicta inferenda ei, contra quem est, ex dictis : Sed hoc objectum est complexum, ut patet : Ergo, etc.

Sequitur 472. Iram esse passionem irascibilis.

472. — 1. 2. q. 46. a. 3.

Probatur sequela. Motus circa bonum vel malum arduum est passio irascibilis : Sed, ex dictis, ira est motus circa vindictam ut est bonum arduum, et circa eum qui injuriam infert tanquam in malum difficulter propulsandum, nam de rebus, quæ non sunt magna non irascimur : Ergo, etc.

Sequitur 473. Iram esse cum ratione.

473. — 1. 2. q. 46. a. 4.

Probatur sequela. Quod est cum collatione unius ad aliud est cum ratione, quia solius rationis est conferre, ut alias diximus : Sed ira est cum collatione unius ad aliud, scilicet vindictæ cum injuria : Ergo est cum ratione tanquam proponente injuriam, non tanquam moderante appetitum : unde in brutis est ira cum ratione gubernante et per instinctum naturalem ea movente.

Sequitur 474. Iram secundum objectum esse minus naturalem, quam concupiscentiam, quamvis ex parte subjecti aliquo modo sit magis naturalis.

474. — 1. 2. q. 46. a. 5.

Probatur sequela. Bonum est naturalius malo, et bonum ut sic, quam sit bonum arduum : Sed concupiscentia est circa bonum ut sic; ira vero est aliquo modo circa malum etiam arduum, ut diximus : Ergo ira secundum objectum non est ita naturalis ac concupiscentia, sed ex parte subjecti aliquo modo est naturalior : quamvis enim secundum rationem genericam animalis naturalius sit appetere bonum proprium et speciei, quam vindictam, tamen secundum rationem specificam hominis, quia ira est aliquo modo cum ratione, magis naturalis est ira : sicut etiam secundum complexionem individui, quia bilis sive cholera cum sit ignea facilius movetur, quam sanguis; ex motu autem bilis fit ira, sicut ex motu sanguinis fit concupiscentia.

Sequitur 475. Iram non esse ita gravem ac est odium.

475. — 1. 2. q. 46. a. 6.

Probatur sequela. Appetere malum sub aliqua ratione boni, non est ita grave, ac appetere malum sub ratione

mali : Sed ira est appetitus vindictæ sub ratione boni, scilicet repulsivi injuriæ; odium autem est appetitus mali sub ratione mali, odisse enim est velle malum alteri ut illi est malum : Ergo, etc.

Sequitur 476. Iram non esse nisi ad illos, circa quos est aliquo modo justitia.

476. — 1. 2. q. 46. a. 7.

Probatur sequela. Appetitus vindictæ sub ratione justi non potest esse, nisi ad illos ad quos est justum : Sed ira est appetitus vindictæ sub ratione justi, ut patet ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 477. Tres dari veluti species iræ, Fel sive Excandescentiam, Maniam, et Furorem.

477. — 1. 2. q. 46. a. 8.

Probatur sequela. Appetitus vindictæ est ira, ex dictis : Sed tres dantur species, appetitus vindictæ, subitus motus sive *Excandescentia;* manens, unde *Mania* dicitur, et qui nunquam quiescit donec puniat qui est *Furor* : Ergo recte dicuntur tres veluti species iræ.

Sequitur 478. Motivum iræ esse aliquid factum contra ipsum, qui irascitur.

478. — 1. 2. q. 47. a. 1.

Probatur sequela. Vindictæ motivum non potest esse, nisi factum contra ipsum, qui vult malum sub ratione justi vindicativi : Sed ira est appetitus vindictæ, ut diximus : Ergo, etc. *Major patet* : Quia quilibet, ut amat proprium bonum, ita naturaliter repellit proprium malum, et si quando quis vult vindicare injuriam alienam, hoc est, quatenus ratione amicitiæ aliquo modo ad se pertinet.

Sequitur 479. Omnes causas iræ reduci ad parvipensionem aliquam.

479. — 1. 2. q. 47. a. 2.

Probatur sequela. Vindicta non potest apprehendi ut justa, nisi ob parvipensionem : Atqui omnis ira est appetitus vindictæ, quæ apprehenditur ut justa : Ergo omnis ira oritur ex parvipensione, saltem existimata. *Major patet* : Quia vindicta non potest apprehendi ut justa, nisi supponatur injuria; injuria vero omnis includit parvipensionem, quæ triplex est *Despectus, Epireasmus,* id est, impedimentum voluntatis implendæ, et *Contumeliatio.* Adverte, quod licet bruta non apprehendant honorem, sub ratione honoris, apprehendunt tamen quamdam excellentiam.

Sequitur 480. Excellentiam irascentis esse causam iræ, et aliquando etiam defectum ipsum irascentis.

480. — 1. 2. q. 47. a.

Probatur sequela. Parvipensio injusta est causa iræ, ut dictum est; et ira est, ex tristitia parvipensionis : Sed excellentia irascentis, qui parvipenditur, est causa injustitiæ in ipsa parvipensione, sicut, et defectus est causa tristitiæ ex ipsa parvipensione. Ergo excellentia irascentis est causa iræ ratione motivi, quod est injustitia parvipensionis; et defectus irascentis est causa iræ ratione tristitiæ, ex qua ira oritur.

Sequitur 481. Defectum ejus, qui parvipendet, augere iram.

481. — 1. 2. q. 47. a. 4.

Probatur sequela. Quod auget rationem injustæ parvipensionis, auget iram augendo injuriam, ut patet ex dictis : Atqui defectus ejus qui parvipendet, auget rationem injustæ parvipensionis, quia injuria fit major ex vilitate personæ offendentis, ut constat : Ergo defectus ejus, qui parvipendet, auget iram. Et similiter amicitia; quia parvipendi ab amico injuriosius videtur.

Sequitur 482. Iram causare delectationem.

482. — 1. 2. q. 48. a. 1.

Probatur sequela. Appetitus alicujus sub ratione boni causat delecta-

tionem perfectam, quando bonum realiter adest, imperfectam quando non adest, nisi in spe vel apprehensione, ut patet ex dictis supra : Atqui ira est appetitus vindictæ sub ratione boni, hoc est justi ad propulsandam injuriam : Ergo ira causat delectationem, perfectam quidem quando vindicta realiter ponitur, imperfectam quando est in spe vel cogitatione : et quia iratus continuo cogitat de vindicta et sic vindicta est præsens in cogitatione, idcirco iratus semper delectatur.

Sequitur 483. Iram causare fervorem sanguinis et spirituum in corde : unde dicitur, quod est accensio sanguinis circa cor.

483. — 1. 2. q. 48. a. 2.

Probatur sequela. Transmutatio causata per motum appetitus sensitivi debet proportionari ipsi, ut diximus, et idcirco hi motus vocantur passiones : Sed fervor sanguinis et spirituum maxime proportionatur iræ, est enim ira motus ad propulsandam præsentem injuriam per vindictam, motus autem appetitus etiam naturalis fit major et ferventior ex præsentia contrarii ; unde aqua calefacta magis congelatur frigore in præsentia caloris magis agente : Ergo fervor sanguinis et spirituum circa cor est transmutatio correspondens iræ et causata ab ipsa. Adverte differentiam fervoris, qui est in amore, et illius qui est in ira, quod in amore, fervor est cum quadam dulcedine; unde calor ejus assimilatur calori aeris et sanguinis, et idcirco sanguinei sunt magis amatorii : fervor autem qui est in ira, assimilatur igni et bili, quia ira tendit ad propulsandam injuriam : unde est cum quadam amaritudine. Vide pulchram descriptionem irati in D. Thom. ex D. Gregorio.

Sequitur 484. Iram impedire usum rationis.

484. — 1. 2. q. 48. a. 3.

Probatur sequela. Quod facit maximam perturbationem in corpore, maxime impedit usum rationis, quia quamvis usus rationis non fiat per corpus tanquam per organum, non fit tamen sine conversione ad phantasmata, quæ perturbato corpore etiam perturbantur, et etiam non fit sine functione sensuum, ad quam necessarii sunt spiritus et sanguis : Atqui, ex dictis, ira facit magnum fervorem et perturbationem et veluti abripit totam animam : Ergo, etc.

Sequitur 485. Iram causare taciturnitatem.

485. — 1. 2. q. 48. a. 4.

Probatur sequela. Taciturnitas aliquando oritur ex usu rationis, aliquando oritur ex impedimento usus rationis ; quia locutio est signum usus rationis, et id, quod usu rationis interius agimus, externa locutione significamus : Sed in ira, ut diximus, est aliquis usus rationis demonstrantis et proponentis injuriam, non tamen cohibentis appetitum vindictæ; aliunde vero in ira est impedimentum usus rationis, ex jam dictis : Ergo ex utroque causabitur taciturnitas. Adverte autem, quod tristitia, quæ est in ira causat taciturnitatem, et perturbatio causat inordinatam locutionem ; et quia conturbat spiritus ad motum necessarios, aliquando iratus non potest loqui præ ira : aliquando etiam ubi semel cœpit loqui, vix potest sese a locutione inordinata cohibere.

CAPUT III.

De anima rationali.

Sequitur 486. Animam rationalem esse omnino spiritualem.

486. — 1. p. q. 75. a. 5.

Probatur sequela. Anima, potentia ejus, actus, et objectum debent esse

ejusdem immaterialitatis, ex dictis supra : Atqui actus et objectum intellectus animæ rationalis sunt omnino quid spirituale; ut enim patet experientia, anima intelligit ens abstractum ab omni materia, quod etiam infra ostendemus : Ergo anima rationalis est omnino spiritualis.

Sequitur 487. Animam rationalem esse immortalem et incorruptibilem.

487. — D. Thom. 3. De anima lect. 7; 1. p. q. 75. a. 2; 2. Contra gent. c. 78, 79. et 82; Qu. unic. De anim. a. 14.

Probatur sequela. Quod est spirituale est immortale, quia materia est principium corruptionis, unde eo modo aliquid est expers corruptionis, quo est elevatum supra materiam : Atqui, ex dictis, anima est omnino spiritualis : Ergo, etc. Adde, quod rector universitatis justus debet reddere unicuique præmium et pœnam debitam, ut alias ostendemus : Atqui ut in proximo principio dicemus, Deus est justus rector universitatis mundi, nec reddit in hac mortali corporum vita præmia et pœnas, ut ipsa experientia testatur, qua videmus prosperare, qui non vivunt conformiter ad rectam rationem, et infelices esse, qui sic vivunt : Ergo Deus debet servasse aliam vitam, atque adeo anima est immortalis exuta corpore.

Sequitur 488. Animam rationalem esse per se subsistentem.

488. — Iisdem locis.

Probatur sequela. Res spiritualis omnino immaterialis debet esse per se subsistens, alias non esset pure immaterialis, quia dependeret absolute a materia : Sed, ex dictis, anima est omnino immaterialis : Ergo, etc. Aliæ vero animæ cum non sint immateriales, non sunt per se subsistentes.

Sequitur 489. Animam posse subsistere separatam.

489. — Iisdem locis.

Probatur sequela. Quod est per se subsistens potest subsistere separatum ab alio, quia ei per se et ratione sui competit subsistere : Sed anima rationalis est per se subsistens : Ergo, etc.

Sequitur 490. Animam connaturaliter subsistere in corpore.

490. — 1. p. q. 75. a. 2.

Probatur sequela. Forma connaturaliter subsistit in eo, cujus est forma, ut patet : Atqui anima rationalis et immaterialis est forma corporis : Ergo, etc.

Sequitur 491. Animam rationalem non esse ejusdem speciei cum Angelis.

491. — 1. p. q. 75. a. 7; 2. Cont. gen. c. 92. et 93.

Probatur sequela. Quod connaturaliter est forma corporis et subsistit in corpore, non est ejusdem speciei cum eo, quod non est forma corporis, nec in eo subsistit : Sed anima est forma corporis, ut dictum est; Angelus vero non est forma, ut mox ostendemus : Ergo, etc.

Sequitur 492. Esse animæ esse ipsum esse totius hominis

492. — Ibidem.

Probatur sequela. In nullo composito est duplex esse, sed unum, ut postea dicemus in secundo principio; quia esse est ultima rei actualitas, quæ non potest actuari per aliam : Sed in homine est esse ipsius animæ, cum anima subsistat per se ex dictis : Ergo in homine non est aliud esse, quam esse animæ spirituale *ut quod*, corporale, *ut quo*.

Sequitur 493. Animam habere naturalem inclinationem ad corpus.

493. — In 4. dist. 43. q. un. a. 1. q. 1. et 3.

Probatur sequela. Omnis forma habet naturalem inclinationem ad id, cujus est forma, ut patet : Sed anima est forma corporis : Ergo, etc.

Sequitur 494. Resurrectionem corporis non esse impossibilem.

Probatur sequela. Quod est secun-

dum inclinationem naturalem non est impossibile : Sed suppositâ animæ separatione a corpore ipsa retinet inclinationem naturalem ad corpus : Ergo ipsa resurrectio sive reunio animæ cum corpore non est impossibilis.

Sequitur 495. Resurrectionem corporum futuram esse.

Probatur sequela. Deus non dat inclinationem naturalem frustra : Sed frustra esset illa inclinatio animæ, nisi esset resurrectio : Ergo, etc. *Præterea;* quia, ut dicemus in secundo principio, Deus beatificando animam satiat et complet omnem ejus inclinationem naturalem : et demum, quia anima cum sit immortalis debet reuniri corpori, ut cum ipso corpore pœnas vel præmia recipiat ; sicut enim habuit corpus socium meriti et demeriti, ita debet habere illud socium præmii vel pœnæ. Adverte tamen, quod Resurrectio semper est miraculosa, quia nullum est principium activum naturale, quod possit animam unire corpori post mortem.

Sequitur 496. Animam rationalem, ut est anima perfecta, non recipere in se effectum formalem quantitatis.

496. — 1. p. q. 76. a. 8; In 1. dist. 8. q. 5. a. 3; 2. Cont. gent. c. 72; 4. Cont. gent. c. 67; De spirit. a. 4; De anim. a. 10; Opusc. 61. c. 47.

Probatur sequela. Quomodo aliqua forma est dependens vel independens a materia, eodem modo et a quantitate, quia, ut diximus, quantitas est veluti proprietas materiæ : Atqui anima rationalis est omnino independens a materia : Ergo etiam a quantitate. Animæ vero vegetantium et animalium imperfectorum ut dependent a materia, ita et a quantitate.

Sequitur 497. Animam rationalem esse omnino indivisibilem.

497. — 2. De anim. lect. 4 ; Q. De anim. a. 10.

Probatur sequela. Quod est omnino independens à quantitate, est omnino indivisibile ; quod enim est independens a forma, est etiam independens ab effectu formali, cum effectus formalis nil aliud sit, quam forma ut communicata subjecto : Sed anima est independens a quantitate, cujus effectus formalis est dare divisibilitatem : Ergo est omnino independens a divisibilitate.

Sequitur 498. Animas etiam perfectorum animalium esse indivisibiles.

498. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia animæ etiam perfectorum animantium sunt etiam multum independentes a materia : Quod autem est multum independens a materia est etiam à quantitate : Ergo, etc.

Sequitur 499. Animam esse totam in toto et totam in qualibet parte.

499. — Iisdem locis.

Probatur sequela. Indivisibile existens in re divisibili est totum in toto, et totum in qualibet ejus parte : Sed anima est indivisibilis, corpus autem est divisibile, ut constat : Ergo anima in corpore est tota in toto, et tota in qualibet corporis parte.

Sequitur 500. Potentias animæ pure spirituales esse in sola anima.

500. — 1. p. q. 77. a. 5. et 6; De spirit. a. 4; Opusc. 3. cap. 89 et 92.

Probatur sequela. Accidens permanens, si sit omnino spirituale, debet esse in subjecto spirituali, ut sit proportio : Sed potentiæ aliquæ animæ sunt accidentia permanentia et spiritualia, ut constat ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 501. In anima rationali esse potentiam immaterialem.

501. — 1. p. q. 79. a. 7.

Probatur sequela ex dictis supra : In qualibet anima debent esse potentiæ proportionatæ : Atqui anima rationalis est omnino spiritualis : Ergo debent in ea esse potentiæ ei

proportionatæ, atque adeo spirituales.

§ I. De intellectu.

Sequitur 502. Aliquam potentiam animæ esse intellectivam.

502. — Ibidem.

Probatur sequela. Potentia omnino immaterialis est intellectiva : Sed datur in anima rationali potentia omnino immaterialis : Ergo et intellectiva. *Major probatur :* Tum, quia, ut diximus supra, unumquodque in quantum est immateriale, in tantum est vivens perfectiori vita (Seq. 244) : Ergo cum anima sit omnino immaterialis, ex dictis, debet esse vivens perfectissima vita, quæ est intellectiva : Sed non potest esse vivens tali vita, nisi habeat talem potentiam, quia, ut supra diximus, vivere est operari a principio intrinseco, et nulla substantia sic est immediate operativa, sed mediante potentia ; tum etiam, quia quo aliquid est immaterialius, eo est magis illimitatum, unde si sit capax recipiendi, eo magis potest modo spirituali et aliquo modo illimitato recipere formas aliarum rerum.

Sequitur 503. Potentiam intellectivam esse valde illimitatam.

503. — 1. p. q. 84. a. 1.

Probatur sequela. Quod est immateriale est illimitatum : Sed potentia intellectiva est immaterialis : Ergo et illimitata.

Sequitur 504. Etiam objectum potentiæ intellectivæ esse valde immateriale et illimitatum.

Probatur sequela. Anima, potentia, et objectum debent esse ejusdem immaterialitatis, ex dictis supra : Sed, etc. Ergo, etc.

Sequitur 505. Objectum intellectus esse ens et verum.

505. — 1. p. q. 5. a. 2. et q. 54. art. 2. et q. 55. art. 1. et q. 79. a. 7. et q. 82. art. 4. et q. 87. a. 3. et quæst. 105. a. 4. 1. 2. quæst. 9. a. 1. et q. 10. a. 1. et alibi passim.

Probatur sequela. Objectum valde immateriale et illimitatum debet esse ens et verum, alia enim objecta sunt valde limitata ; unde etiam experimur nos intelligere rationem entis ut sic.

Sequitur 506. Rationem formalem, sub qua intellectus noster attingit objectum suum esse exigentiam intelligendi per conversionem ad phantasmata.

506. — 1. p. q. 12. a. 4. et 11. et q. 84. a. 7. et 8. et q. 85. a. 1. et 5. et 8. et q. 86. art. 2. et q. 87. a. 2. et 3. et q. 88. a. 3 ; 3. De anim. lect. 8.

Probatur sequela. Sed prius explicatur : In qualibet potentia distinguenda sunt duo : scilicet objectum *quod,* sive ratio formalis *quæ,* et modus attingendi objectum ; ratio formalis quæ attingitur a potentia vitali, sumitur ex immaterialitate potentiæ : modus attingendi, qui dicitur ratio formalis *sub qua,* sumitur ex modo immaterialitatis potentiæ et modus immaterialitatis potentiæ ex modo connaturali immaterialitatis ipsius animæ ; quia, ut supra diximus, anima, potentia, et objectum sunt ejusdem immaterialitatis : Sed modus immaterialitatis animæ rationalis est, quod quamvis sit omnino spiritualis, ut diximus tamen connaturaliter respiciat corpus humanum tanquam forma propria ipsius : Ergo etiam modus connaturalis immaterialitatis potentiæ intellectivæ animæ rationalis erit, quod respiciat phantasmata, id est, species sensibiles in phantasia existentes tanquam materiam : unde ipsa potentia desumit connaturaliter species ad intelligendum, et hoc est attingere suum objectum per conversionem ad phantasmata.

Sequitur 507. Animam non habere species infusas a Deo vel ab angelis, sed acceptas a phantasmatibus.

507. — 3. De anim. lect. 10 ; 1. p. q. 79. a. 9.

Probatur sequela. Quod debet intelligere per conversionem ad phan-

tasmata debet connaturaliter accipere species ex phantasmatibus, et non habere illas per se infusas, alias nulla esset necessitas intelligendi per conversionem ad phantasmata : Sed anima connaturaliter intelligere debet per conversionem ad phantasmata : Ergo, etc.

Sequitur 508. Impediri judicium et cognitionem per ligamen sensus, præsertim phantasiæ plus minusve secundum quod ipsa phantasia ligata est vel læsa.

508. — 1. p. q. 84. a. 8. et q. 94. art. 4. et q. 101. a. 2; 1. 2. q. 33. a. 3. ad 3. et q. 48. a 3 et q. 53. a. 1. ad 3; 2. 2. quæst. 154. a. 5. et q. 172.

Probatur sequela. Quod intelligit per conversionem ad phantasmata, non intelligit, nec judicat, nisi dependenter ab illis, et iis ligatis vel perturbatis non judicat : Sed anima intelligit per conversionem ad phantasmata : Ergo, etc.

Sequitur 509. Optime distingui respectu intellectus duplex objectum, scilicet objectum specificativum, et objectum proportionatum sive connaturale.

509. — Ex iisdem locis.

Probatur sequela. Objectum intellectus nostri, ex dictis, est ens in tota sua latitudine, atque adeo absolute loquendo intellectus noster potest extendi ad totum ens : Ergo ens et quidquid sub ente continetur erit objectum extensionis ; aliunde vero connaturaliter non potest percipere, nisi objectum per conversionem ad phantasmata, atque adeo objectum proportionatum et connaturale erit illud, quod potest percipi per conversionem ad phantasmata.

Sequitur 510. Objectum proportionatum intellectus nostri esse ens concretum quidditati sensibili, sive quidditatem materialem.

510. — Locis citatis.

Probatur sequela. Objectum proportionatum intellectus nostri debet duo habere; *primum* est, quod sit immateriale, *secundum* est, quod sit intelligibile per conversionem ad phantasmata : Atqui ens concretum quidditati sensibili hæc duo habet ; nam ratio entis est immaterialis : ex eo vero, quod illa ratio entis est in ipsa quidditate materiali est intelligibilis per conversionem ad phantasmata : Ergo, etc.

Sequitur 511. In intellectu necessarias esse species ad intelligendam essentiam rerum materialium.

511. — 1. p. q. 14. a. 2. ad 3; In 2. dist. 3. q. 3. a. 1.

Probatur sequela. Objectum, ex dictis, debet esse ejusdem immaterialitatis cum potentia, ut sit intelligibile, et debet determinare potentiam, ex dictis de sensu ; imo etiam debet esse aliquomodo præsens, saltem in esse intelligibili : Atqui objectum proportionatum intellectui, sive res a parte rei, est quid materiale, nec potest ipsam potentiam intellectivam determinare per seipsum vel esse illi præsens : Ergo necessariæ sunt species, quibus ipsum objectum fiat intelligibile, determinans potentiam, et ipsi præsens.

Sequitur 512. Debere esse in anima intellectum agentem, qui ex phantasmatibus eliciat species intelligibiles, quas supponimus, ex dictis supra, esse necessarias ad intelligendum sicut et ad sentiendum.

512. — 3. De anim. lect. 10; 1. p. q. 79. a. 3.

Probatur sequela. In anima debet esse potentia ad omnia illa, quæ sunt ipsi necessaria ad intelligendum : Sed ad intelligendum connaturaliter et per conversionem ad phantasmata debet anima desumere species a phantasmatibus, ex dictis : Ergo debet esse in anima potentia ad eliciendas species intelligibiles ex phantasmatibus.

Sequitur 513. Non debere dari sensum agentem.

513. — Ibidem.

Probatur sequela. Sensus non debet abstrahere species suas ab objectis : Sed ipsa objecta immittunt species sensibiles : Ergo, etc.

Sequitur 514. Intellectum agentem, et intellectum possibilem esse duas potentias realiter distinctas.

14. — 3. De anim. lect. 10; In 2. dist. 17. q. 2. a. 1; In 3. dist. 14. ar. 1. q. 2. ad 2; 2 Contr. gent. c. 77. et 78; Opusc. 3. cap. 83. et 88; 1. p. q. 54. artic. 1. et qu. 79. a. 7. et 10.

Probatur sequela. Potentiæ habentes per se diversos reales actus et diversa objecta formaliter, sunt realiter distinctæ, ut alias dicemus : Atqui intellectus agens et possibilis habent actus per se primo diversos et objecta formaliter distincta : Ergo, etc. *Minor probatur ex dictis :* Quia proprium et per se munus intellectus agentis est elicere species ex phantasmatibus, proprium et per se munus possibilis est, recipere tales species, et mediis illis intelligere; unde cum potentia passiva et activa respectu ejusdem non possit esse eadem, ut etiam alias ostendemus, intellectus agens, qui est potentia activa et productiva specierum, et intellectus possibilis, qui est potentia passiva et receptiva earum, non poterit esse eadem potentia.

Sequitur 515. Intellectum agentem producere species intelligibiles mediantibus phantasmatibus tanquam instrumentis.

515. — Q. un. de anim. ar. 4. ad 8; In 3. dist. 23. q. 1. ad 1.

Probatur sequela. Omnis causa producens aliquem effectum debet illam præcontinere in virtute, ut de se patet : Atqui intellectus agens præcontinet quidem species intelligibiles ut sunt aliquid spirituale, quia et ipse habet virtutem spiritualem : non tamen præcontinet illas, ut quælibet illarum est repræsentativa objecti hujus, potius quam alterius, alias intellectus agens potuisset ab initio omnes species in intellectu possibili producere, absque concursu alicujus objecti : Ergo ad hoc, ut causa specierum intelligibilium in seipsa contineat virtutem productivam illarum, ut sunt etiam repræsentativæ, debent etiam necessario concurrere phantasmata, ita ut ex intellectu et phantasmate fiat una integra causa productionis specierum : Sed phantasma non potest concurrere per modum causæ principalis, quia nulla res immaterialis potest ut causa principalis producere rem spiritualem, qualis est species intelligibilis : Ergo debet concurrere per modum causæ instrumentalis; non enim sufficit extrinseca tantum assistentia et determinatio, quia semper causa specierum intelligibilium esset impotens ad illas producendas, cum extrinseca illa assistentia nullam conferret ipsi vim ad illas.

Sequitur 516. Intellectum intelligere abstrahendo.

516. — Quodl. 2. art. 2; Quodl. 8. a. 3; 1. p. q. 84. art. 4. et 85. art. 1. ad 3; 2. Contra gen. c. 77; De verit. q. 10. ar. 6.

Probatur sequela. Qui intelligit trahendo species intelligibiles a phantasmatibus, et denudando a conditionibus individualibus, intelligit abstrahendo; hoc enim est abstrahere, et nihil aliud : Sed anima sive intellectus intelligit trahendo species a phantasmatibus, et denudando ea a conditionibus individualibus, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 517. Hanc productionem sive abstractionem specierum intelligibilium a phantasmate fieri per hoc, quod intellectus agens naturam in phantasmate relucentem cum suis conditionibus individuantibus abstrahat ab illis, et sic illius denudatam imaginem producit.

517. — 3 De anim. lect. 8; In 4. dist. 50. quæst. 1. art. 3; Quæst. un. De anim. art. 20; Quodl. 11. a. 12; 2. Contra gent. c. 100; 1. p. q. 86. art. 1; et qu. 81. a. 1. ad 3.

Probatur sequela. Quia, ut omnes fatentur, hæc productio fit per abstractionem : Sed in omni abstractione aliquid assumitur et aliquid relinquitur; neque potest dici, quod hic assumantur singularitates, et relinquatur natura communis, cum, ex dictis, objectum proprium intellectus sit ipsa natura concreta quidditati sensibili : Ergo, etc.

Sequitur 518. Species istas intelligibiles esse ipsam quidditatem rerum intellectarum, non quidem in esse naturali, sed in esse intentionali et intelligibili.

518. — 2. De anim. lect. 24; 7. Metaph. lect. 6; 1. p. q. 12. a. 3. et q. 14. art. 1; 3. Contra gent. c. 49; Quæst. 2. De verit. art. 2.: Quodl. 3. a. 4.

Probatur sequela. Species omnes sunt formaliter similes objectis, ex dictis supra; atque adeo hæ species intelligibiles sunt formaliter similes quidditati rerum intellectarum, quæ est objectum intellectus nostri, ex dictis : Sed non possunt esse sic formaliter similes, nisi sint ipsum objectum in esse intelligibili : Ergo, etc. *Probatur minor :* Omnis formalis similitudo fundatur in aliqua unitate et identitate, ut alias ostendemus; idcirco enim unum individuum unius speciei est simile alteri ejusdem speciei, quia habet unam et eamdem naturam specificam : Ergo, etc.

Sequitur 519. Istas species debere aliquomodo uniri potentiæ intellectivæ in ordine ad intellectionem.

519. — 3. De anim. lect. 13; 1. p. q. 14. a. 1; Quæst. 2. De verit. a. 2; 1. Contra gent. c. 44.

Probatur sequela. Eodem modo se habent hujusmodi species intelligibiles in ordine ad intellectum, quo species sensibiles ad sensum; nam sicut species sensibiles sunt necessariæ ad determinandum sensum ad sensationem hujus objecti, potius quam alterius, ita et intellectum debent determinare species intelligibiles ad intellectionem unius objecti, potiusquam alterius : Atqui species sensibiles ita debent uniri sensui, ut nisi uniantur non possit sensus determinari, nec possit elici sensatio hujus objecti : Ergo, etc.

Sequitur 520. Species istas intelligibiles uniri ipsi intellectui formaliter, ut sunt repræsentativæ.

520. — Ibidem.

Probatur sequela. Species intelligibiles debent uniri ad determinandum intellectum ad intellectionem hujus objecti potiusquam alterius, ex dictis : Atqui hoc non possunt facere, nisi uniantur ut repræsentativæ; hac enim ratione determinant intellectum, et per accidens se habet, quod sint vel substantia vel accidens secundum suum esse entitativum : Ergo debent uniri ut repræsentativæ.

Sequitur 521. Istas species ita uniri ipsi intellectui, ut per hanc unionem ex objecto et potentia fiat unum in esse intelligibili, et ipse intellectus informatus specie in esse repræsentativo fiat res intellecta.

Probatur sequela. Omnis unio vel est per inhærentiam accidentis cum subjecto, vel formæ cum materia, vel termini substantialis cum natura, vel per identitatem, non enim potest esse alia : Atqui unio specierum cum intellectu, quatenus illæ sunt repræ-

sentativæ, non est per modum accidentis ad subjectum, vel subjecti ad accidens; cum per accidens sit respectu speciei, quod sit substantia vel accidens : aliunde non est materia, vel forma, vel terminus substantialis, aut natura : Ergo cum debeat esse aliqua unio erit per modum identitatis, non in esse entitativo, sed in esse intentionali.

Sequitur 522. Has species concurrere active ad intellectionem.

522. — 3. De anim. lect. 12; 1 p. q. 56. a. 1. et q 85. art. 2; Quæst. 2. De verit. a. 6; In 4. dist. 49. q. 2. a. 1; In 1. dist. 5. q. 3.

Probatur sequela. Forma determinans et complens principium activum, ut sic, concurrit active ad operationem, ut patet ex terminis : Atqui species determinat et complet potentiam activam, scilicet intellectivam, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 523. Has species a phantasmatibus abstractas, esse id, quo intelligit intellectus.

Probatur sequela. Quod concurrit ad actionem ut principium, et non ut principium *quod,* debet esse principium *quo :* Sed hæ species concurrunt ad intellectionem ut principium, ex dictis; non ut *quod,* quia non subsistunt per se, agere autem ut *quod,* est tantum subsistentium : Ergo ut principium *quo.*

Sequitur 524. Cognitionem singularium per sensum esse priorem cognitione universalium per intellectum; e contra vero cognitionem singularium per intellectum esse posteriorem cognitione universalium per intellectum.

524. — In 3. De anim. lect. 8. 1. p. q. 85. a. 1; Quæst. un. De anim. a. 20.

Probatur sequela. Ut intellectus agens abstrahat a phantasmatibus, et a conditionibus individuantibus ipsas species repræsentantes naturam universalem, debet præcedere cognitio singularium; quæ cognitio est per sensum, quia est limitata, ut diximus : Atqui intellectus non potest cognoscere naturam universalem, nisi abstrahendo species a phantasmatibus : Ergo intellectus non potest cognoscere naturam universalem, nisi præsupposita cognitione singularium per sensum; et quia intellectus debet abstrahere species a conditionibus individuantibus, ut cognoscat naturam rei, prius debet illam in universali cognoscere, quam in singulari.

Sequitur 525. Præter species abstractas a phantasmatibus posse dari alias species relictas ex priori intellectione.

525. — Opusc. 43; 1. p. q. 12. a. 9. ad 2; 1. p. q. 78. a. 4.

Probatur sequela. Nulla cognitio, ex dictis, fit sine specie : Atqui experimur, quod postquam v. g. aliquid intelleximus per conversionem ad phantasmata possumus illius recordari, illudque iterum cognoscere sine phantasmate : Ergo datur species relicta ex priori intellectione.

Sequitur 526. Nullam speciem abstractam a phantasmate repræsentare per se primo singularia.

526. — 3. De anim. lect. 8; In 4. dist. 50. q. 1. a. 3; Quæst. un. De anim. a. 20; Quodl. 11. a. 12; 2. Cont. gent c. 100; 1. p. q. 85. a. 1. et q. 86. a. 1.

Probatur sequela. Quod est abstractum ab aliquo non repræsentat illud, alias non esset abstractum : Atqui species abstracta a phantasmate, abstrahit etiam a singularitate, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 527. Aliquas species terminare etiam intellectionem.

527. — 1. p. q. 27. a. 1.

Probatur sequela. In omni operatione requiritur aliquis terminus præsens per eam, vel productus, vel attactus similis ipsi principio. Sed intellectio est operatio : Ergo in omn- intellectione requiritur aliquis terminus per eam productus, vel attactus : Sed terminus similis principio cognitionis est species; debet enim esse

similis speciei impressæ, atque adeo debet esse similitudo intentionalis expressa : Ergo, etc.

Sequitur 528. Has species impressas et expressas esse distinctas ab intellectione realiter.

528. — De pot. q. 8. a. 1; Opusc. 43; 2. Cont. gent. c. 53; 4. Contr. gent. c. 11; 1. p. q. 27. a. 1; De verit. q. 4. a. 2.

Probatur sequela. Quod dicit realem relationem ad aliud, distinguitur realiter ab illo; relatio enim realis non stat sine distinctione : Sed species impressæ et expressæ dicunt realem relationem ad actionem, impressa per modum principii, expressa per modum termini : Ergo, etc. Adde quod datur, ut demonstrabimus in secundo principio, aliqua intellectio sine ulla specie impressa, et denique si species expressa secundum suam formalem rationem esset ipsa operatio intellectiva, etiam in Divinis Verbum esset intellectio et non terminus intellectionis; quæ enim ad rationem formalem intellectionis et verbi pertinent, reperiuntur in Divinis.

Sequitur 529. In anima rationali memoriam intellectivam non distingui realiter ab intellectu.

529. — 3. De anim. lect. 8; 1. p. q. 79. a 6; De verit. q. 10. a. 2.

Probatur sequela. Quod non respicit objectum ut præsens, vel præteritum, sed sub ratione altiori ut abstractum a præsenti et præterito, est simul potentia perceptiva et retentiva, sive est realiter intellectus et memoria; quia jam sub illa ratione poterit objectum, quod a parte rei præteriit cognoscere; Atqui potentia intellectiva respicit objectum, scilicet naturam sive quidditatem rei materialis, non ut præsentem vel præteritam, sed ut abstractam, et sub ratione entis; quia ens, ut diximus, est objectum intellectus : Ergo, etc.

Sequitur 530. Intellectum speculativum et practicum esse unam et eamdem potentiam realiter.

530. — 1. p. q. 79. a. 12; In 3. dist. 23. quæst. 2. a. 3; De verit. q. 3. art. 3; 3. De anim. lect. 15.

Probatur sequela. Potentia, quæ respicit rationes inferiores sub aliqua altiori, est eadem res, ut dicemus : Atqui potentia intellectiva respicit rationem speculabilis et practici sub ratione entis, quæ est superior, ut patet ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 531. Rationem et intellectum, rationem superiorem et inferiorem, rationem et intelligentiam esse realiter unam et eamdem potentiam, quæ has varias denominationes recipit secundum varia munera, quæ peragit.

531. — 1. p. q. 79. a. 9; 1. 2. q. 74. art. 7; In 1. dist. 24. a. 2; De verit. q. 25. a. 2.

Probatur sequela. Potentia, quæ respicit objectum sub aliqua ratione altiori continente alias inferiores non diversificatur per illas inferiores : Sed intellectus respicit ens ut intelligibile, quæ est ratio quædam altior : Ergo, etc. Vocatur ergo intelligentia; quia prima apprehensione cognoscit, aut judicat simpliciter : vocatur ratio, quia ratiocinatur; ratio superior, quia ratiocinatur de rationibus superioribus; ratio inferior, quia ratiocinatur de inferioribus.

Sequitur 532. Intellectionem non esse operationem de prædicamento actionis.

Probatur sequela. Omnis operatio de prædicamento actionis debet esse aliquid fluens ab agente et cum motu proprie dicto, id est, actus entis in potentia prout in potentia, quia de ratione hujus actionis est, quod sit productio alicujus termini ab eo aliquo modo distincti, et sic actio illa actuat subjectum in potentia prout in potentia ad terminum : Sed intellectio non est aliquid fluens ab intellectu, sed remanens in illo; nec est cum

motu; quia, ut patet ex dictis, per se non habet producere terminum, et quando illum producit hoc non est per se, et veluti ex propria ratione; sed ex indigentia objecti, quod non est intelligibile et præsens ipsi intellectui in actu secundo.

Sequitur 533. Intellectum non posse primo singularia materialia cognoscere directe, sed tantum indirecte.

533. — D. Thom. 3. De anim. lect. 8; 1. p. q. 85. art. 1; Quæst. un. de anim. a. 20. ad 1

Probatur sequela. Intellectus potest ea duntaxat et directe cognoscere, quorum habet speciem directe repræsentativam : Sed ex dictis supra, nulla species abstracta a phantasmatibus est directe repræsentativa singularium : Ergo quando intellectus in prima cognitione cognoscit singularia per illam speciem, quæ directe repræsentat naturam, non potest directe cognoscere singularia, sed tantum indirecte propter connexionem, quam habet tum natura cum singularibus, tum etiam illa species cum phantasmatibus repræsentantibus directe singularia : unde fit, quod intellectus cognoscendo naturam, cognoscit etiam confuse singularia, et veluti reflectendo se supra propriam speciem cognoscit illam abstractam fuisse a phantasmatibus, et sic respiciendo phantasmata etiam cognoscit singularia. Quia vero, ut supra diximus, per cognitionem nostram, etiam quandoque producuntur species objectorum, quæ remanent in intellectu habitualiter post cognitionem; ideo ubi semel intellectus noster indirecte cognovit singularia per primam cognitionem, potest deinde eadem directe cognoscere; quia jam habet species intelligibiles directe repræsentativas relictas ex priori cognitione indirecta.

Sequitur 534. Intellectum nostrum posse cognoscere propriam cognitionem.

534. — 1. p. q. 14. a. 2. ad 3. q. 76. a. 1. ad. 4. q. 85. art. 2. q. 87. art. 1. et 3; In 2. dist. 23. q. 2. art. 1; 2. Contra gent. cap. 74: 4. Contra gent. cap. 11; De verit. q. 2. a. 2. ad 2; Opusc. 3. cap. 85; 2. De anima. lect. 6; 3. De anim. lect. 9.

Probatur sequela. Quod continetur intra objectum potentiæ potest attingi a potentia : Sed propria cognitio continetur intra objectum intellectus, quod est ens, ex dictis, intra quod continetur etiam propria cognitio : Ergo, etc.

Sequitur 535. Intellectum nostrum posse reflecti supra propriam cognitionem.

535. — Ibidem et 1. p. q. 28. a. 4. ad 2. et q. 87. a. 3.

Probatur sequela. Reflecti nil aliud est, quam cognoscere propriam cognitionem : Atqui intellectus noster potest cognoscere propriam cognitionem, ex dictis : Ergo, etc. *Major patet :* Quia sicut in corporalibus reflecti est quodammodo redire ad principium, ita in spiritualibus reflecti est redire ad cognitionem vel actum.

Sequitur 536. Intellectum nostrum posse se reflectere, vel formaliter et in actu signato, vel virtualiter et in actu exercito.

536. — Ibidem et In 2. dist. 3. q. 3. a. 1. et dist. 14. a. 1. q. 4.

Probatur sequela. Reflectere se formaliter et in actu signato, est per posteriórem cognitionem percipere aliam priorem et distinctam; reflectere vero in actu exercito et virtualiter, est per unam et eamdem cognitionem cognoscere objectum, et percipere cognitionem objecti, ut patet ex dictis : Atqui hoc potest intellectus noster, ut ipsa experientia testatur : Ergo, etc.

Sequitur 537. Sensus non esse reflexivos.

537. — 1. p. q. 14. a. 2. q. 57. a. 2. q. 78. a. 4; 2. De anim. lect. 13; 3. De anim. lect. 2. et 3.

Probatur sequela. Idcirco intellectus est reflexivus, quia ipsa sua intellectio est intra objectum intellectus; est enim intra ipsum ens : Atqui sensatio non continetur intra objectum ipsius sensus ; Ergo sensus non est reflexivus.

Sequitur 538. Sensus non proprie judicare.

538. — 1. p. q. 14. a. 2. ad 1. et q. 78. a. 4. ad 2. et q. 87. a. 3. ad 3; In 2. dist. 19. a. 1; In 2. dist. 23. q. 1. a. 2. ad 3; 2. Contra gent. c. 65.

Probatur sequela. Ad judicium proprie dictum requiritur virtualis saltem reflexio, in eo enim consistit judicium, quod formando aliquam propositionem per intellectum, illamque cognoscendo, virtualiter intellectus reflectitur supra se et suum actum, et judicat suum ipsum actum esse conformem rei, ut statim dicemus : Atqui sensus non sunt reflexivi, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 539. Animam posse seipsam cognoscere, et angelos et Deum.

539. — Iisdem locis, quibus dicit ens esse objectum intellectus.

Probatur sequela. Anima potest cognoscere aliquomodo quidquid continetur intra objectum intellectus : Sed anima ipsa, angelus, et Deus continentur intra objectum illud, cum illud sit ens, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 540. Animam non posse seipsam, angelos vel Deum cognoscere, prout est in corpore, nisi per species abstractas a sensibus.

540. — 1. p. q. 64. art. 1. ad 1. et q. 89. art. 2. ad 3; Quæst. un. De anim. a. 16.

Probatur sequela. Quia, ex dictis, anima pro hoc statu non potest cognoscere, nisi per species abstractas a phantasmatibus.

Sequitur 541. Animam posse cognoscere actus voluntatis, et intellectus sui.

541. — Locis supra citatis.

Probatur sequela. Quia hæc etiam continentur intra objectum suum.

Sequitur 542. Animam posse cognoscere infinita syncategorematice, non autem actu.

542. — 1. p. q. 86. a. 2; De verit. q. 2. a. 15. ad 3; Quodl. 11. a. 2. ad 4.

Probatur sequela. Quia potest cognoscere, quæcumque continentur intra objectum intellectus, quæ sunt infinita; quia tamen ipsa anima et virtus intellectiva ipsius est finita, non potest cognoscere infinita actu, nec comprehendere Deum.

Sequitur 543. Animam non posse naturaliter cognoscere contingentia ut futura.

543 — 1. p. q. 14. art. 13; De verit. q. 2. a. 15. ad 3.

Probatur sequela. Quia hæc non possunt cognosci per species abstractas a phantasmatibus, et quia hæc in suis causis incerta sunt.

Sequitur 544. Intellectum nostrum posse apprehendere rerum quidditates, præsertim materialium; posse etiam judicare ac ratiocinari.

544. — 1. p. q. 50. a. 2; De verit. q. 22. a. 11.

Probatur sequela. Quia potentia intellectiva in homine potest quidquid necessarium est ad hoc, ut homo percipiat ens et verum proportionatum, cum hoc sit ejus objectum, ex dictis : Sed hæc tria sunt necessaria, scilicet *apprehendere, judicare,* et *ratiocinari* : Ergo, etc.

Sequitur 545. Istas tres operationes esse tres operationes mentis.

545. — In 1. dist. 33. q. 1. a. 1. ad 3; 1. Post. in principio.

Probatur sequela. Quia hæ tres conveniunt menti nostræ, ex dictis;

et nulla est alia, quæ ad aliquam istarum trium non reducatur.

Sequitur 546. Quamlibet hanc operationem esse reflexam virtualiter et in actu exercito.

546. — Ex dictis supra, præsertim In 2. dist. 3. q. 3. a. 1. et dist. 14. a 1. q. 4.

Probatur sequela. Quælibet operatio mentis potest esse reflexa virtualiter et in actu exercito, ut patet ex dictis ; quia non est major ratio de una, quam de alia : atqui quælibet harum est operatio mentis, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 547. Primam apprehensionem esse simplicem actum, quo intellectus percipit quidditatem objecti.

547. — 1. p. q. 85. a. 2. ad 3. 22. q. 83. a. 3 ; In 1. dist. 9. q. 5. a. 1. ad 7. et dist. 38. a. 3 ; In 3. dist. 23. q. 2. a. 2. q. 1 ; De verit. q. 14. a. 1. 3 ; De anim. lect. 11.

Probatur sequela. Quia hic actus est operatio intellectus, ex dictis ; nec potest esse alius.

Sequitur 548. Judicium esse actum, quo in actu exercito res judicatur esse vel non esse, sicut per propositionem apprehensivam enuntiatur.

548. — Ibidem.

Probatur sequela. Actus, quo intellectus percipit quidditatem objecti est simplex operatio, ex dictis : Atqui potest intellectus apprehendere quidditatem propositionis, v. g. homo est animal ; propositio enim habet suo modo quidditatem : Ergo quando intellectus apprehendit propositionem, tunc adhuc est simplex operatio : Ergo ut sit secunda mentis operatio, debet in actu exercito res judicari esse, sicut per propositionem apprehensivam enuntiatur.

Sequitur 549. Cogitativam in homine esse aliquomodo iudicativam et discursivam ex participatione intellectus ; sed tantum circa singularia.

549 — 1. p. q. 78. a. 4. et q. 81. art. 3 ; 1. 2. q. 30. a. 3. ad 3 ; In 3. dist. 23. q. 2. a. 2. q. 1 ; et dist. 26. q. 1. art. 2 ; In 4. dist. 7. q. 3. a. 3. q. 2 ; 2. Contra gent. c. 59. et 172 ; De verit. q. 10. a. 5. et q. 14. art. 1. ad 9. et q. 15. a. 1 ; 2. De anim. lect. 13.

Probatur sequela. Virtus inferior ex unione cum superiori participat aliquid de perfectione illius licet imperfecte : Atqui cogitativa est unita intellectui in eadem anima, et intellectus est judicativus et discursivus, ex dictis : Ergo cogitativa participat hanc perfectionem, sed imperfecte et tantum circa objecta propria, quæ sunt singularia.

Sequitur 550. Hanc perfectionem non convenire æstimativæ brutorum ; sed id, quod agunt, agere ex instinctu, etiam si videatur quoddam judicium et discursus.

550. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod convenit alicui tantum ex participatione superioris, non convenit ipsi quando non unitur superiori, ut patet : Atqui judicare et discurrere non convenit cogitativæ hominis, nisi ex unione cum intellectu, ex dictis : Ergo non convenit æstimativæ brutorum ; sed hoc, quod agunt, in quo videtur esse aliquod vestigium judicii, agunt ex instinctu, quia opus naturæ est opus intelligentiæ.

Sequitur 551. Intellectum possibilem esse potentiam magis passivam quam activam.

551. — 1. p. q. 79. a. 2 ; In 3. dist. 14. a. 1. q. 2 ; 2. Contra gent.. c. 59 ; De verit. q. 16. art. 1. ad 13.

Probatur sequela. Quod magis recipit quam agat, est magis passivum quam activum : Sed intellectus possibilis magis recipit, quam agat ; recipit enim speciem impressam et expressam, imo et actum suum ut-

pote immanentem, elicit vero tantum suum actum : Ergo, etc.

Sequitur 552. Intellectum nostrum intelligere componendo et dividendo.

552. — 1. p. q. 58. a. 4. et 5. et q. 85. a. 5; In 3. dist. 35. q. 2. a. 2. quæst. 1.

Probatur sequela. Componere et dividere nihil aliud est, quam illud, quod repræsentatur per unam speciem attribuere vel denegare illi, quod repræsentatur per aliam speciem : Atqui intellectus noster, quando judicat, hoc præstat : Ergo intelligendo et dividendo cognoscit.

Sequitur. 553. Unum intellectum intelligere melius alio.

553. — 1. 2. q. 50. a. 4. ad 3; 3. Contra gent. c. 84.

Probatur sequela. Secundum dispositionem organi phantasiæ intellectus melius format species, et consequenter melius percipit objecta per species repræsentata : Sed intellectus intelligit per conversionem ad phantasmata : Ergo intellectus melius judicat secundum dispositionem organi phantasiæ.

Sequitur 554. Unam animam perfectiorem esse alia individualiter substantialiter.

554. — 1. p. q. 85. a. 7.

Probatur sequela. Anima rationalis, quæ perfectius intelligit ratione perfectiorum dispositionum, quas ipsa ut forma substantialis facit, est perfectior substantialiter : Sed una anima perfectius alia intelligit propter dispositionem organi phantasiæ quam dispositionem organi ipsa anima facit, ut patet ex dictis supra in definitione animæ : Ergo una anima est perfectior altera individualiter substantialiter.

Sequitur 555. In sola propositione judicativa reperiri proprie veritatem.

555. — 1. p. q. 16. art. 2; In 1. dist. 19. a. 1. q. 1; De verit. art. 3.

Probatur sequela. Veritas proprie est conformitas intellectus, ut intellectus est, ad rem, ex dictis : Sed hæc conformitas solum proprie reperitur in propositione judicativa : Ergo, etc. *Minor probatur :* Ibi proprie reperitur conformitas intellectus, ut intellectus est, cum re, ubi reperitur conformitas ut cognita ; per hoc enim differt intellectus ab aliis rebus, quia cognoscit, ut patet ex dictis : Sed in sola judicativa propositione reperitur conformitas cognita in actu exercito, ut patet ex dictis, sola enim propositio judicativa judicat rem ita se habere sicuti est.

Sequitur 556. Etiam falsitatem solum proprie reperiri in judicio.

Probatur sequela. Contraria qualia sunt veritas et falsitas, nata sunt fieri circa idem : Atqui veritas proprie solum est in judicio, ex dictis : Ergo et falsitas.

Sequitur 557. Falsitatem contingere in judicio, ex eo, quod ratio repræsentata per unam speciem conjungitur alteri repræsentatæ per alteram speciem, ita ut intellectus judicet unam rationem alteri competere, cum tamen a parte rei non competat.

Probatur sequela. Contrariorum contraria est ratio : Atqui veritas consistit in conformitate intellectus ad rem : Ergo falsitas consistit in difformitate judicativa : Sed talis difformitas fit per hoc, quod intellectus ex duabus speciebus elicit unam speciem repræsentantem conjunctionem rationum, quæ non sunt conjunctæ : Ergo, etc.

Sequitur 558. Intellectum obnoxium veritati et falsitati indigere aliquo habitu superaddito, ut per eum attingat infallibiliter veritatem.

558. Quæst. 20. De verit. a. 2.

Probatur sequela : Quod debet attingere aliquod objectum, et ex se non infallibiliter attingit, debet ex

aliquo superaddito attingere, ut infallibiliter attingat : Atqui intellectus debet attingere ens ut verum, ex dictis ; nec illud infallibiliter attingit : Ergo, etc. Illud autem superadditum, quo infallibiliter intellectus attingit verum, dicitur habitus.

Sequitur 559. Habitus, quibus intellectus attingit infallibiliter veritatem debere esse ordinativos specierum, ita ut ratio repræsentata per unam speciem non conjungatur alteri per aliam speciem repræsentatæ, nisi a parte rei ipsi conveniat.

559. — In 1. dist. 3. q. 5. ad 1 ; In 3. dist. 14. a. 1. q. 2. et 3.

Probatur sequela. Habitus, quibus infallibiliter attingitur veritas debent esse exclusivi falsitatis : Sed, ex dictis, falsitas fit per hoc, quod ratio repræsentata per unam speciem attribuitur rationi repræsentatæ per alteram speciem ; neque hoc potest excludi nisi ordinentur species : Ergo, etc.

Sequitur 560. Hos habitus non posse habere objectum tam late patens, ac ipse intellectus.

560. — 1. 2. q. 8. a. 2. ad 3. et q. 54. a. 1. et q. 56. art. 2; 2. 2. q. 47. a. 5; In 3. dist. 33. q. 1. a. 1. quæst. 1. et dist. 33. q. 1. art. 1. q. 1; De verit. q. 1. a. 12.

Probatur sequela. Quia si haberent objectum tam late patens, haberent idem objectum et non possent dare intellectui, ut attingeret infallibiliter veritatem : Atqui consequens est falsum : Ergo, etc. *Sequela probatur :* Quia, ut alias ostendemus, potentiæ et habitus specificantur ex objectis, et aliunde universalitas nimia objecti impedit, ne verum attingatur semper infallibiliter, nisi ordinentur species.

Sequitur 561. Tot esse habitus intellectus, quot sunt varia genera verorum infallibiliter attingibilium.

561. — 1. 2. q. 57. a. 1. 2 et 3. et q. 68. art. 7; 2. 2. q. 4. a. 8. et q. 4. a. 5; 3. Contra gent. c. 44; De verit. q. 1. art. 12. et 13.

Probatur sequela. Quod per se ordinatur ad aliquid, etiam specificatur et diversificatur ab ipso, ut ostendemus in tertio principio : Sed habitus intellectus per se ordinantur ad attingenda infallibiliter vera : Ergo, etc.

Sequitur 562. Quatuor aut quinque esse habitus intellectus, scilicet habitum primorum principiorum, qui subdividitur in habitum primorum principiorum speculabilium, et synderesim, quæ est habitus primorum principiorum practicorum : scientiam, quæ subdividitur in scientiam stricte, et sapientiam, prudentiam, et artem.

562. — Iisdem locis.

Probatur sequela. Tot sunt habitus intellectus, quot sunt genera verorum infallibiliter attingibilium, ex dictis : Sed sunt quatuor aut quinque : Ergo, etc. *Minor probatur :* Omne verum vel attingitur infallibiliter per medium, vel sine medio ; si sine medio est habitus primorum principiorum, tum speculabilium, qui dicitur 1 *intelligentia*, tum practicorum, qui dicitur 2 *synderesis;* si per medium, tunc vel est speculativum existens intra intellectum, vel non, sed est practicum ; si speculativum, est 3 *scientia* communiter dicta, quæ est cognitio rei per causam, quæ, si sit causa superior, est *sapientia*, si inferior, est *scientia :* si sit practicum vel est agibile, id est, operationis immanentis objectum, vel est factibile, id est, objectum operationis transeuntis ; si immanentis, est 4 *prudentia ;* si transeuntis, 5 *ars*. Omissis autem artibus et prudentia, de quibus forte infra.

Sequitur 563. Hos habitus esse distinctos realiter a potentia intellectiva.

563. — 1. 2. q. 49. a. 1. 2. et 3.

Probatur sequela. Qualitas activa per se ordinata ad attingendum infallibiliter verum distinguitur realiter ab ea, quæ potest etiam aliquando falli, et quæ habet diversum forma-

liter objectum : Sed, ex dictis, hi habitus per se ordinantur ad verum infallibiliter attingendum et habent diversum formaliter objectum; potentia autem intellectiva aliquando fallitur : Ergo, etc.

Sequitur 564. Habitum primorum principiorum speculabilium versari tam circa dignitates, id est, propositiones universalissimas per se notas, quam circa positiones, id est, principia minus universalia per se nota sapientioribus.

564. — 2. Post. lect. 5.

Probatur sequela. Quæ sub aliqua ratione formali attingunt aliquid, attingunt ea, quæ sub tali ratione formali continentur, ut de se patet, et alias ostendetur : Atqui habitus primorum principiorum attingunt principia, ut per se et sine medio nota, in quo conveniunt tam dignitates, quam positiones : Ergo, etc.

Sequitur 565. Hunc habitum primorum principiorum haberi cognitis terminis propositionum, circa quas versatur, acquisitis speciebus per actionem intellectus agentis.

565. — 2. Post. lect. ultim. 1. 2. q. 53. a. 1; 2. Contra gent. c. 78; Quæst. 16. De verit. a. 1 ad 11.

Probatur sequela. Propositiones immediatæ per se cognoscuntur cognitis terminis : Sed cognoscuntur per habitum principiorum, ex dictis : Ergo cognoscuntur per habitum illum cognitis terminis, et cum ad cognitionem terminorum requirantur species, ut patet ex dictis supra, hic habitus habebitur habitis speciebus intelligibilibus : Sed species intelligibiles habentur actione intellectus agentis, ex dictis : Ergo et hic habitus, non quod hic habitus non distinguatur a speciebus, cum, ut patet ex dictis, species se teneant ex parte objecti supplentes defectum intelligibilitatis ejus, habitus vero ex parte potentiæ supplentis fallibilitatem ejus; sed quia consurgit statim ad productionem specierum.

Sequitur 566. Scientiam esse habitum cognoscitivum effectus per causam prius cognitam.

566. — 2. Post. lect. 20.

Probatur sequela. Medium, quo effectus cognoscitur est causa; non enim potest bene cognosci nisi cognita causa, quia ignotum non deducit ad cognoscendum : Atqui scientia omnis est, qua aliquis effectus cognoscitur : Ergo, etc. Nomine autem effectus et causæ intelligitur causa sive *virtualis* sive *formalis;* formalis est, a qua effectus formaliter procedit, virtualis, a qua vere non procedit, sed si procederet, ab illa procederet : potest etiam intelligi nomine causæ illud, quod non est vere causa effectus, sed est tantum causa cognitionis; quæ tamen cognitio per causam sit intellectam non est ita proprie scientia

Sequitur 567. Scientiam esse cognitionem certam ex vi medii.

567. — 1. 2. q. 54. a. 2.

Probatur sequela. Cognitio, quæ fit per medium, quo attingitur infallibiliter verum, est certa ex vi medii; alias enim illi non competeret per se certitudo, quia per se solum illi competit respicere objectum per medium : Atqui scientia est cognitio, quæ fit per medium, quo attingitur infallibiliter verum, videlicet per causam, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 568. Scientiam connaturaliter esse cognitionem evidentem.

568. — Quæst. 4. De verit. a. 9. ad 3; 2. Post. lect. 7.

Probatur sequela. Cognitio certa connaturaliter est evidens : Sed scientia, ex dictis, est cognitio certa : Ergo, etc. *Major probatur :* Quia certitudo connaturaliter oritur ex evidentia; certitudo enim est adhæsio intellectus ad objectum judicatum et cognitum ex vi medii, quo fit judicium : illa autem vis connaturaliter

est evidentia, quamvis possit esse auctoritas infallibilis, ut in fide supernaturali; intellectus enim noster non adhæret indivulse objecto ex vi medii, quo judicat, nisi vel sit evidens vel dicentis auctoritas sit omnino infallibilis.

Sequitur 569. Scientiam in nobis esse habitum ex aliqua priori cognitione.

569. — 2. Post. lect. 1.

Probatur sequela. Cognitio per medium cognitum debet fieri ex priori cognitione, debet enim prius cognosci medium : Sed, ex dictis, scientia est per medium cognitum : Ergo, etc.

Sequitur 570. Priorem illam cognitionem esse certam, et vel esse immediatam et per se, vel reducibilem ad immediatam.

570. — Ibidem.

Probatur sequela. Si prior illa cognitio non esset certa, cognitio procedens non esset certa; non enim potest certitudinem habere cognitio orta ex incerta, ut patet, sicut non potest superædificatum esse firmum, si fundamentum vacillet : Atqui scientia est cognitio certa : Ergo, etc. Aliunde vero omnis cognitio certa vel est immediata, vel per medium.

Sequitur 571. Optimam esse definitionem demonstrationis traditam ab Aristotele, quod videlicet sit syllogismus procedens ex veris, primis, et immediatis, notioribus, prioribus, causisque conclusionis.

Probatur sequela. Quia nomine demonstrationis intelligitur ratiocinatio, qua producitur scientia : Sed ratiocinatio, qua producitur scientia debet procedere ex propositionibus veris sive certis, primis sive immediatis, aut saltem reducibilibus ad immediatas, quæ sunt etiam causæ cognitionis scientificæ, ut patet ex dictis, et consequenter, quæ sint causæ conclusionis, atque adeo, quæ sint notiores ac priores; omnis autem causa, est prior suo effectu, ut constat : Ergo etc.

Sequitur 572. Non posse dari scientiam naturalem de singularibus.

572. — 2. Post. lect. 12.

Probatur sequela. Scientia debet esse cognitio certa et innixa principiis certis, ex dictis : Sed circa singularia non potest esse cognitio certa et innixa principiis certis, quia ipsa singularia sunt mutabilia, qua etiam ratione non potest dari de contingentibus ut contingentia sunt, solum ergo potest dari de universalibus et necessariis.

Sequitur 573. Scientiam debere procedere per ratiocinationem, saltem ex una propositione universali et per se, non autem ex omnino extraneis.

573. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia alias esset de singularibus et non necessariis, seu contingentibus.

Sequitur 574. Præmissas in demonstratione sive ratiocinatione scientifica esse causas efficientes conclusionis.

Probatur sequela. Cognitio scientifica est causata ex præmissis : Ergo, etc.

Sequiuur 575. Intellectum posito assensu præmissarum non posse suspendere assensum conclusionis.

575. — 2. Post. lect. 2.

Probatur sequela. Posita causa in actu secundo non potest suspendi effectus, qui est in eodem instanti, in quo causa est in actu : Atqui præmissæ sunt causæ in actu, sive potius ipse intellectus est causa conclusionis mediantibus præmissis tanquam propriis causalitatibus, per quas constituitur in actu secundo, præsertim per minorem propositionem : Ergo, etc.

Sequitur 576. Scibile ut sic esse objectum infallibiliter attingibile ut verum ex vi medii cogniti.

576. — 1. 2. q. 54. a. 2; De verit. q. 2. a. 13; 2. Post. lect. 2. et 41.

Probatur sequela. Quo modo aliquid potest sciri est scibile ; enim scibile solum dicitur, quod potest sciri : Atqui unumquodque quatenus potest attingi infallibiliter ut verum ex vi medii cogniti, eatenus potest sciri, ut patet ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 577. Tot esse genera scibilium, quot sunt genera objectorum, quæ ex vi medii cogniti possunt infallibiliter attingi, ut vera.

577. — 2. Post. lect. 41.

Probatur sequela. Tot modis dicitur definitum, quod definitio : Atqui objectum quod per medium cognitum infallibiliter attingi potest ut verum, est scibile, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 578. Tot esse genera scientiarum, quot sunt genera objectorum, quæ per medium cognitum infallibiliter possunt attingi ut vera.

578. — Ibidem.

Probatur sequela. Quot sunt genera scibilium tot sunt genera scientiarum, quia scientia per se primo ordinatur ad scibilia : Atqui tot sunt genera scibilium, quot sunt genera objectorum, quæ per medium cognitum infallibiliter possunt attingi ut vera, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 579. Objectum scibile debere esse intelligibile.

579. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod debet attingi per intellectum est intelligibile, ut patet ex terminis : Sed, ex dictis, scibile debet attingi per intellectum : Ergo, etc.

Sequitur 580. Objectum scibile debere esse immateriale.

580. — 6. Metaph. text. 4. lect. 10; 3. De anim. lect. 2; 2. Post. lect. 41.

Probatur sequela. Objectum intelligibile debet esse immateriale, cum (ex dictis) objectum et potentia debeant esse ejusdem quodammodo immaterialitatis : Atqui, ex dictis, objectum scibile est intelligibile : Ergo est immateriale.

Sequitur 581. Objectum scibile formaliter ut tale debere esse abstractum a materia.

581. — 6. Metaph. lect. et 10.

Probatur sequela. Scibile duo importat, *primo* intelligibilitatem, *secundo* virtutem, quæ facit ut infallibiliter attingatur ut verum : Sed et ratio intelligibilis requirit abstractionem a materia, ex dictis, et virtus ad attingendum verum infallibiliter requirit etiam abstractionem a materia ; sicut enim permixtio et confusio est causa erroris, ita abstractio, separatio, et ordinatio est causa attingendi veritatem : Ergo scibile et in ratione veluti generica intelligibilis, et in ratione propria, quæ est, ut attingatur tanquam verum ex vi medii, debet esse abstractum a materia.

Sequitur 582. Medium, vi cujus objectum est infallibiliter attingibile ut verum, debere esse immateriale.

582. — 1. p. q. 85. a. 1; 3. p. q. 77. a. 2. ad 4; In 2. dist. 1. art. 2. ad 4; Quæst. 2. De verit. a. 6; Quæst. 10. De verit. a. 4; 6. Metaph. lect. 10. et 11.

Probatur sequela. Quod constituit formaliter objectum scibile ut sic, debet esse immateriale, quia constitutum non potest esse immateriale, nisi constitutivum sit etiam immateriale : Atqui medium constituit objectum scibile formaliter, quia objectum scibile per hoc differt ab

omni alio objecto, etiam infallibiliter cognoscibili, quia alia objecta sunt cognoscibilia sine medio, scibile autem per medium : Ergo formaliter scibile constituitur tale per medium, sive per ordinem ad medium.

Sequitur 583. Tot esse genera scibilium, quot sunt genera mediorum abstractorum a materia.

583. — Ibidem.

Probatur sequela. Tot sunt genera constitutorum. quot sunt constituentium, ut satis patet : Atqui, ex dictis, media immaterialia sive abstracta a materia constituunt scibile ut sic : Ergo etc.

Sequitur 584. Tot esse genera scientiarum, quot sunt genera mediorum abstractorum a materia.

584. — Opusc. 70. q. 5. art. 1; 2. Post. lect. 41; 1. p. q. 1. a. 1. ad 2; De sens. et sensato, lect. 6.

Probatur sequela. Tot sunt genera scibilium, quot mediorum abstractorum a materia, ex dictis : Sed tot sunt genera scientiarum, quot scibilium, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 585. Tria esse genera scientiarum naturalium.

Probatur sequela. Tot sunt genera scientiarum naturalium, quot mediorum abstractorum a materia, ex dictis : Atqui tria sunt genera abstractorum intelligibilium a materia; tripliciter enim potest objectum intelligibile abstrahi a materia, sicut etiam triplex est materia : est enim materia *singularis,* id est, affecta hac quantitate, et his qualitatibus individuantibus; est materia *sensibilis,* id est, materia affecta quantitate et qualitatibus sensibilibus in communi; est denique materia *intelligibilis,* id est, materia cum sua quantitate perceptibilis tantum per intellectum : et ita potest fieri abstractio a materia singulari, considerando illam ut est sensibilis in communi; Secundo potest fieri abstractio a materia etiam sensibili, considerando solum quantitatem; Tertio potest fieri abstractio a materia omni et quantitate, considerando rationem aliquam, in qua conveniant materialia et immateria lia : Cum ergo omne medium, quo naturaliter acquiritur scientia debeat esse abstractum, aliqua istarum abstractionum debet esse abstractum; et si quidem sit abstractum a materia singulari, est medium ad infallibiliter attingendum verum de subjecto qualitatum sensibilium, id est, quæ acquiruntur per motum sensibilem; atque adeo est medium ad attingendum verum de ente mobili, et sic constituitur genus *scientiæ physicæ sive naturalis;* si abstrahat etiam a materia sensibili, est medium ad attingendum verum de materia intelligibili sive de quantitate, et constituitur genus scientiæ *mathematicæ;* denique si sit abstractum a materia intelligibili est medium ad attingendum infallibiliter verum secundum eam rationem, in qua conveniunt materialia et immaterialia, et sic constituitur tertium genus innominatum, quod est commune *Metaphysicæ* et *Logicæ.*

Sequitur 586. In quolibet horum trium generum tot distinguendas esse scientias, quot media sive principia prima intra prædictas abstractiones.

586. — Ibidem.

Explicatur : Scientia per se primo ordinatur ad attingendum infallibiliter verum ex vi medii cogniti; medium autem illud vel cognoscitur per aliud medium intra eamdem abstractionem, vel non : si non cognoscitur per aliud medium, dicitur primum, quia est principium totius cognitionis scientificæ intra illam abstractionem; si autem cognoscatur per aliud medium, tunc de illo alio inquiritur, an cognoscatur sine medio vel per medium, et sic donec perveniatur ad aliquod medium, quod intra abstractionem illam sit independens a quocumque alio medio :

Tot ergo erunt species scientiarum in quolibet genere, quot erunt media ad attingendum verum infallibiliter prima et immediata modo explicato.

Probatur ergo sequela : Tot sunt in quolibet genere species, quot sunt differentiæ per se divisivæ illius generis : Sed scientiæ per se dividuntur ex ordine ad scibilia, ex dictis, et scibilia dividuntur per se ex mediis primis et immediatis : Ergo, etc.

Sequitur 587. In primo genere abstractionis a materia singulari dari quatuor species scientiarum, scilicet : Physicam, Medicinam, Musicam, et aliam innominatam, quæ posset dici Geometria naturalis.

587. — 2. Post. lect. 25; 2. Physic. lect. 2.

Explicatur : Non intendimus hic determinare an quælibet istarum sit species atoma ; de hac enim postea ; sed dumtaxat has quatuor species contineri sub abstractione a materia singulari.

Probatur sequela. Hæ quatuor species aliquomodo distinguuntur, ut omnes fatentur : Sed sunt sub abstractione a materia singulari tantum. Nam *Physica* considerat ens mobile ad locum, quantitatem, qualitates, etc. ; *Medicina* considerat corpus humanum ut mobile ad sanitatem et morbum ; *Musica* numerum sonorum ; *Geometria* naturalis quantitatem ut sensibilem : ista autem omnia locus, qualitates, sanitas, morbus, sonoreitas, et sensibilitas continentur intra materiam sensibilem, nec abstrahunt ab illa : Ergo, etc.

Sequitur 588. Physicam esse unam scientiam specie atoma.

588. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia habet unum medium intra propriam abstractionem independens a quolibet alio, quo probet vel mediate vel immediate omnia, quæ tractat, scilicet definitionem entis mobilis ; ex illa enim definitione pendent quæcumque traduntur in octo libris physicorum, de cœlo, de generatione, de anima, in parvis naturalibus, et si quæ alia sunt, quæ spectent ad Physicam.

Sequitur 589. Valde probabile esse Medicinam non distingui specie a Physica.

589. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia corpus hominis, ut mobile ad sanitatem et morbum, pendet a principiis entis mobilis ut sic, et est, ut diximus, sub abstractione a materia singulari tantum.

Sequitur 590. Musicam esse unam specie atoma.

590. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia numerus sonorus ut est principium consonantiæ et harmoniæ in sonis, habet propriam definitionem, quæ est medium, a quo dependent omnia, quæ traduntur in Musica, et independens intra abstractionem a materia singulari a quocumque alio : quamvis enim ratio numeri ut sic dependeat ex unitate, quæ est mensura quantitatis discretæ, non tamen intra abstractionem, etiam a materia sensibili, ut patet ex dictis, et magis explicabitur.

Sequitur 591. Valde etiam probabile esse Geometriam naturalem esse unam specie atoma.

591. — Ibidem.

Explicatur : Nomine Geometriæ naturalis intelligimus scientiam, quæ applicat principia Geometriæ ad materias sensibiles, ut ad visum, et vocatur Perspectiva ; ad mundum, et vocatur Cosmographia ; ad cœlos et astra, et vocatur Astrologia ; ad civitatem et ad locum et vocatur Topographia ; ad aquas et maria, et vocatur Hydrographia ; ad machinas et vocatur Machinativa ; ad corpora diversa, et est Stereometria.

Probatur ergo sequela : Quia istæ omnes procedunt ex principiis Geometriæ, ut applicatis ad materias sensibiles ; atque adeo intra abstractionem a materia singulari tantum, procedunt ex iisdem principiis.

Sequitur 592. Sub abstractione a materia sensibili contineri duas scientias specie atoma distinctas, scilicet Geometriam et Arithmeticam.

592. — 1. 2. q. 33. a. 8 ; 5. Metaph. lect 17 ; 2. Post. lect. 41.

Probatur sequela. Quia intra abstractionem a materia sensibili omnia principia reducuntur ad duo, scilicet ad *unitatem*, quæ est principium numeri, et ad *punctum*, quod est principium quantitatis continuæ ; unitas vero non reducitur ad punctum vel e contra : Ergo, etc.

Sequitur 593. Aliquas scientias contineri sub aliis quantum ad principia.

593. — 2. Post. lect. 25.

Probatur sequela ex dictis. Aliquæ scientiæ applicant principia alterius ad materias alienas, ut Geometria naturalis applicat principia Geometriæ ad materias sensibiles : Perspectiva applicat principia Geometriæ Mathematicæ ad visum ; Musica principia numeri ad sonoreitatem : Sed hoc est, aliquas scientias contineri sub aliis quoad principia : Ergo, etc.

Sequitur 594. Aliquas scientias aliis subalternari.

594 — 2. Post. lect. 15. et 25.

Probatur sequela. Subalternari est unam scientiam contineri sub alia quoad principia : Atqui ita est : Ergo, etc.

Sequitur 595. Ad subalternationem requiri ut principia scientiæ inferioris, et subalternatæ sint conclusiones probatæ in scientia superiori et subalternante.

595. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia una scientia non potest alio modo contineri sub alia quoad principia, nisi principia unius probentur in alia ; non enim potest alia excogitari continentia, nisi ista : Ergo, etc.

Sequitur 596. Ad subalternationem in naturalibus requiri, ut objectum inferioris scientiæ addat differentiam quodammodo accidentalem ad objectum scientiæ superioris.

596. — Ibid. et 2. p. q. 1. a. 2.

Probatur sequela. Ad subalternationem requiritur ut principia unius scientiæ probentur in alia, ex dictis : Sed hoc fieri nequit, nisi objectum addat differentiam accidentalem ; si enim esset omnino idem objectum, vel contineretur essentialiter sub objecto, vel adderet solum proprietatem, non distinguerentur scientia subalternans et subalternata : scientiæ enim, quæ habent idem objectum non distinguuntur, sicut et scientia de genere non distinguitur a scientia de specie : Ergo, etc.

Sequitur 597. Objectum scientiæ subalternatæ esse per se scibile.

597. — 2. Post. lect. 15.

Probatur sequela Objectum cujuslibet scientiæ debet esse scibile per se, ut patet ex dictis : Atqui scientia subalternata est scientia : Ergo, etc.

Sequitur 598. Objectum scientiæ subalternatæ esse per se scibile, in quantum objectum superioris scientiæ subalternantis consideratur a scientia subalternante solum ut principium objecti subalternatæ, v. g. objectum Musicæ est numerus sonorus, qui est unum per se in ratione objecti scibilis, in quantum consonantia per se consideratur a Musica : numerus vero solum consideratur ut principium consonantiæ.

Probatur sequela. Objectum scientiæ subalternatæ debet esse per se scibile, ex dictis : Sed non potest alio

modo esse, nisi in quantum est principium objecti per se spectati in scientia subalternata, ut patet exemplo allato : Ergo, etc.

Sequitur 599. Scientiam subalternatam posse esse scientiam in absentia subalternantis, licet non habeat statum scientiæ.

599. — 1. p. q. 1. art. 2 ; Quæst. 14. De verit. a. 9. ad 3 ; Opusc. 70. q. 2, art. 2. ad 4. et 7.

Probatur sequela. Cognitio rei per causam est scientia, ex dictis : Atqui subalternata in absentia subalternantis potest esse cognitio rei per causam : Ergo, etc. *Probatur minor :* Quia v. g. in perspectiva probamus res, quæ videntur a longe, apparere minores, hoc syllogismo : *Lineæ ductæ ab eadem basi ad punctum distantius causant minorem angulum : Atqui visio fit per lineas ductas ab objecto, quod est veluti basis ad pupillam. Ergo quo pupilla erit distantior causabunt minorem angulum : Sed res, quæ videntur per minorem angulum apparent minores : Ergo, etc.* Atqui hæc cognitio est cognitio rei per causam ; nam vere major est causa conclusionis : et licet non sit certa vel evidens a priori in absentia Geometriæ, potest tamen esse evidens et certa a posteriori, et supponi tanquam certa a discente perspectivam, et credente ipsi magistro ut scienti.

Sequitur 600. Theologiam vere subalternari scientiæ Dei ac Beatorum, qua formaliter beati sunt.

600. — Ibidem.

Probatur sequela. Scientia, cujus principia probantur vel sunt evidentia in superiori scientia, subalternantur ipsi superiori, ex dictis : Atqui Theologia est scientia, ut postea ostendemus, cujus principia sunt evidentia in superiori scientia Dei ac Beatorum, qua beati sunt, quia ibi videntur clare per essentiam divinam tanquam per medium : Ergo, etc.

Sequitur 601. Theologiam esse veram scientiam.

601. — Ibidem.

Probatur sequela. Cognitio rei per causam certa, et saltem aptitudinaliter evidens, est scientia, ex dictis : Atqui Theologia hoc habet ; cognoscit enim effectus per causam supremam, scilicet Deum : et est certa, utpote, quæ innititur principiis fide divina creditis ; et est aptitudinaliter evidens, quia ut alias ostendemus, manet eadem in patria : Ergo, etc.

Sequitur 602. Actum scientiæ et opinionis non posse esse simul in eodem intellectu circa idem objectum formaliter.

602. — 1. Post. lect. 41. et 44 ; 2. 2. q. 1. a. 5, ad 4. quæst. 14 ; De verit. a. 9. ad 6.

Probatur sequela. Certitudo et incertitudo non possunt simul et semel convenire eidem intellectui circa idem objectum, etiam per diversa media : Sed scientia, ex dictis, importat essentialiter certitudinem, opinio incertitudinem (ut omnes fatentur) quia est assensus uni parti cum formidine alterius : Ergo, etc. *Major probatur :* Quia implicat intellectum ex vi unius medii adhærere firmiter objecto, et ex vi alterius medii simul et semel non adhærere firmiter eidem ; adhærere enim et non adhærere firmiter involvit contradictionem, etiam ratione diversi medii : cujus ratio est, quia adhærere est ex vi medii judicare rem ita se habere, ut aliter se habere non possit : Hoc autem judicium implicat cum judicio, quod res possit se habere aliter, alias enim scientia et error possent esse simul.

Sequitur 603. Habitum scientiæ et habitum opinionis non posse esse simul et semel in eodem intellectu de eodem objecto, etiam per absolutam Dei potentiam.

603. — Ibidem.

Probatur sequela. Quæ opponuntur

ex ratione formali tam opponuntur in habitu, quam in actu : Atqui, ex dictis, actus scientiæ et opinionis opponuntur ex ratione formali certitudinis et incertitudinis : Ergo, etc. *Major probatur :* Quia habitus specificantur per actus et actus per objecta formalia, ut dicemus.

Sequitur 604. Actum vel habitum fidei divinæ non posse esse simul cum visione, vel scientia, vel opinione.

604. — 2. 2. q. 1. a. 4. et 5. et q. 4. a 1. 3. p. q. 7. art. 3 ; In 3. dist. 24. a. 2. q. 2. et 3 ; 1. Contra gent. c. 8.

Probatur sequela. Quia scientia connaturaliter est evidens, sicut et visio ; fides vero divina est essentialiter obscura ex objecto formali, opinio autem est essentialiter incerta, et fides divina est certissima.

Sequitur 605. Divum Paulum in raptu, quo vidit essentiam divinam ut docent divus Thomas, et divus Augustinus et alii, non retinuisse fidem in ordine ad essentiam divinam, secundum quod erat ratio videndi aliqua mysteria, quæ tunc vidit ; bene autem in ordine ad alia, quæ tunc non videbat.

605. — D. Thom. 2. 2 q. 175. a. 3. ad 3.

Probatur sequela. Quia alias tunc dicendum foret, fidem et scientiam esse compossibiles, cujus oppositum ostendimus.

Sequitur 606. Sub abstractione ab omni materia, contineri Metaphysicam et Logicam.

606. — Opusc. 42. cap. 3 ; Et Opusc. 70. q. 5. a. 5. ad 2.

Probatur sequela. Sub abstractione ab omni materia continentur duo media prima et immediata, scilicet ratio entis ut sic, et ratio entis rationis directivi operationum intellectus : Ergo, etc. Consequentia patet ex dictis : *Antecedens probatur* ; In ratione abstrahente ab omni materia, materialia et immaterialia debent convenire : Sed non possunt convenire, nisi vel in ratione entis vel in ratione entis rationis directivi actuum intellectus ; non enim possunt in aliquo alio convenire.

Sequitur 607. Objectum Metaphysicæ esse ens ut sic, quatenus abstractum ab omni materia.

607. — Opusc. 41. cap. 3 ; 4. Metaph. lect. 4.

Probatur sequela. In objecto Metaphysicæ conveniunt res materiales et immateriales : Sed non possunt convenire, nisi in ratione entis abstracti ab omni materia : Ergo, etc.

Sequitur 608. Objectum Logicæ esse ens rationis directivum operationum intellectus.

608. — 4. Metaph. lect. 4 ; Opusc. 42. c. 2 ; 1. Post. lect. 20 ; Opusc. 56 ; Opusc. 70, q. 6. art. 1. et 7.

Probatur sequela. Objectum Logicæ debet esse tale, in quo conveniant omnia scibilia tam materialia, quam immaterialia, ex dictis : Sed non conveniunt nisi vel in ente reali, vel in ente rationis directivo ; aliunde vero entis realis ratio non spectat ad Logicam, ut de se patet : Ergo etc.

Sequitur 609. Omnem operationem intellectus, quatenus sistit intra intellectum, esse speculationem sive contemplationem veritatis.

609. — 1. p. q. 79. a. 11 ; 1. 2. q. 57. a. 1. ad 1 ; 2. 2. q. 179. a. 1.

Probatur sequela. Omnis operatio cujuscumque potentiæ tendit in objectum illius potentiæ, et non potest, ut est ab illa potentia, tendere extra : Sed, ex dictis supra, objectum intellectus est ens et verum : Ergo omnis operatio intellectus est ut sic cognitio, sive contemplatio veri, atque adeo est speculatio.

Sequitur 610. Nullam operationem intellectus esse praxim.

610. — Ibidem.

Probatur sequela. Nulla speculatio ut sic, est praxis ; speculatio enim et praxis dividunt operationem adæquate, membra autem dividentia non se

mutuo includunt in bona divisione : Atqui omnis operatio intellectus est speculatio : Ergo nulla operatio intellectus est praxis.

Sequitur 611. Operationem intellectus non denominari practicam, secundum quod sistit intra intellectum.

611. — 1. p. q. 14. art. 16.

Probatur sequela. Nulla speculatio ut sic, potest denominari practica : Sed omnis operatio intellectus, secundum quod sistit intra intellectum, est speculatio ut sic, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 612. Operationem intellectus, quæ vere denominatur practica, debere respicere aliquam aliam operationem existentem extra intellectum.

612. — Iisdem locis.

Probatur sequela. Operatio intellectus denominatur practica, ut omnes fatentur : Sed, ex dictis, non denominatur practica ex eo, quod sistat intra intellectum : Ergo ex eo, quod tendat extra : unde Aristoteles ait intellectum extensione fieri practicum.

Sequitur 613. Scientiam denominari practicam, ex eo quod respiciat operationem extra intellectum.

613. — 1. 2. q. 53. a. 3. ad 2; 2. 2. q. 51. a. 2. ad 3.

Probatur sequela. Omnis habitus denominatur a sua operatione, ut omnes fatentur, et probabimus in tertio principio : Sed nulla operatio denominatur practica, nisi respiciat operationem extra intellectum : Ergo nec habitus.

Sequitur 614. Scientiam speculativam et practicam distingui, quia speculativa elicit operationes sistentes tantum intra intellectum, practica vero elicit operationes, quæ respiciunt alios actus extra intellectum.

614. — Ibidem.

Probatur sequela. Scientia eliciens tantum speculationes est speculativa, et scientia eliciens tantum operationes practicas est practica : Sed speculatio est operatio sistens intra intellectum, praxis vero est extra intellectum : Ergo, etc.

Sequitur 615. Objectum speculativæ esse verum ut sic ; objectum vero practicæ esse verum in ordine ad aliquam operationem extra intellectum.

615. — Ibidem.

Probatur sequela. Objectum cujuslibet scientiæ debet esse ipsi et ejus operationi proportionatum, ut omnes fatentur : Atqui verum ut sic est objectum proportionatum speculationi ; verum autem in ordine ad operationem extra intellectum est objectum proportionatum practicæ, quia, ut diximus, speculativa sistit intra intellectum, cujus objectum est ens et verum ; practica vero est quidem in intellectu, atque adeo respicit ens et verum, sed extenditur ad operationem extra intellectum, atque adeo ejus objectum debet esse verum in ordine ad operationem aliquam extra intellectum.

Sequitur 616. Finem speculativæ esse veritatem, practicæ opus.

616. — Ibidem.

Probatur sequela. Finis proximus cujuslibet scientiæ est illud, ad quod operatio illius immediate ordinatur : Atqui, ex dictis, operatio speculativæ ordinatur ad veritatem, practicæ vero ad opus extra intellectum : Ergo, etc.

Sequitur 617. Physicam, Mathematicam, Metaphysicam, imo et etiam Logicam esse scientias speculativas ; Moralem vero, et Medicinam practicas.

617. — Ex illis locis.

Probatur sequela. Quia istæ omnes scientiæ per se non respiciunt, nisi contemplationem veritatis, ut constat ex dictis ; nam etiam Logica respicit

ens rationis directivum operationum intellectus in ordine ad recte et sine permixtione errorum contemplandam veritatem; Moralis vero, et Medicina respiciunt opus extra intellectum; illa, opera moralia voluntatis, hæc opera circa sanitatem corporis humani.

Sequitur 618. Theologiam esse eminenter formaliter speculativam et practicam.

618. — 1. p. q. 1. a. 4. et 5; Et in prolog. 1. sent. a. 3. q. 1.

Explicatur : Continere eminenter formaliter est continere rationes formales seclusis imperfectionibus; ratio autem speculativi, quæ est contemplatio veritatis ut sic, non importat imperfectionem, nisi quatenus est ratio speculativi tantum, id est, cum exclusione practici; et idem dicendum de ratione practici : Quia ergo scientiæ naturales sunt valde limitatæ et consequenter sunt imperfectæ, impossibile est, quod scientia aliqua naturalis sit simul speculativa et practica; Theologia vero, quæ est scientia superior, potest utramque rationem includere.

Probatur sequela. Quale est objectum formale scientiæ, talis est scientia, ut patet ex dictis : Atqui, ex dictis, etiam objectum Theologiæ est Deus sub divina revelatione; non formali et immediata, sed virtuali et mediata : Ergo talis erit Theologia, qualis est Deus sub divina revelatione virtuali attingibilis : Sed Deus sub divina revelatione virtuali attingibilis, est eminenter formaliter ens et verum, quod est objectum speculationis; et bonum, sive finis, quod ut sic, est objectum praxis : Ergo etiam Theologia erit eminenter formaliter speculativa et practica.

Sequitur 619. Theologiam etiam, quoad omnes conclusiones esse speculativam et practicam modo prædicto.

619. — Ibidem.

Probatur sequela. Omnes actus alicujus habitus sunt tales, qualis est ratio formalis, sub qua hujusmodi habitus respicit suum objectum, ut alias ostendemus : Atqui, ex dictis, Theologia respicit suum objectum, scilicet Deum, sub ratione divinæ revelationis mediatæ, in qua includitur ratio speculativi et practici : Ergo, etc.

Sequitur 620. Theologiam esse scientiam supernaturalem saltem imperfecte.

620. — 1. p. q. 1. art. 1. 5. 6.

Probatur sequela. Scientia, cujus objectum formale, principia, et certitudo sunt quid supernaturale, debet esse supernaturalis : Sed objectum Theologiæ est supernaturale, est enim divina revelatio virtualis; principia etiam Theologiæ sunt supernaturalia, sunt enim articuli revelati, ut fide divina crediti, qui ut sic, sunt supernaturales; certitudo etiam est supernaturalis, utpote superans omnem certitudinem naturalem, etiam illius primi principii, *Quodlibet est, vel non est :* Denique ratio illa, qua Theologia continet rationem scientiæ speculativæ et practicæ, est superior ad omnes rationes naturales; alias non posset eminenter formaliter continere utrumque illam rationem : Ergo, etc.

Sequitur 621. Logicam esse unam specie scientiam.

621. — Opusc. 70. q. 5. a. 1.

Probatur sequela. Scientia sub una abstractione attingens unum objectum formale in ratione scibilis, est una specie, ex dictis : Atqui logica sub una abstractione respicit unum objectum formale in ratione scibilis, scilicet sub abstractione ab omni materia respicit ens rationis directivum operationum intellectus : Ergo, etc.

Sequitur 622. Logicam docentem et utentem non esse duos specie habitus.

622. — 4. Metaph. lect. 4.

Probatur sequela. Unus specie habi-

tus non distinguitur in plures specie habitus, ut patet ex terminis : Sed, ex dictis, Logica est unus specie habitus : Ergo, etc.

Sequitur 623. Logicam non concurrere effective ad demonstrationes aliarum scientiarum.

623. — Ibidem.

Probatur sequela. Nulla scientia concurrit ad demonstrationes aliquas, nisi attingendo suum objectum formale : Sed Logica in demonstrationibus aliarum scientiarum non attingit suum objectum formale ; quia objectum formale non attingitur, nisi cognoscatur : Sed in demonstrationibus aliarum scientiarum non cognoscitur objectum formale Logicæ, quod, ex dictis, est ens rationis, quod non cognoscitur per demonstrationes aliarum scientiarum, ut patet : Ergo, etc. Quare quando sit demonstratio in materia, v. g. Physicæ, Logica non producit effective illos actus saltem pro materiali, qui sunt tres propositiones judicativæ, scilicet major, minor, et conclusio ; ratio autem formalis, sive ordo ille propositionum, quod una sit major, etc., est ens rationis, quod non potest effective produci, quia, ut postea ostendemus, sit per resultantiam : Ergo, etc. Concurrit ergo Logica tantum directive.

Sequitur 624. Logicam esse necessariam ad acquirendas alias scientias in statu perfecto, et quoad plures conclusiones remotiores a principiis.

624. — Ibidem.

Probatur sequela. Intellectus noster, ne erret in difficilioribus, indiget directione, ut patet ex dictis : Sed, ex dictis, hæc directio pertinet ad Logicam : Ergo, etc. In facilioribus vero sufficit lumen naturale intellectus.

Sequitur 625. Logicam inventam esse reflexione intellectus supra suas operationes et observatione præceptorum.

625. — 2. Post. lect. 20.

Probatur sequela. Quia non potuit alio modo inveniri.

Sequitur 626. Logicam habere tres partes : scilicet primam partem, quæ dirigit primam apprehensionem per definitionem, quæ explicat, quid res sit ; secundam partem, quæ dirigit secundam mentis operationem per divisionem et compositionem ; et tertiam partem, quæ dirigit ratiocinationem.

626. — 1. Periher. lect. 2.

Probatur sequela. Scientia directiva operationum intellectus debet illas omnes dirigere, quæ sunt illæ tres, ex dictis supra : Sed Logica est scientia directiva operationum intellectus : Ergo, etc.

Sequitur 627. In tertia parte tres alias partes posse reperiri, scilicet Demonstrativam, Topicam, et Sophisticam.

627. — Ibidem.

Probatur sequela. Tertia pars logicæ est directiva tertiæ mentis operationis, ex dictis : Sed tertia mentis operatio, quæ est ratiocinatio, vel est ratiocinatio convincens, et scientifica, vel est tantum probabilis, vel est sophistica, ut constat : Ergo, etc.

Sequitur 628. In parte demonstrativa logicam docere scientifice præcepta bonæ demonstrationis, sicut et in topica scientifice docere præcepta argumentandi probabiliter, et in sophistica docere scientifice præcepta argumentandi captiose.

628. — 4. Metaph. lect. 4.

Probatur sequela. Omnis scientia tradit scientifice suas conclusiones : Sed logica est scientia tradens in tertia parte præcepta demonstrationis, syllogismi probabilis, et sophis-

tici : Ergo scientifice tradit illa præcepta.

Sequitur 629. Logicam in materia demonstrativa aliarum scientiarum non habere usum, atque adeo non posse in materia aliarum scientiarum demonstrativa dividi in logicam docentem et utentem.

629. — Ibidem.

Probatur sequela. Logica dicitur utens, quatenus concurrit effective ad conficiendas demonstrationes, syllogismos, definitiones, divisiones, etc., dicitur autem docens, quatenus tradit præcepta : Atqui in materia aliarum scientiarum non concurrit effective ad demonstrationes, syllogismos, definitiones, divisiones, etc., in materia aliarum scientiarum : Sed tantum tradit præcepta, ut patet ex dictis : Ergo non potest dici utens in materia aliarum scientiarum.

Sequitur 630. Ens rationis directivum operationum mentis, dividi adæquate in directivum primæ, secundæ, et tertiæ operationis.

630. — Ex dictis supra.

Probatur sequela. Quia, ex dictis, non sunt, nisi istæ tres operationes mentis.

Sequitur 631. Ens illud rationis habere totum suum esse in intellectu.

631. — Opusc. 48. tract. 2. cap. 1.

Probatur sequela. Objectum Metaphysicæ et Logicæ distinguuntur, ex dictis : Sed ens quod est objectum Metaphysicæ, est illud, quod est a parte rei, ut patet ex dictis : Ergo ens rationis, quod est objectum Logicæ, habet tantum esse objectivum in mente.

Sequitur 632. Ens rationis non esse denominationem extrinsecam.

632. — 1. p. q. 16. a. 3. ad 1 ; Opusc. 52. cap. 1; In 1. dist. 2. q. 1. a. 3.

Probatur sequela. Quod existit a parte rei non est ens rationis, ex dictis : Sed denominatio extrinseca est a parte rei; nemine enim cogitante, realiter et a parte rei verum est, parietem v. g. esse visum a me : Ergo ens rationis non est denominatio extrinseca.

Sequitur 633. Ens rationis directivum operationum solum posse fieri a solo intellectu.

633. — Opusc. 48. tract. 2. cap. 1; 1. p. q. 12. a. 9. ad 2.

Probatur sequela. Ab eo solum potest fieri ens rationis directivum operationum intellectus, qui potest sese reflectere supra operationes intellectus, ut patet ex dictis : Sed solus intellectus per modum potentiæ cognoscitivæ potest sese reflectere : Ergo, etc.

Sequitur 634. Entia rationis directiva operationum intellectus optime vocari secundas intentiones.

Explicatur : Intentio proprie est tendentia in aliud ; et quia proprium est voluntatis tendere in bonum et finem, ideo præsertim intentio dicitur actus voluntatis tendentis in finem, ut dicemus alias : quia tamen intellectus tendit in suum objectum, etiam actus intellectus potest dici intentio. Et quia (ut supra dictum est) actus intellectus est duplex, directus, et reflexus, idcirco duplex est intentio, prima sive directa, et secunda sive reflexa : et quia frequenter soliti sumus vocare objecta nomine actuum, qui ea attingunt ; idcirco etiam ipsa objecta cognitionis solent vocari intentiones : ut tamen distinguantur ab actibus, ipse actus vocatur intentio formalis, objectum vero vocatur intentio objectiva : et quia ens rationis directivum operationum intellectus fit per reflexionem intellectus supra suas operationes, ut patet ex dictis ; ideo ens rationis solet vocari secunda intentio. Hinc patet sequela.

Sequitur 635. Definitionem esse modum sciendi, sive orationem, quæ explicat naturam rei.

635.—5. Metaph. lect. 18; 1. Perihermenias lect. 4.

Probatur sequela. Definitio, ex dictis supra, est ens rationis directivum primæ apprehensionis : Sed ad dirigendam primam apprehensionem, necessarium est explicare naturam rei ; nam prima cognitio est cognitio simplicium quidditatum, ut supra diximus, eo autem ipso quod definitio est directiva operationis, est modus sciendi, quia dirigit ad sciendum sive cognoscendum : Ergo, etc.

Sequitur 636. Definitionem debere constare genere et differentia.

636. — 5. Metaph. lect. 5. et 6.

Probatur sequela. Quod explicat naturam rei debet explicare aliquod unum, in quo res illa cum aliis conveniat, et illud per quod differt : Sed definitio naturam rei explicat, ex dictis : Ergo debet explicare illud, in quo res convenit, et illud per quod differt : Illud autem, in quo res cum aliis convenit vocatur genus ; illud per quod differt vocatur differentia : Ergo, etc. Unde fit alias definitiones, in quibus aliquid ponitur loco generis, quod vere non est genus, vel loco differentiæ, quod vere non est differentia, non esse proprie definitiones.

Sequitur 637. Genus, quo debet constare definitio, debere esse universale.

637. — Opusc. 48. tract. 1. cap. 2; In 2. dist. 34. q. 2. a. 2. ad 1.

Probatur sequela. Unum, in quo plura conveniunt, est universale, dicitur enim universale quasi unum versus alia, id est, unum respiciens alia plura : Atqui, ex dictis, genus, quo debet constare definitio, debet esse unum, in quo plura conveniant : Ergo, etc.

Sequitur 638. Genus, et quodcumque universale de formali duo exigere, unitatem, et ordinem ad plura.

638. — Opusc. 55. et 56.

Probatur sequela. Unum, in quo plura conveniunt, importat unitatem cum convenientia plurium, ut patet ex dictis : Sed genus et quodcumque universale est unum, in quo plura conveniunt : Ergo, etc.

Sequitur 639. Universale duo importare, scilicet, pro materiali naturam, quæ denominatur universalis, et de formali unitatem cum ordine ad plura.

639. — Opusc. 55. et 56. cap. 4. de ent. et essent.

Probatur sequela. Omne concretum duo importat, materiale et formale : Sed universale est concretum, ut patet, et de formali importat unitatem cum ordine ad plura, ut diximus : Ergo, etc.

Sequitur 640. Ut universale in essendo, detur a parte rei, debere dari aliquam naturam omnino indivisam existentem in pluribus.

640. — Quodl. 7. De pot. art. 11.

Probatur sequela. Ut detur universale in essendo a parte rei, debet dari a parte rei tam materiale, quam formale universalis in essendo : Sed materiale est natura, formale vero est unitas (quæ importat indivisionem) cum ordine ad plura, qui ordo debet esse ad existendum a parte rei in illis pluribus, ad hoc ut sit universale in essendo : Ergo, etc.

Sequitur 641. Non dari universale a parte rei in essendo.

641. — Opusc. 55. et 56. cap. 4; De ent. et essent.

Probatur sequela. Ut detur a parte rei universale in essendo, debet dari natura aliqua omnino indivisa existens in pluribus, saltem aptitudinaliter, ex dictis : Atqui nulla datur talis natura, omnis enim natura, quæ

est a parte rei, cum sit per actionem singularem producta, est una unitate individuali, atque adeo est divisa a quacumque alia, ita ut inter naturam, v. g. humanam et differentiam individualem Petri nulla omnino sit realis distinctio, sed sint omnino eadem entitas : Ergo, etc.

Sequitur 642. Non dari a parte rei aptitudinem unius omnino naturæ ad existendum in multis.

642. — Ibidem.

Probatur sequela. Nullum singulare dicit positivam aptitudinem ad existendum in multis ; esset enim et non esset singulare : Atqui omnis natura a parte rei existens, est quid omnino singulare, ex dictis : Ergo nulla natura importat aptitudinem ad existendum realiter in multis.

Sequitur 643. Universale pro formali esse ens rationis.

Probatur sequela. Unitas apta ad existendum in multis est ens rationis, cum non sit a parte rei, ex dictis : Sed universale pro formali est unitas apta esse in multis, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 644. Universale fundamentaliter esse a parte rei.

Probatur sequela. Universale fundamentaliter est fundamentum, ex dictis, universalis, quod est unitas apta in esse multis : Sed datur a parte rei fundamentum talis unitatis aptæ ad essendum in multis ; quia similitudo plurium individuorum in natura est sufficiens fundamentum, et hæc similitudo est a parte rei : Ergo, etc.

Sequitur 645. Universale non fieri per actionem intellectus agentis abstrahentis species intelligibiles a phantasmatibus.

645. — 1. p. q. 18. a. 1 ; In 1. dist. 31 q. 1. a. 3 ; Opusc. 48. cap. 1.

Probatur sequela. Nullum ens rationis potest fieri per actionem potentiæ non cognoscitivæ, ex dictis : Sed universale est ens rationis, ex dictis : Ergo non potest fieri per intellectum agentem, qui non est potentia cognoscitiva, ut ostendimus.

Sequitur 646. Universale non fieri per actionem intellectus possibilis, quæ dicitur abstractio, qua videlicet cognoscitur natura secundum prædicata essentialia, et non secundum conditiones individuales.

646. — Ibidem.

Probatur sequela. Quando natura cognoscitur directe secundum prædicata essentialia, quæ ipsi conveniunt a parte rei, non fit ens rationis : Atqui per abstractionem illam cognoscitur natura tantum secundum prædicata essentialia : Ergo per illam non fit universale saltem logicum.

Sequitur 647. Universale non fieri per comparationem compositam intellectus possibilis, scilicet, per actionem qua fit actualis prædicatio de pluribus.

Probatur sequela. Actualis prædicatio præsupponit aptitudinalem, et prædicatio aptitudinalis præsupponit aptitudinem ad essendum in multis : Sed, ex dictis, universale importat aptitudinem ad existendum in multis : Ergo ante actualem prædicationem est universale, atque adeo non fit per actualem prædicationem.

Sequitur 648. Universale Logicum fieri per comparationem simplicem.

Probatur sequela. Universale Logicum est natura abstracta a singularibus concepta cum aptitudine, id est, relatione positivæ capacitatis essendi in pluribus, ut patet ex dictis : Sed tale universale fit per comparationem simplicem, id est, per simplicem apprehensionem mentis, qua concipitur natura abstracta cum respectu positivo ad singularia, in quo distinguitur universale Logicum a Metaphysico, quia Metaphysicum est ipsamet natura ut abstracta a singularibus et negative indifferens ad singularia, v. g.

humanitas concepta ut abstracta a singularibus neque importat ordinem ad illa, neque negat, sed concipitur tantum secundum prædicata essentialia, et tunc est universale Metaphysicum : concepta autem cum positivo respectu ad illa, est Logicum.

Sequitur 649. Universalia Metaphysica esse perpetua et æterna, non positive sed negative.

649. — 1. p. q. 16. a. 7. ad 2; Quæst. 1. De verit. a. 5. ad 13. et 14.

Probatur sequela. Natura abstracta a singularibus est incorruptibilis et perpetua negative, quia nullum dicit principium corruptionis, cum corruptio fiat in singularibus : Atqui, ex dictis, universale Metaphysicum est natura abstracta a singularibus : Ergo, etc. Hoc autem nihil aliud est dicere, quam asserere, quod universale Metaphysicum, sive natura ut concipitur abstracta a singularibus, non dicit corruptibilitatem vel incorruptibilitatem, sed abstrahit : positive autem non est æterna, quia ut esset æterna deberet existere, ac consequenter deberet esse singularis, atque adeo non esset universalis, ut patet ex dictis.

Sequitur 650. Propositiones necessarias, quæ sunt de universalibus, esse æternæ veritatis.

650. — 1. p. q. 10. a. 3. ad 3.

Explicatur : Dupliciter contingit aliquam propositionem esse de universalibus ; *primo* formaliter, ut, *omnis homo est animal; secundo* virtualiter, ut, *Petrus est animal:* quæ est vera in quantum in illa priori vera continetur.

Probatur ergo sequela. Eo modo sunt propositiones veræ, quo ipsa objecta : Sed universalia sunt perpetua negative, ex dictis : Ergo et propositiones de universalibus; sed, quia datur præterea intellectus vere cognoscens de facto has propositiones, scilicet intellectus divinus, idcirco absolute ac simpliciter istæ sunt sempiternæ veritatis.

Sequitur 651. Universale esse prædicabile de multis.

Probatur sequela. Quia prædicari sequitur esse, prædicamus enim, quod cognoscimus, et cognoscimus quod est, si vere cognoscimus : Atqui, ex dictis, universale est unum aptum inesse multis : Ergo, etc.

Sequitur 652. Universalia esse tantum quinque.

652. — 1. Contra gent. c. 32.

Probatur sequela. Unum aptum inesse multis est universale, ex dictis : Atqui quinque tantum sunt, quorum quodlibet est unum aptum inesse multis. Quod *probatur* : Unum aptum inesse multis est natura cum relatione ad multa, ut diximus : Sed natura una potest esse cum relatione ad multa quintupliciter; primo tanquam quid essentiale illis multis; secundo tanquam quid accidentale sive non essentiale; si autem fuerit quid essentiale, vel est essentiale ut quid potentiale, vel ut quid actuans : si natura concipiatur ut una per ordinem essentialem ad multa per modum potentialis, est *Genus;* si per modum actuantis, est *Differentia;* si per modum constituti ex potentiali et actuante, est *Species;* si vero natura una concipiatur cum relatione ad multa non essentialiter, vel concipitur ut orta ex principiis essentialibus, vel non; si concipiatur, est *Proprium:* si non, est *Accidens* commune. Genus autem sive sit infimum, sive subalternum, eodem modo respicit species ; et differentia sive sit atoma, sive subalterna, eodem prorsus modo respicit individua speciei : species sive sit atoma, sive subalterna, eodem prorsus modo respicit sive individua, si est atoma, sive species, si est subalterna : nam genus omne respicit per modum essentialis perfectibilis, differentia per modum essentialis perfectivi, et sic de aliis modo dicto.

Sequitur 653. Universale esse genus ad quinque universalia.

653. — D. Thom. 1. Contra gent. cap. 32; Opusc. 56.

Probatur sequela. Unum aptum esse in pluribus per modum essentialis perfectibilis est genus, ut patet ex dictis : Atqui universale est unum aptum esse in genere, differentia, specie, proprio, et accidente, ut quid illis essentiale, potentiale tamen et determinabile per propriam cujuslibet differentiam : Ergo est genus.

Sequitur 654. Genus esse unum aptum inesse multis per modum perfectibilis essentialis.

654. — Opusc. 48. tract. 1. cap. 2; In 2. dist. 34. q. 1, a. 2. ad 1.

Probatur sequela. Genus est universale, ex dictis, atque adeo est unum aptum inesse multis, non quomodocumque, ut constat ex dictis, sed essentialiter; nec tamen essentialiter per modum totius constituti ex potentia et actu, nec per modum actus : Ergo per modum totius potentialis. Et ad hanc definitionem, quæ est essentialis, reducitur illa alia Porphyrii, quæ tantum est descriptiva, scilicet, genus est, quod prædicatur de multis specie differentibus in quid; hoc enim quod prædicatur de multis est universale, ut patet ex dictis, et quod prædicatur in quid, est essentiale, et quod prædicatur de specie differentibus, debet necessario prædicari ut quid potentiale et contrahibile ad species per differentias. Si autem velis definire genus in abstracto sive genereitatem, dic, illam esse universalitatem naturæ perfectibilis.

Sequitur 655. Definitum in hac definitione generis esse secundam intentionem in concreto.

Explicatur : Omne accidens debet definiri per ordinem ad subjectum, sed diversimode; quando enim accidens sumitur in abstracto, ordo veluti incipit ab accidente, et terminatur ad subjectum; albedo siquidem est forma, qua subjectum fit album, unde importat habitudinem, quæ incipit a forma et terminatur ad subjectum : quando vero sumitur accidens in concreto, significatur eadem habitudo inter subjectum et accidens, quæ tamen incipit a subjecto et terminatur ad accidens, v. g. album significat albedinem; unde in definitione accidentis in abstracto debet poni primo loco et tanquam genus (genus enim primo loco ponitur in definitione) id, quod est ratio vel effectus formalis accidentis, et secundo loco, aut tanquam differentia debet poni subjectum : e contra vero, quando definitur accidens in concreto, debet poni subjectum primo loco et tanquam genus; ratio vero vel effectus formalis accidentis loco differentiæ, ut etiam docet S. Thomas 1. 2. *q.* 57, *art.* 2. *ad.* 3.

Probatur sequela. In definitione concreti accidentalis, quamvis subjectum ponatur loco generis, tamen definitur id quod significatur per nomen concretum : Sed genus est concretum accidentale significans ens rationis, sive secundam intentionem in concreto, ex dictis : Ergo in definitione generis definitur ipsa secunda intentio in concreto.

Adverte tamen hoc esse particulare in definitione accidentium ut significantur in concreto, quod definitio non convenit ipsis accidentibus *ut quod,* sed tantum *ut quo;* quia res definiuntur sicut significantur per nomina : Per nomen autem concretum accidentale significatur forma accidentalis tanquam exercens *ut quo,* suum effectum formalem in subjecto recipiente illum *ut quod :* Ergo definitio, quæ est ratio significata, debet etiam convenire subjecto *ut quod,* et formæ accidentali *ut quo,* et quod diximus de genere, debet etiam dici de aliis universalibus.

Sequitur 656. Genus continere differentias, non ut totum actuale, sed ut potentiale.

656. — Opusc. 48. tract. 1. cap. 4; In 1. dist. 25. q. 1. art. 1. ad 2; De ente et essent. cap. 3.

Probatur sequela. Genus eo modo continet differentias, quomodo est universale; universale enim debet aliquo modo continere ea, respectu quorum dicitur universale : Sed genus non est universale per modum totius actualis, sed tantum potentialis, ex dictis : Ergo debet continere differentias per modum potentialis.

Sequitur 657. Genus prædicari de speciebus ut totum potentiale, non tamen secundum totam universalitatem.

657. — 3. p. q. 90. a. 3. Quodl. 10. a. 5.

Probatur sequela. Genus prædicatur de qualibet specie in quantum genus et in quantum continet differentiam propriam illius speciei : Sed genus ut genus non continet illam differentiam, nisi ut totum potentiale, ex dictis : Ergo, etc. Adde, quod omnis prædicatio dicit identitatem prædicati cum subjecto : Sed in prædicatione, in qua genus prædicatur de specie aliqua, falsum est, quod ratio significata per genus, quatenus concipitur ut pars, sit idem cum specie; falsum est enim, quod homo sit animal, quod est pars hominis, sicut falsum est, quod totum sit sua pars. Unde adverte, quod alio modo sumitur v. g. animal quando habet rationem partis componentis hominem cum rationali, et alio modo quando animal seorsim prædicatur de homine; quando enim sumitur ut pars, significat tantum animal, id est, vivens sensibile cum præscisione omnimoda ab omni continentia tam actuali, quam potentiali; quando vero sumitur ut genus et prædicatur de homine, sumitur ut totum potentiale, quatenus saltem in potentia includit rationale.

Sequitur 658. Genus in rebus corporeis radicaliter sumi a materia, et differentiam a forma.

658. — 1. p. q. 50. a. 2. ad 1; De ente et essent. cap. 6; Opusc. 42. cap. 5.

Probatur sequela. Omne potentiale sumitur a prima radice totius potentialitatis in habentibus illam, et omne actuale a primo actu : Sed genus est quid potentiale, et differentia quid actuale : Ergo in habentibus primam radicem potentialitatis genus sumitur ab ea : Sed materia est prima radix totius potentialitatis, quia est pura potentia : in angelis vero genus sumitur tam formaliter, quam radicaliter a tota substantia ut est quid potentiale, quia non habent materiam. In accidentibus denique, quando significantur in abstracto, id est, ut abstracta a subjecto, genus sumitur ab ipsa essentia, ut est quid potentiale in ordine ad afficiendum subjectum, per quod veluti fit actuale, et sic differentia sumitur a subjecto : quando autem significantur in concreto, genus sumitur ab eo, quod habet in eis rationem materiæ, scilicet a subjecto; et differentia ab eo, quod habet rationem actus, scilicet a proprio effectu formali, qui actuat subjectum.

Sequitur 659. Speciem esse universale per modum naturæ perfectæ constitutæ.

659. — Opusc. 48. tract. 1. cap. 3.

Probatur sequela. Species est universale, ex dictis : Sed non est universale per modum potentialis, vel per modum actus constituentis, ut patet ex dictis : Ergo, etc. Specieitas vero est universalitas naturæ essentialiter perfectæ. Et ad hoc reducitur definitio descriptiva Porphyrii : species est id, quod prædicatur de multis numero differentibus in quid; nam alia definitio, scilicet, species, est quod subjicitur generi, non est definitio speciei ut universalis, sed ut subjicibilis.

Sequitur 660. Genus non posse conservari in una specie, bene autem speciem in unico individuo.

660. — 1. post. lect. 12; In 1. dist. 19. q. 4. art. 2.

Probatur sequela. Nulla potentia potest conservari sine suo actu, quem respicit; actus tamen perfectus potest conservari sine extrinsecis : Atqui, ex dictis, genus est potentia sive totum potentiale essentialiter divisibile per differentias varias, quas omnes respicit ut proprium actum; species vero est actus, sive totum actuale, quod proinde non potest respicere individua, nisi ut extrinseca : Ergo genus non potest conservari, si per unam solum differentiam ad unam speciem contrahatur; species vero potest conservari in unico individuo.

Sequitur 661. In Angelis posse dari speciem universalem, quamvis in illis implicet dari plura individua ejusdem speciei.

661. — 1. p. q. 13. a. 2. et q. 50. a. 4; Opusc. 42. cap. 5; De spirit. creat. a. 8. ad 4.

Probatur sequela ex dictis : Species potest conservari in uno individuo : Atqui tunc etiam poterit esse universalis. *Quod probatur;* quia tunc quamvis, si conciperetur ut est in se, non posset fieri universalis, attamen concepta ad modum rerum aliarum habet, quod ex modo, quo comparatur ad unum individuum, apta sit comparari ad plura; quæ si non sint possibilia, per accidens est ad illum modum quo comparatur : et sic hæc species dicitur universalis ratione tantum; quia et formaliter est ens rationis et fundamentaliter innititur modo nostro concipiendi, non autem alicui similitudini, quæ reperiri possit inter individua : habet tamen aliquod fundamentum remotum, quatenus natura angelica est potentialis, non est suum esse, nec sua subsistentia; unde fit, quod potest concipi ut communicabilis pluribus ex modo nostro concipiendi. Aliæ vero species dicuntur universales ratione et re, quia habent fundamentum reale, ipsam scilicet similitudinem realem individuorum inter se.

Sequitur 662. Differentiam esse naturam universalem per modum actus et determinantis realiter.

662. — 2. post. lect. 13.

Probatur sequela. Differentia est universale : Sed non est universale per modum constituti, vel per modum potentialis essentialis : Ergo per modum actuantis. Differentialitas vero est universalitas naturæ per modum actus essentialiter determinantis : Hinc valet Porphyriana descriptio : differentia est, quod prædicatur de pluribus specie differentibus in quale quid; unde colliges solam differentiam, quam Porphyrius vocat propriissimam, esse veram differentiam.

Sequitur 663. Differentiam esse universale per ordinem ad individua speciei, non per ordinem ad ipsam speciem.

663. — Ibidem.

Probatur sequela. Omne universale constituitur per ordinem ad plura : Sed differentia propriissima non dicit ordinem ad plures species, cum tantum constituat unam speciem, ut patet : Ergo non constituitur universalis per ordinem ad speciem, sed ad individua.

Sequitur 664. Differentias infimas et atomas non includere differentias subalternas vel genera.

664. — 2. Post. lect. 13; 3. Metaph. lect. 8; 5. Metaph. lect. 12. cap. 7; De ente et essent.; 1. Contra gent. c. 17.

Probatur sequela. Id, quo formaliter res differunt, si sit univocum, non est id, in quo formaliter conveniunt, ut videtur evidens : Sed omnis differentia sicut et omne universale est quid univocum, ex dictis supra : Ergo differentia qua species aliqua differt non est id in quo formaliter convenit cum aliis : Sed convenit cum aliis in differentiis subalternis, et genere : Ergo differentia, quæ est id, quo formaliter species differunt, non includit genus,

vel differentias superiores et subalternas, in quibus species conveniunt; unde differentia excludit genus et genus differentiam metaphysice.

Sequitur 665. Differentiam omnem esse genere perfectiorem.

665. — Quæst. de spirit. creat. a. 8. ad 9. 1. p. q. 50. a. 4. ad 1. et q. 75. a. 2. ad 2.

Probatur sequela. Actus est perfectior potentia : Sed differentia est ut actus, genus est ut potentia : Ergo, etc.

Sequitur 666. Proprium esse naturam universalem cum ordine ad multa accidentaliter per modum orti ex principiis essentialibus.

666. — Opusc. 48. c. 6. et 7.

Patet ex dictis : Quod convenit naturæ specificæ omni, soli, et semper, et non essentialiter, debet convenire accidentaliter tanquam ortum ex principiis essentialibus : Sed proprium est universale, quod convenit naturæ specificæ omni, soli et semper : Ergo convenit tanquam ortum ex principiis essentialibus accidentaliter. Si vero velis deffinire ipsam secundam intentionem proprii, dices ipsam esse secundam intentionem naturæ, non essentialiter, sed accidentaliter convenientis tanquam ortæ ex principiis essentialibus. Et hinc verum habet definitio Porphyrii, scilicet : Proprium est, quod prædicatur accidentaliter de omni, solo, et semper.

Sequitur 667. Solum proprium quarto modo, id est, quod convenit omni, soli, et semper constituere quartum universale.

667. — Ibidem.

Probatur sequela. Illud constituit hoc universale, per quod differt ab aliis, præsertim a quinto : Sed, ut patet, differt per hoc, quod proprium est unum versus multa accidentaliter per modum orti ex principiis essentialibus : Ergo, etc.

Sequitur 668. Proprium converti cum eo, cujus est proprium.

Probatur sequela. Quod convenit omni, soli, et semper, convertitur cum eo, cui convenit, ita ut, ubi unum reperitur, reperiatur et alterum, et e contra : Atqui proprium convenit omni, soli, et semper : Ergo, etc.

Sequitur 669. Proprium non esse universale per ordinem ad speciem, a qua dimanat, et cum qua convertitur; sed per ordinem ad individua talis speciei.

Probatur sequela. Quia omne universale constituitur per ordinem ad plura : Sed proprium per ordinem ad unam speciem ut sic, non dicit ordinem ad plura : Ergo, etc.

Sequitur 670. Accidens esse naturam universalem, sive dicentem ordinem ad plura accidentaliter, non necessario, nec ut ortam ex principiis essentialibus.

670. — De spirit. creat.; Quæst. unic. art. ultim. ad 7.

Patet ex dictis : Et hoc modo intelligenda est descriptio Porphirii, scilicet : quod adest et abest absque subjecti corruptione, id est, quod affirmatur vel negatur absque eo, quod destruatur definito subjecti; accidentalitas vero est universalitas naturæ non necessario convenientis.

Sequitur 671. Accidens constitui quintum prædicabile per ordinem ad subjeta, quæ denominat, v. g. albedo per ordinem ad cygnum, papyrum, etc. non per ordinem ad individua, v. g. ad hanc albedinem et illam, etc.

671. — D. Thom. Opusc. 48. cap. 7.

Probatur sequela. Per ordinem ad illa, de quibus prædicatur non necessario, constituitur accidens quintum prædicabile, ut patet ex dictis : Sed solum prædicatur accidentaliter de subjectis, non de inferioribus v. g. albedo prædicatur accidentaliter de subjectis, non de inferioribus, prædicatur enim accidentaliter de pariete, papyro, etc. non autem de hac et illa albedine de qua prædicatur essentialiter.

Sequitur 672. Dari etiam scientiam directivam liberarum operationum voluntatis.

672. — D. Thom. 1. Ethicorum initio.

Probatur sequela. Voluntas et intellectus sunt potentiæ reflexivæ supra seipsas, ex dictis : Sed ex eo, quod intellectus sit reflexivus supra operationes aliarum potentiarum, dantur variæ artes ut diximus; et ex eo, quod sit reflexivus supra suas operationes datur Logica, ut etiam dictum est : Ergo ex eo quod sit etiam reflexivus supra operationes voluntatis, debet dari alia scientia, quam vocamus *Moralem,* quia dirigit mores, id est, actus liberos voluntatis.

Sequitur 673. Hanc scientiam dirigere operationes voluntatis in ordine ad attingendum bonum.

673. — Ibidem.

Probatur sequela. Directio operationum alicujus potentiæ fit in ordine ad attingendum infallibiliter objectum illius . Sed datur scientia ad directionem operationum voluntatis : Ergo datur scientia ad attingendum infallibiliter objectum voluntatis : Atqui, ex dictis supra, bonum est objectum voluntatis : Ergo debet dari scientia ad attingendum infallibiliter bonum.

Sequitur 674. Hanc scientiam versari circa dirigendas operationes liberas voluntatis.

Probatur sequela. Scientia ad dirigendas operationes est tantum circa illas, quæ aliter se habere possunt, sive quæ possunt falli et decipi in attingendo suo objecto, ut patet ex dictis supra de Logica : Sed voluntas potest falli in attingendo bono per liberas actiones, non autem per necessarias : Ergo, etc.

Sequitur 675. Hanc scientiam versari circa actus humanos et morales.

Probatur sequela. Actus liberi sunt humani et morales; dicuntur enim humani et morales, quia conveniunt homini ut agenti intellectuali : Atqui datur scientia, quæ versatur circa actus liberos, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 676. Recte hanc scientiam vocari moralem.

Probatur sequela. Scienta de moribus recte vocatur Moralis . Atqui hæc scientia est de moribus, cum versetur circa actus humanos et morales, qui sunt mores; Ergo, etc.

Sequitur 677. Hanc scientiam esse practicam.

677. — 2. 2. q. 47. a. 11. et q. 48. art. 1. ad 2.

Probatur sequela. Scientia, quæ versatur circa actus humanos et morales est practica, quia versatur circa actus alterius potentiæ ab intellectu ; actus enim liberi et morales sunt actus voluntatis . Sed hæc scientia versatur circa hos actus humanos et morales : Ergo, etc.

Sequitur 678. Objectum hujus scientiæ esse mores, id est, actus liberos in ordine ad bonum.

678. — Locis citatis.

Probatur sequela. Id, circa quod scientia versatur est objectum ejus : Sed hæc scientia versatur circa mores : Ergo mores sunt objectum ejus.

Sequitur 679. Objectum hujus scientiæ esse quid reale.

Probatur sequela. Mores ordinati in finem sunt quid reale, realiter enim ordinantur in finem : Sed objectum hujus scientiæ sunt mores ordinati in fine; Ergo, etc.

Verum ut hæc percipiantur, redeundum est ad superius dicta; diximus enim supra, tot debere dari potentias in vivente, quot sunt necessariæ ad operationes vitales congruas ipsi vitæ Sed ad vitam omnino immaterialem, qualem ostendimus esse vitam animæ rationalis, requiritur etiam inclinatio et operatio in bonum per rationem cognitum . Ergo in vivente vita rationali requiritur poten-

tia, quæ sit inclinatio in hujusmodi bonum et prosecutiva ipsius : hanc autem potentiam vocamus voluntatem, quæ consequenter est appetitus rationalis : Sequitur ergo, ex dictis, dari in homine voluntatem.

§ II. De voluntate.

Sequitur 680. Voluntatis objectum esse bonum cognitum per rationem.

680. — D. Thom. 1. p. q. 80. a. 1. et 2 ; 1. p. q. 82. a. 1.

Probatur sequela. Illud, in quod per se primo fertur potentia, est objectum ejus, ut frequenter diximus : Sed (ex jam dictis) voluntas fertur per se primo in bonum per rationem cognitum : Ergo bonum per rationem cognitum est objectum voluntatis.

Sequitur 681. Intellectum esse potentiam simpliciter nobiliorem voluntate.

681. — 1. p. q. 82. a. 3.

Probatur sequela. Potentia, quæ habet nobilius objectum in ratione objecti est nobilior, quia potentiæ specificantur ab objectis, ut objecta sunt, ut dicemus in tertio principio : Sed intellectus habet nobilius objectum in ratione objecti, quam voluntas, quia ens, quod est objectum intellectus, est nobilius bono, quod est objectum voluntatis; quia ens est ipsa ratio boni appetibilis abstractior quam ratio boni, quod est concretum in ipsis rebus : unde objectum intellectus est abstractius et simplicius; atque adeo nobilius quam objectum voluntatis. *Explicatur :* Potentia, quæ attingit subtiliorem et magis abstractam rationem, atque (ut sic dicamus) magis immaterialem, est nobilior et perfectior : Atqui ratio entis est subtilior, quam ratio boni, quia ratio boni attenditur in ipsa actuali existentia, ratio autem entis attenditur in ipsa quidditate : unde quamvis in esse rei id, quod existit, sit quodammodo nobilius, tamen in ratione objecti elevatior est modus, quo res abstracta ab existentia attingitur. Adde, quod potentia propinquior et immediatior ipsi animæ nobilior est et perfectior alia, quæ fluit ab anima mediante illa priori; voluntas autem fluit ab anima mediante intellectu, qui etiam movet voluntatem quoad specificationem : unde comparatur ad illam sicut actus ad potentiam, vel sicut movens ad mobile.

Sequitur 682. Voluntatem non debere distingui in appetitum concupiscibilem et irascibilem tanquam in duas potentias realiter distinctas.

682. — De Thom. 1. p. q. 72. art. 5; In 3. dist. 17. q. 12. a. 1; De verit. q. 25. a. 3; 3. De an. lect. 14.

Probatur sequela. Potentia respiciens objectum suum sub aliqua communi ratione, non diversificatur realiter ex inferioribus objecti differentiis sub ea ratione communi contentis, ut dicemus in tertio principio : Atqui, ex jam dictis, voluntas est potentia respiciens bonum ut cognitum per rationem sub communi ratione boni : Ergo non debet diversificari ex differentia boni appetibilis et ardui, sicut diversificatur appetitus sensitivus. Quare sicut non est alia potentia cognoscitiva boni cogniti per rationem, sive sit bonum appetibile ut sic, sive sit bonum arduum, sed utrumque cognoscitur ab eodem intellectu; ita respectu voluntatis non habet aliam rationem objecti bonum appetibile ut sic, quam bonum arduum. In appetitu autem sensitivo bonum sensibile ut sic per imaginationem percipitur; bonum vero arduum per æstimativam : et sic ratio boni appetibilis secundum sensum alia est a ratione boni ardui cogniti per æstimativam, non quod cognitio sola distinguat appetitum, sed quia ratio boni ardui cogniti per æstimativam alio modo movet et terminat appetitum, quam ratio boni concupiscibilis secundum sensum.

Sequitur 683. Voluntatem nihil appetere, nisi sub ratione boni in communi ut cogniti per rationem.

683. — D. Thom. Iisdem locis.

Probatur sequela. Potentia nihil attingit, nisi sub ratione sui objecti specificativi : Sed voluntatis objectum, sive ratio ejus specificativa, est bonum, sive conveniens ut sic cognitum per rationem : Ergo voluntas nihil appetit, nisi sub ratione boni cogniti per rationem.

Sequitur 684. Intellectum movere voluntatem quoad specificationem.

684. — D. Thom. 1. p. q. 82. a. 4.

Probatur sequela. Quod applicat potentiæ suum objectum, ita ut applicatio illa sit conditio essentialiter requisita, ut potentia ab objecto moveatur, movet potentiam quoad specificationem; quia potentia specificatur ab objecto : Sed, ex dictis, intellectus applicat voluntati objectum sive bonum, ita ut applicatio illa sit conditio essentialiter requisita : Ergo intellectus movet voluntatem quoad specificationem.

Sequitur 685. Nihil esse volitum, quin præcognitum.

685. — D. Thom. Ibidem.

Probatur sequela. Volitum est illud, ad quod movetur voluntas quoad specificationem : Sed ad nihil movetur voluntas quoad specificationem, nisi sit cognitum, quia, ut diximus, cognitio est conditio essentialiter requisita : Ergo nihil est volitum, quin præcognitum.

Sequitur 686. Voluntatem non posse libere ferri in aliquod objectum, nisi præcedente judicio.

Probatur sequela. Cognitio illa, qua proponitur objectum ut indifferens, est judicium ; judicat enim objectum esse indifferens : Sed voluntas non potest ferri in objectum libere, nisi cognoscatur indifferens, ex dictis : Ergo non potest ferri libere in objectum, nisi præcedente judicio.

Sequitur 687. Tot debere præcedere actus intellectus ostendentis bonum, quot sequentur actus ex parte voluntatis prosequentis idem bonum.

Probatur sequela. Nihil volitum, quin præcognitum, ex dictis : Sed per quemcumque actum voluntatis aliquid est volitum : Ergo ante quemcumque actum voluntatis idem est præcognitum, atque adeo ante quemcumque actum voluntatis præcedit cognitio ejusdem objecti voliti : neque potest fieri ut postquam voluntas semel voluit aliquod objectum, illud idem vel aliud velit, nisi iterum intellectus proponat; alias cognitio non esset conditio essentialiter requisita ad volitionem : Ergo tot debent præcedere actus intellectus, quod subsequuntur actus voluntatis.

Sequitur 688. Voluntatem in suo actu non posse cogi sive violentiam pati.

688. — D. Thom. 1. p. q. 28. a. 1.

Probatur sequela. Quod est a principio intrinseco secundum inclinationem, non potest esse violentum : Sed omnis actus voluntatis est a principio intrinseco secundum inclinationem agentis, sive volentis cum cognitione : Ergo nullus actus voluntatis potest esse violentus. *Minor patet ex dictis :* Tum quia omnis actus vitalis est a principio intrinseco, tum quia voluntas est inclinatio in bonum, extra quod non potest ferri.

Sequitur 689. Voluntatem amare naturaliter bonum ut sic, sive bonum universale cognitum.

689. — Ibidem.

Probatur sequela. Omnis potentia attingit naturaliter suum objectum : Atqui ex dictis, bonum ut sic, sive bonum universale est objectum voluntatis : Ergo voluntas amat naturaliter bonum ut sic, sive bonum universale.

Sequitur 690. Voluntatem amare necessario necessitate specificationis bonum ut sic, sive bonum in communi.

Probatur sequela. Quod naturaliter amatur, amatur necessario, necessitate saltem specificationis; naturaliter namque idem est ac necessario necessitate naturali : Sed voluntas amat naturaliter bonum ut sic, sive bonum in communi, ex dictis : Ergo voluntas amat bonum ut sic necessario necessitate naturali : non quoad exercitium, ut statim ostendemus : Ergo quoad specificationem modo mox explicando.

Sequitur 691. Voluntatem velle bonum prout illi proponitur ab intellectu.

691. — Tota q. 82. 1. p.

Probatur sequela. Potentia, quæ non potest attingere suum objectum, nisi cum conditione actus alterius potentiæ tanquam essentialiter requisita, non potest illud attingere nisi juxta actum præsuppositum, ut patet ex terminis : Atqui voluntas non potest velle bonum, nisi propositum ab intellectu, ex dictis : Ergo non potest illud velle, nisi sicut proponitur; si enim alio modo vellet quam ei proponitur et quam cognoscitur, jam ferretur in incognitum, neque cognitio esset conditio essentialiter requisita.

Sequitur 692. Voluntatem non necessario etiam necessitate quoad specificationem, velle bonum particulare.

692. — Ibidem.

Probatur sequela. Voluntas non vult necessario necessitate quoad specificationem, nisi objectum, quod specificat ipsam, vel quod continet objectum ejus specificativum, aut saltem, quod proponitur ab intellectu ut aliquomodo illud continens : Atqui bonum particulare non specificat ipsam, nec continet totum objectum specificativum, nec proponitur ut omnem rationem boni continens : Ergo voluntas non vult bonum particulare necessario, necessitate quoad specificationem.

Sequitur 693. Voluntatem posse velle suum actum.

693. — 4. Contra gent. c. 11.

Probatur sequela. Voluntas potest velle quidquid continetur intra objectum suum specificativum : Atqui proprius actus voluntatis continetur intra objectum ipsius specificativum, cum actus ipsius sit bonum et ens, ut patet ex dictis supra : Ergo voluntas potest velle suum actum.

Sequitur 694. Voluntatem esse reflexivam.

694. — Ibidem.

Probatur sequela. Potentia, quæ potest suum proprium actum attingere, est reflexiva, ut patet ex dictis supra de intellectu : Atqui voluntas potest velle et attingere suum actum : Ergo, etc.

Sequitur 695. Voluntatem esse reflexivam formaliter et virtualiter.

695. — Ex eodem loco.

Probatur sequela. Potentiam esse reflexivam formaliter, est ipsam actu distincto attingere alium actum suum; esse autem reflexivam virtualiter est, quando eodem actu, quo attingit objectum directe, attingit etiam indirecte illum ipsum actum, quo attingit objectum, ut patet ex dictis de intellectu : Atqui voluntas non solum potest actu distincto velle suam volitionem : Sed eodem actu, quo directe vult objectum, vult etiam illum ipsum actum; quando enim voluntas vult v. g. scientiam, non solum vult scientiam directe, sed etiam vult se velle scientiam, ut constat ipsa experientia : Ergo voluntas est reflexiva et formaliter et virtualiter.

Sequitur 696. In homine esse liberum arbitrium.

696. — 1. p. q. 83. a. 1.

Probatur sequela. Potentia, quæ non necessario, sive necessitate coactionis, sive necessitate naturali, fertur in suum objectum propositum ut indifferens, est liberum arbitrium : Sed in homine est hujusmodi potentia : Ergo in homine est liberum arbitrium. *Major est evidens ipsa explicatione terminorum* : Nam omnis vera necessitas est, vel necessitas coactionis et violenta, vel necessitas naturalis; quia omnis necessitas vel oritur ex principio quodam extrinseco, et hæc est necessitas coactionis et violenta, vel oritur ex principio intrinseco, et hæc est necessitas naturalis. Quando autem aliquod objectum proponitur ut indifferens, ex vi talis propositionis non est necessitas violenta, ut patet, imo est indifferentia; non est etiam necessitas naturalis, et a principio intrinseco; cum propositio illa objecti indifferentis non sit naturalis, nec objectum sit naturaliter determinatum : Ergo tunc nulla est necessitas, atque adeo est libertas. *Minor vero probatur* : Voluntas, ex dictis, non potest necessitari necessitate coactionis vel violenta : ex dictis etiam, non necessitatur necessitate naturali, nisi circa bonum ut sic, vel bonum universale : Ergo nulla est in voluntate circa bonum particulare necessitas : Est ergo libertas. Præterea voluntas fertur in bonum, sicut ei proponitur, ut diximus : Ergo sicut bonum particulare proponitur voluntati ut indifferens, ita voluntas fertur in illud tanquam indifferens : Sed voluntas, quæ fertur in bonum ut indifferens non potest non esse liberum arbitrium : Ergo voluntas est liberum arbitrium. *Minor patet* : Nam liberum arbitrium duo dicit, videlicet arbitrium et liberum : Atqui arbitrium idem est quod judicium, liberum idem est ac indifferens : Ergo ubi est judicium indifferens, ibi etiam est liberum arbitrium; non quod in judicio indifferenti consistat libertas voluntatis, sed quod a judicio indifferenti ea oriatur, tanquam a causa essentialiter annexa : quomodo enim voluntas a ratione sive intellectu oritur, ita actus voluntatis a judicio intellectus ortum habet, quia, ut diximus, nihil volitum, quin præcognitum, et eodem prorsus modo, quo cognoscitur bonum per judicium, etiam amatur; atque adeo si judicatur ut indifferens, etiam appetitur sub indifferentia, et consequenter cum libertate.

Confirmatur . Quia voluntas respicit bonum universale non eo modo, quo visus v. g. respicit colorem in communi; visus enim non potest ferri nisi in colorem aliquem particularem, quamvis feratur in illum sub ratione communi : Voluntas vero fertur in bonum in universali hoc sensu, quod potest actu quodam singulari ferri in omne bonum, vel in aliquod objectum particulare, quod contineat in se totam rationem boni perfecte satiativam ipsius voluntatis, ex quo fit, quod circa aliud quodcumque bonum non continens omnimodam rationem boni se habeat indifferenter; quia in eo non est totum id, quod voluntas naturaliter appetit, scilicet omnimoda et tota ratio boni : Ergo circa quodcumque bonum particulare se habet libere.

Sequitur 697. Liberum arbitrium esse omnino eamdem potentiam cum voluntate.

697. — D. Thom. 1. p. q. 83. a. 2. 3. et 4.

Probatur sequela. Voluntas ut indifferens non distinguitur a potentia appetitiva rationali, ut patet ex dictis supra : Sed liberum arbitrium est voluntas ut indifferens, ex modo dictis et probatis : Ergo liberum arbitrium non distinguitur a potentia appetitiva rationali : Hæc autem potentia est ipsa voluntas : Ergo, etc.

Sequitur 698. Non posse tolli ab homine liberum arbitrium, quamdiu manet voluntas.

698. — Ibidem.

Probatur sequela. Quæ sunt omnino eadem ita se habent, ut non possit tolli unum alio stante, ut patet : Atqui, ex dictis, voluntas et liberum arbitrium sunt omnino eadem potentia : Ergo, etc.

Sequitur 699. Fieri non posse, ut voluntas feratur in bonum particulare sibi propositum et judicatum ut indifferens ab intellectu, quin feratur libere.

Probatur sequela. Voluntas non potest ferri in bonum, nisi eo modo, quo illud ei proponitur ab intellectu, ex dictis : Sed proponitur ipsi ut indifferens, ut supponimus : Ergo non potest ferri in illud, nisi ut indifferens; atque adeo indifferenter et libere.

Sequitur 700. Voluntatem nostram, quamdiu sumus in hac vita, esse liberam quoad exercitium circa quodcumque objectum, si deliberate agat.

700. — 1. p. q. 82. a. 2.

Probatur sequela. Voluntas nostra est libera circa quodcumque objectum propositum sibi ut indifferens, ex dictis : Sed quamdiu sumus in via, si deliberate agamus, semper quodlibet bonum nobis proponitur ut indifferens : Ergo circa illud omne voluntas erit libera. *Minor probatur ex dictis supra* : Quia voluntas est formaliter et virtualiter reflexiva, et quoties vult objectum aliquod directe, vult etiam suum actum virtualiter : Sed quantumcumque proponatur in hac vita aliquod objectum, sive bonum in communi, sive Deus ut continens omnem rationem boni, semper actus, quo voluntas vult tale objectum, proponitur ut bonum quoddam particulare indifferens : Ergo semper manet libera, quia, ut diximus, quoties ipsi proponitur bonum indifferens, manet libera.

Adverte autem dupliciter posse proponi aliquod objectum ut indifferens; *primo, in actu signato,* quando nimirum intellectus veluti expresse intimat voluntati, hoc objectum est tibi indifferens : *secundo, in actu exercito,* quando intellectus proponit voluntati bonum aliquod ut limitatum et finitum, vel non appetibile propter se; hoc enim ipso quod intellectus proponit voluntati objectum finitum ut finitum, et non amabile propter se, proponit ipsum, ut non habens omnimodam rationem boni, et consequenter, ut habens aliquem defectum, ratione cujus non est appetibile propter se; unde fit indifferens in actu exercito. Omnia igitur bona, quæ ab intellectu proponuntur voluntati quamdiu sumus in via, proponuntur ut indifferentia in actu exercito, si deliberate proponantur.

Sequitur 701. In motibus primo primis voluntatem non esse formaliter liberam.

701. — 1. 2. q. 74. a. 3; 2. 2. q. 154. art. 5; Quæst. 3. De malo. a. 3. ad 8. et q. 7. art. 6. ad 6; De verit. q. 15. a. 3. 4. 5.

Probatur sequela. Quando bonum non proponitur ut indifferens, voluntas non manet libera, ut patet ex dictis : Sed in motibus primo-primis non proponitur bonum ut indifferens : Ergo voluntas non manet libera. *Minor probatur :* Quia motus primo-primi sunt illi, in quibus ratio non judicat, sed ex prima et veluti simplici apprehensione objecti voluntas agit : Atqui quando ratio non judicat, non proponitur bonum ut indifferens, quia non potest proponi ut indifferens, nisi per judicium. Unde in his motibus primo-primis intellectus solum apprehendit rationem boni in objecto, et sic illud proponit voluntati, et voluntas fertur in illud necessario. Dixi autem voluntatem in illis non esse formaliter liberam, quia præsuppositive potest esse libera,

quatenus potuit ipsa applicare intellectum ad melius judicandum. Verum de hoc alias.

Sequitur 702. Voluntatem nostram ferri in finem et in media.

702. — 1. p. q. 83, art. 3; Quæst. 24. De verit. a. 6; 1. 2. q. 8. a. 2.

Probatur sequela. Quod fertur in omne illud, quod habet rationem aliquam boni, fertur in finem et in media : Sed voluntas nostra fertur in omne illud, quod habet rationem boni, ex dictis : Ergo, etc. *Major patet ex dictis supra :* Quia finis et media habent aliquam rationem boni.

Sequitur 703. Voluntatem non ferri in media, nisi propter finem.

703. — Ibidem.

Probatur sequela. Voluntas fertur in sua objecta, secundum quod habent rationem boni : Sed media non habent rationem boni, nisi propter finem, ut alias diximus : Ergo voluntas non fertur in media, nisi propter finem.

Sequitur 704. Alios esse actus voluntatis, quibus ipsa fertur in finem, alios, quibus fertur in media.

704. — Ibidem.

Probatur sequela. Actus, quo aliquid appetitur propter se, et actus, quo quid appetitur propter aliud, sunt distincti, ut patet; Atqui actus, quo voluntas appetit finem, est quo appetit aliquid propter illud ipsum, et quo appetit media, est ille quo appetit propter finem, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 705. Actum, quo voluntas appetit finem ut finis est, non esse liberum.

705. — 1. p. q. 83. a. 4; 1. 2. q. 13, a. 3.

Probatur sequela. Actus quo voluntas appetit bonum non propositum ut indifferens, non est liber : Atqui actus quo voluntas appetit finem ut finem, est actus quo appetit bonum non propositum ut indifferens : Ergo ille actus non est liber. *Major patet ex supra dictis. Minor probatur*: Finis ut finis, non est, nisi bonum cognitum dumtaxat ut bonum : Atqui bonum ut bonum et cognitum tantum ut bonum, non proponitur ut indifferens : Ergo finis ut finis non proponitur ut indifferens. Major patet : Quia bonum et finis convertuntur.

Sequitur 706. Liberum arbitrium recte definiri, vim electivam servato ordine finis.

706. — D. Thom. 1. p. q. 83. a. 2. et 3.

Probatur sequela. Quælibet potentia recte definitur per actum, quem per se primo respicit, ut dicemus in tertio principio : Sed, ex dictis, liberum arbitrium per se primo respicit electionem, sumendo electionem late, prout est actus quilibet voluntatis circa media : Ergo liberum arbitrium recte definitur per hoc, quod est esse vim electivam ; hoc enim est per se primo respicere electionem. *Minor constat ex dictis.* Si enim nullus actus circa finem ut finem est liber, omnis actus liber est circa media; quia, ut infra ostendemus, non datur actus neuter, id est, qui sit circa aliquod objectum, quod neque sit finis, nec medium. Additur autem in definitione, servato ordine finis, ad majorem explicationem : hoc enim sufficienter intelligebatur in eo, quod dicitur vis electiva.

Sequitur 797. Posse deficere ab ordine finis, non esse de ratione aut perfectione libertatis.

707. — 1. p. q. 62. a. 8, ad 3.

Probatur sequela. De ratione aut perfectione illius, de cujus essentia est, servare ordinem finis, non potest esse, posse deficere ab ordine finis, ut ex terminis constat : Sed, ex dictis, est de essentia liberi arbitrii, servare ordinem finis : Ergo posse deficere ab ordine finis, non est de essentia vel ratione libertatis.

Sequitur 708. Non esse etiam de ratione aut perfectione libertatis ut sic, posse ordinare ad finem, qui non sit vere bonum, sed tantum apparens.

708. — Quæst. 22. De verit. a. 6.

Probatur sequela. Posse decipi circa proprium objectum, non potest esse de ratione aut perfectione alicujus potentiæ, ut est evidens : Atqui posse ordinare media in finem, qui non sit verum bonum, sed tantum apparens, est voluntatem decipi circa proprium objectum, quod est bonum, ut diximus : Ergo non est de ratione aut perfectione voluntatis, nec consequenter libertatis, posse ordinare media in finem, qui non sit bonum. *Minor patet :* Nam sumere tanquam bonum, quod non est vere bonum, est decipi.

Sequitur 709. Posse peccare non esse de ratione aut perfectione libertatis.

709. — Ibidem.

Probatur sequela. Posse deficere ab ordine finis, vel posse ordinare media in finem qui non sit vere bonum, non est de ratione aut perfectione libertatis, ut diximus : Atqui posse peccare nihil omnino aliud est, quam posse deficere ab ordine finis qui sit vere bonum, hoc est, conveniens et conforme rationi hominis, ut omnes admittunt, et nos postea ostendemus : Ergo posse peccare non est de ratione aut perfectione libertatis.

Sequitur 710. Perfectiorem esse libertatem, quando est hujusmodi, ut peccare non possit.

710. — Ibidem.

Probatur sequela. Perfectior est libertas, quando eligit verum et utile medium in verum finem et bonum : Sed libertas, quando peccare non potest, eligit infallibiliter verum et utile medium in verum finem et bonum, ut constat : Ergo libertas, quando peccare non potest, est perfectior, etiam in ratione libertatis : quamvis non diffiteamur posse peccare esse signum libertatis, non utcumque, sed deficientis a perfecta ratione libertatis, ut etiam postea ostendemus.

Sequitur 711. Christum Dominum, Beatissimam Virginem Mariam, Sanctos in cœlo, et confirmatos in gratia esse perfectius liberos.

Probatur sequela. Qui habet perfectiorem libertatem est perfectius liber, ut ex terminis constat : Atqui Christus Dominus, Beata Virgo Maria, Beati, et confirmati in gratia, qui non possunt peccare, habent perfectiorem libertatem : Ergo sunt perfectius liberi.

Sequitur 712. Eos, qui peccant, habere quidem libertatem, sed deficientem.

Probatur sequela. Qui habet vim electivam servato aliquo ordine finis, sed deficiendo vel ab ordine ad finem, vel a vera ratione finis, qui sit vere talis, habet quidem aliquam libertatem, in quantum eligit servando ordinem aliquem ad finem; sed illa libertas est valde deficiens, quia deficit ab ordine finis vel ab ipso fine, ut patet : Atqui omnis, qui peccat, eligit, servato ordine finis; eligit enim medium ordinatum in finem bonum, saltem apparenter : Sed deficit ab illo ordine ; quia vel illum non perfecte servat, vel finis ille non est verus finis : Ergo omnis, qui peccat, habet quidem libertatem, sed deficientem.

Sequitur 713. Ad libertatem, necessariam esse indifferentiam objectivam judicii.

713. — 1. p. q. 83. art. 1.

Probatur sequela. Ad indifferentiam potentiæ, quæ non agit, nisi circa objectum cognitum et judicatum requiritur indifferentia objectiva cognitionis et judicii : Sed voluntas est potentia, quæ non agit, nisi circa objectum cognitum et judicatum, ex

dictis : Ergo ad indifferentiam voluntatis requiritur indifferentia objectiva judicii : Cum ergo in hac indifferentia voluntatis sit libertas, ad libertatem requiritur indifferentia objectiva judicii.

Sequitur 714. Indifferentiam, in qua formaliter consistit libertas, esse indifferentiam activam.

714. — 1. Contra gent. c. 82.

Probatur sequela. Indifferentia principii activi ut sic, est indifferentia activa, ut patet ex terminis : Sed indifferentia, in qua formaliter consistit libertas, est indifferentia voluntatis, ut est principium activum : Ergo indifferentia, in qua consistit formaliter libertas, est indifferentia activa.

Sequitur 715. Indifferentiam passivam non esse de ratione libertatis.

715. — Ibidem.

Probatur sequela. Indifferentia principii activi ut sic non est indifferentia passiva, ut constat : Sed libertas est indifferentia principii activi ut sic : Ergo, etc. *Confirmatur,* quia in Deo est libertas; et tamen in eo non est indifferentia passiva.

Sequitur 716. Indifferentiam potentialem non esse de ratione libertatis.

Probatur sequela. Indifferentia passiva non est de ratione libertatis : Sed indifferentia potentialis est indifferentia passiva, quia hoc, quod est esse potentiale, est esse receptivum et mutabile ab ipsa potentia ad actum, ut constat : Ergo indifferentia potentialis non est de ratione libertatis.

Sequitur 717. Indifferentiam necessariam ad libertatem posse reperiri in actu secundo.

Probatur sequela. Indifferentia non potentialis, sed activa, aut (ut ita dixerim) actualis, potest reperiri in actu : Atqui indifferentia necessaria ad libertatem est indifferentia non potentialis, sed activa, imo et actualis, ex dictis : Ergo indifferentia necessaria ad libertatem potest reperiri in actu secundo.

Sequitur 718. Actum secundum posse esse intrinsece liberum.

Probatur sequela. Indifferentia activa et actualis potest esse in actu secundo intrinsece : Sed libertas consistit in illa indifferentia activa seu actuali, ex dictis : Ergo libertas potest esse intrinsece in actu secundo; atque adeo actus secundus potest esse intrinsece liber.

Sequitur 719. De facto actum secundum esse intrinsece liberum.

Probatur sequela. Potentia specificatur ab eo, quod actus habet intrinsece, ut dicemus in tertio principio : Sed liberum arbitrium est potentia, ex dictis : Ergo liberum arbitrium ut liberum debet specificari ab eo, quod actus liber habet intrinsece : Atqui specificatur ab ipsa libertate : Ergo liberum arbitrium habet libertatem intrinsece.

Sequitur 720. Libertatem in actu secundo non esse denominationem pure extrinsecam a potentia libera.

Probatur sequela. Quod denominatur ab aliquo intrinseco, non habet illud per denominationem pure extrinsecam : Atqui actus dicitur liber a libertate, quam habet intrinsece, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 721. Libertatem creatam et potentialem esse passivam, non ex eo præcise, quod est libertas, sed ex eo, quod sit creata et potentialis.

Probatur sequela. Quod habet aliquid, et non habet illud ex una ratione aliqua formali, habet illud ex aliqua alia, ut patet ex terminis : Sed libertas potentialis creata habet, quod sit passiva, non ex ratione libertatis : Ergo hoc habet ex eo, quod sit creata et potentialis.

Sequitur 722. Libertatem creatam et potentialem debere prius aliquid recipere, quam sit libertas in actu secundo.

722. — 1. p. q. 2. a. 3i. et 1. 2. q. 9. a. 6.

Probatur sequela. Quod est passivum prius quam sit activum debet prius recipere, quam agat, ut patet : Atqui libertas creata et potentialis est quid passivum prius quam sit activum, nam prius est in illa, quod sit quid potentiale, quam quod transeat ab illa potentialitate ad actum secundum, quia prior est potentia quam actus : Ergo libertas creata et potentialis debet prius recipere aliquid, quam agat.

Sequitur 723. Libertatem creatam et potentialem debere recipere motionem ab eo, a quo essentialiter dependet, prius quam agat.

723. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod debet prius recipere quam agat, maxime debet recipere ab eo, a quo essentialiter dependet, ut est evidens : Sed libertas creata et potentialis prius debet recipere, quam agat, ex dictis : Ergo prius debet recipere ab eo, a quo essentialiter dependet : Id vero, quod debet recipere, est motio, ut alias ostensum est : Ergo, etc.

Sequitur 724. Libertatem creatam et potentialem debere a Deo præmoveri.

Probatur sequela. Quod prius quam agat, debet recipere motionem ab eo, a quo essentialiter dependet, debet præmoveri : Sed libertas potentialis creata debet recipere motionem ab eo, a quo essentialiter dependet, qui est Deus solus, ut alias ostendemus : Ergo debet præmoveri.

Sequitur 725. Libertatem creatam actualem in actu secundo esse entitatem quamdam creatam, sive modum creatum in ipsa operatione voluntatis existentem.

725. — 1. Contra gent. c. 81.

Probatur sequela. Quidquid est intrinsece in aliqua re creata, est entitas vel modus creatus : Atqui, ex dictis, libertas actualis est intrinsece in operatione voluntatis, quæ est etiam res creata : Ergo est entitas vel motus creatus.

Sequitur 726. Libertatem hanc actualem posse ac debere produci a Deo,

Probatur sequela. Omnis entitas creata, vel modus entitatis creatæ debet produci a Deo, ut dicemus in secundo principio : Sed libertas actualis in actu secundo est entitas creata, vel modus entitatis creatæ, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 727. Hanc libertatem exigere, ut voluntas præmoveatur physice a Deo.

727. — 1. 2. q. 10. a. 4.

Probatur sequela. Hæc libertas non potest produci a Deo nisi voluntas physice præmoveatur a Deo : Sed hæc libertas exigit, ut producatur a Deo : Ergo exigit etiam, ut voluntas præmoveatur physice a Deo. *Major probatur* : Actus vitalis, vel modus quicumque vitalitatis ut sic non potest produci realiter a causa alia, quam illa ipsa, quæ vitalitatem elicit, nisi illa vitalem et elicientem causam realiter præmoveat : Sed libertas illa est saltem modus quidam vitalitatis creatæ : Ergo non potest a Deo produci, nisi Deus causam vitalem creatam præmoveat realiter. *Major patet* : Quia cum vitalitas exigat produci a principio vitali conjuncto, non potest vitalitas produci, nisi principium vitale conjunctum vere ac realiter moveatur ad producendam illam.

Sequitur 728, Libertatem actualem in actu esse modum distinctum ab entitate et substantia actus, qui vocatur liber.

Probatur sequela. Quod est quid intrinsecum in actu et variabile, invariata entitate actus, est quid distinctum ab actu, ut est evidens : Sed

modus ille libertatis actualis est variabilis, invariata entitate actus, cum idem actus possit transire a necessario in liberum, et a libero in necessarium, ut patet de illo, qui motu primo-primo vellet aliquid, et prosequendo actum plane adverteret; tunc enim actus ille primo necessarius, fieret liber : similiter si anima aliqua egrediendo ex corpore eliceret actum charitatis et illum prosequeretur intrans cœlum, idem actus charitatis liber, fieret necessarius : Ergo, etc :

Sequitur 729. Appetitum sensitivum non esse secundum se liberum.

729. — 1. 2. q. 10. a. 2. Quæst. 24; De verit. a. 1.

Probatur sequela. Potentia, quæ non fertur in bonum propositum ut indifferens, non est libera, ex dictis : Sed appetitus sensitivus non fertur in bonum propositum ut indifferens : Ergo non est potentia libera. *Minor probatur* : Potentia, quæ non attingit bonum universale, neque est reflexiva supra suum proprium actum, non potest attingere objectum ut indifferens; quia, ut attingat objectum ut indifferens, debet esse capax attingendi omnem rationem boni, ut patet ex dictis supra, et debet posse reflecti supra proprium actum, ut habeat dominium sui actus, ut constat : Ergo, etc.

Sequitur 730. Intellectum non esse formaliter et ex se liberum.

730 — 1. p. q. 83. a. 3.

Probatur sequela. Quod non attingit bonum ut propositum indifferens, non est potentia formaliter et ex se libera : Sed intellectus non attingit bonum propositum ut indifferens; quamvis enim attingat bonum, illud tamen attingit sub ratione veri et entis, non sub ratione boni : Ergo, etc.

Sequitur 751. Actus intellectus non denominari liberos nisi per denominationem extrinsecam ab actibus voluntatis.

731. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod non est a potentia formaliter et ex se libera, non potest dici formaliter et intrinsece liberum ut est ab illa, sed debet ab aliquo extrinseco denominari liberum si aliquo modo libertas illi conveniat : Atqui actus intellectus dicuntur liberi : libere enim aliquando cognoscimus; neque dicuntur liberi ab ipso intellectu, qui, ut diximus, non habet formaliter et ex se libertatem; atque adeo illam non potest actibus suis communicare : Ergo debent dici liberi per denominationem extrinsecam ab actu voluntatis libero, qui applicat intellectum ad cognoscendum sive considerandum. Idem dicendum de actibus externis, quod videlicet sint liberi per solam denominationem extrinsecam. De actibus vero appetitus sensitivi alio modo loquendum est.

Sequitur 732. In appetitu sensitivo hominis, reperiri aliquam libertatem licet valde imperfectam.

732. — 1. 2. q. 74. a. 4.

Probatur sequela. Ex dictis supra : Eo modo potest appetitus sensitivus hominis participare aliquam libertatem, quomodo cogitativa ipsius participat aliquam vim ratiocinativam et discursivam : Atqui cogitativa participat aliquam vim discursivam, ut diximus supra : Ergo et appetitus aliquam libertatem. *Major patet* : Quia tota ratio, propter quam cogitativa in homine participat aliquam vim discursivam est, quia radicatur in anima rationali, in qua radicatur etiam ipse intellectus, ex quo fit, quod participet aliquid luminis ipsius intellectualis : Atqui similiter appetitus sensitivus radicatur in eadem anima, in qua est voluntas, quæ est formaliter libera : Ergo et appeti-

tus participabit aliquid de libertate quamvis imperfecte.

Sequitur 733. Actus appetitus sensitivi dici liberos partim intrinsece ob imperfectam illam libertatem, partim extrinsece; quia imperantur a ratione et voluntate. Patet sequela, ex dictis.

733. — Ibidem.

Sequitur 734. Omnem actum voluntatis esse circa bonum vel honestum, vel utile, vel delectabile.

734. — 1. 2 q. 1. a. 1.

Probatur sequela. Omne bonum vel est honestum, vel utile, vel delectabile, ut ostendimus supra : Sed omnis actus voluntatis est circa bonum, cum bonum sit objectum voluntatis : Ergo omnis actus voluntatis est circa bonum honestum, vel utile, vel delectabile.

Sequitur 735. Omnem actum voluntatis, esse vel circa finem, vel circa media.

735. — Ibidem.

Probatur sequela. Omne bonum vel est finis, vel medium : Sed omnis actus voluntatis est circa bonum : Ergo omnis actus voluntatis est circa finem, vel circa media. *Major patet ex dictis* : Quia bonum honestum est appetibile propter se; bonum utile est appetibile, non propter se, sed propter aliud; bonum vero delectabile consequitur principaliter ex bono honesto, et minus principaliter ex utili : unde actus qui versatur circa bonum delectabile, versatur circa bonum vel honestum, vel utile. Quare sicut nullum est medium inter hæc duo, appetibile propter se, et appetibile non propter se, sed propter aliud; ita nullum est medium inter actum voluntatis circa finem, et eum, qui est circa medium.

Sequitur 736. Non dari actum neutrum.

736. — 1. 2. q. 6. a. 1.

Probatur sequela. Actus neuter est ille, qui neque est circa finem, nec circa media; sic enim explicant omnes neutrum : Atqui nullus datur actus, qui sit hujusmodi, ut neque sit circa finem, neque circa media, ut jam ostendimus : Ergo nullus datur actus neuter.

Sequitur 737. Hominem semper agere propter finem, quotiescumque voluntarie agit.

737. — 3. Contra gent. c. 2.

Probatur sequela. Qui agit propter bonum, agit propter finem, cum bonum et finis convertantur : Atqui homo semper agit propter bonum, quoties voluntarie agit, cum objectum voluntatis sit bonum : Ergo omnis homo voluntarie agens agit propter finem. Præterea omnis actus voluntatis vel est circa finem, vel circa media : Sed actus qui est circa finem est propter ipsum finem; actus enim est propter objectum, saltem ut attingendum vel assequendum : actus vero qui est circa media est propter finem, quia media non appetuntur nisi propter finem : Ergo omnis actus voluntatis est propter finem, cum omnis actus voluntatis sit vel circa finem, vel circa media.

Sequitur 738. Omne etiam agens agere propter finem.

738. — 1. 2. q. 1. a. 1.

Probatur sequela. Bonum est finis, ut diximus : Sed omne agens agit propter aliquod bonum, ut alias etiam ostendemus : Ergo omne agens agit propter finem.

Sequitur 739. Etiam bruta agere propter finem.

739. — Ibidem. a. 2.

Probatur sequela. Quia et ipsa agunt.

Sequitur 740. Bruta etiam agere speciali modo propter finem.

740. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui agit propter bonum aliquo modo cognitum et perceptum, agit speciali modo propter

finem, est enim specialis modus agendi quando fit actio cum cognitione : Sed bruta agunt cum aliqua cognitione boni, atque adeo finis, ut patet ex his, quæ supra diximus de vivente sensitivo : Ergo bruta speciali quodam modo agunt propter finem.

Sequitur 741. Bruta non agere propter finem cognoscendo proportionem mediorum ad finem.

Probatur sequela. Proportio mediorum ad finem non est cognoscibilis per aliquem sensum externum vel internum; quia est quædam collatio mediorum cum fine, quæ collatio nequit fieri sine discursu, ut patet : Atqui bruta non agunt propter finem et bonum, nisi cognitum per sensum, ut constat ex dictis : Ergo bruta non agunt cognoscendo proportionem mediorum cum fine. Itaque quæ bruta agunt, in quibus videtur esse aliqua collatio et ratiocinatio, agunt ex instinctu naturæ, quia opus naturæ est opus intelligentiæ.

Sequitur 742. Ipsam etiam consecutionem finis essse propter finem.

742. — Quæst 21. De verit. a. 2.

Probatur sequela. Omnis actio est propter finem : cum omne agens agat propter finem : Sed consecutio finis est actio : Ergo consecutio finis est propter ipsum finem. Sed adverte duplicem esse finem : alium *formalem,* qui est ipsa consecutio boni : alium *objectivum,* qui est ipsum bonum : consecutio ergo finis est proprie propter ipsum finem objectivum, et improprie est etiam propter seipsam; consequitur enim quis bonum ut consequatur eo plane modo, quo dicitur, quod finis appetitur propter se.

Sequitur 743. Ipsam etiam delectationem, quæ consequitur ad possessionem finis, esse propter finem aliquo modo.

743. — Ibidem.

Probatur sequela. Omnis actio est propter finem : Sed ipsa delectatio est quædam actio : Ergo est propter finem, et quidem est propter ipsum finem objectivum; nam propter ipsum finem delectatur in eo et possessione ipsius; est etiam aliquo modo propter ipsam consecutionem finis, quia delectatio efficit ipsam possessionem aliquo modo magis appetibilem : Hoc vero magis reperitur in delectatione, quæ est actus ipsius voluntatis; quia, cum (ut diximus) voluntas sit reflexiva supra suum actum, potest velle possidere ut possideat, actu virtualiter reflexo; sicut potest velle delectari, ut quodammodo magis possideat.

Sequitur 744. Hominem speciali modo agere propter finem

744. — 1. 2. q. 1. a. 1.

Probatur sequela. Qui agit cum cognitione finis et mediorum et proportionis mediorum ad finem, speciali modo agit propter finem, ut de se patet : Atqui homo agit cum cognitione finis mediorum et proportionis mediorum ad finem; quia ista omnia sunt intelligibilia et bona, cum sint entia : unde et cognoscuntur ab homine et appetuntur : Ergo homo speciali modo agit propter finem.

475. Sequitur Hominem speciali modo movere seipsum.

745. — Ibidem.

Explicatur : Movere se potest intelligi tripliciter; *primo* quidem quatenus aliquod agens agit per principium intrinsecum tanquam per virtutem principalem, et hoc modo omnia viventia dici possunt movere seipsa : *secundo* quatenus aliquod agens ex cognitione seipsum fert in bonum, et hoc modo bruta possunt dici movere se : *tertio* quatenus agens cognoscit et bonum et proportionem mediorum ad finem, et reflectitur supra proprium actum, ex qua cognitione, saltem virtualiter reflexa, fert se in objectum, et hoc modo sola agentia intellectualia movent seipsa.

Ex hac explicatione jam patet sequela : Movere se speciali modo, est movere se ex cognitione finis, mediorum, et proportionis mediorum ad finem, quæ cognitio fit saltem virtualiter reflexa : Atqui homo hoc pacto se movet, ut patet ex dictis : Ergo homo movet se speciali modo, et hæ actiones vocantur proprie humanæ.

Sequitur 746. Debere dari ultimum aliquem finem.

746. — 1. 2. q. 1. a. 4.

Probatur sequela. Quidquid appetitur, vel appetitur propter se tantum, vel non propter se tantum, sed propter aliud, vel partim propter se, et partim atque aliquo modo propter aliud, ut patet ex dictis : Sed, quod appetitur propter se tantum, est tantum finis ; quod appetitur tantum propter aliud, est tantum medium ; quod appetitur partim propter se, et partim propter aliud, secundum quod appetitur propter se, habet rationem finis, et secundum quod appetitur propter aliud habet rationem medii, ut ex dictis constat : Cum ergo detur aliquid quod propter se tantum appetitur, debet dari ultimus finis. *Probatur hæc consequentia* : Quia quod appetitur propter se tantum, ad nihil aliud ordinatur, et alia ordinantur ad ipsum : hoc autem est esse ultimum finem : Ergo, etc. Utrum vero possint dari plures ultimi fines simpliciter, et in quo consistat ultimus finis, dicemus in secundo principio.

Sequitur 747. Dari voluntarium sive spontaneum.

747. — 1. 2. q. 1. a. 4.

Probatur sequela. Quod est a principio intrinseco cum cognitione finis, est voluntarium sive spontaneum : Sed datur aliquid, quod est a principio intrinseco cum cognitione finis, ex dictis : Ergo datur voluntarium sive spontaneum.

Sequitur 748. Dari etiam in brutis spontaneum.

748. — Ibidem. a. 2.

Probatur sequela. Spontaneum est quod procedit a principio intrinseco cum cognitione finis : Sed datur in brutis, quod procedat a principio intrinseco cum cognitione finis : Ergo datur in brutis spontaneum.

Sequitur 749. Perfectum voluntarium et spontaneum reperiri in homine.

749. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod procedit a principio intrinseco cum perfecta cognitione finis, est perfecte voluntarium et spontaneum : Atqui, ex dictis, in homine reperitur, quod procedat a principio intrinseco cum perfecta cognitione finis : Ergo in homine reperitur perfectum spontaneum et voluntarium. *Major patet* : Quia si ad rationem voluntarii requiratur cognitio finis, ubi erit perfecta cognitio finis, erit perfecta ratio voluntarii, maxime cum perfecta cognitio finis faciat, ut quodammodo magis ab intrinseco aliquid procedat, eo quod ex intrinseca cognitione finis illud proveniat. *Minor vero probatur, ex dictis ;* quia homo cognoscit finem et proportionem mediorum ad finem, ex quo fit quod perfectiori modo moveat seipsum, atque adeo quod perfectius procedat aliquid ab ipso tanquam a principio intrinseco. Hinc habes, quod voluntarium perfectum est duplex, scilicet *liberum et necessarium;* quia utrumque potest esse cum perfecta cognitione : nam et in actu libero est perfecta cognitio, ut patet, et in actu necessario v. g. visione beatifica est etiam perfecta cognitio.

Sequitur 750. Non posse dari omissionem voluntariam absque omni actu tam antecedente, quam concomitante per se vel per accidens.

750. — 1. 2. q. 71. a. 5 ; Quæst. 2. De malo. a. 1.

Probatur sequela. Quod procedit a

principio intrinseco cum cognitione non potest esse sine omni actu : Atqui omissio non potest esse voluntaria, nisi procedat a principio intrinseco cum cognitione, ut patet ex dictis : Ergo omissio non potest esse sine omni actu. *Major probatur :* Procedere a principio intrinseco est influxus positivus voluntatis in actum circa objectum contentum intra objectum ipsius specificativum ; implicat enim aliquid procedere a potentia, et potentiam non influere, sicut etiam implicat potentiam influere, nisi circa proprium objectum.

Sequitur 751. Quod quidquid tollit vel minuit, quod aliquid procedat a principio intrinseco, vel etiam aufert aut minuit cognitionem, tollat etiam rationem voluntarii.

751. — 2. q. 6. 1. 4.

Probatur sequela. Quidquid tollit vel minuit rationem essentialem rei, tollit vel minuit ipsam rem, ut est certum : Sed, ex dictis, essentia voluntarii consistit in hoc, quod est procedere a principio intrinseco cum cognitione finis : Ergo quidquid tollit aut minuit hoc, quod est procedere a principio intrinseco, vel etiam cognitionem, tollit aut minuit essentiam et rationem voluntarii.

Sequitur 752. Violentiam tollere rationem voluntarii.

752. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod tollit hoc, quod est procedere a principio intrinseco, tollit rationem voluntarii, ex dictis : Sed violentia tollit hoc, quod est procedere a principio intrinseco, cum violentum sit a principio extrinseco passo non conferente vim, id est, passo saltem per potentiam passivam resistente : Ergo violentia tollit rationem voluntarii. Hinc habes, quod supra diximus, quod voluntas in actibus, quos elicit, non potest pati violentiam ; in actibus autem imperatis potest pati violentiam, quia fieri potest, ut voluntate volente elicere aliquem actum externum, aliquis per vim impediat, ne illum eliciat.

Sequitur 753. Metum non facere involuntarium simpliciter.

753. — Ibid. a. 6.

Probatur sequela. Quod fit a principio intrinseco cum cognitione finis, est simpliciter voluntarium : Atqui quod fit ex metu, fit a principio intrinseco cum cognitione finis, ut est evidens : Ergo quod fit ex metu est simpliciter voluntarium,

Sequitur 754. Metum facere involuntarium secundum quid.

754. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod facit ut actus secundum quid non procedat a principio intrinseco, facit involuntarium secundum quid, ut patet ex dictis : Sed metus facit, ut actus secundum quid non procedat a principio intrinseco, scilicet ab inclinatione, quam seclusa circumstantia metus voluntas haberet : Ergo metus facit involuntarium secundum quid. Adverte autem hoc intelligi de metu, qui est tota ratio agendi sive eligendi, non autem quando ille non est tota ratio; quia videlicet res, quæ ex metu eligitur, habet aliunde bonitatem, ratione cujus etiam secluso metu ametur, et sic qui ex metu Gehennæ observat Dei mandata, non operatur involuntarie etiam secundum quid, quia observantia mandatorum Dei habet bonitatem, ratione cujus etiam secluso tali metu diligatur. Quare qui ex metu Gehennæ operatur, non peccat, nisi taliter esset affectus, ut haberet veram displicentiam rei præceptæ ut præcepta est; hæc enim displicentia esset peccatum. Verum de hoc alias.

Sequitur 755. Metum et quamlibet aliam passionem, si totaliter auferat judicium rationis, facere omnino involuntarium sive non liberum.

755. — Ibidem. a. 7.

Probatur sequela. Quod aufert cognitionem tollit voluntarium, et quod aufert cognitionem perfectam aufert perfectum voluntarium sive liberum : Sed aliquando metus et quælibet alia passio violenta aufert judicium rationis : Ergo aufert perfectum liberum.

Sequitur 756. Metum auferre aliquando perfectam libertatem, quando scilicet est gravis, attenta conditione personæ.

756. — Ibid. et In 4. dist. 29. art. 3. q. 1.

Probatur sequela. Quod aufert judicium de indifferentia objecti aufert perfectam libertatem, ut patet ex dictis supra : Sed quandoque metus aufert judicium de indifferentia objecti, ut quando est gravis et injuste incutitur : Ergo, etc. Cætera, quæ de metu dici possunt ad casus conscientiæ spectantia, dicemus alias.

Sequitur 757. Concupiscentiam non causare involuntarium, sed potius facere magis voluntarium.

757. — 1. 2. q. 6. a. 7.

Probatur sequela. Quod facit actum procedere a principio intrinseco cum cognitione finis causat potius voluntarium, quam involuntarium, ex dictis : Sed concupiscentia facit potius, ut actus procedat a principio intrinseco, scilicet a voluntate illam inclinando : Ergo potius facit voluntarium. Intellige hæc juxta prius dicta, quando passio concupiscentiæ non tollit judicium rationis.

Sequitur 758. Ignorantiam antecedentem causare involuntarium.

758. — 1. 2. q. 6. a. 3.

Explicatur : Ignorantia potest tripliciter se habere ad aliquem actum. *Primo,* ita ut sit causa non voluntaria ipsius actus, hoc est, quod ipsa ignorantia non sit vel formaliter, vel virtualiter volita, sed privet cognitione, quæ si adesset, actus non fieret. *Secundo,* ita ut ignorantia se habeat per accidens ad actum. quia actus ille fieret æque bene, si adesset cognitio, qua privat ignorantia. *Tertio* ita ut ignorantia vel inconsideratio, quæ est causa actus, sit formaliter, vel directe, aut virtualiter, vel indirecte volita. Prima ignorantia vocatur *antecedens,* secunda *concomitans,* tertia *consequens.*

Probatur ergo sequela. Quod privat hominem invitum aut nolentem cognitione, causat involuntarium, ut patet ex dictis : Sed ignorantia antecedens privat hominem invitum et nolentem cognitione, ut patet ex explicatione : Ergo ignorantia antecedens causat involuntarium.

Sequitur 759. Ignorantiam concomitantem causare non voluntarium.

759. — Ibidem.

Probatur sequela. Ignorantia, quæ non inducit ad actum, qui æque bene fieret si adesset cognitio ac quando non adest, facit non voluntarium ; non enim facit aliquid repugnans inclinationi voluntatis, sed facit quod illud factum non sit volitum, quia non est cognitum : Sed ignorantia concomitans non inducit ad actum, quamvis id, quod cum illa sit non sit repugnans inclinationi voluntatis . Ergo ignorantia concomitans facit non voluntarium.

Sequitur 760. Ignorantiam consequentem nullo modo causare involuntarium vel non voluntarium.

760. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod est voluntarium non potest causare involuntarium, ut patet : Sed ignorantia consequens est voluntaria, ut constat ex explicatione prius allata : Ergo ignorantia consequens non causat involuntarium vel non voluntarium.

Sequitur 761. Operationem Dei in rebus creatis non causare simpliciter violentiam.

761. — 3. Contra gent. c. 100. 1. p. q. 103. a. 8. ad 3. 1. 2. q. 109. a. 1; 3. p. q. 44. a. 2. ad 2.

Probatur sequela. Quod non facit, quin actus procedat a principio intrinseco, non causat violentiam simpliciter, ut patet ex dictis : Atqui operatio Dei non facit, quin actus causarum secundarum sint a principio intrinseco, quia in qualibet re creata est inclinatio ad obediendum Deo, ut alias ostendemus : Ergo operatio Dei non potest causare violentiam simpliciter.

Sequitur 762. Quidquid Deus operetur in rebus creatis, nunquam esse violentum simpliciter, quamvis possit esse violentum secundum quid, vel in genere aut ordine morali.

762. — Ibid. et Quæst. 6. De pot. a. 1. ad 1. Quæst. 13. De verit. a. 1.

Probatur sequela. Quod est a principio intrinseco, non est violentum simpliciter, ut patet ex dictis : Sed quidquid Deus operetur in rebus creatis est semper a principio intrinseco, nimirum ab illa inclinatione ad obediendum Deo ut causæ universalissimæ : Ergo, etc. Hinc habes pœnas etiam damnatorum non esse simpliciter violentas, si physice tantum considerentur; bene tamen inesse moris.

Sequitur 763. In actibus voluntatis individualiter consideratis posse dari circumstantias.

763. — D. Thom. 1. 2. q. 7. a. 1.

Probatur sequela. In qualibet re singulari dantur accidentia individuantia, ut ex supra dictis aperte colligitur : Atqui, ut constat ex modo dictis, actus voluntatis possunt esse quædam res singulares : Ergo in quolibet actu voluntatis possunt esse circumstantiæ; quia nomine circumstantiarum non intelliguntur, nisi accidentia individuantia, quæ se habent ad actum voluntarium eo modo, quo ea, quæ stant circa locum se habent ad ea, quæ sunt locata.

Sequitur 764. Circumstantias omnes recte enumerari hoc versu : *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

764. — 1. 2. q. 7. a. 3,

Probatur sequela. Accidentia extra substantiam actus voluntarii existentia et illum aliquo modo attingentia sunt circumstantiæ, ex dictis : Sed omnia hujusmodi accidentia reducuntur ad illa, quæ in illo versu numerantur : Ergo recte numerantur. *Probatur minor:* Quidquid attingit actum, vel attingit ipsum secundum se, vel ratione suæ causæ, vel ratione sui effectus : Si attingat actum secundum se, vel in ratione mensuræ, quæ duplex est scilicet locus (et sic est circumstantia *ubi*) vel tempus (et sic est circumstantia *quando*) vel attingit ut actualitas sive modus, et sic est *quomodo;* Ex parte vero causæ potest attingere vel per modum causæ finalis, et sic est circumstantia *cur*, vel per modum causæ efficientis principalis, et sic est circumstantia *quis,* vel instrumentalis, et sic est *quibus auxiliis,* vel per modum causæ materialis, et sic est circumstantia *quid* vel *circa quid.*

Sed adverte ista septem non dici circumstantias, quando sunt de substantia, sive natura ipsius actus, sed solum quando sunt accidentia; unde finis, qui est etiam objectum, non est circumstantia, sicut nec quando est finis, ad quem objectum actus per se, et ex natura sua ordinatur, v. g. Studet aliquis ut sciat, hic finis non est circumstantia, sed si studet, ut lucretur, finis ille lucri est circumstantia: unde finis operis non est circumstantia, bene autem finis operantis. Similiter, furatur quis alienum : hoc quod est esse alienum, non est circumstantia *quid,* vel *circa quid,* sed quod sit parvum, vel magnum est circumstantia *quid.* Eodem modo, quod is qui

elicit actum humanum et voluntarium sit homo non est circumstantia *quis,* sed quod sit persona gravis, vel levis, laïca vel ecclesiastica, affinis, consanguinea, et ita in cæteris.

Sequitur 765. Circumstantiam finis esse maxime considerandam, deinde circumstantiam personæ vel ipsius actus quæ magis accedit ad substantiam actus.

765. — D. Thom. 1. 2 q. 7. a. 4.

Probatur sequela. Quæ propinquius circumstant, sunt principaliores circumstantiæ : Sed finis, qualitas actus et persona propinquius circumstant actum voluntarium, utpote qui est ab homine propter finem : Ergo, etc.

Sequitur 766. Omnes actus voluntatis esse tantum sex, videlicet simplicem finis Volitionem, Intentionem, Consensum, Electionem, Usum activum, et Fruitionem.

766. — D. Thom. 1. 2. q. 8. et seq.

Probatur sequela. Omnis actus voluntatis, vel est circa finem, vel circa media, ut dictum est Sed circa finem sunt tres actus, videlicet simplex volitio, intentio, et fruitio ; circa media etiam tres, consensus, electio, et usus : Ergo sunt tantum sex. Minor explicabitur in sequentibus.

Sequitur 767. Sed etiam esse debere actus intellectus, qui præcedant hos sex actus voluntatis.

767. — D. Thom. Ibidem.

Probatur sequela. Nullus est voluntatis, quem non præcedat actus aliquis intellectus, ex dictis : Sed sunt sex actus voluntatis in processu agentis intellectualis et voluntarii : Ergo sex debent esse actus intellectus, videlicet *simplex Cognitio finis,* quæ præcedit simplicem volitionem et complacentiam ; *Cognitio finis ut acquisibilis,* quæ præcedit intentionem ; *Consilium* de mediis, quod præcedit consensum ; *Judicium* de aptioribus mediis, quod præcedit electionem, *Imperium,* quod præcedit usum ; *Cognitio,* quæ vel sit ipsa possessio finis, vel sit cognitio, qua cognoscitur finis ut possessus, et hæc præceditf ruitionem.

Sequitur 768. Simplicem finis volitionem, quæ dicitur voluntas, esse tantum respectu finis.

768. — 1. 2. q. 8. a. 2.

Probatur sequela. Simplex actus potentiæ est circa illud, quod est per se, et simpliciter objectum potentiæ : Sed, ex dictis, finis est per se et simpliciter objectum voluntatis : Ergo simplex complacentia, sive volitio, quæ dicitur voluntas, est tantum respectu finis.

Sequitur 769. Intentionem esse actum voluntatis, quo vult finem ut acquirendum per media saltem in communi.

769. — D. Thom. 1. 2. q. 12. a. 1. ad 4.

Probatur sequela. Intentio est veluti motus ad terminum ut attingendum, distinctus a simplici complacentia finis, ex dictis : Atqui non potest esse motus hujusmodi sic distinctus, nisi sit ad finem ut acquirendum per media : Ergo est actus voluntatis, quo vult finem per media. *Major patet :* Quia intendere est in aliquid tendere, illud autem in quod aliquis tendit, est terminus. Simplex autem finis complacentia non tendit in ipsum finem ut terminum acquirendum, quamvis versetur circa illum ut objectum : unde patet minor.

Sequitur 770. Intentionem non esse tantum finis ultimi.

770. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Quidquid habet rationem finis habet rationem termini ad quem tenditur, et consequenter circa illum potest esse intentio ; cum intentio sit ad illud, in quod tenditur : Sed finis non ultimus potest etiam habere rationem finis, ut diximus : Ergo circa finem etiam non ultimum potest esse intentio.

Sequitur 771. Intentionem posse etiam esse circa plura, quatenus vel sunt subordinata, vel sunt aliquo modo unum.

771. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Finis non ultimus potest esse multiplex : Sed intentio est circa finem non ultimum : Ergo intentio potest esse circa multa; quia tamen omnis motus habet unitatem ex termino, oportet ut illa plura vel habeant inter se aliquem ordinem, vel respectu alicujus tertii, et sic potest quis intendere plura vel ut subordinata inter se, sicut quando quis intendit divitias, ut vivat in deliciis vel ut sunt subordinata uni tertio, ut quando quis vult vestes, cibos, etc., ut vivat in deliciis.

Sequitur 772. Intentionem esse actum, quo etiam attinguntur media.

772. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Motus, quo mobile movetur ad terminum per medium, attingit etiam media : Sed intentio est quidam motus, quo voluntas movet seipsam in finem per media, quia, ut diximus vult finem ut acquirendum per media : Ergo intentio attingit etiam media.

Sequitur 773. Bruta non habere intentionem finis.

773. — Ibid. a. 5.

Probatur sequela. Intentio est motus, quo voluntas se movet in finem per media : Sed bruta non sic se movent, quia ut sic se moveant, debent aliquo modo ordinare media ad finem et cognoscere proportionem mediorum ad finem, quod non possunt bruta, ut supra ostensum est : Ergo, etc.

Sequitur 774. Voluntatem intendentem finem applicare intellectum ad inquirenda media.

774. — D. Thom. 1. 2. q. 14. a. 1.

Probatur sequela. Voluntas est potentia non cognoscitiva, et sic de se non cognoscit media, atque adeo, ut in particulari possit illa media prosequi, debet applicare potentiam cognoscitivam ad inquirenda media : Sed solus intellectus est potentia cognoscitiva mediorum, et omnis boni quod est objectum voluntatis : Ergo, etc.

Sequitur 775. Inquisitionem illam mediorum esse actum intellectus, qui dicitur consilium.

775. — Ibidem.

Probatur sequela. Inquirere, sive investigare, et penetrare cognoscendo est actus intellectus, ut patet : Sed inquisitio mediorum est ipsum investigare ac penetrare cognoscendo : Ergo est actus intellectus. Dicitur autem consilium, quia intellectus ex voluntatis motu veluti simul salit et movetur in diversa; sive quia consilium, quasi considium, quia intellectus simul sedet cum voluntate, ut deliberet, ut ait D. Thomas.

Sequitur 776. Consilium non esse de fine.

776. — D. Thom. 1. 2. q. 13. a. 2.

Probatur sequela. De his, quæ præsupponuntur ut certa, non est quæstio vel inquisitio : Sed consilium est inquisitio, ex dictis : Ergo non est de fine, qui præsupponitur ut certus; sicut enim se habent prima principia in speculativis respectu conclusionum, ita se habet finis in practicis : Principia autem in speculativis non probantur : Sed præsupponuntur ut certa : Ergo etiam de fine non est consilium, sed de mediis.

Sequitur 777. Consilium esse de incertis, et quæ aliter se habere possunt.

777. — Ibid. art. 3.

Probatur sequela. Inquisitio non fit de certis, quia certa ut sic supponuntur : Sed consilium est inquisitio : Ergo non est de certis.

Sequitur 778. Consilium esse de his, quæ a nobis debent fieri.

778. — Ibidem.

Probatur sequela. De incertis, et contingentibus potest esse consilium : Sed, quæ a nobis debent fieri, aliquando sunt incerta : Ergo, etc.

Sequitur 779. Consilium non esse de rebus minimi momenti.

779. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. De his, quæ veniunt in dubium, est tantum inquisitio et consilium : Sed res minimi momenti non veniunt in dubium, quia parum refert, an sic vel alio modo fiant : Ergo, etc.

Sequitur 780. Consilium procedere modo resolutorio.

780. — Ibid. a. 5.

Explicatur : Duplex est modus procedendi, *Compositivus* et *Resolutorius; Compositivus* est, quando proceditur ab iis, quæ sunt priora tam in cognitione, quam in esse, et sic processus a causis ad effectus est compositivus, quia causæ sunt simpliciores, et effectus sunt magis compositi, et ideo dicitur processus compositivus. *Resolutivus* est, quando proceditur a posterioribus in esse ad priora, et sic processus ab effectibus ad causas est resolutorius.

Probatur ergo sequela : Processus a posterioribus in esse ad priora est resolutorius : Sed processus consilii est a posterioribus in esse, quia est a fine, ut patet ex dictis, qui finis est posterior in esse, quam media, nam mediantibus mediis ponitur in esse finis, qui est quid primum in intentione et posterius in executione : Ergo, etc.

Sequitur 781. Consilium non debere procedere in infinitum.

781. — Ibid. a. 6

Probatur sequela. Quod est inter duos terminos certos non debet procedere in infinitum : Sed, ex dictis, consilium est inter duos terminos certos, nimirum inter finem, et quædam principia certa, quæ supponuntur ad consilium, ut diximus, et inter id a quo debemus incipere actionem, quia ut ostensum est, consilium est de his, quæ nos debemus agere; unde si hæc abirent in infinitum, nunquam inciperemus agere : Ergo consilium non procedit in infinitum per se. Per accidens tamen potest contingere, ut abeat in infinitum in potentia, quia determinato fine ad illum assequendum occurrunt alia et alia in infinitum agenda.

Sequitur 782. Consensum, qui sequitur ad consilium, esse actum appetitus et non intellectus.

782. — 1. 2, q. 15. a. 1.

Probatur sequela explicando quid sit consentire : quamvis enim sentire vim apprehensivam denotet, nihilominus consentire significat inclinationem et applicationem, sive inhæsionem animi ad rem, quæ ex hac inhæsione veluti per experientiam sentitur : Atqui inclinatio et inhæsio animi ad rem, est actus voluntatis; nam, ut diximus supra, voluntas ipsa est inclinatio per modum potentiæ, unde actualis inclinatio est actus ipse voluntatis : Ergo consensus est actus voluntatis

Sequitur 783. Consensum non convenire proprie brutis.

783. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Applicatio et inhæsio animi ad rem, non convenit brutis, quia applicare est illius, qui habet rem applicandam in sua potestate, bruta vero non habent appetitum in sua potestate, cum non sint agentia libera : Atqui, ex dictis, consensus est applicatio et inhæsio animi ad rem : Ergo consensus non convenit brutis.

Sequitur 784. Consensum esse tantum de mediis et non de fine, id est, voluntatem consentire in media et non in finem.

784. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Consensus est applicatio voluntatis, sive acceptatio ejus respectu eorum, quæ per consilium adinventa sunt : Atqui ea, quæ per consilium sunt adinventa, sunt tantum media, ut probatum est : Ergo consensus est tantum de mediis.

Sequitur 785. Consensum differre ab electione.

785. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Acceptatio eorum omnium, quæ per consilium adinventa sunt, differt ab electione, quæ est præacceptatio aliquorum ex his, quæ per consilium adinventa sunt : Sed consensus est acceptatio eorum omnium, quæ per consilium adinventa sunt, ex dictis : Ergo consensus saltem ut plurimum differt ab electione. Quod si aliquando unum dumtaxat per consilium sit adinventum, tunc consensus et electio sunt idem realiter, quamvis differant ratione; nam quatenus illud unum simpliciter acceptatur, est consensus; quatenus vero illud idem præacceptatur præ aliis, quæ potuerunt per consilium inveniri, est electio.

Sequitur 786. Consensum in actum, ut actus est, pertinere ad rationem superiorem.

786. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Ratio superior est intellectus, ut judicat de rebus secundum rationes superiores et divinas, sicut ratio inferior est idem intellectus, ut judicat de rebus secundum rationes inferiores, et voluntas sequens intellectum judicantem ex rationibus superioribus etiam dicitur ratio vel pars superior; et sequens intellectum judicantem ex rationibus inferioribus, dicitur etiam ratio vel pars inferior : Atqui consensus in actum pertinet ad voluntatem, quatenus sequitur intellectum judicantem ex rationibus superioribus : Ergo, etc. *Probatur minor :* Executio non fit, nisi post finalem et ultimam sententiam, ut de se patet : Atqui consensus in actum est executio, est enim veluti actualis ipsius actus positio : Ergo consensus in actum non fit, nisi post finalem et ultimam sententiam; hæc autem finalis et ultima sententia pertinet ad rationem superiorem, quæ eo ipso, quod dicitur et est superior, debet ultimam sententiam ferre.

Sequitur 787. Consensum in cogitationem vel delectationem ex cogitatione ortam dupliciter posse considerari : primo quatenus cogitatio et delectatio illa est actus quidam; secundo quatenus cogitatio illa et delectatio ordinatur ad alium actum : et primo quidem modo consensus in cogitationem et delectationem pertinet ad rationem superiorem; secundo modo ad inferiorem.

787. — Ibid. a. 1.

Probatur sequela ex dictis : Consensus in actum, ut actus est, pertinet ad rationem superiorem : Atqui consensus in cogitationem et delectationem primo modo est consensus in actum, ut actus est : Ergo pertinet ad rationem superiorem. Secundo autem modo cogitatio et delectatio, licet sint actus, tamen non considerantur ut actus, sed potius ut media ad actum perfectum et ultimum, et sic pertinent ad rationem inferiorem.

Hæc fusius prosequi libuit quia ex his pendet resolutio plurium casuum, de quibus alias.

Sequitur 788. Post consilium et consensum sequi ex parte intellectus judicium de mediis inventis, et acceptatis.

788. — 1. 2. q. 13. a. 1. ad 3.

Probatur sequela. Inquisitio et inventio imo et acceptatio nihil facerent

ad opus, nisi subsequeretur judicium; nisi enim de inquisitis, inventis, et acceptatis fieret judicium, nunquam deveniretur ad opus, ut experientia constat : Atqui consilium est inquisitio et inventio mediorum; consensus est voluntaria eorum accèptatio : Ergo, ut deveniatur ad opus, debet subsequi judicium, quo videlicet judicetur hoc vel illud medium esse aptius ad consequendum finem.

Sequitur 789. Hoc judicium debere esse practice practicum.

789. — Ibidem.

Explicatur, ex dictis supra : Actus intellectus non dicitur practicus, nisi quatenus ordinatur ad opus aliquod extra intellectum : dicitur ergo practicus, quando ordinatur ad opus, sive ad actum voluntatis : Hæc vero ordinatio dupliciter fieri potest : *primo* in communi ; *secundo* in singulari atque hic et nunc ; si primo modo, vocatur *judicium practicum;* si secundo vocatur *practice praticum,* v. g. hoc judicium. *Semper melius est eligendum,* est judicium practicum, quia est judicium de actione voluntatis ; sed non est practice practicum, quia est in communi ; istud vero, *hic et nunc hoc bonum singulare tanquam melius, est eligendum,* est judicium practice practicum.

Ex hac explicatione manet probata sequela hoc pacto : Ad electionem ut actu ponendam requiritur hoc judicium, *hic et nunc hoc bonum tanquam melius, est eligendum* ; Sed hoc judicium est practice practicum, ut patet ex explicatione : Ergo, etc.

Sequitur 790. Electionem secundum substantiam et materialiter esse actum voluntatis.

790. — D. Thom. 1. 2. q. 13. art. 1; 1. 2. q. 17. a. 4; Quæst. 14. De verit. a. 5; Quæst. 2. De malo. a. 2. ad 11.

Explicatur : Nomine illo materialiter non intelligit D. Thom. veluti partem aliquam essentialem actus, cui adveniat alia veluti pars, quæ sit ut differentia aut forma essentialis; sed intelligit ipsam totam substantiam actus prout elicitur a potentia; quia vero illa eadem potentia movetur ab alia et participat aliquid ab ea a qua movetur, idcirco vocat formale id, quod participat ab ea ; ita seipsum explicat pluribus in locis. Quare actum aliquem esse ab aliqua potentia vel habitu pro materiali, non est, quod actus ille non habeat totam suam entitatem essentialem specificam, et individualem ab hujusmodi potentia vel habitu secundum rationem formalem illius potentiæ vel habitus, sed est, actum illum secundum suam totam entitatem esse ab illi potentia vel habitu, et habere præterea aliquem modum participatum ab alia potentia vel habitu ; v. g. actus temperantiæ imperatus a charitate, dicitur esse pro materiali a temperantia, et pro formali a charitate, non quod totus ille actus non eliciatur a virtute et habitu temperantiæ, sed solum, quod actus ille elicitus ab ea virtute secundum formalem rationem illius virtutis, participat aliquem modum a charitate, ratione cujus ordinatur in Deum : et quia hic modus se habet formaliter, sive tanquam actuans et informans actum temperantiæ, idcirco dicitur esse a virtute temperantiæ materialiter sive pro materiali, et a charitate formaliter sive pro formali, quamvis hæc ratio formalis sit accidentalis; ita similiter actus electionis totus et secundum totam suam entitatem est a voluntate : quia tamen habet ab intellectu ordinationem ad finem, eo quod ordinatio omnis est ab intellectu, idcirco dicitur esse ab intellectu pro formali.

Probatur ergo sequela : Actus, cujus objectum est bonum utile et ordinatum ad aliud, est actus voluntatis : Sed electio est actus, cujus objectum est bonum utile et ordinatum ad aliud : Ergo electio est actus voluntatis. *Major patet ex dictis* : Quia voluntas habet pro objecto bonum in tota sua latitudine; unde

omnis actus, qui respicit bonum cognitum per rationem est actus voluntatis : Sed actus, cujus objectum est bonum utile, et ordinatum ad aliud, est actus, qui respicit bonum cognitum per rationem, sola enim ratio habet ordinare : Ergo, etc. *Minor vero probatur :* Quia electio distinguitur ab intentione, quæ respicit bonum et finem, electio vero respicit bonum utile.

Sequitur 791. Electionem non competere brutis.

791. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Actus in bonum utile præsupponens cognitionem ordinis, et proportionis ipsius boni utilis ad finem, non convenit brutis, quia hæc cognitio illis non competit : Sed, ex dictis, electio est actus in bonum utile præsupponens hujusmodi cognitionem : Ergo, etc.

Sequitur 792. Electionem esse tantum eorum, quæ sunt ad finem, non vero ipsius finis.

792. — 1. 2. q. 13. a. 3.

Probatur sequela. Bonum utile est tantum illud, quod est ad finem, non autem ipse finis : Sed electio respicit bonum utile : Ergo respicit ea, quæ sunt ad finem, non autem ipsum finem.

Sequitur 793. Media ut media esse objectum formale *quod,* sive ratio *quæ* formaliter attingitur per electionem, finem vero esse rationem formalem *sub qua.*

793. — Ibidem. a. 4. et 2. 2. q. 24. art. 5 ; 3. p. q. 18. a. 4 ; In 2. dist. 38. art. 3. ad 1.

Probatur sequela. Quod attingitur ut quod, quatenus est utile, attingitur tanquam objectum formale *quod,* sive ratio formalis *quæ,* quamvis attingatur sub formali ratione illius, ad quod est utile, ut fere patet ex terminis : Sed per electionem attinguntur media ut utilia tanquam objectum formale *quod,* sive ratio formalis *quæ* attingitur, quamvis attingatur sub ratione formali ipsius boni, ad quod sunt utilia : Ergo media ut media per electionem attinguntur tanquam ratio formalis *quæ,* quamvis attingantur sub ratione formali *sub qua* ipsius finis. *Major est evidens* tum exemplo, tum ratione : exemplo quidem, quia conclusiones ut conclusiones attingantur, ut in iis est ratio formalis *quæ,* quamvis attingantur sub ratione formali principiorum ; ratione vero, quia per hoc differt electio ab intentione, quia intentio attingit finem ut rationem formalem *quæ et sub qua,* quamvis attingat media materialiter, cum sit volitio finis per media acquirendi, electio vero attingit media ut utilia, ita ut utilitas sit ratio formalis *quæ,* finis vero sive illius bonitas sit ratio formalis *sub qua.* Ratio vero hujus est, quia aliud est attingi ut ratio *quæ,* aliud est attingi ut ratio *sub qua;* attingi enim ut ratio *quæ,* est ita attingi, ut ipsa ratio, quæ attingitur non sit ratio attingendi, sed sit ipsa res attacta. Atque hinc patet minor.

Sequitur 794. Electionem esse eorum, quæ per nos fiunt.

794. — 1. 2. q. 13. a. 4.

Probatur sequela : Quotiescumque voluntas vult objectum, vult etiam ipsum actum, quo vult objectum ob reflexionem virtualem : Sed in omni electione voluntas vult objectum utile : Ergo vult etiam electionem, quo vult illud objectum ; atque adeo vult quod per eam fit. *Major patet ex dictis. Minor etiam.* Et *confirmatur :* Quia finis vel est aliqua actio nostra, vel aliquid quod per actionem nostram attingitur : Atqui non minus attingitur medium utile per electionem : Ergo medium vel est actio aliqua nostra, vel aliquid quod per actionem nostram attingitur.

Sequitur 795. Electionem esse tantum possibilium.

795. — Ibid. a. 5.

Probatur sequela. Quæ per nos attinguntur ad consequendum finem sunt possibilia, vel saltem existiman-

tur et judicantur ut possibilia, alias non attingerentur a nobis ut apta ad consequendum finem possibilem : Sed electio est eorum, quæ per nos aguntur et attinguntur ad consequendum finem, ut patet ex dictis : Ergo electio est possibilium.

Sequitur 796. Electionem esse liberam.

796. — Ibid. a. 6.

Probatur sequela. Præacceptatio unius præ alio est libera, cum sit de objecto indifferenti : Atqui electio est præacceptatio unius præ alio : Ergo est libera.

Sequitur 797. Etiam supposita intentione finis efficaci, et supposito quod non detur nisi unicum medium, electionem esse liberam.

Probatur sequela. Quando objectum proponitur ut secundum se indifferens, actio est libera, ex dictis supra : Sed etiam supposita intentione efficaci finis, unicum medium est secundum se indifferens, quamvis sit necessarium ex suppositione : Ergo electio est libera.

Sequitur 798. Ex duobus mediis propositis et judicatis per judicium ultimum practice practicum ut æqualis utilitatis, non posse voluntatem eligere alterum.

Probatur sequela. Fieri non potest, ut ex duobus mediis judicatis æqualibus, judicio ultimo voluntas feratur in alterum, nisi relinquat aliud : Atqui hoc non potest, alias ferretur in incognitum ; nam absque cognitione præeligeret unum alteri : Diximus autem supra non posse voluntatem ferri in incognitum, diximus etiam voluntatem necessario sequi judicium practice practicum : Ergo, etc.

Sequitur 799. Non posse voluntatem præeligere medium minus utile relicto utiliori, quando sic est judicatum judicio practico ; bene autem quando est tantum ita judicatum judicio speculativo vel non ultimo.

Probatur sequela. Non potest voluntas ferri libere in objectum ut indifferens, nisi cognitum ut sic, judicio practice practico, ex dictis supra : Atqui præeligere unum minus utile alteri, relicto utiliori, est ferri libere in objectum ut indifferens et sic cognitum : Ergo non potest præeligere, nisi præcedat judicium practice practicum de præeligendo.

Sequitur 800. Imperium debere sequi post electionem.

800. — 1. 2. q. 17. a. 1.

Probatur sequela. Executio debet sequi post electionem ; alias inutilis esset, non solum electio, sed etiam consensus, judicium, consilium, et intentio, ut patet : Sed imperium est principium executionis : Ergo imperium debet sequi post electionem.

Sequitur 801. Imperium esse actum rationis, non voluntatis.

801. — Ibidem.

Probatur sequela. Ordinatio denuntiativa est actus rationis, non voluntatis : Sed imperium est ordinatio denuntiativa : Ergo est actus rationis. *Major est evidens ex dictis :* Quia ordinare est rationis sicut et denuntiare, eo quod ordinare est cognoscere, et cognoscendo dirigere unum ad aliud, et similiter intimare sive denuntiare pertinet ad rationem : est enim intimare, loqui ac dicere ; dicere vero est rationis ; unde intellectio quatenus est productio verbi interioris est dictio. *Minor vero probatur :* Quia qui imperat, denuntiat ei, cui imperat, eumque ordinat et dirigit ad aliquid faciendum.

Sequitur 802. Imperium importare aliquam motionem quoad specificationem.

802. — Ibidem.

Probatur sequela. Omnis cognitio, qua proponitur aliquod objectum voluntati importat motionem quoad specificationem, ut patet ex dictis supra : Sed imperium est cognitios ex dictis, et denuntiativa usus, qu,

est actus voluntatis, ut statim ostendemus; atque adeo per imperium proponitur aliquid voluntati : Ergo imperium importat motionem quoad specificationem.

Sequitur 803. Imperium importare etiam motionem quoad exercitium.

Probatur sequela. Quod incipit executionem importat motionem quoad exercitium : Sed imperium incipit executionem, ut etiam statim ostendemus : Ergo imperium importat motionem quoad exercitium.

Confirmatur ex differentia, quæ est inter ordinationem pure denuntiativam sine motione quoad exercitium, et eam denuntiationem, quæ est cum motione quoad exercitium; nam ordinatio pure denuntiativa exprimitur modo indicativo, v. g. *hoc est faciendum,* et hæc ordinatio est dumtaxat judicium, quod tantum movet voluntatem quoad specificationem : Ordinatio vero denuntiativa et actu motiva exprimitur modo imperativo, v. g. *fac hoc :* et hæc ordinatio movet quoad exercitium, ut patet.

Sequitur 804. Hanc motionem sive vim motivam quoad exercitium convenire imperio ex vi præcedentis actus voluntatis sive efficacis electionis.

Probatur sequela. Movere quoad exercitium convenit voluntati, sicut movere voluntatem quoad specificationem convenit intellectui, ut patet ex dictis, et constabit ex mox dicendis : Sed imperium movet quoad exercitium, ex dictis : Ergo imperium participat hanc vim movendi ab aliquo actu voluntatis, nimirum ex efficaci electione; eo enim ipso, quod voluntas elegit efficaciter media, movet intellectum, ut intimet et ordinet executionem.

Sequitur 805. Electionem esse ultimum actum processus et ordinis intentionis, imperium vero esse primum actum processus et ordinis executionis.

805. — 1. 2. q. 17. a. 3.

Probatur sequela. Ordo intentionis est ille, quo ab ipsa cognitione et intentione finis proceditur ad electionem mediorum per consilium, judicium, et consensum : Sed in hoc ordine electio est ultimus actus, ut patet ex dictis : Ergo, etc. Ordo vero executionis est ille, quo proceditur ad consecutionem actualem finis : Sed hic ordo incipit ab imperio; cum enim, ut diximus, ante quemlibet actum voluntatis debeat præcedere aliquis actus intellectus, qui præluceat voluntati, debet necessario totam executionem voluntariam præcedere aliquis actus intellectus : nullus est autem alius, nisi imperium, qui est actus intellectus, ut diximus.

Sequitur 806. Ordinem executionis esse aliquo modo contrarium ordini intentionis.

806. — 1. 2. q. 17. a. 3.

Explicatur : Ordo intentionis incipit a fine et progreditur ad media : primo ad propinquiora fini, mox ad alia, quæ non conferunt ad finem, nisi mediantibus illis propinquioribus : Ordo vero executionis incipit ab ultimis mediis remotioribus a fine, mox ab aliis propinquioribus, et sic progreditur ad ipsum finem realiter consequendum : Sed hic uterque ordo est contrarius, ut constat : Ergo, etc. *Major patet ex dictis :* nam primo cognoscimus finem, amamus illum et intendimus, mox consiliamur, deinde consentimus, postea judicamus et eligimus, et in ipsa electione eligimus primo media aptiora ad finem consequendum, et ad ista media eligimus alia remotiora a fine, et sic consequenter donec deveniamus ad medium, quod primo est executioni

mandandum, et hic sistit ordo intentionis : Ordo vero executionis incipit ab hoc medio, quod primo est executioni mandandum, deinde procedit ad aliud et aliud, quoadusque perveniatur ad ultimum et ad finem; et hic ordo executionis statuitur per imperium : unde imperium est ordinatio, etiam ex hoc capite.

Sequitur 807. Actum imperii non convenire brutis.

807. — 1. 2. q. 17. a. 2.

Probatur sequela. Ordinatio intimativa non convenit, nisi agentibus intellectu vel ratione præditis, quia ordinare est intellectus : Atqui imperium est ordinatio intimativa : Ergo non convenit carentibus ratione, atque adeo nec brutis.

Sequitur 808. Ex imperio, et actu imperato coalescere quodammodo unum moralem actum.

808. — 1. 2. q. 17. a. 4.

Explicatur. Non intendimus quod physice loquendo actus imperans et actus imperatus non sint duo distincti actus, cum si loquamur de imperio proprie, interveniat realis quædam relatio inter illos : sed solum volumus, quod ex actu imperii et ex actu imperato coalescat moraliter unus actus, et hoc sensu.

Probatur sequela. Ex ordinatione activa et passiva coalescit moraliter unus actus : sed imperium est ordinatio activa ex dictis, actus vero imperatus ut sic est ordinatio passiva, ut constat : Ergo, etc. *Major probatur :* quia actus superioris potentiæ se habet sicut forma, et actus inferioris se habet sicut materia : unde sicut ex materia et forma fit unum compositum physicum, ita ex actu superioris potentiæ et inferioris fit unus actus moraliter : Atqui ordinatio activa est actus superioris potentiæ, passiva vero est actus inferioris: Ergo, etc.

Sequitur 809. Solos illos actus posse imperari, qui subduntur potestati voluntatis et rationis.

809. — 1. 2. q. 17. a. 5. 4. 6. 7. 8. et 9.

Probatur sequela. Soli illi actus possunt ordinari, qui subduntur potestati voluntatis et rationis; qui enim non subduntur, ordinari non possunt, ut est evidens : sed per imperium actus ordinantur ex dictis : Ergo solum possunt imperari, qui potestati rationis subduntur.

Sequitur 810. Actus voluntatis posse imperari.

810. — Ibid. a. 5.

Probatur sequela. Quia et isti subduntur rationi.

Sequitur 811. Actus rationis posse imperari.

811. — Ibid. a. 6.

Probatur sequela. Actus, qui subduntur rationi possunt imperari : Sed actus ipsius rationis subduntur ipsi rationi, utpote quæ reflectit se supra proprios actus : Ergo quatenus subduntur possunt imperari. Dixi quatenus subduntur; nam secundum aliquam rationem non subduntur, videlicet, secundum quod sunt apprehensivi veritatis, vel secundum quod sunt assensus necessarii : et sic apprehensio veritatis non subditur imperio rationis, sicut nec lumen, quo fit hæc apprehensio : similiter assensus primorum, vel etiam assensus conclusionis suppositis assensibus præmissarum recte dispositarum non subduntur ipsi rationi, nec imperantur; bene tamen assensus eorum, quæ per medium non convincens probantur.

Sequitur 812. Actus appetitus sensitivi, ut dependent ab organo corporali, non imperari.

812. — Ibid. a. 7.

Probatur sequela. Quia ut sic non subduntur, eo quod dispositio organi corporei non subditur rationi.

Sequitur 813. Actus appetitus sensitivi posse imperari ut excitantur ab imaginatione, quatenus ratio potest imaginationem avertere.

813. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia actus illi ut sic subduntur rationi.

Sequitur 814. Actus animæ vegetativæ non posse absolute, et ut sic imperari.

814. — Ibid. a. 8.

Probatur sequela. Quæ non subduntur cognitioni, non subduntur etiam rationi, quia ratio est cognoscitiva : Sed actus animæ vegetativæ non subduntur cognitioni ; non enim diriguntur aliqua cognitione, ut patet ex dictis supra : Ergo, etc.

Adverte tamen quod indirecte possunt aliquo modo subdi, puta quia homo potest applicare cibum, etc.

Sequitur 815. Motus membrorum exteriorum aliquos posse imperari, alios vero non.

815. — Ibid. a. 9.

Probatur sequela. Actus, qui non subduntur rationi, non possunt imperari, ex dictis : Sed aliqui motus membrorum non subduntur rationi, ut motus cordis, etc. Alii vero subduntur, ut motus progressivus, etc. Ergo, etc.

Sequitur 816. Usum esse actum voluntatis, qui consequitur ad imperium.

816. — 1. 2. q. 16. a. 1.

Probatur sequela. Applicatio potentiæ executivæ est actus voluntatis directæ ab intellectu quoad executionem, quia movere quoad executionem, sive quoad exercitium pertinet ad voluntatem, directam tamen ab intellectu : Atqui usus non est, nisi applicatio potentiæ executivæ, ut patet : uti enim dicimur equo, quando applicamus illum ad currendum, quod est applicare ad equitandum ; et uti dicimur gladio, quando illum applicamus ad incidendum : Ergo usus est actus voluntatis directæ ab intellectu. Dirigitur autem voluntas ad executionem per imperium, ut diximus : Ergo usus est actus voluntatis consequens ad imperium.

Sequitur 817. Usum non competere brutis.

817. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Applicare potentiam executivam ex imperio non competit brutis, ut patet ex dictis : Sed uti est applicare potentiam executivam ex imperio : Ergo, etc.

Sequitur 818. Usum non esse respectu ultimi finis.

818. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Applicare ad aliud non est respectu ultimi finis, nam ultimus finis non applicatur ad aliud ; Sed uti est applicare ad aliud : Ergo uti non est respectu ultimi finis. Quia tamen aliquando res, quæ appetitur propter se, quadantenus applicatur ipsi appetenti, ut eam possideat, idcirco improprie potest dici usus respectu rei, quæ est finis : et hoc modo aliquando SS. Patres loquuntur.

Sequitur 819. Usum proprie dictum subsequi electionem.

819. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Applicatio potentiæ executivæ in ordine ad consequendum realiter finem, subsequitur electionem : Atqui usus est applicatio potentiæ executivæ in ordine ad consequendum realiter finem, ut patet ex dictis : Ergo usus consequitur electionem : *Major probatur :* quia voluntas duplicem dicit habitudinem ad finem ; *prima* est, quatenus finis est in intentione : *secunda* est, quatenus finis est habendus realiter : hæc secunda est posterior prima, quia prius est, quod finis sit in intentione, quam quod habeatur realiter : Atqui electio pertinet ad illam priorem habitudinem : cum voluntas ex eo quod habet finem in intentione

moveat se ad eligenda media : applicatio autem potentiæ executivæ est quidem ex intentione finis, sed jam incipit realis habitudo ad finem realiter consequendum, ut patet : Ergo electio prior est illa applicatione

Sequitur 820. Post usum activum subsequi usum passivum.

820. — Ibidem.

Probatur sequela. Ad applicationem activam sequitur applicatio passiva : implicat enim agens applicare aliud ad agendum, quin concipiatur illud aliud applicatum agere, ut patet : Atqui usus, qui est actus voluntatis, est applicatio activa potentiæ executivæ ad agendum, ex dictis : Ergo ad usum activum debet subsequi usus passivus, qui nihil est aliud, quam operatio potentiæ ipsius executivæ, quatenus progreditur ab illa, ut applicata a voluntate.

Sequitur 821. Post usum activum et passivum subsequi possessionem realem finis.

821. — 1. 2. q. 11. a. 4.

Probatur sequela. Ad applicationem potentiæ executivæ in ordine ad consecutionem finis, sequitur consecutio finis, ut patet ex terminis : sed usus est applicatio potentiæ executivæ in ordine ad consecutionem realem finis : Ergo post usum sequitur possessio finis.

Sequitur 822. Post possessionem vel in ipso actu possessionis reperiri actum intellectus, quo vel possidetur ipse finis, vel cognoscitur possessio illius.

822. — Ibidem.

Probatur sequela. Voluntas nunquam fertur in incognitum, sed omnem ejus actum debet præcedere aliqua cognitio : Atqui fruitio finis, ut statim dicemus, est actus voluntatis : Ergo ante fruitionem debet esse aliqua cognitio per quam intellectus vel possideat, vel noscat hominem possidere.

Sequitur 823. Fruitionem esse actum voluntatis.

823. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Delectatio in bono intelligibili possesso est actus voluntatis, ut est evidens : sed fruitio est delectatio in bono intelligibili possesso : Ergo, etc. *Minor probatur.* Bonum intelligibile possessum, vel quod voluntas intendit possidere, est quid ultimum cum quadam suavitate perceptibile, quia est finis : Sed fruitio dicitur actus ille, qui est circa bonum intelligibile possessum, quatenus est quid ultimum cum quadam suavitate perceptibile ; dicitur enim fruitio a fructu, qui est quid ultimum cum suavitate perceptibile : Ergo, etc.

Sequitur 824. Fruitionem proprie esse tantum intellectualis naturæ.

824. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Eo modo est fruitio finis, quo est ejus cognitio : Sed cognitio finis proprie est tantum intellectualis naturæ : Ergo et fruitio. Quare bruta improprie dicuntur frui, quia non cognoscunt finem sub ratione finis.

Sequitur 825. Fruitionem esse tantum proprie respectu ultimi finis.

825. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Fructus est quid ultimum cum suavitate et quiete appetitus perceptum : Sed fruitio est de fructu, unde et ab eo dicitur : Ergo fruitio erit de ultimo proprie, in quo totaliter quiescit appetitus.

Sequitur 826. Fruitionem stricte non esse nisi de fine possesso.

826. — Ibid. a. 4

Probatur sequela. De illo, quod non est ultimum cum suavitate et quiete perceptum, non est fruitio stricte : Atqui finis non possessus non est quid ultimum, quia restat semper ipsemet finis realiter possidendus, nec quie-

tatur appetitus, sed movetur, quamdiu non possidet : Ergo, etc. Quare imperfecte dicimur frui re, qua fruituros nos speramus.

Sequitur 827. Quod quando finis est objectum amicabile, id est, persona, cum qua possit haberi amicitia, tunc simplex volitio finis dicitur benevolentia.

827.—1. p. q. 20. a. 2. ad 3; 2. 2. q. 27. a. 1.

Probatur sequela. Quando finis est persona, cum qua potest haberi amicitia, alio modo amatur, quam cum est tantum bonum concupiscibile, ut patet ex iis, quæ diximus cum de passionibus ageremus : Sed hæc differentia consistit in hoc, quod cum finis ille est persona, nos bonum ei velimus : in hoc enim, ut diximus, consistit amicitia : Ergo tunc simplex volitio finis est benevolentia. Sed adverte, quod complacentia finis aliquo modo distinguitur a simplici volitione, quatenus simplex complacentia importat quamdam delectationem ex fruitione imperfecta finis, quæ habetur per simplicem volitionem : Dilectio vero addit unionem aliquam, quatenus amans reputat amatum quasi seipsum.

Agendum hic foret de moralitate, hoc est, de malitia et bonitate horum actuum, et eorum, quæ sunt ipsorum principia, hoc est, habituum : Sed quia hæc sunt alterius ordinis, nimirum moralis, de quo agendum est in appendice ad tria principia, eo quod illa moralia ex tribus principiis speculativis dependent, idcirco illa in appendicem remittimus acturi ibidem de distinctione virtutum et vitiorum, sicut et differentia inter prudentiam, scientiam et artem.

Jam vero iterum ascendendum est, ad ea, quæ superius de immaterialitate diximus, scilicet unumquodque in tantum esse intellectivum, et intelligibile, in quantum est immateriale (nº 502.) Ex quo :

CAPUT IV.

De angelis.

Sequitur 828. Angelos esse intellectivos.

Probatur sequela. Natura substantialis immaterialis est intellectiva : Sed angelus est natura substantialis et immaterialis : Hoc enim intelligimus nomine angeli : Ergo, etc.

Sequitur 829. Angelos esse incorruptibiles ab intrinseco.

829. — 1. p. q. 50. a. 5.

Probatur sequela. Quæ sunt omnino immaterialia sunt incorruptibilia : quia carent principio corruptionis, quod est materia, ut alias ostendimus : Sed angeli sunt omnino immateriales : Ergo sunt omnino incorruptibiles ab intrinseco.

Adverte autem nos non dicere illos esse indefectibiles : cum enim sint ex nihilo, possent a Deo in nihilum redigi : dicuntur tamen incorruptibiles, quia non habent ullum principium intrinsecum corruptionis.

Sequitur 830. Angelos non habere corpora sibi naturaliter unita.

830. — Ibidem. q. 51. a. 1.

Probatur sequela. Substantiæ completæ omnino immateriales non habent corpora sibi naturaliter unita : cum corpus sit altera pars in substantiis materialibus : Atqui angeli sunt substantiæ completæ immateriales, ex dictis, quia per hoc differunt ab anima rationali, quæ non est substantia completa : Ergo angeli non habent corpora sibi naturaliter unita.

Sequitur 831. Angelos posse assumere corpora.

831. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Quod videtur idque communiter ab omnibus, vel est corpus, vel habet corpus sibi unitum, vel assumit aliquod corpus, ut per illud videatur : Atqui angeli visi fuerunt, idque communiter ab omnibus,

cum quibus conservabantur, ut patet ex Scriptura, neque sunt corpus, nec habent corpora sibi naturaliter unita, ut dictum est : Ergo possunt assumere corpora condensando aerem, etc.

Adverte : Corpora non assumi ab angelis præcise per hoc, quod ab ipsis moveantur : quia non omnia corpora, quæ moventur ab angelis, assumi dicuntur ab illis, unde cœli, qui moventur ab angelis, non assumuntur : Quare ad assumptionem requiritur, quod angelus uniatur illis corporibus assumptis, tanquam motor repræsentatus per illa corpora. Ita D. Thom., 1, p., quæst. 51, art. 2 ad 2.

Sequitur 832. Angelos in corporibus assumptis non exercere opera vitæ.

832. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Quod unitur alicui corpori tantum ut motor repræsentatus, non exercet vera opera vitæ mediante illo corpore : Atqui angeli assumentes corpora uniuntur illis tantum ut motores per illa repræsentati, ex dictis : Ergo non exercent in illis vera opera vitæ. *Major constat ex dictis supra :* Ad verum opus vitæ requiritur quod sit a principio intrinseco conjuncto radicali principio vitæ : Sed corpora illa, quæ assumpta moventur ab angelis, non exercent opera a principio intrinseco conjuncto, quia angelus non unitur illis ut forma, sed tantum ut motor extrinsecus : Ergo, etc.

Sequitur 833. Nullas potentias vitales organicas dari in angelis.

833. — Ibid. a. 5.

Probatur sequela. Ubi non sunt organa animata non sunt potentiæ organicæ, sic dicuntur, eo quod inhæreant organis animatis, ut ex supra dictis constat : Sed in angelis non sunt organa animata, cum ut diximus, ipsi angeli non uniantur corporibus nt formæ, sed tantum ut motores : Ergo in Angelis non sunt potentiæ vitales organicæ.

Sequitur 834. Non dari in angelis intellectum agentem.

834. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Ubi non sunt phantasmata, non datur intellectus agens : cum, ut supra diximus, intellectus agens solum ponatur ad illuminanda phantasmata : Sed in angelis non sunt phantasmata, quia ista sunt in phantasia, quæ est potentia organica : Ergo, cum nulla potentia organica sit in angelis, non erit etiam intellectus agens in ipsis.

Sequitur 835. Non dari in angelis potentiam loco motivam ab intellectu et voluntate illorum distinctam.

835. — 1. p. q. 70. a. 3 ; q. 6. De malo a. 1. ad 14.

Probatur sequela. Omnis potentia debet esse proprietas substantiæ, cujus est potentia, saltem secundum aliquem gradum metaphysicum in eadem substantia inventum : Sed potentia loco motiva distincta ab intellectu et voluntate non potest esse proprietas substantiæ angelorum secundum aliquem gradum metaphysicum : Ergo potentia loco motiva non potest esse in angelis : *Major patet,* nam v. g. potentiæ vegetativæ sunt in homine secundum gradum viventis ; potentiæ sensitivæ secundum gradum animalis ; et ratio est, quia quilibet gradus substantialis habet operationem sibi correspondentem, cumque non possit substantia esse immediate operativa, ut alias ostendemus, debet necessario mediare aliqua potentia. *Minor autem probatur :* quia in angelo non sunt nisi tres gradus Metaphysici, scilicet gradus entis, gradus substantiæ, et gradus angelicus : Atqui potentia loco motiva nullius istorum potest esse proprietas : Ergo, etc. *Minor patet,* quia potentia loco motiva distincta ab intellectu et voluntate non potest convenire gradui entis vel substantiæ, alias omne ens, aut omnis substantia haberet potentiam loco motivam, quod patet manifeste falsum, cum sint plura entia et plures

substantiæ, quæ nullam habent potentiam loco motivam activam, ut constat : neque potest potentia locomotiva activa distincta ab intellectu et voluntate dimanare a gradu substantiæ intellectualis, quia ab hoc gradu ut intellectualis est, non possunt dimanare, nisi proprietates vitales et intellectuales, quæ, ut constat, non sunt, nisi intellectus et voluntas : Ergo, etc.

Sequitur 836. Angelum non posse intelligere per species abstractas a phantasmatibus.

836. — 1. p. q. 53. a. 2.

Probatur sequela. Ubi non sunt phantasmata, non possunt esse species abstractæ a phantasmatibus, ut constat : Atqui in angelis non sunt phantasmata, ex dictis : Ergo nec species abstractæ a phantasmatibus

Sequitur 837. Angelos non habere species a rebus sensibilibus abstractas.

837. — Ibidem.

Probatur sequela. Species non possunt abstrahi a rebus sensibilibus, nisi mediante sensu externo et phantasia : Sed in angelis non est sensus externus aut phantasia, ex dictis : Ergo neque species abstractæ a sensibilibus. *Major patet :* Quia, ut supra diximus, inter naturam intelligentem, potentiam intellectivam, speciem, actum, et objectum debet esse proportio in ipsa immaterialitate : unde species non possunt abstrahi a rebus sensibilibus, nisi saltem potentia, quæ abstrahit, habeat proportionem cum re, a qua illam abstrahit ; cum ergo intellectus, qui est potentia naturæ omnino immaterialis, nullam habeat proportionem cum rebus sensibilibus ut sic, non poterit immediate abstrahere species ab illis : imo, cum nec etiam sensus id possit (unde diximus supra non dari sensum agentem) consequens est, ut intellectus id etiam non possit. Adde, quod natura superior et diversi ordinis non dependet in sua operatione connaturali a natura inferiori et alterius ordinis : Atqui natura angelica, utpote omnino immaterialis, est superioris ordinis ad naturam sensibilem : Ergo non pendet in sua operatione, quæ est intellectio, a rebus sensibilibus.

Sequitur 838. Angelos non intelligere omnes res distinctas a seipsis per propriam substantiam tanquam per speciem.

38. — 1. p. q. 55. a. 1.

Probatur sequela. Substantia limitata non continet in se omne ens etiam in esse repræsentativo sive ut formalis, et distincta repræsentatio omnium, alias esset infinita saltem in hoc genere : Sed substantia angeli est limitata : nomine enim angeli, ut dictum est, intelligimus substantiam creatam immaterialem : Ergo substantia angeli non continet omnia ut formalis omnium repræsentatio. Quia tamen angelus continet inferiora saltem secundum communes et confusas rationes, et participat aliquid de superioribus, respicitque Deum tanquam causam, potest per suam substantiam cognoscere in communi et confuse alia omnia.

Sequitur 839. Angelos habere species acceptas a Deo.

839. — 1. p. q. 55. a. 2.

Probatur sequela. Angeli intelligunt res, alias frustra creati essent : Sed non intelligunt per species a rebus acceptas, vel per propriam substantiam, ex dictis : Ergo intelligunt per species acceptas aliunde : Hoc autem esse non potest nisi a Deo : Ergo, etc.

Sequitur 840. Has species a Deo acceptas esse in angelis ab ipsorum creatione veluti infusas.

840. — Ibidem.

Probatur sequela. Angeli statim ut creati sunt potuerunt intelligere ipsas res : Sed non potuerunt intelligere sine speciebus, quia, ut supra ostendimus, sine illis determinantibus

intellectus non potest intelligere : Ergo angeli has species habuerunt ab ipsa creatione.

Sequitur 841. Has species esse veluti proprietates naturæ angelicæ.

841. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod connaturaliter exigitur, et simul producitur cum ipsa natura est veluti proprietas illius naturæ : Atqui species connaturaliter exigebantur, et simul productæ sunt cum ipsa natura angelica, ex dictis : Ergo hæ species sunt veluti proprietates : Dixi veluti proprietates : quia licet natura angelica exigeret species aliquas in communi, non tamen exigebat has potius quam alias ; si enim unus angelus fuisset creatus in alio universo non exegisset species hujus universi, sed alterius, in quo creatus esset : unde nec species, quas habent angeli, dimanant effective ab ipsorum natura : et sic non sunt proprie et in rigore veræ proprietates, sed quasi proprietates.

Sequitur 842. Has species angelicas eo esse universaliores in repræsentando, quo quilibet angelus est naturæ perfectioris et altioris.

842. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Eo aliquid est universalius in suo genere, quo est immaterialius, quia, ut diximus, materia limitat : Sed hujusmodi species angelicæ sunt valde immateriales et quo angelus est perfectior, atque adeo immaterialior, exigit species magis immateriales, ut sint ipsi proportionatæ, ut patet ex dictis Ergo hæ species eo erunt universaliores in suo genere, hoc est, in repræsentando, quo ipse angelus erit perfectior. Adde, quod hæ species, ut diximus, sunt illis veluti infusæ a Deo juxta capacitatem cujuslibet intellectus angelici : atque adeo non sunt acceptæ a rebus, nec consequenter limitatæ per ipsas res, sed sunt exemplatæ ab ipsa essentia divina, quæ est universalissima omnium rerum species : Ergo debent esse magis vel minus universales juxta capacitatem angelorum, quia possunt hoc habere ex vi sui exemplaris ; et ita sicut videmus, quod in sensibus externis hominis dantur species, quæ non repræsentant, nisi singularia sub aliqua ratione particulari ; deinde in sensu communi dantur species immaterialiores et universaliores, quæ repræsentant objecta nedum unius sensus externi, sed omnium, et in imaginatione dantur species etiam immaterialiores repræsentantes objecta magis universaliter, cum illa repræsentent etiam absentia, et in cogitativa etiam universaliores, quia repræsentant rationes insensatas, ac demum in intellectu adhuc sunt magis universales, quia repræsentant naturam communem ; ita similiter in ipsis angelis species erunt universaliores, quo immaterialiores, et quo perfectior erit angelus.

Sequitur 843. Majorem vel minorem perfectionem angelorum, quæ facit species magis vel minus universales non attendi solum juxta diversitatem hierarchiarum vel ordinum, sed juxta majorem vel minorem perfectionem specificam cujuslibet angeli, ita ut eo modo, quo unus angelus excedit in perfectione naturæ specificæ alium angelum, eodem gradu species perfectioris sint universaliores.

843. — Ibidem.

Probatur sequela. Eo aliquid est universalius, quo est immaterialius, ut diximus : Sed nedum angeli unius hierarchiæ vel ordinis sunt immaterialiores angelis inferioris hierarchiæ vel ordinis : verum etiam intra unum et eumdem ordinem unus est alio immaterialior et perfectior, atque adeo species unius sunt magis immateriales speciebus alterius, cum species debeant esse proportionatæ intellectui et perfectioni naturæ intellectualis : Ergo major vel minor universalitas non petetur ex diversitate hierarchiæ vel ordinis, sed ex majori per-

fectione et immaterialitate cujuslibet angeli.

Sequitur 844. Majorem universalitatem specierum angelicarum non attendi penes repræsentationem plurium possibilium vel pauciorum.

844. — Ex eodem.

Probatur sequela. Penes illorum repræsentationem debet attendi major universalitas, quorum angeli ut partes universi hujus exigunt habere species juxta majorem vel minorem capacitatem et immaterialitatem, ut constat ex dictis : Sed angeli non exigunt habere species possibilium, quia, ut sunt partes hujus universi, non exigunt intelligere alia alterius universi : Ergo major vel minor illa universalitas, non debet attendi penes repræsentationem plurium vel pauciorum possibilium, imo ex propria perfectione non exigunt cognoscere possibilia saltem illa, quæ non continentur in virtute causarum, quæ de facto existunt, in universo. Quare licet non repugnet, Deum dare illis species repræsentativas aliquorum hujusmodi possibilium, quæ non pertinent ad ordinem hujus universi, tamen repugnat dari species repræsentativas omnium possibilium, ut dicemus in secundo principio.

Sequitur 845. Majorem vel minorem universalitatem specierum non attendi penes plura vel pauciora repræsentata hoc sensu, quod angelus inferior pauciora cognoscat absolute, quam superior.

845. — D. Thom. De verit. Quæst. 8. a. 10. ad 2.

Probatur sequela. Quia, ut supponimus et infra probaturi sumus, quilibet angelus omnes res naturales in universo existentes cognoscit : Atqui non potest illas cognoscere sine speciebus, ex dictis : Ergo habet species omnium illorum; atque adeo non attenditur major vel minor universalitas penes hoc, quod unus plura, alius pauciora cognoscat.

Sequitur 846. Majorem vel minorem universalitatem specierum angelicarum non attendi penes hoc, quod est repræsentare plura vel pauciora individua, ejusdem naturæ specificæ.

846. — D. Thom. In 2. dist. 3. q. 2. a. 3. ad 3.

Probatur sequela. Quo immaterialior est natura, eo immaterialior et universalior in repræsentando debet esse species : Sed natura etiam infimi angeli est immaterialior anima rationali, ut patet ex dictis : Ergo species infimi angeli debet esse universalior in repræsentando quam sit species animæ rationalis : cum ergo species animæ rationalis repræsentet omnia singularia ejusdem naturæ specificæ, ut conveniunt in illa, debet species etiam infimi angeli repræsentare omnia saltem individua unius naturæ specificæ, cum hac differentia, quod species animæ rationalis non repræsentat distincte singularitates cujuslibet individui, sed tantum confuse; species vero etiam infimi angeli repræsentat etiam distincte singularitates cujuslibet individui : Ergo major vel minor universalitas specierum quæ sunt in aliis angelis, non petetur ex repræsentatione plurium vel pauciorum individuorum. Hæc ultima consequentia est evidens; quia alias species superiorum angelorum, qui sunt supra infimum, non essent universaliores speciebus infimi angeli, cum quælibet istarum repræsentet ad minus omnia individua unius naturæ specificæ.

Sequitur 847. Majorem vel minorem universalitatem specierum angelicarum attendi penes repræsentationem plurium vel pauciorum naturarum specie distinctarum.

847. — Ibid. et Quæst. 8. De verit. a. 14.

Probatur sequela. Major universalitas, quæ non est respectu individuorum, debet esse respectu naturarum specie distinctarum, ut est evidens :

Atqui, ex dictis, major universalitas specierum angelicarum non attenditur penes repræsentationem plurium vel pauciorum individuorum : Ergo attenditur penes repræsentationem plurium vel pauciorum naturarum specie distinctarum.

Sequitur 848. Majorem vel minorem universalitatem attendi penes ea, quæ sunt inferiora.

848. — D. Thom. 2. Contra gent. c. 98.

Explicatur : Quilibet angelus inferior habet specialem, et particularem speciem cujuslibet angeli superioris, sed respectu rerum inferiorum per unam speciem potest plura cognoscere.

Probatur ergo sequela. Major vel minor universalitas specierum petitur ex immaterialitate, quatenus angelus magis immaterialis exigit speciem magis immaterialem, atque adeo universaliorem speciebus et objectis ipsis inferioribus, cum, ut alias diximus, species sit ipsum objectum in esse repræsentativo : Sed angelus inferior non habet majorem immaterialitatem angelo superiori : Ergo etiam nulla species in inferiori angelo existens habet majorem universalitatem specie repræsentativa alterius angeli superioris, et consequenter angelus inferior intelliget quemlibet superiorem per propriam et adæquatam speciem, quæ dumtaxat superiorem repræsentabit.

Sequitur 849. Angelum quemlibet, quo superior est, habere pauciores species.

849. — D. Thom. 1. p. q. 55. a. 3.

Probatur sequela. Quo species sunt universaliores, eo pauciores sufficiunt ad repræsentanda et intelligenda objecta, ut patet : Sed angelus quo superior est, eo habet universaliores species, ex dictis : Ergo et pauciores.

Sequitur 850. Species angelicas universales repræsentare plura non ut plura, sed ut conveniunt in aliquo.

850. — D. Thom. 1. p. q. 58. a. 2.

Probatur sequela. Unitas rei specificatæ ab aliquo, sive ab ordine ad aliud, non potest esse major, quam sit unitas ipsius specificativi quatenus est hujusmodi, ut patet ex terminis, et probabitur in tertio principio : Sed unitas speciei repræsentativæ petitur ab objecto repræsentato, ut constat ex dictis : Ergo unitas speciei non poterit esse major, quam unitas objecti, atque adeo, si species sit una, objectum repræsentatum debet esse unum, nec potest esse multiplex, nisi ut plura conveniunt in aliquo.

Sequitur 851. Hanc convenientiam plurium repræsentatorum debere attendi penes rationem *quæ* repræsentatur, et penes rationem sub qua repræsentatur.

851. — Ex eodem loco.

Probatur sequela. Omnia specificantia rem distinctam, quæ non specificatur, nisi per ordinem ad aliud, debent convenire in ratione, *quæ et sub qua :* Sed objecta repræsentata specificant speciem repræsentantem ratione ordinis illius speciei ad ipsa objecta, ex dictis : Ergo objecta repræsentata debent convenire in ratione *quæ et sub qua.* Major probabitur in tertio principio, et ostenditur breviter, quia quæ specificantur per ordinem ad aliud, duo important, scilicet ipsum ordinem, et rationem, quæ præcise respicitur per hujusmodi ordinem : Atqui ratio quæ respicitur, est ratio *quæ,* ratio vero *sub qua* est modus tendendi; cum ergo ad specificationem requiratur et modus tendentiæ, et ipsa tendentia ut terminata ad aliquam rationem certam, et determinatam, requiritur ratio *quæ et sub qua.*

Sequitur 852. Angelum posse ad libitum uti specie vel secundum totam universalitatem intelligendo simul omnia repræsentata per illam speciem, vel non secundum totam universalitatem intelligendo dumtaxat unum ex illis repræsentatis.

852. — D. Thom. Quæst. 8. De verit. a. 13. ad 2.

Probatur sequela. Qui habet formam per modum habitus, potest ad libitum uti illa, quia habitibus utimur, ut volumus : Sed angelus habet speciem per modum habitus : cum se habeat tantum quasi proprietas, hoc est, non sit vera proprietas, sed dumtaxat qualitas, quæ potius ad habitum reducitur maxime in angelis, ut postea ex D. Thoma dicemus : Ergo angelus poterit uti illa specie ad libitum. Nec valet si dicas, speciem esse causam naturalem in repræsentando : hoc enim verum est de habituali repræsentatione, non de actuali : cum certum sit angelum posse uti vel non uti tali specie, sicut et nos possumus uti vel non uti nostris.

Sequitur 853. Angelum superiorem posse intelligere veritatem magis in universali.

853. — 1. p. q. 55. a. 3. ad 2.

Explicatur : Dupliciter potest intelligi veritas in universali ; *primo* in abstracto, ita ut intellectus non perveniat sive non attingat distincte veritates omnes particulares, quæ in illa universali continentur, sicut quando nos intelligimus animal in universali, non pertingimus distincte ad omnes et singulas species contentas sub genere animalis, et hoc modo attingere in universali, est attingere imperfecte ; *secundo* potest intelligi veritas in universali in concreto, ita ut ipse intellectus attingat distincte omnes et singulas veritates, quæ in illa universali continentur v. g. intellectus attingat distincte omnes et singulas species animalis intelligendo ipsam rationem animalis, et hoc modo est attingere perfecte, et sic attingunt angeli.

Probatur ergo sequela : Qui cognoscit per speciem universalem attingit magis in universali suum objectum, attingit enim sicut repræsentatur per speciem ; Sed, ex dictis, superior angelus cognoscit per speciem universaliorem : Ergo attingit veritatem magis in universali.

Sequitur 854. Substantiam angeli etiam esse intelligibilem.

854 — 1. p. q. 50. a. 1.

Probatur sequela. Quod est immateriale, est etiam intelligibile, ex dictis supra : Sed substantia angeli est omnino immaterialis : Ergo est intelligibilis.

Sequitur 855. Angelum seipsum intelligere per propriam substantiam tanquam per speciem impressam.

855. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod est præsens ipsi intellectui et intelligibile, potest per seipsum intelligi tanquam per speciem impressam ; quia, ut ostendimus alias, tota ratio, propter quam necessaria est species impressa, est, quia objectum est absens vel non est intelligibile : Atqui substantia angeli est præsens ipsi intellectui ejus, ut constat, et est intelligibilis, ex jam dictis : Ergo, etc.

Sequitur 856. Angelum non posse intelligere seipsum per propriam substantiam tanquam per speciem expressam, et ideo formare verbum a se distinctum.

856. — D. Thom. 4. Contra gent. c. 11; De verit. q. 4. a. 2 ; De potent. q. 9. a. 5.

Probatur sequela. Quod est quidem præsens et intelligibile, sed non per modum actus secundi, non potest habere rationem speciei expressæ : Atqui angeli substantia est quidem præsens et est intelligibilis non per modum actus secundi : Ergo, etc. *Major patet :* Quia intelligibilitas conveniens

speciei expressæ est intelligibilitas per modum termini actualiter terminantis intellectionem, et per hoc differt ab intelligibilitate speciei impressæ, quæ est intelligibilitas per modum principii habitualis, et non actualis ex vi propria. *Minor vero probatur ex dictis :* quia talis est intelligibilitas substantiæ angeli, qualis est ejus immaterialitas : Sed immaterialitas angeli non est per modum actus puri, quia etiam angelus componitur ex potentia et actu, nec ejus essentia est suum esse, sicut nec ejus potentia intellectiva est suum intelligere : Ergo substantia angeli non est intelligibilis per modum actus secundi.

Sequitur 857. Unum angelum cognoscere alium.

857. — 1. p. q. 56. a. 2.

Probatur sequela. Ad intelligendum sufficit virtus intellectiva, objectum intelligibile, et species : Sed unus angelus habet ista omnia respectu alterius, ut patet ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 858. Unum angelum non intelligere distincte alium per suam essentiam.

858. — Ibidem.

Probatur sequela. Angelus non intelligit alia a se per suam essentiam, ut diximus : Ergo nec alium angelum.

Sequitur 859. Unum angelum non intelligere alium per essentiam angeli intellecti tanquam per speciem.

Probatur sequela. Ad hoc, quod res aliqua intelligatur, non sufficit, quod sit intelligibilis, sed requiritur quod sit præsens intellectui : Atqui essentia unius angeli non est præsens intellectui alterius ut patet, quia, ut antea diximus, angelus non est præsens, nisi per operationem; non potest autem unus angelus operari in intellectu alterius, ut alias ostendemus : Ergo, etc.

Sequitur 860. Angelum comprehensive cognoscere seipsum, et omnia sibi inferiora.

860. — Quæst. 16. De malo. a. 8.

Probatur sequela. Cognoscere aliquid quantum est cognoscibile est aliud cognoscere comprehensive : Atqui angelus cognoscit se quantum est cognoscibilis, sicut et alia, quæ sunt ipsi inferiora : Ergo angelus cognoscit comprehensive seipsum et alia sibi inferiora. *Major est certa,* quia sicut unam quantitatem comprehendere aliam, nihil aliud est, quam unam tangere aliam secundum totam extensionem molis, ita comprehendere intellectualiter est virtutem intellectivam attingere aliam secundum totam quantitatem virtutis sive cognoscibilitatis. *Minor vero probatur,* quia Angelus tantum est intellectivus, quantum intelligibilis, et e contra; eo quod causa intellectualitatis et intelligibilitatis est una eademque immaterialitas. Alia vero quæ sunt inferiora angelo, sunt minoris immaterialitatis, et consequenter minoris intelligibilitatis, quam angelus sit intellectualis.

Ex his habes, quod angelus comprehendendo se, cognoscit suam subsistentiam, existentiam, proprietates, species, accidentia, quia alias non comprehenderet se, sive non cognosceret se quantum cognoscibilis est.

Sequitur 861. Angelum inferiorem non comprehendere superiorem.

861. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod non est tantæ intellectualitatis, quantæ intelligibilitatis est objectum, non potest illud comprehendere, ut patet ex dictis : Atqui angelus inferior non est tantæ intellectualitatis, quantæ intelligibilitatis est superior : Ergo, etc. *Minor probatur,* quia cum immaterialitas sit radix et intellectualitatis et intelligibilitatis, sicut angelus inferior non est tantæ immaterialitatis, ita nec tantæ intellectualitatis, quantæ intelligibilitatis est superior.

Sequitur 862. Angelum quemlibet cognoscere Deum.

862. — 1. p. q. 56. a. 3.

Probatur sequela. Qui cognoscit effectum, ut dependentem a causa, cognoscit et ipsam causam tanquam terminum illius habitudinis et dependentiæ : unde dicitur quod relativa sunt simul natura et cognitione, ut alias ostendemus : Atqui angelus cognoscit seipsum et alia, ut effectus dependentes a Deo, utpote a quo solo possunt produci, cum seipsum et alia comprehendat, ut dictum est : Ergo etiam cognoscit Deum tanquam causam.

Sequitur 863. Angelum eadem cognitione, qua cognoscit seipsum cognoscere Deum.

863. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui comprehensive cognoscit effectum per eamdem cognitionem cognoscit causam : quia per illam cognitionem cognoscit dependentiam effectus a causa : Sed angelus comprehensive cognoscit seipsum, ex dictis : Ergo per eamdem cognitionem cognoscit Deum ut causam.

Sequitur 864. Angelum cognoscere Deum per suam (id est, ipsius angeli) essentiam ut speciem.

864. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui una et eadem cognitione cognoscit causam per effectum, per eamdem speciem cognoscit et causam et effectum : quia unius cognitionis una species est principium, maxime quando cognitio non fit per compositionem et divisionem : Atqui ex dictis angelus una et eadem cognitione cognoscit se ut effectum et Deum ut causam, neque cognoscit componendo, dividendo, aut ratiocinando, ut postea ostendemus : et, ut jam ostensum est, cognoscit seipsum per propriam substantiam tanquam per speciem : Ergo per eamdem substantiam ut speciem cognoscit Deum.

Sequitur 865. Angelum cognoscere etiam Deum per alia a se, præsertim per illa, quæ comprehendit.

865. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui cognoscit effectum ut dependentem cognoscit causam : Sed angelus cognoscendo alia a se cognoscit illa ut effectus : Ergo cognoscit eorum causam, quæ est Deus, ut dicemus in secundo principio.

Sequitur 866. Angelum non posse cognoscere Deum per propriam substantiam tanquam per speciem, quin prius aliquo modo cognoscat seipsum.

Probatur sequela. Non potest cognosci causa in effectu nisi prius aliquo modo cognoscatur effectus, quia effectus non cognitus ut effectus non ducit in cognitionem causæ, ut est evidens : Sed, ex dictis, angelus cognoscit Deum ut causam in seipso ut effectu : Ergo prius aliquatenus debet cognoscere seipsum ut effectum, quam cognoscat Deum ut causam. Dixi *aliquatenus*, quia cum sit una et eadem cognitio, qua angelus cognoscit se et Deum, ut probatum est, non potest intervenire realis prioritas inter cognitionem, qua angelus se cognoscit, et cognitionem, qua cognoscit Deum : et idem dicendum proportionaliter de cognitione, qua angelus cognoscit Deum in aliis a se.

Sequitur 867. Non esse necessarium, quod angelus cognoscendo Deum in se ut effectu, cognoscat suam substantiam ut speciem sui.

Probatur sequela. Ut cognoscatur causa in effectu, non est necessarium, quod cognoscatur species repræsentans effectum sub ratione speciei, ut patet etiam in nobis : Sed angelus cognoscit Deum ut causam cognoscendo se ut effectum : Ergo non est necessarium quod cognoscat suam substantiam ut speciem sui. Quia tamen cognoscit se comprehensive,

idcirco cognoscit etiam suam substantiam esse speciem.

Sequitur 868. Angelum cognoscere Deum in sua substantia, tanquam in imagine quamvis imperfecta.

868. — D. Thom. 1. p. q. 56. a. 3.

Probatur sequela. Qui cognoscit comprehensive rem, quæ est quodammodo imago, cognoscit rem, cujus est imago, alias non cognosceret imaginem comprehensive, ut patet : Sed angelus cognoscendo se, cognoscit suam substantiam comprehensive, ex dictis : Ergo cognoscit se, ut est aliquomodo imago Dei, sive potius ut est ad imaginem Dei ; nam, ut dicemus alias, angelus et homo sunt imago sive potius ad imaginem Dei.

Sequitur 869. Angelum perfectius cognoscere Deum per suam substantiam, quam per res pure materiales.

869. — 1. p. q. 93. a. 2.

Probatur sequela. Idem intellectus perfectius cognoscit causam per effectum perfectiorem, et rem repræsentatam per perfectiorem imaginem, ut est evidens : Sed angelus cognoscens Deum per propriam substantiam, cognoscit illum, ut effectum per causam, et ut rem repræsentatam per imaginem, ex dictis : aliunde vero ipse est perfectior imago Dei, quam res pure materiales, quæ non sunt imago proprie, sed potius vestigium Dei, ut alias ex D. Thom., *1 p., q.* 93, *art.* 3 *et* 6, ostendemus : Ergo sicut perfectius cognoscitur res per unam imaginem, quam per plura vestigia, perfectius cognoscet Deum angelus per suam substantiam, quam per res pure materiales.

Sequitur 870. Angelum perfectius cognoscere Deum per suam substantiam, quam per animam nostram, vel per angelum inferiorem.

870. — Ibidem. a. 3.

Probatur sequela. Per perfectionem imaginem perfectius cognoscitur res repræsentata, sicut et per perfectiorem effectum perfectius cognoscitur causa, supposita æqualitate luminis cognoscentis : Atqui angelus superior est perfectior imago Dei quam sit ipsa anima nostra vel angelus inferior : cum perfectio imaginis consistat in participatione majori vel minori perfectionis divinæ, quam certum est angelum superiorem magis participare : unde est etiam perfectior effectus : Ergo angelus per eumdem intellectum cognoscens seipsum, et animam nostram, et angelos inferiores, perfectius per seipsum cognoscet Deum, quam per animam nostram vel per angelos inferiores.

Sequitur 871. Angelum inferiorem perfectius ex parte rei cognitæ cognoscere Deum per speciem angeli superioris, quam per propriam substantiam : quamvis secundum quid et ex parte modi cognoscendi perfectius eum cognoscat per propriam substantiam, quam per speciem angeli superioris.

871. — Ibidem. ad 2, et 3.

Probatur sequela. Per effectum et imaginem perfectiorem perfectius cognoscitur causa et res repræsentata, ut diximus : Atqui angelus superior est effectus et imago Dei perfectior, quam sit angelus inferior : Ergo angelus inferior perfectius cognoscet Deum per speciem angeli superioris, quam per propriam substantiam ex parte rei cognitæ ; quia tamen angelus inferior comprehendit seipsum, et, ut diximus, non comprehendit superiorem, idcirco ex parte modi cognoscendi, perfectius cognoscit Deum per seipsum, quam per speciem angeli superioris.

Sequitur 872. Angelum perfectius cognoscere Deum per species omnium inferiorum simul, quam per speciem angeli superioris, vel per propriam substantiam.

872. — 1. p. q. 60. a. 2 ; 2. 2. q. 76. a. 2.

Probatur sequela. Imago et effectus perfectior, perfectius repræsentat :

Sed species illius mirabilis ordinis, qui est in rebus creatis, est perfectior imago et perfectior effectus, quam sit angelus unus superior seorsim sumptus; sicut enim ordo universi est ita perfectus, ut suppositis istis rebus non possit esse melior, ut ait D. Thomas ita ordo ille præponderat cuilibet rei in particulari, et magis manifestat perfectionem Dei.

Sequitur 873. Angelum non cognoscere de Deo per supradictas cognitiones, nisi solum, quod sit, et quoad attributa necessaria, et quod habeat decreta, de illis omnibus, quæ videt esse creata.

873. — 1. p. q. 56. a. 3.

Probatur sequela. In tantum Angeli cognoscunt Deum per hujusmodi cognitiones, in quantum ex effectibus ipsa causa cognoscitur, ut patet ex dictis : Sed ex effectibus illis non cognoscitur Deus ut causa, nisi quantum ad *an est*, et quoad aliquas perfectiones sive attributa necessaria, et quoad decreta de illis effectibus creandis : Ergo, etc. Quare angelus non cognoscit alia Dei decreta libera per hanc cognitionem.

Sequitur 874. Angelum posse intelligere res materiales.

874. — 1. p. q. 56. a. 1.

Probatur sequela. Substantia immaterialis continens res materiales modo immateriali, potest illas intelligere, quia, ut diximus, immaterialitas est radix intellectualitatis et intelligibilitatis : Atqui angelus est substantia immaterialis continens res materiales modo immateriali, quia habet species earum, ut ostensum est : Ergo angelus potest intelligere res materiales.

Sequitur 875. Angelum posse cognoscere singularia.

875. — Ibidem a. 2.

Probatur sequela. Qui potest cognoscere res materiales potest cognoscere singularia, quia cognoscendo præsertim comprehensive materiam cognoscit illam esse principium individuationis, et sic cognoscit singularitatem, atque adeo potest cognoscere singularia : Sed, ex dictis, angelus potest cognoscere res materiales. Ergo, etc.

Sequitur 876. Angelum de facto cognoscere singularia.

876. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui habet intellectum et species repræsentantes singularia, cognoscit illa : Sed, ut diximus, angelus habet intellectum, et, ut est pars hujus universi, habet species singularia repræsentantes : Ergo, etc.

Sequitur 877. Angelum cognoscere singularia per species universales in repræsentando.

877. — 1. p. q. 55. a. 3.

Probatur sequela ex dictis supra. Quæcumque angelus cognoscit, ea cognoscit per species universales : Atqui cognoscit singularia : Ergo illa cognoscit per species universales.

Sequitur 878. Has species universales repræsentare singularia.

878. — Ibidem.

Probatur sequela. Nulla res cognosci potest sine specie aliquo modo repræsentante ipsam, ex dictis supra : Sed singularia cognoscuntur ab angelo per species universales : Ergo hæ species universales repræsentant singularia.

Sequitur 879. Has species repræsentare primario naturam specificam vel genericam, et secundario individua.

879. — Ibidem.

Probatur sequela. Individua sunt plura ut plura, nisi quatenus conveniunt in natura specifica, vel generica ; quia ut sic sunt aliquo modo unum ratione convenientiæ, quam habent in illa natura : Sed ex dictis supra, nulla species potest primario

repræsentare plura ut plura : Ergo nulla species potest primario repræsentare individua, nisi ut conveniunt in natura : Hoc autem est repræsentare primario naturam, et secundario individua, nihil enim aliud intelligimus, quando dicimus repræsentare primario et secundario; non enim volumus, quod hujusmodi species non repræsentent, nisi naturam communem, et non singularia, quasi singularia per illam speciem cognoscantur per discursum saltem virtualem, sed volumus quod ipsa singularia de facto repræsententur, non tamen primario et per se : Atque ut exemplo sensibili id explicetur, adverte, quod sicut, si in tabella esset exacte depicta civitas, etiam secundario essent depicti vici, plateæ, domus, etc., ita in speciebus angelicis primario repræsentatur natura specifica, et secundario repræsentantur singularia.

Sequitur 880. Per eamdem speciem, per quam in angelis primario repræsentatur natura, repræsentari etiam non solum proprietates, subsistentiam, existentiam, sed etiam omnia accidentia, et ipsam durationem.

Probatur sequela. Per eamdem speciem, per quam primario repræsentatur natura, repræsentantur etiam singularia, ex dictis : Sed non possunt repræsentari singularia, nisi repræsententur accidentiæ, quia per hæc accidentia fiunt singularia, maxime cum per hujusmodi species debeant ita repræsentari singularia, ut ex vi illius repræsentationis angelus ea comprehendat, quod fieri nequit, nisi omnia omnino accidentia naturalia repræsententur : Ergo illa omnia debent per eamdem speciem repræsentari.

Sequitur 881. Ista omnia repræsentari etiam *ut quod* et non tantum ut conditiones, sive quibus alia non repræsentarentur.

Probatur sequela. Quæ cognoscuntur *ut quod* etiam repræsentantur *ut quod;* eodem enim modo repræsentantur, quo cognoscuntur : Sed ista omnia cognoscuntur *ut quod* ab angelo : Ergo etiam repræsentantur *ut quod* per speciem angelicam. Quod ut intelligas adverte differentiam, quæ est inter sensibilia communia percepta a sensibus externis, et hujusmodi accidentia cognita ab ipsis angelis ; nam duratio, v. g. et quantitas albedinis in subjecto percipitur a visu non ut res visa et objectum visum, sed ut modus et conditio rei visæ et objecti : unde duratio illa et quantitas separata ab albedine, non perciperetur a visu, eo quod non est objectum illius, at vero duratio alicujus singularis, v. g., Petri, cognoscitur ab angelo non solum ut modus et conditio Petri, sed etiam ut res cognita ; quia duratio illa, cum non solum ut conditio, sed etiam secundum se sit ens, atque adeo intelligibilis, potest esse objectum *ut quod* cognitum ab intellectu.

Sequitur 882. Non esse necessarium, quod angelus cognoscendo naturam, v. g. specificam, cognoscat omnia ejus individua.

882. — Quæst. 8. De verit. a. 13. ad 2.

Probatur sequela. Cognito objecto, quod primario repræsentatur per speciem, non est necessarium quod cognoscantur omnia secundaria : Sed natura specifica vel generica est objectum primario repræsentatum per speciem angelicam, individua vero sunt tantum objectum secundario repræsentatum : Ergo non est necessarium, quod angelus cognoscendo naturam, v. g. specificam, cognoscat omnia individua.

Sequitur 883. Posse angelum cognoscere naturam non cognitis aliquibus individuis.

883. — Ibidem.

Probatur sequela. Oppositum ejus, quod non est necessarium, est possibile : Sed non est necessarium, quod

angelus cognoscendo naturam cognoscat omnia individua : Ergo possibile est, quod cognoscat naturam non cognitis quibusdam individuis.

Sequitur 884. Speciem angelicam non repræsentare formaliter individua ut actu existentia in aliqua temporis differentia, nisi, quando actu existunt.

884. — Ex 1. p. q. 57. a. 2.

Probatur sequela. Quod tantum secundario repræsentatur, non repræsentatur ut actu existens in aliqua differentia, nisi quando actu existit : Sed individua secundario repræsentantur per speciem angelicam : Ergo non repræsentantur, nisi quando actu existunt. *Minor patet* ex dictis : *Major probatur :* Quia quod repræsentatur secundario non repræsentatur, nisi quando habet convenientiam et unitatem cum eo, quod est primario repræsentatum, ratione cujus convenientiæ actu consurgit relatio inter ipsa : Sed hæc convenientia et unitas non convenit repræsentatis secundario, nisi quando actu existunt ; tunc enim solum habent convenientiam actu, prius vero habebant tantum convenientiam possibilem, ut constat : Ergo secundario repræsentata non rerpæsentantur ut actu existentia, nisi quando habent actu existentiam et convenientiam.

Sequitur 885. Angelum non cognoscere individua ut actu existentia in certa differentia temporis, nisi quando existunt.

885. — D. Thom. 1. p. q. 57. a. 2.

Probatur sequela. Individua non habent actu convenientiam cum natura, nisi quando actu existunt : Sed non cognoscuntur ab angelo ut actu existentia, nisi quando habent actu convenientiam ; tunc enim solum hoc modo repræsentantur : Ergo non cognoscuntur ut actu existentia in aliqua duratione, nisi quando de facto existunt.

Adverte igitur speciem angelicam repræsentare quidem individua alicujus naturæ, imo et ipsam existentiam, durationem, etc., sed hæc omnia repræsentat ut possibilia ex vi causarum in universo existentium ; at vero in actu exercito non repræsentat existentia illa, nisi quando actu existunt.

Sequitur 886. Angelum non posse cognoscere præterita ut præterita, nisi cognoverit illa, quando erant præsentia, vel nisi reliquerint aliquod sui vestigium, quod sit præsens.

886. — Ibid. a. 3. ad 3.

Probatur sequela. Species angelica non repræsentat singularia ut in certa et determinata differentia temporis existentia, nisi quando de facto existunt, ut diximus : Atqui præterita, quæ non cognovit, quando erant præsentia, eodem modo se habent respectu ejus, ac si nunquam extitissent, nisi reliquerint aliquod sui vestigium : Ergo præterita illa non repræsentantur per speciem angeli, nisi ea repræsentaverit et angelus ea de facto cognoverit, quando erant præsentia, vel reliquerunt aliquod sui vestigium, in quo cognoscantur,

Sequitur 887. Angelum non cognoscere præterita etiam, quæ cognovit præsentia, per speciem suæ cognitionis ut præteritæ.

887. — Ibid. et q. 55 a. 2.

Probatur sequela. Per speciem, quæ non est in angelo, non potest angelus cognoscere aliquod objectum, ut patet : Sed in angelo non est species suæ cognitionis ut præteritæ : Ergo, etc. *Minor patet,* ex dictis supra : Primo, quia angelus non cognoscit per species a rebus acceptas : Sed illa species quæ repræsentaret cognitionem ut præteritam, esset accepta vel potius relicta ex cognitione præcedente, ut constat : Ergo, etc. Deinde angelus per propriam substantiam tanquam per speciem cognoscit se et omnia sua, ut diximus supra ; sed non potest

per propriam substantiam cognoscere suam cognitionem ut præteritam præcise, nisi aliquid aliud addatur : Ergo, etc. Denique cognitio angeli non potest relinquere speciem, quæ ipsam cognitionem repræsentet ut præteritam : quia cognitio præsens non potest in specie causare repræsentationem modi præteritionis, quod esset plane necessarium : et ratio est, quia causa omnis debet suum effectum continere : sed cognitio præsens non continet ullo modo modum præteritionis : Ergo, etc.

Sequitur 888. Angelum cognoscere præterita, quatenus ex vi determinationis, qua ipsa species angelica, per quam facta est illa cognitio, mansit determinata ad repræsentationem in actu exercito illius rei cognitæ per hujusmodi cognitionem.

888. — Ibidem.

Explicatur. Species, per quam fit cognitio actualis, eo ipso quod est principium hujusmodi cognitionis, habet actualem convenientiam cum objecto cognito, quam actualem convenientiam non habebat antequam illud objectum actu per hujusmodi speciem cognosceretur. Et per hujusmodi actualem convenientiam manet species determinata, ut repræsentet illud objectum ut existens in actu exercito in tali duratione : Angelus ergo per hujusmodi speciem sic determinatam, cognoscit illud objectum etiam ut præteritum, quia videt hujusmodi speciem suam esse determinatam ex vi præcedentis cognitionis ad specialem illam convenientiam, cum illa re.

Probatur sequela. Angelus non potest cognoscere aliquod objectum sine aliqua specie, ut patet ex dictis : Sed nullam aliam speciem habet, qua possit repræsentare rem præteritam, nisi illam eamdem, per quam repræsentata est præsens ; alias darentur in quolibet angelo infinitæ species rerum præteritarum, contra id quod diximus, quod quo sunt perfectiores, eo per pauciores species cognoscunt : Ergo angelus non potest cognoscere rem præteritam, nisi per speciem, per quam cognovit præsentem : hoc autem supposito debet necessario dici, quod cognoscit rem præteritam per speciem determinatam modo explicato : Ergo, etc.

Sequitur 889. Angelum non posse cognoscere futura, quæ vere ac proprie sunt contingentia.

889. — 1. 1. q. 57. a. 3.

Probatur sequela ex dictis. Angelus non cognoscit, nec species angelica repræsentat objectum ut in aliqua certa duratione in actu exercito existens, nisi ratione actualis convenientiæ, quæ est inter speciem et objectum repræsentatum : Atqui respectu illorum, quæ sunt vere ac proprie contingentia futura species angelica non habet nec habuit actualem illam convenientiam : Ergo angelus non potest illa cognoscere. *Minor probatur,* quia actualis illa convenientia inter speciem et objectum supponit, quod objectum vel sit in seipso, vel in sua causa determinata : Sed objectum vere ac proprie contingens et futurum nec est in seipso, nec in sua causa determinata, Ergo illud non habet actualem illam convenientiam. *Minor probatur :* Quod est vere ac proprie contingens, quamdiu consideratur ut futurum, consideratur in causa indeterminata, in qua non potest certo cognosci : quatenus vero est in seipso, non consideratur nec cognoscitur ut futurum : quia res ut est in seipsa non est futura sed existens : ut alias ostendemus : Ergo objectum vere ac proprie contingens, quamdiu est futurum nec est in se, nec in sua causa determinata. De hoc in secundo principio.

Sequitur 890. Angelum posse cognoscere cogitationes cordium, id est, actus liberos ut possibiles.

890. — D. Thom. 1. p. q. 57. a. 4.

Explicatur. Dupliciter possunt cog-

nosci actus liberi interni, *primo* quidem ut possibiles, et hoc modo non est dubium, quin quilibet angelus possit cognoscere omnes actus liberos saltem animæ et angelorum inferiorum, imo et superiorum aliquo modo. *Secundo* possunt cognosci actus liberi, ut actu existentes, et quatenus hic et nunc in actu exercito eliciuntur ab agente libero : et hoc modo dupliciter cognosci possunt ; *primo* per aliquos effectus, puta, quia videtur opus externum correspondens actui interno libero, v. g. audio Petrum ratiocinantem, cognosco illum habere actum, quo vult ratiocinari, et sic de aliis ; *secundo* possunt cognosci actus liberi ut in actu exercito eliciuntur per causam, quia video ipsam causam ut actu elicit illos. In hac ergo sequela solum loquimur de actibus liberis, ut sunt possibiles.

Probatur ergo sequela. Qui comprehendit, vel cognoscit perfecte, quid causa potest, cognoscit effectus ut possibiles : Sed angelus comprehendit voluntatem hominis, et angelorum inferiorum, ut patet ex dictis, quia diximus, quod comprehendit omnia inferiora sibi : cognoscit etiam angelus inferior, quos actus liberos possit elicere superior, ipsa sua experientia, quia videt se illos posse elicere : Ergo angelus potest cognoscere actus liberos ut possibiles.

Sequitur 891. Angelum posse cognoscere cogitationes cordis per effectus et signa externa quæ videt.

891. — Ibidem.

Probatur sequela. Angelus habet intellectum et species, quæ repræsentant tum actus liberos internos ut possibiles, tum etiam effectus et signa, ut actu existunt, et connexionem, quæ est inter hujusmodi effectus et signa et ipsos actus internos liberos, ut patet ex dictis : Atqui hoc sufficit, ut possint cognosci actus interni liberi : unde ipsi homines etiam mediantibus his signis eos aliquando cognoscunt : Ergo angelus potest etiam illos cognoscere.

Adverte autem esse differentiam inter homines et angelos : quod homines, qui accipiunt cognitionem a sensibus, non cognoscunt nisi signa omnino externa, puta nutus oculorum, opera manuum, etc. Angeli vero cognoscunt clare ac distincte illa, quæ sunt in phantasia et sensibus internis, et ideo possunt ex istis aliquo modo cognoscere actus liberos internos, et multo perspicacius quam homines.

Sequitur 892. Nullum angelum posse naturaliter cognoscere cogitationes cordium, quatenus hic et nunc eliciuntur libere a causa libera.

Probatur sequela. Supponendo quod tripliciter potest cognosci actus liber ut exercitus, *primo* per effectum ; *secundo* per causam ; *tertio* per ipsam visionem actus in seipso : Sed primo modo potest angelus cognoscere cogitationes cordis, sive actus liberos, ut diximus ; secundo autem et tertio non potest, tum quia hoc est proprium Dei ex scriptura et Patribus, ut alias dicemus ; tum denique quia ad cognoscendum actum liberum ut exercitum per causam, non sufficit cognoscere voluntatem ut liberam, etiam si cognoscatur comprehensive, sed debet cognosci causa libera ut determinata hic et nunc, et a seipsa, et a Deo tanquam a prima causa ; et hoc etiam requiritur ad hoc, ut actus liber exercitus in seipso videatur : quia ipsa existentia exercita actus liberi, nihil aliud est, quam actualis influxus voluntatis determinatæ : unde non potest cognosci in se, nisi videatur hic actualis influxus : Atqui hunc non potest videre angelus : Ergo, etc. *Minor probatur* Quia, ut alias dicemus, voluntas creata libera determinatur ad actum hic et nunc exercitum saltem quoad individuum a decreto Dei libero et a seipsa : Atqui ex dictis supra angelus non potest cognoscere decreta Dei libera, nisi ea dum-

taxat, quæ natura sua ex effectibus manifesta sunt : Ergo non potest cognoscere determinativum voluntatis liberæ. De hac conclusione plura dicemus in secundo principio.

Sequitur 893. Hanc impotentiam cognoscendi actus liberos non oriri præcise ex ordinatione Dei extrinseca impediente cognitionem angelicam.

893. — Ex eodem loco.

Probatur sequela. Id, cujus assignatur vera et propria atque intrinseca ratio, non oritur ex sola ordinatione Dei extrinseca, ut ex terminis patet : Sed assignatur vera et intrinseca ratio, cur angeli non cognoscant actus liberos, ut patet ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 894. Hanc impotentiam non oriri ex defectu specierum.

Probatur sequela. Qui habet species, quibus de facto cognoscit aliquid ut possibile, non caret specie illud repræsentante absolute : Sed, ex dictis, angelus habet species, quibus cognoscat actus liberos ut possibiles : quia ut supra probavimus species angelicæ repræsentantes essentiam v. g. hominis, cum sint universales, sunt hujusmodi, ut per eas repræsententur omnia accidentia et affectiones ejusdem : Ergo non est ex defectu ipsarum specierum, quod angelus non cognoscat actus liberos.

Sequitur 895. Angelum cognoscere cogitationes cordium, quando illi a Deo, vel a voluntate creata manifestantur.

895. — Ibidem et q. 107. a. 1.

Probatur sequela. Quando manifestatur objectum antea occultum, illud cognoscitur ab habente lumen et species : Sed cogitationes cordium manifestantur a Deo vel ab aliqua voluntate creata ipsi angelo, qui habet, ut dictum est species et lumen : Ergo, etc. *Minor probatur,* quia Deus qui voluntatem determinat potest manifestare suam determinationem et voluntas similiter : Quare cum tota ratio, cur angelus non possit cognoscere actus liberos, sit, quia non potest cognoscere determinationem voluntatis, ut est a Deo, neque ut est ab homine, sequitur plane, quod sublato hoc impedimento cognoscet illos.

Sequitur 896. Angelum, cum cognoscit actus liberos ex manifestatione alterius angeli vel hominis, cognoscere cogitationes cordium sive actus liberos per speciem, hominis vel angeli manifestantis, et per speciem, qua cognoscit seipsum, et etiam aliquo modo per speciem objecti, de quo est ipsa cogitatio.

896. — Ibidem.

Probatur sequela. Per eamdem speciem, per quam angelus cognoscit substantiam alterius angeli vel hominis, cognoscit etiam omnia ejus accidentia et affectiones, propter earum universalitatem : Sed angelus per propriam substantiam cognoscit seipsum et ea quæ ad se spectant ; et per speciem alterius angeli vel hominis cognoscit illius substantiam : Ergo per propriam substantiam cognoscet cogitationes alterius angeli quatenus ad ipsum quodammodo spectant ; et per speciem, per quam cognoscit substantiam angeli vel hominis manifestantis ipsi suos actus, cognoscet illas cogitationes absolute ; et denique per speciem objecti, de quo est cogitatio, cognoscet etiam id, quod de hujusmodi objecto cogitavit angelus vel homo manifestans.

Sequitur 897. Hanc manifestationem cogitationum esse locutionem in angelis.

897. — 1. p. q. 107. a. 1.

Probatur sequela. Manifestatio conceptus est locutio in omnibus loquentibus : Sed manifestatio cogitationis cordis est ipsa manifestatio conceptus, ex dictis : Ergo hæc manife-

statio conceptus est locutio in angelis.

Sequitur 898. Hanc locutionem non fieri per productionem novæ speciei factam ab angelo loquente in intellectu angeli, cui loquitur.

898. — Ibidem.

Probatur sequela. Manifestatio cogitationis non fit per productionem novæ speciei, ut diximus : Sed locutio est manifestatio cogitationis ex dictis : Ergo locutio non fit per productionem novæ speciei in intellectu angeli, cui fit manifestatio sive locutio.

Sequitur 899. Locutionem angelorum non fieri per hoc, quod Deus concurrat cum angelo, cui fit, ad hoc, ut cognoscat cogitationem alterius angeli, quam poterat quidem naturaliter cognoscere, sed de facto non cognoscebat, defectu concursus divini, quam Deus ab eo subtrahebat, ne posset hujusmodi cogitationem cognoscere.

Probatur sequela. Manifestatio cogitationis non fit per hoc, quod Deus det concursum, quem prius non dabat, ut ostendimus : Sed locutio in angelis est manifestatio cogitationis : Ergo locutio non fit per hoc, quod Deus det concursum, quem prius non dabat.

Sequitur 900. Locutionem angelorum non fieri per signa, nutus, caracteres aut alia similia.

900. — Ex eod. loco.

Probatur sequela. Signa, nutus, caracteres, et alia similia non possunt esse nisi in subjectis et mediis materialibus : cum non possint esse nisi materialia, nec possint immediate imprimi in intellectu alterius angeli, cui debet fieri manifestatio, quia, ut postea dicemus, unus angelus non potest operari immediate in intellectu alterius, alias illaberetur intra ipsum : Sed angeli non sunt quid materiale ex dictis : Ergo non possunt recipere vel dare hæc signa nutus, caracteres et similia.

Sequitur 901. Locutionem angelicam non posse fieri per productionem alicujus rei ad extra, factam ab angelo loquente.

901. — Ibidem.

Probatur sequela. Vel enim illa productio fieret ab angelo loquente immediate in angelo audiente, vel per aliquod medium ; non immediate, alias unus angelus loquens illaberetur et fieret præsens intra substantiam, et intellectum angeli audientis, quod postea ostendemus impossibile ; non per aliquod medium, illud enim vel esset substantia spiritualis, et sic esset angelus ; atque adeo angelus loquens esset in angelo audiente, cum sit, ubi operatur, ex dictis supra : neque fieri posset per medium aliquod materiale, quia medium materiale non potest naturaliter deferre aliquid, quod recipiatur in subjecto spirituali, ut constat : Ergo locutio illa fieri nequit per aliquid productum ad extra per angelum loquentem.

Sequitur 902. Locutionem angelorum fieri per solam directionem, qua angelus loquens dirigit cognitionem suam ad angelum, quem vult audire, et vult illam ipsi innotescere.

Probatur sequela. Manifestatio conceptus et cognitionis non potest fieri, nisi per hujusmodi directionem, ex dictis : Sed locutio est manifestatio conceptus sive cognitionis : Ergo locutio non potest fieri, nisi per hujusmodi directionem. *Major patet ex dictis :* Tum quia omnes alii modi, quibus fieri posset, exclusi sunt ; tum etiam, quia manifestatio conceptus debet fieri auferendo impedimentum, quo fiebat idem conceptus occultus : Atqui, ut vidimus, conceptus erat occultus, eo quod determinatio voluntatis non poterat innotescere : hoc autem impedimentum tollitur per hoc,

quod ipsa voluntas dirigendo suum conceptum manifestat suam determinationem.

Sequitur 903. Auditionem angeli, cui alter loquitur fieri per hoc, quod ipse auditurus cognoscens semper actu seipsum per suam propriam substantiam tanquam per speciem, cognoscit in ea aliquo modo quidquid ad ipsum pertinet, ut supra dictum est, et cognoscendo in sua substantia in confuso aliquem Angelum se alloquentem respicit in specie illius angeli cogitationem sibi directam et manifestatam, et simul attendens ad speciem, quæ repræsentat ipsi objectum, de quo est talis cogitatio, perfectissime concipit, quid angelus loquens dicat.

903. — Colligitur ex eodem loco.

Probatur sequela ex dictis : Quia quilibet angelus per propriam substantiam tanquam per speciem cognoscit omnia, quæ ad ipsum spectant, ordinis naturalis : Atqui eo ipso, quod cogitatio alterius angeli ad ipsam dirigitur, illa cogitatio aliquatenus spectat ad ipsum : Ergo aliquo modo cognoscit ipsam : cum, ut dicemus, semper sit attentus sibi et semper se actu cognoscat. Ubi vero percepit alterum angelum dirigere ad se cogitationem, advertit et videt in specie, per quam novit angelum loquentem, illam cogitationem ad se directam, quam prius cognoscebat tantum ut possibilem, videt illam, inquam, ut actu existentem, idque fit ex vi manifestationis, ut jam dictum est : Ergo, etc.

Sequitur 904. Angelum inferiorem posse alloqui superiorem.

904. — 1. p. q. 107. a. 2.

Probatur sequela. Angelus inferior potest manifestare suam cogitationem superiori, cum illi sit occulta, et alter sit liber in ea manifestanda : Atqui hoc est loqui, ex dictis : Ergo inferior potest alloqui superiorem.

Sequitur 905. Angelum posse alloqui Deum non quidem manifestando rem, quæ occulta ipsi esset, sed aliquo modo ad eum eam dirigendo.

905. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Quia hoc quidem reperitur in locutione angelorum inter se, quod cogitatio loquentis prius erat occulta : sed hoc non requiritur per se ad locutionem ; sufficit enim, ut diximus, directio : Atqui potest angelus dirigere suam cogitationem ad Deum, ut aliquid ab eo recipiat, vel eum consulat, etc. Ergo potest alloqui Deum.

Sequitur 906. Locutionem angelorum non impediri per locorum distantiam.

906. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Res omnino independens a loco, et tempore non impeditur per locorum distantiam, ut ex terminis constat : Sed directio cogitationis unius angeli ad alium, in qua consistit locutio, ex dictis, est omnino independens a loco et a tempore nostro, cum sit quid pure spirituale : Ergo locutio non impeditur per locorum distantiam.

Sequitur 907. Non omnes angelos percipere locutionem duorum inter se, nisi ipsi velint.

907. — Ibid. a. 5.

Probatur sequela. Cogitatio et directio cogitationis unius ad alium, et ipsa auditio sunt actus liberi : Sed alii angeli non percipiunt actus liberos duorum angelorum, nisi ipsi velint, ex dictis : Ergo alii angeli non percipiunt cogitationem et directionem cogitationis unius ad alium.

Sequitur 908. Dari posse in angelis illuminationem.

908. — 1. p. q. 106. a. 6.

Probatur sequela. Manifestatio veritatis ignotæ est illuminatio : Atqui datur in angelis manifestatio veritatis

ignotæ, ut patet ex dictis : Ergo datur in illis illuminatio.

Sequitur 909. Illuminationem esse quidem locutionem, sed addere aliquid.

909. — Ibidem.

Probatur sequela. Manifestatio veritatis ignotæ addit aliquid supra locutionem : Sed illuminatio est manifestatio veritatis ignotæ : Ergo, etc. *Major probatur et declaratur :* Manifestatio veritatis ignotæ dupliciter potest fieri; *primo,* quando fit de veritate ignota veluti per accidens; *secundo* per se : Per accidens fit, quando veritas illa, quæ manifestatur quantum est de se, est proportionata intellectui cui manifestatur, sed aliunde illi est occulta, eo quod non spectat ad ipsum eam cognoscere, et hoc modo locutio est manifestatio veritatis ignotæ; nam angelus, cui alter loquitur habet intellectum quantum est de se proportionatum ad intelligendam et cognoscendam cogitationem alterius, et de facto intelligit objectum cogitationis, si manifestatio illa sit tantum locutio : At vero in illuminatione requiritur per se, quod nedum manifestetur cogitatio alterius, sed manifestetur objectum illius cogitationis ignotum et improportionatum intellectui ejus, cui manifestatur. Hinc ergo *patet major :* Quia simplex locutio est tantum manifestatio cogitationis, illuminatio est manifestatio cogitationis de objecto improportionato et incognito.

Sequitur 910. Per illuminationem duo quædam munia, et officia præstare angelum illuminantem ipsi angelo illuminato; primo quidem confortat intellectum ejus; secundo distinguit et veluti particularisat objectum, ut fiat proportionatum capacitati angeli inferioris.

910. — Ibidem.

Explicatur : Hæc duo : confortare intellectum angeli et distinguere, atque aptare objectum capacitati intellectus illius, non sunt duo realiter distincta, sed sunt unum et idem realiter, cum per unam et eamdem realiter actionem sive illuminationem fiant : imo ex secundo oritur primum aliquo modo; ex eo enim, quod objectum distinguatur et proportionetur, fit, quod ipse intellectus sit capax attingendi illud : Sed, quia ad hoc, ut intellectui proportionetur debet necessario ille, qui aptat, respicere capacitatem illius cui aptat, et dirigere suam coaptationem juxta capacitatem intellectus illius, cui veritas coaptatur, idcirco D. Thomas hanc directionem primo loco posuit, illamque vocavit conversionem unius angeli ad alium, et dixit per illam confortari intellectum alterius angeli.

Advertendum autem et recolendum, quod diximus supra, nimirum, angelos, quo superiores, eo per species universaliores intelligere, et consequenter etiam intelligere veritatem magis in universali, quam intelligat inferior : illa ergo veritas, quam superior attingit in universaliori ratione ut sic, non est proportionata captui et capacitati alterius angeli, qui non attingit sub ratione ita universali : Superior ergo angelus, qui, ut diximus supra, potest uti specie sua universaliori, vel adæquate secundum totam suam universalitatem, vel inadæquate non secundum totam universalitatem, quando vult illuminare alium, utitur sua specie inadæquate, intelligendo per illam speciem veluti partem illius objecti, deinde aliam et aliam : idque juxta capacitatem et captum illius, cui vult totam illam veritatem manifestare : dirigit igitur singulas illas cogitationes ad alterum juxta capacitatem ejus, et sic intellectus alterius fit capax percipiendi illam totam veritatem per partes, quam non poterat totam simul capere : unde intellectus illius quodammodo confortatur, et objectum distinguitur et proportionatur ipsi.

Ex his ergo, quorum omnia fere superius sunt probata *probatur sequela.*

Veritatem in universali cognitam dividi, et veluti proponi per partes proportionatas captui alterius, est intellectum confortari et objectum proportionari et dividi : Atqui in illuminatione veritas in universali cognita sic dividitur : Ergo in illuminatione intellectus illuminati confortatur, et objectum dividitur.

Sequitur 911. Illuminationem non fieri per productionem realem alicujus rei, vel entitatis realis ab angelo illuminante in intellectu angeli illuminati.

911. — Ibidem.

Probatur . sequela. Illuminatio fit per divisionem veritatis in universali cognitæ et directionem cognitionum, quibus illa veritas tota cognoscitur, ex dictis : Sed ad neutrum horum requiritur productio physica et realis alicujus entitatis facta ab angelo illuminante in intellectu angeli illuminati : Ergo hæc productio non requiritur ad illuminationem. *Minoris prima pars patet :* Nam ut angelus illuminans dividat veritatem universalem in plures partiales non est necessarium, quod producat aliquid physicum in intellectu angeli illuminati, cum possit facere hujusmodi divisionem in se ipso solo, ut patet ex dictis supra, non utendo sua specie universali secundum totam universalitatem adæquate. *Secunda vero pars minoris probatur :* Quia, ut diximus, ad directionem et locutionem non requiritur productio alicujus entitatis realis in intellectu angeli, ad quem dirigitur locutio : Ergo ad neutram harum operationum requiritur illa productio, nec consequenter ad illuminationem.

Sequitur 912. Illuminationem in angelis fieri posse de his, quæ pertinent ad ordinem naturæ, gratiæ, et gloriæ.

912. — 1. p. q. 106. a. 1. ad 2.

Probatur sequela. De illis omnibus potest fieri illuminatio, quæ angelus illuminans cognoscit in universali, et quæ sunt ignota alteri, possuntque ad illum dirigi et cognosci, ut patet ex dictis : Atqui hæc possunt esse in ordine naturæ gratiæ, et gloriæ : sunt enim multa futura contingentia, quæ Deus revelat superiori angelo in universali, tam in ordine naturæ, quam in ordine gratiæ, et gloriæ, quæ sunt ignota inferiori angelo, quæ tamen possunt ad illum dirigi, et ab illo cognosci : Ergo, etc.

Sequitur 913. Angelum inferiorem non posse illuminare superiorem.

913. — Ibid. q. 3.

Probatur sequela. Ille, qui illuminat, debet cognoscere veritatem magis in universali, quam cognoscat illuminatus, ut patet ex dictis : Sed, ut supra ostendimus, angelus inferior non intelligit veritatem magis in universali, quam superior, imo potius e contra : Ergo, etc.

Sequitur 914. Angelos superiores de facto illuminare inferiores.

914. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Quo aliquis magis participat bonitatem Dei, eo magis illam diffundit, quia bonum est diffusivum sui, ut patet ex dictis, cum sit perfectivum : Sed angeli superiores magis participant bonitatem Dei : Ergo magis illam diffundunt : hæc autem diffusio maxime fit per communicationem veritatis cognitæ, ut est evidens : Ergo, etc. Ex his habes in dæmonibus non posse esse illuminationem, bene tamen locutionem, quia non manifestat veritatem in ordine ad Deum.

Sequitur 915. Angelos non posse naturaliter cognoscere mysteria gratiæ, quæ sunt supernaturalia quoad substantiam.

915. — 1. p. q. 57. a. 5.

Explicatur : Opera dupliciter possunt esse supernaturalia ; *primo* quoad substantiam, qualia sunt ipsa gratia justificans et gloria, ut dicemus in sequenti principio ; *secundo* possunt

opera esse supernaturalia quoad modum, sicut visus restitutus cæco nato : hic enim fuit opus naturale, nimirum potentia visiva, quæ entitative est naturalis ; sed modus ipse, quo restituta est, fuit supernaturalis : Hoc ergo supposito.

Probatur sequela. Objectum debet esse proportionatum potentiæ etiam intellectivæ, ut possit ab ea attingi, ut diximus supra : Sed objectum supernaturale non est proportionatum potentiæ soli naturali, qualis est intellectus angelicus naturaliter consideratus : Ergo objectum supernaturale non poterit ab intellectu angelico attingi.

Sequitur 916. Quemlibet angelum semper actu cognoscere.

916. — Quæst. 8. de verit. a. 6. ad 7.

Probatur sequela. Ex dictis supra : Omne vivens semper est in aliquo actu naturali vitæ, ut patet inductione et experientia, nam semper vegetativa nutriuntur, et semper animalia habent motum cordis : Sed quilibet angelus est vivens, et perfectius vivens, quam viventia materialia : Ergo est semper in aliquo actu vitæ intellectivæ, quæ sola ei competit.

Sequitur 917. Quemlibet angelum semper actu cognoscere seipsum.

917. — In 2. dist. 11. q. 1. a. 3. ad 4.

Probatur sequela. Operatio maxime connaturalis vitæ debet esse circa objectum maxime connaturale et proportionatum : Sed cognitio, quam semper habet angelus est operatio maxime connaturalis vitæ intellectivæ : Ergo debet esse circa objectum maxime connaturale et proportionatum, quod, ut diximus, est ipsamet substantia angeli.

Sequitur 918. Quemlibet angelum etiam semper cognoscere Deum.

918. — 1. Contr. Gent. a. 76.

Probatur sequela. Qui semper cognoscit effectum ut effectum, semper aliquo modo cognoscit causam : Sed angelus semper cognoscendo seipsum comprehensive, cognoscit se semper tanquam effectum Dei, ut supra ostensum est : Ergo semper etiam cognoscit Deum ut causam.

Sequitur 919. Angelum nunquam esse in nuda potentia.

919. — 1. p. q. 58. a. 1.

Probatur sequela. Qui aliquando est in nuda potentia, habet potentiam sine ullo actu : Sed angelus nunquam habet potentiam sine ullo actu, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 920. Angelum nunquam esse in nuda potentia etiam respectu aliorum objectorum a se, et a Deo.

920. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui est in nuda potentia ad cognoscendum non habet semper species, quia species sunt actus aliquis in ordine ad cognoscendum, ut patet ex dictis : Sed, ut supra ostendimus, angelus habet species innatas a principio suæ creationis : Ergo non est in nuda potentia.

Sequitur 921. Angelum simul plura intelligere.

921. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Qui semper se et Deum cognoscit, et quandoque etiam alia, plura intelligit : Sed, ex dictis, angelus semper se et Deum, et quandoque alia cognoscit : Ergo plura intelligit.

Sequitur 922. Angelum etiam simul intelligere plura alia.

922. — Ibidem.

Probatur sequela. Angelus potest intelligere simul omnia per unam speciem repræsentata : Sed illa sunt plura, quia, ut diximus, angelus intelligit per species universales : Ergo, etc.

Sequitur 923. Angelos non intelligere discurrendo.

923. — Ibidem. a. 3.

Probatur sequela. Qui perfecte in-

telligunt, non intelligunt discurrendo : Sed angeli, utpote omnino immateriales, perfecte intelligunt : Ergo non intelligunt discurrendo. *Major patet,* quia qui perfecte intelligunt, in causis vident effectus, et in effectibus causas, et conclusiones in principiis : Ergo non indigent discursu, ut prius noscant causas, et deinde effectus.

Sequitur 924. Angelos non intelligere componendo et dividendo.

924. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Qui perfecte intelligit, non intelligit componendo et dividendo : quia in quidditate cujuslibet objecti ob perfectionem luminis intellectualis penetrat omnia, quæ possunt illi attribui, vel ab eo removeri : Sed angelus perfecte intelligit, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 925. Angelum non posse plura per eamdem speciem repræsentata pluribus actibus simul intelligere.

925. — 1. p. q. 58. a. 2.

Probatur sequela. Ex dictis supra : Duo accidentia solo numero distincta non possunt simul et semel esse in eodem subjecto : Sed illi actus essent solo numero distincti : si enim v. g. per speciem naturæ humanæ intelligeret unum individuum, puta Petrum, et per eamdem diverso actu intelligeret etiam simul et semel Paulum, illæ duæ cognitiones non essent nisi solo numero distinctæ : Ergo, etc.

Sequitur 926. Angelum posse plura et pluribus actibus intelligere per species ad invicem subordinatas.

926. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia in hoc casu cessat inconveniens, quod plura accidentia solo numero distincta sint in eodem subjecto : et aliunde angelus beatus non posset habere ullam cognitionem naturalem, et quando seipsum intelligeret non posset alia a se intelligere, vel deberet cessare a propria cognitione : quæ omnia sunt falsa, ut patet ex dictis.

Sequitur 927. In intellectu angeli per se non posse esse falsitatem.

927. — Ibid. a. 5.

Probatur sequela. In intellectu apprehendente simpliciter naturam rei non potest esse falsitas : Sed angeli per se loquendo semper intelligunt, sicut intellectus apprehendens naturam rei, quia non intelligunt componendo, dividendo, aut discurrendo, ex dictis : Ergo, etc. *Major explicatur et probatur :* Falsitas consistit in hoc, quod res concipiatur alio modo, quam sit : Sed per intellectum, qui de omnibus judicat per modum simplicis apprehensionis, non potest per se apprehendi res alio modo, quam sit : Ergo, etc. *Minor probatur :* Intellectus apprehendens rem aliquam v. g. subjectum et simul videns in eo omnia prædicata, quæ illi conveniunt, vel apprehendit subjectum vel non : si non apprehendit, non cognoscit subjectum ; si illud apprehendit, et non potest illud apprehendere, nisi videndo omnia prædicata, quæ illi vere conveniunt, non potest attribuere illi subjecto aliquod prædicatum vere illi non conveniens, v. g. qui apprehendit hominem et ita apprehendit, ut videat omnia, quæ illi vere conveniunt, ex vi illius apprehensionis per se nunquam potest decipi.

Sequitur 928. Per accidens posse reperiri falsitatem in intellectu angeli mali respectu eorum, quæ supernaturaliter convenire possunt rei.

928. — 1. p. q. 58. a. 5.

Probatur sequela. Entitas rei naturalis non potest esse principium apprehendendi vel judicandi de re aliqua quantum ad ea, quæ ipsi supernaturaliter convenire possunt : Sed angeli mali judicant de entitate rei naturali, et in hoc nunquam decipiuntur : Ergo si ulterius velint judicare de iis, quæ convenire possunt supernaturaliter,

propter voluntatem perversam, possunt decipi et decipiuntur : et ita dæmones videntes hominem mortuum, si judicent non resurrecturum, falluntur, ut patet.

Sequitur 929. In angelis dari voluntatem.

929. — 1. p. q. 59. a. 1.

Probatur sequela. Ad cognitionem boni universalis, sive rationis boni in communi sequitur inclinatio in idem bonum, ut supra ostendimus : Sed angeli cognoscunt rationem boni in communi : Ergo ad hanc cognitionem sequitur inclinatio in idem bonum, quæ inclinatio est voluntas. *Minor patet :* Quia cognoscunt omnia naturalia, et Deum, etc., ut dictum est.

Sequitur 930. In angelis voluntatem distingui ab intellectu.

930. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. In omni re cognoscente creata inclinatio differt a principio cognoscitivo, ut patet ex dictis supra : Sed angeli sunt res cognoscentes creatæ, ex dictis : Ergo in illis voluntas differt ab intellectu.

Sequitur 931. In angelis esse liberum arbitrium.

931. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Ubi est intellectus cognoscens universalem rationem boni, ibi est liberum arbitrium, ex dictis supra de homine : Sed in angelis est intellectus cognoscens rationem universalem boni, ut ostensum est : Ergo in angelis est liberum arbitrium.

Sequitur 932. In angelis non distingui appetitum concupiscibilem et irascibilem.

932. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Ubi est tantum appetitus intellectivus, non distinguitur irascibilis et concupiscibilis, ex dictis, de anima rationali : Sed in angelis, cum sint immateriales, est tantum appetitus intellectivus, sicut est sola cognitio intellectiva, ex dictis : Ergo in angelis non distinguitur concupiscibilis et irascibilis.

Sequitur 933. In voluntate angelorum dari amorem naturalem.

933. — 1. p. q. 60. a. 1.

Probatur sequela. In omni re naturali invenitur inclinatio naturalis juxta modum naturæ : unde in re naturali cognoscente per sensum invenitur etiam inclinatio naturalis consequens ad cognitionem sensitivam : Atqui angeli sunt res naturales cognoscentes per intellectum : Ergo in illorum voluntate dabitur inclinatio et amor naturalis.

Sequitur 934. In angelis dari dilectionem electivam.

934. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Ubi est liberum arbitrium, est dilectio electiva, quia, ut diximus, liberum arbitrium est vis electiva : Sed in angelis est liberum arbitrium, ex dictis ; Ergo, etc.

Sequitur 935. Angelum diligere seipsum dilectione naturali et electiva.

935. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Velle bonum alicui est ipsum diligere, ut patet : Sed angeli volunt sibi bonum dilectione naturali et electiva, ut satis constat ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 936. Angelum diligere alium naturali dilectione, sicut seipsum, non ita ut ly *sicut* dicat æqualitatem, sed proportionem.

936. — 1. p. q. 60. a. 4.

Probatur sequela. Qui seipsum diligit, diligit naturali dilectione ea, quæ sunt sibi aliquo modo unum : Atqui angelus seipsum diligit, et alius angelus est aliquo modo unum cum illo, quia sunt ejusdem naturæ intellectualis : Ergo, etc. Quia tamen ipsemet angelus est magis sibi unum, quam alter, idcirco se magis diligit

Sequitur 937. Angelum naturali dilectione diligere eDeumplus quam seipsum.

937. — Ibid. a. 5.

Probatur sequela. Nulla dilectio naturalis potest esse perversa : alias natura ipsa, a qua procederet hæc dilectio, esset mala : Sed dilectio, qua angelus Deum diligit est naturalis, et esset perversa si non magis Deum diligeret; quia quælibet res debet diligi eo modo, quo est bonum; Deus autem, cum sit summum bonum, est majus bonum quam sit angelus, imo est ipsi etiam majus bonum, quia est ejus causa efficiens et conservans, et finis, et exemplar, et bonum universale : Ergo, etc.

Sequitur 938. Angelum et hominem esse imaginem, sive potius ad imaginem Dei.

Probatur sequela. Similitudo ad imitationem alicujus expressa, est imago, et si sit imperfecta dicitur res potius ad imaginem : Sed angelus et homo sunt quædam similitudo ad imitationem Dei expressa, in quantum sunt intellectuales naturæ producentes verbum et amantes, et a Deo ad hoc factæ, quamvis sint imperfectæ similitudines : Ergo angelus et homo sunt imago, sive potius ad imaginem Dei.

Sequitur 939. Reliquas creaturas non esse ad imaginem Dei.

939. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Quod non est intellectualis naturæ, non est ad imaginem Dei : Sed reliquæ creaturæ non sunt intellectualis naturæ : Ergo non sunt ad imaginem Dei. *Major patet :* quia imago debet esse similitudo in specie, vel in accidente aliquo proprio. *Minor etiam constat,* quia reliquæ creaturæ habent quidem esse et vivere, non tamen habent intelligere, quod est aliquid proprium Dei. Quare reliquæ creaturæ sunt potius vestigium Dei, quam imago vel ad imaginem ejus.

Sequitur 940. Angelum esse magis ad imaginem Dei, quam hominem.

940. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Quod est magis intellectuale, est simpliciter magis ad imaginem Dei : quia ratio imaginis simpliciter attenditur penes intellectualem naturam : Sed angelus est magis intellectualis, quam homo, quia est magis immaterialis : Ergo angelus est magis ad imaginem Dei, quam homo.

Sequitur 941. Quo aliquis magis imitatur Deum intelligendo et amando, eo perfectius esse ad imaginem Dei.

941. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Quod est magis intellectuale, eo est magis ad imaginem Dei : Sed quo perfectius quis intelligit et amat præsertim Deum, est magis intellectualis : Ergo est magis ad imaginem Dei. Quare per creationem, homines omnes sunt ad imaginem Dei, per gratiam multo magis, sed maxime per gloriam.

Sequitur 942. Angelum et hominem esse ad imaginem Trinitatis.

942. — Ibid. a. 5.

Probatur sequela. Imago Trinitatis consistit in hoc, quod intelligendo quis producit Verbum, et volendo producit amorem : Sed angelus et homo intelligendo producunt verbum, et volendo producunt amorem : Ergo angelus et homo sunt ad imaginem Trinitatis. *Major patebit* in secundo principio.

Sequitur 943. Rationem imaginis convenire homini secundum mentem.

943. — Ibid. a. 6.

Probatur sequela. Ratio intellectualis naturæ convenit homini secundum mentem : Sed ratio imaginis convenit homini secundum naturam intellectualem : Ergo ratio imaginis convenit homini secundum mentem.

Sequitur 944. Rationem vestigii homini convenire secundum alias partes.

944. — Ibidem.

Probatur sequela. Effectus non pertingens ad similitudinem speciei, repræsentat per modum vestigii : Sed homo secundum alias partes est effectus non pertingens ad similitudinem speciei, sive ad rationem intellectualis : Ergo homo secundum alias partes habet rationem vestigii. *Major patet :* quia sicut in aliis creaturis invenitur ratio effectus repræsentans aliquomodo divinam perfectionem eo modo, quo vestigium repræsentat animalia illud imprimentia, ita etiam in homine quoad alias partes invenitur ratio effectus eodem modo repræsentans perfectionem Dei, sive quoad rationem intellectivi, in quantum opus naturæ est opus intelligentiæ, sive quoad inclinationem et veluti amorem.

Sequitur 945. Imaginem Dei reperiri in homine et angelo maxime secundum actus.

945. — Ibid. a. 7.

Probatur sequela. Quo magis imago accedit ad similitudinem ejus, cujus est imago, eo est perfectior : Sed angelus et homo magis accedunt ad similitudinem Dei secundum actus intelligendi et amandi : quia intellectualitas Dei est ipse actus intelligendi, ut dicemus in secundo principio, et ejus voluntas est ipsum velle ; et ratio verbi et amoris procedentis invenitur etiam in homine secundum actus : Ergo angelus et homo secundum actus maxime sunt ad imaginem Dei.

Sequitur 946. Imaginem Dei maxime reperiri in homine et angelo per comparationem ad objectum, quod est Deus.

946. — Ibid. a. 8.

Probatur sequela. Similitudo divinæ naturæ, et trium personarum, quanta est possibilis creaturæ, habet maxime rationem imaginis in angelo et homine : Sed intellectio et volitio angeli et hominis per comparationem ad objectum, quod est Deus, maxime est similitudo divinæ naturæ et trium personarum : Ergo intellectio et volitio angeli et hominis per comparationem ad objectum, quod est Deus, habet maxime rationem imaginis. *Major patet*, quia Deus intelligit se primario et intelligendo se primario producit Verbum ; et amat se tanquam objectum primarium, et amando se producit amorem, ut dicemus in secundo principio.

Sequitur 947. Similitudinem ab imagine distingui dupliciter, scilicet vel ut quid præambulum ad imaginem, vel ut quid subsequens ad imaginem.

Explicatur. Omnis imago est similitudo, sed non omnis similitudo est imago : unde ratio similitudinis est veluti ratio communior ; Sed aliquando similitudo addit perfectionem supra imaginem, in quantum imago dicitur magis vel minus similis rei repræsentatæ.

Hinc probatur sequela subsumendo : Sed utroque modo imago differt a similitudine : nam primo modo similitudo est quid communius ; et hac ratione imago addit supra similitudinem, hoc, quod est esse ad imitationem ; secundo autem modo similitudo addit majorem vel minorem perfectionem in repræsentando : Ergo semper similitudo aliquo modo differt ab imagine : et hinc est, quod homo dicitur ad imaginem Dei ratione naturæ, sed ad similitudinem ejus ratione gratiæ et virtutis.

CAPUT V.

De animabus separatis.

Diximus seq. 489 animam separatam posse subsistere. Diximus seq. 500 potentias pure spirituales sub-

jectari in sola anima et non in composito, idemque dicendum de omnibus omnino accidentibus pure spiritualibus. Diximus ibid. intellectum esse potentiam pure spiritualem. Diximus seq. 525 ex priori intellectione relinqui species in intellectu. Denique diximus seq. 839 in angelis dari species infusas a Deo, quæ sunt veluti proprietates ejus. Ex his omnibus inferenda sunt fere omnia, quæ nunc de anima separata dici aliquo modo possunt.

Sequitur ergo 948. Animam separatam posse operari.

948. — D. Thom. 1. p. q. 89. a. 1.

Probatur sequela: Quod habet principium radicale et proximum operationis potest operari : hoc enim et nihil aliud est posse operari, quam habere potentiam sive principium radicale et proximum operationis : Sed anima separata habet principium radicale et proximum operationis : Ergo potest operari. *Minor probatur:* Substantia, quæ subsistit *ut quod,* et quæ habet potentias activas, habet principium radicale et proximum operationis : Sed anima, ex supradictis, etiam separata subsistit *ut quod,* et habet intellectum, et alias potentias pure spirituales : Ergo anima etiam separata habet sive potius est principium radicale operationis et habet principium proximum, quod est intellectus, et alia quævis potentia pure spiritualis.

Sequitur 949. Animam separatam posse intelligere et velle.

949. — Ibidem.

Probatur sequela. Principium radicale intellectionis habens intellectum potest intelligere et velle : Sed anima etiam separata est principium radicale intellectionis, et habet intellectum, ex dictis : Ergo anima separata potest intelligere et velle. *Major constat :* quia ex intellectu consequitur necessario voluntas, quæ est potentia ad volendum, sicut intellectus est potentia ad intelligendum.

Sequitur 950. Animam separatam non posse intelligere convertendo se ad phantasmata.

Probatur sequela. Quod non habet phantasmata, non potest intelligere convertendo se ad phantasmata : Sed anima separata non habet phantasmata, quia non habet phantasiam aut alias potentias organicas, ut diximus : Ergo non potest intelligere convertendo se ad phantasmata.

Sequitur 951. Animam separatam habere modum intelligendi similem modo intelligendi angelico.

951. — Ibid. ad 3.

Probatur sequela. Quod intelligit non convertendo se ad phantasmata habet modum intelligendi similem modo angelico : Sed anima separata intelligit non convertendo se ad phantasmata : Ergo habet modum intelligendi similem angelico. *Major constat :* Quia angeli etiam intelligunt non convertendo se ad phantasmata, ut diximus.

Sequitur 952. Animam separatam intelligere convertendo se ad ea, quæ non sunt intelligibilia in potentia, sed in actu.

952. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui intelligit, et non intelligit convertendo se ad phantasmata, non intelligit convertendo se ad intelligibilia in potentia, atque adeo intelligit convertendo se ad intelligibilia in actu : Sed anima separata intelligit convertendo se ad phantasmata : Ergo intelligit convertendo se ad intelligibilia non in potentia, sed in actu. *Major constat :* Quia sola phantasmata sunt intelligibilia in potentia proxima ; cætera vero omnia vel sunt intelligibilia in potentia remota mediis videlicet phantasmatibus, vel in actu, quia sunt spiritualia.

Sequitur 953. Animam separatam recipere species infusas a Deo, quibus de novo intelligat.

953. — Ibidem.

Explicatur : Dupliciter potest quis aliquid de novo intelligere ; *Primo* dum virtute intellectus agentis elicit species intelligibiles ex phantasmatibus ; et hoc modo anima, dum est in corpore, potest de novo intelligere aliquid ; *Secundo* potest quis de novo aliquid intelligere quatenus de novo infunditur intellectui species repræsentans objectum ; nec potest dari alius modus, quo quis de novo intelligat : Cum enim intellectus non possit intelligere sine specie intelligibili repræsentante objectum, et determinante intellectum, ut probatum est supra, consequens est, quod cum quis de novo aliquid intelligit quod prius non intellexerat defectu speciei, de novo accipiat speciem intelligibilem : Vel ergo illam recipit de novo ab objectis sensibilibus mediantibus sensibus, vel non mediantibus sensibus : Si mediantibus sensibus recipiat illam, recipit illam ex phantasmatibus, ut constat; Si non mediis sensibus, oportet necessario, quod illam recipiat a Deo infundente : objecta enim materialia non possunt immittere speciem nisi materialem, atque adeo non intelligibilem : objecta vero immaterialia non possunt immittere speciem mediate ; nullum enim potest dari medium : nec immediate, ut probatum est sequela 901. Ergo debent speciem a Deo recipere. Hinc igitur manet probata sequela, hoc pacto : Qui de novo aliquid intelligit, quod defectu speciei prius non intelligebat, debet recipere speciem vel ab objectis, vel a Deo : Sed anima separata potest de novo in eo statu cognoscere aliquid, quod defectu speciei prius non intelligebat, ut patet ; est enim intellectualis : Ergo debet recipere speciem vel ab objectis vel a Deo Atqui non potest recipere speciem ab objectis : Ergo debet recipere a Deo. *Subsumptum probatur* : Objecta vel sunt materialia, vel immaterialia : Sed anima separata non potest recipere species ab objectis materialibus, cum non habeat sensus et phantasiam, quibus mediis speciem illorum intelligibilem a phantasmatibus eliciat per actionem intellectus agentis, ut diximus : Non potest etiam recipere species ab objectis immaterialibus : Ergo a nullo objecto potest recipere speciem intelligibilem. *Secunda pars minoris probatur,* quia in anima separata non potest aliqua res creata spiritualis immediate operari principaliter, neque mediate : non immediate, quia jam esset intime præsens intra ipsam animam, atque adeo illaberetur in ipsam, quod nulli omnino rei creatæ potest competere ; non mediate, quia nullum est medium, quod possit deferre virtutem rei pure spiritualis præsertim speciem usque ad intellectum alterius rei etiam pure spiritualis : illud enim medium deberet esse aliqua substantia spiritualis : quæ proinde deberet illabi in animam : quod nequit fieri. Ergo, etc.

Sequitur 954. Animam separatam posse intelligere per species in ea conservatas ex actibus quibus dum esset conjuncta corpori intellexit.

954 — Ibid. a. 5.

Probatur sequela, supponendo quod diximus, manere in intellectu species relictas ex prioribus actibus, quos intellectus elicuit. Tunc sic arguitur : Hæ species remanent in anima separata : Ergo potest per illas intelligere : consequentia est evidens, quia habens intellectum et species potest intelligere : Sed anima separata habet intellectum, ut probatum est, et habet species, ut statim probabimus : Ergo anima separata potest per illas intelligere. *Antecedens vero probatur :* Accidentia pure spiritualia subjectantur in sola anima et non in composito, ut probatum est : Sed hæ

species relictæ ex prioribus actibus sunt accidentia pure spiritualia : Ergo subjectantur in sola anima, et non in composito, atque adeo remanent etiam pereunte composito in anima separata.

Sequitur 955. Animam separatam esse intelligibilem in actu primo, et non tantum in potentia.

955. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela: Quod est omnino immateriale, est intelligibile in actu primo et non tantum in potentia, ut constat ex dictis supra : Sed anima separata est omnino immaterialis : Ergo, etc. *Dices* etiam anima dum est in corpore est omnino immaterialis, et tamen non est intelligibilis in actu, sed in potentia; unde non intelligitur per seipsam, sed per speciem a phantasmatibus abstractam : Ergo falsum est, quod anima separata sit intelligibilis in actu. *Sed contra:* Quia ratio cur anima separata, dum est in corpore, non intelligat seipsam per seipsam, non est quod secundum se non sit intelligibilis, vel immaterialis; sed quia habet modum intellectualitatis et intelligibilitatis proportionatum modo essendi : Modus autem essendi tunc est, quod sit in corpore; atque adeo modus operandi, qui sequitur modum essendi, est, quod intelligat etiam seipsam mediante phantasmate: Quando autem anima est separata, non habet modum essendi in corpore, et idcirco tunc est intelligibilis et intelligit independenter a corpore, et consequenter est intelligibilis non in potentia, sicut res materiales, aut quæ habet modum essendi in materia, sed est intelligibilis in actu, sicut in actu est separata a materia.

Sequitur 956. Animam separatam intelligere seipsam per seipsam tanquam per speciem impressam.

956. — Ibidem.

Probatur sequela : Quod intelligit et est actu intelligibile, intelligit seipsum per seipsum tanquam per speciem impressam : Sed anima separata intelligit, et est actu intelligibilis, ut ostensum est : Ergo, etc.

Sequitur 957. Animam separatam cognoscere distincte alias animas separatas.

957. — Ibidem.

Probatur sequela : Omnis intelligens distincte ac quidditative unum individuum unius speciei intra objectum proportionatum, intelligit etiam distincte ac quidditative alia individua ejusdem speciei, si habeat species repræsentativas illorum : Sed anima separata intelligendo seipsam per seipsam intelligit quidditative unum individuum unius speciei intra objectum proportionatum, ut est evidens : Ergo si habeat species aliarum animarum, intelliget ipsas distinctive ac quidditative.

Sequitur 958. Animam separatam non cognoscere distincte sed tantum confuse angelos.

Probatur sequela : Quia, ut supponimus, non debentur illi species, quibus cognoscat distincte angelos, sed tantum debentur illi species, quibus cognoscat distincte animas separatas. Ratio est quia angeli non sunt objectum proportionatum intellectus animæ etiam separatæ; bene autem aliæ animæ separatæ. Non negamus tamen, quin possit Deus infundere species animæ separatæ, quibus cognoscat distincte ac quidditative angelos, non tamen comprehensive, nisi Deus augeret etiam virtutem intellectivam.

Sequitur 959. Species, quibus anima separata intelligit, non esse ita universales, sicut species quibus angelus etiam infimus intelligit.

Probatur sequela : Quo aliquid est magis immateriale, est etiam magis illimitatum et magis universale : Sed species, quibus anima separata intelligit, non sunt ita immateriales, ac species, quibus angelus etiam infimus intelligit : quia species debent pro-

portionari angelo intelligenti : angelus autem etiam infimus est magis immaterialis, quam anima etiam separata. Ergo, etc.

Sequitur 960. Species infusas a Deo, quibus anima separata intelligit, esse aliquo modo universales.

Probatur sequela : Species omnino immateriales, et exemplatæ a prima et universalissima specie debent esse aliquo modo universales : Sed species infusæ a Deo, quibus anima separata intelligit, sunt immateriales, et exemplatæ a divina essentia tanquam prima et universalissima specie; sicut enim hæ species sunt a Deo ut causa efficiente, ita sunt ab essentia divina, ut causa exemplari, unde non adæquantur ipsis objectis, utpote a quibus non desumuntur : Ergo species infusæ a Deo, quibus anima separata intelligit sunt aliquo modo universales.

Sequitur 961. Has species non esse ejusdem rationis cum speciebus acceptis ab objectis.

Probatur sequela : Species adæquatæ objectis non sunt ejusdem rationis cum speciebus non adæquatis sed universalibus : Atqui species acceptæ ab objectis sunt adæquatæ illis; species vero infusæ a Deo non sunt adæquatæ sed universales : Ergo species acceptæ ab objectis non sunt ejusdem rationis cum speciebus infusis a Deo. *Major est evidens :* Cum enim tota quidditas et essentia speciei consistat in repræsentando, species, quæ diversimode repræsentant, etiam sunt diversæ rationis.

Sequitur 962. Per has species infusas animam separatam posse cognoscere objecta per illas directe ac formaliter repræsentata.

Probatur sequela : Intellectus instructus specie potest per illam cognoscere objecta per illam formaliter ac dircte repræsentata : Sed intellectus animæ separatæ est instructus his speciebus infusis, ut diximus : Ergo per illas anima potest cognoscere objecta per illas directe ac formaliter repræsentata.

Sequitur 963. Per has species infusas animam separatam non cognoscere distincte objecta omnia, quæ in illis speciebus quodammodo virtualiter propter universalitatem continentur.

963. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela : Virtus activa utens aliquo veluti instrumento non sibi proportionato non potest ita proprie ac distincte attingere subjectum vel objectum, sicut si uteretur organo sibi connaturali et proportionato, quia, ut dicemus in tertio principio, instrumentum quodammodo modificat virtutem principalis agentis; unde quando non est proportionatum non potest principale agens illo uti prout intendit : et idcirco videmus, quod si puer, v. g., utatur baculo nimis gravi, non potest illum ad nutum movere : Sed species universales sunt quasi instrumentum intellectus animæ separatæ ipsi improportionatum, quia anima nata est intelligere per species adæquatas ipsis objectis et ex phantasmatibus abstractas : Ergo per has species anima separata non poterit proprie ac distincte attingere objectum virtualiter quodammodo per eas repræsentatum.

Explicatur: Species universalis v. g. repræsentans naturam humanam formaliter et directe, virtualiter autem et indirecte repræsentans omnia individua, non est proportionata intellectui humano, qui natus est quodlibet individuum intelligere per speciem ipsi individuo adæquatam quomodocumque tandem intelligat individua, de quo alias diximus : Et inde fit, quod per illam speciem universalem, non potest intellectus noster intelligere distincte et in particulari quodlibet individuum per illam speciem virtualiter et indirecte repræsentatum, nisi aliunde intellectus noster determinetur ad illud distincte cogno-

scendum : Quamdiu anima est in corpore, intellectus noster determinatur per phantasmata directe repræsentantia hoc et illud individuum : Sed, ubi anima separata est, non potest determinari per phantasmata, cum illa non habeat : debet ergo determinari per aliquid aliud : Illud vero quod illam determinat, non potest præstare ipsi animæ, ut intelligat distincte et in particulari quodlibet individuum per speciem virtualiter repræsentatum, eo quod virtus intellectiva non est tam perfecta in intelligendo, quam species est perfecta in ipsa intelligibilitate, quam habet saltem *ut quo* : Atque ita fit, ut virtus intellectiva non penetret totum, quod in specie continetur et repræsentatur : unde nunquam potest pertingere ad propriam et distinctam cognitionem cujuslibet contenti et repræsentati per speciem.

Sequitur 964. Per has species infusas animam separatam non posse cognoscere distincte proprie omnia materialia.

964. — Ibidem.

Probatur sequela : Quia hæ species sunt improportionatæ, ut explicatum est.

Sequitur 964 (*bis*). Per has species infusas animam separatam non posse cognoscere distincte ac proprie omnia singularia repræsentata veluti virtualiter.

964 (*bis*). — Ibid. a. 4.

Probatur sequela : Eadem ratione ; quia virtus intellectiva animæ non adæquat totam intelligibilitatem speciei.

Sequitur 965. Per illas species infusas animam separatam posse cognoscere aliqua individua, ad quæ determinatur.

965. — Ibidem.

Probatur sequela : Quia licet anima separata per illas species infusas præcise non possit attingere proprie ac distincte omnia individua, tamen potest aliunde determinari ad aliqua distincte cognoscenda : Atqui hoc sufficit, ut illa distincte cognoscat : Ergo illa poterit cognoscere, si determinetur. Potest autem determinari vel per præcedentem cognitionem, quia nimirum, dum esset conjuncta cum corpore, cognovit illud individuum per illam speciem infusam repræsentatum ; vel potest determinari per aliquem effectum, quia habet inclinationem et affectum ad cognoscendum aliquod individuum, v. g. personam aliquam, quam amavit vel amat speciali affectu ; vel per naturalem habitudinem, quia habet vel habuit quamdam relationem, et sic poterit cognoscere patrem, matrem, etc., vel denique per divinam ordinationem, quia scilicet Deus ordinat, ut hoc vel illud individuum cognoscat.

Sequitur 966. Animam separatam non cognoscere componendo et dividendo, vel etiam discurrendo.

966. — Ibid. a. 1. ad 3.

Probatur sequela : Qui non cognoscit per conversionem ad phantasmata, non cognoscit componendo et dividendo, vel etiam discurrendo, ut supra diximus : Atqui anima separata non cognoscit per conversionem ad phantasmata : Ergo non cognoscit componendo et dividendo, vel etiam discurrendo. *Major patet* ex dictis supra.

Sequitur 967. Hunc modum intelligendi non esse omnino contra naturam animæ.

967. — Ibid. a. 1.

Probatur sequela : Quod potest competere animæ absque illo miraculo et absque illa vi seu violentia non est omnino contra naturam ejus : Sed hoc modo jam superius explicato intelligere, potest competere absque ullo miraculo et sine violentia : non enim est miraculum, quod anima separetur a corpore, nec quod separata intelligat, nec quod intelligat per mo-

dum substantiæ separatæ; nec ulla infertur violentia animæ in hoc, quod sic operetur, cum potius illæ operationes sint a principio intrinseco : Ergo hoc non est contra naturam animæ.

Sequitur 968. Hunc modum intelligendi esse præter naturam animæ.

968. — Ibidem.

Probatur sequela : Operari modo angelico est præter naturam animæ: Sed hic modus intelligendi est operari modo angelico, ut diximus : Ergo est præter naturam animæ.

Dices contra naturam formæ ut est forma corporis et informans materiam, est, quod non informet : hoc enim est contra naturalem ejus inclinationem : Atqui anima est forma corporis : Ergo est contra naturam ejus, quod non informet, atque adeo, quod non informans operetur. Sed contra *primo,* quia, esto præsuppositive esset hoc contra inclinationem animæ, quatenus est contra inclinationem ejus naturalem, formaliter tamen non est contra naturam ipsius; supposita enim separatione, naturaliter inclinatur ad sic operandum : Atque hinc habes cur Deus teneatur secundum suavem Providentiam infundere species ordinis naturalis ipsi animæ separatæ. *Secundo* falsum est, quod absolute sit contra naturam animæ separari à corpore corruptibili et mortali, sed solum est contra inclinationem aliquam veluti conditionatam, quatenus, si possibile foret, anima vellet semper informare corpus : Sed quia hoc fieri nequit, idcirco absolute non est contra sed præter naturam animæ separatæ.

Sequitur 969. Animam separatam posse idem intelligere, quod intellexerat unita, licet non eodem modo.

969. — Ibid. art. 6.

Probatur sequela : Qui habet eamdem potentiam, easdem species, aut alias, idem objectum repræsentantes, potest intelligere, quod prius intellexit : Sed anima separata habet eamdem potentiam intellectivam, et easdem species saltem aliquas, et habet etiam alias idem objectum repræsentantes, ex dictis : Ergo potest intelligere quod prius intellexit, non tamen eodem modo, quia non intelligit per conversionem ad phantasmata, neque per compositionem et divisionem vel ratiocinationem, ut probatum est.

Sequitur 970. Animam separatam non impediri a cognitione objectorum per distantiam localem.

970. — Ibid. art. 7.

Probatur sequela: Qui habet potentiam intellectivam et species objecti etiam distantis localiter, potest cognoscere illud nonobstante distantia locali : Sed anima separata habet potentiam intellectivam et species modo jam probato : Ergo potest intelligere objecta, quorum habet species nonobstante distantia locali.

Sequitur 971. Animam separatam naturali cognitione non intelligere, quæ inter vivos et mortales aguntur.

971. — Ibid. art. 8.

Probatur sequela : Quæ inter vivos aguntur solis sensibus et phantasmatibus secundum naturalem cognitionem ab anima etiam unita percipiuntur, ut patet experientia : Sed anima separata caret sensibus et phantasmatibus : Ergo non percipit quæ inter vivos aguntur.

Dices : Pertinet ad naturale desiderium, ut anima separata intelligat, quæ hic aguntur : Ergo illud naturale desiderium poterit determinare species objectorum, ut repræsentet ea, quæ inter nos aguntur.

Sed contra : Quia species infusæ intellectui humano animæ separatæ non sunt ita universales sicut species angelicæ : quare non est imaginandum, quod sicut species angelicæ

repræsentantes aliquod individuun, repræsentant simul omnia, quæ sunt illius individui, ita species istæ infusæ animæ separatæ repræsentent omnia, quæ cuilibet individuo conveniunt ; unde licet anima separata cognoscat individua aliqua, ex determinatione desiderii vel amoris, non propterea fit, quod possit cognoscere omnia, quæ conveniunt illi individuo, nec consequenter quæcumque facit illud individuum, quod adhuc est inter vivos, quia jam illa anima separata transiit ad statum substantiarum separatarum, et cum illis conversatur : Quia vero animæ beatæ, ex vi beatitudinis, debent perfecte satiari quoad omne desiderium rationi consonum, inde est, quod animæ beatæ non ex vi cognitionis naturalis, sed ex vi beatitudinis debent cognoscere, quæ hic aguntur, si pertineant ad illorum statum, non autem alia, quæ nullo modo spectant ad illas : Animæ vero quæ sunt in Purgatorio vel Inferno non cognoscunt, quæ hic inter nos aguntur, quia illarum desiderium cognoscendi has res, non debet impleri et satiari, cum non sint beatæ, nec aliunde naturali cognitione illas valeant cognoscere, ut dictum est. Potest tamen Deus illis revelare etiam mediis angelis.

Sequitur 972. Habitus acquisitos in intellectu existentes manere in anima separata.

972. — Ibid. art. 3.

Probatur sequela : Omnia accidentia soli animæ et non toti composito inhærentia manent in anima separata : Atqui habitus intellectuales acquisiti sunt accidentia soli animæ, non toti composito inhærentia, cum sint spiritualia : Ergo habitus intellectuales acquisiti manent in anima separata : *Major patet :* Quia accidentia soli animæ et non composito inhærentia non destruuntur per accidens destructo composito, cum compositum non sit illorum subjectum ; nec corrumpuntur per se, id est, per contrarium, quia proprie non habent contrarium.

Sequitur 973. Scientiam in terris comparatam manere in anima separata.

973. — Ibidem.

Probatur sequela : Omnis habitus intellectualis manet in anima separata : Sed scientia in terris comparata est habitus intellectualis : Ergo scientia in terris comparata manet in anima separata.

Dices : Potest anima separata falsa quadam ratione abduci a veritate, quam demonstrative perceperat in hac vita : Ergo potest anima separata amittere habitum scientiæ hic acquisitæ : Patet consequentia, quia hoc modo potest destrui scientia, sicut et per oblivionem.

Sed contra : Quia, ut diximus, anima separata non ratiocinatur, nec intelligit componendo aut dividendo : Atqui falsitas non potest reperiri in intellectu humano nisi in compositione vel divisione, aut etiam ratiocinatione, non autem in simplici apprehensione, ut demonstratum est supra : Ergo non poterit anima separata abduci falsa ratiocinatione.

Dices : Dæmones ipsi aliquando decipiuntur.

Sed contra : Quia non decipiuntur circa ea, circa quæ potest esse scientia naturalis, sed solum circa alia ; nec decipiuntur quasi falsa ratiocinatione abducti, sed solum, quia circa singularia vel supernaturalia judicant aliquid, quod revera non est, præcipitando judicium ex inordinatione voluntatis : Idemque poterit contingere in anima separata : sed hoc non destruet scientiam, ut patet.

Dices : D. Paulus I ad Corinth. 13. dicit, quod scientia destruetur.

Respondet D. Th. D. Paulum loqui de actu et non de habitu, id est, quod D. Paulus solum vult, quod actus scientiæ non erit vel per conversionem ad phantasmata vel per discursum, sicut modo est, vel etiam

non erit actus ille scientiæ, qui est gratia gratis data : sicut enim tunc non erit prophetia, ita non erit gratia gratis data, quæ dicitur scientia : Adde quod scientia etiam destruetur quantum ad dispositionem, quæ ex habitu scientiæ in statu viæ resultat in cogitativa et imaginatione : Illi enim, qui vere sciunt, non solum habent in intellectu habitum scientiæ ordinativum specierum intelligibilium, sed etiam habent in ipsa imaginatione quamdam qualitatem ordinativam phantasmatum, quæ qualitas non est habitus, quia non est difficile mobilis, cum possit levi infirmitate corporis corrumpi, sed est tantum dispositio ; Et hæc non manet in anima separata, sicut non manent in ipsa phantasmata.

Sequitur 974. In anima separata posse manere habitum, aut quasi habitum opinionis.

974. — Ibidem.

Probatur sequela : Accidentia, quæ sunt in solo intellectu, et non in composito manent in anima separata : Sed habitus aut quasi habitus opinionis est formaliter in solo intellectu, et non in toto composito : Ergo, etc.

Sequitur 975. In anima separata, si beata fuerit, non manere habitum opinionis.

975. — 1. post. lect. a. 1. et 45.

Probatur sequela : Cum scientia infusa de omnibus quæ naturaliter sciri possunt, non potest manere habitus aut quasi habitus opinionis, quia, ut probatum est supra, scientia et opinio de uno et eodem objecto non possunt stare in eodem (nº 602) : Sed in anima separata est scientia infusa de omnibus, quæ naturaliter sciri possunt, ut alias ostendimus : Ergo in anima separata non est habitus aut quasi habitus opinionis. Hinc igitur habes, opinionem non posse manere nisi in anima separata existente in Purgatorio, vel in Inferno.

Sequitur 976. In anima separata non manere virtutes Temperantiæ, Fortitudinis et alias hujusmodi, sive loquamur de virtutibus acquisitis, sive de infusis, sive de donis Spiritus sancti.

976. — Q. un. de an. a. 19.

Probatur sequela. Accidentia, quæ sunt in toto composito, non manent in anima separata : Sed hujusmodi virtutes sunt accidentia toti composito inhærentia, ut alias ostendemus : Ergo hujusmodi virtutes non manent in anima separata. Cæteræ autem virtutes, quæ sunt in sola voluntate, ut Justitia, vel in intellectu, ut Prudentia, manent in anima separata, si beata sit, vel si sit in Purgatorio, non tamen si fuerit in Inferno ; quia vel amissæ fuerunt per peccatum mortale in via commissum, saltem in esse virtutis et habitus, vel iis privatur anima in pœnam peccati. Adde quod frustra essent : Cessante enim intentione finis, sive potius acquisitione ultimi finis reddita penitus impossibili, cessant etiam habitus electivi mediorum ad finem, ut patet ex dictis supra.

Sequitur 977. In anima separata non manere potentiam locomotivam.

977. — Ibidem.

Probatur sequela. Potentia locomotiva activa, ut diximus supra, est ipse intellectus et voluntas, non absolute, sed ut mediante imaginatione et appetitu imperant motum localem : potentia vero locomotiva passiva, nihil aliud est, quam dispositio quædam naturalis in nervis et aliis membris residens, qua possunt per spiritus animales moveri : Atqui hæc omnia cessant in anima separata : quamvis enim non cesset intellectus et voluntas absolute, nihilominus cessat imaginatio et appetitus sensitivus : unde non potest intellectus

imperare motum localem : Cessant etiam spiritus animales, et alia necessaria ad hunc motum : Ergo cessat potentia locomotiva.

Adverte autem differentiam inter intellectum angelicum et humanum ; quod intellectus angelicus, cum sit multo perfectior, et magis similis divino, potest non solum perfectius intelligere, sed etiam potest imperando movere corpora, ut superius probatum est : at vero intellectus humanus non potest per imperium causare motum in ullo corpore, nisi tantum in illo, quod informat anima, a qua ipse intellectus dimanat, imo nihil potest intellectus humanus ad extra producere nisi in corpore informato per animam vel mediante corpore. Atque hinc fit, quod potest quidem intellectus humanus mediante corpore causare motum etiam artificiosum in instrumentis artis vel aliqua alia similia, ut experientia constat, sed sine corpore id non potest, quia est potentia animæ, quæ est forma corporis ; intellectus autem angelicus, cum non sit potentia alicujus substantiæ, quæ in forma corporis potest motum causare in corporibus etiam non sibi unitis. Cum ergo, ut supra demonstratum est, nulla substantia pure spiritualis possit esse in loco nisi per operationem virtualiter transeuntem, consequens est, ut anima separata non possit esse in loco, nec possit seipsam vel quodcumque corpus movere localiter ; sed debeat vel a Deo vel ab angelis moveri.

Sequitur 978. Animam separatam non posse seipsam localiter movere viribus propriis.

978. — Ibidem

Probatur sequela. Ut substantia pure spiritualis seipsam localiter moveat debet habere potentiam locomotivam, et debet posse operari ad extra : Atqui anima separata est substantia pure spiritualis, quæ non habet potentiam locomotivam, nec potentiam illam, qua possit ad extra operari, ut ostendimus : Ergo anima separata non potest propriis viribus seipsam localiter movere.

Quæres : Quomodo ergo movebitur localiter ?

Respondeo moveri vel a Deo immediate, vel ab angelis.

Dices : Angeli non possunt agere intra substantiam animæ, sicut nec alterius angeli, alias illaberentur intra essentiam spiritualem, quod est impossibile : Sed ut angeli moverent animam separatam, deberent agere intra substantiam animæ : Ergo cum id non possint, non possunt etiam movere localiter animam separatam. *Minor probatur :* Angeli movendo localiter animam separatam ei aliquid imprimunt, vel impulsum, vel aliquid aliud : Sed angeli sunt, ubi agunt operatione transeunte : Ergo sunt in anima separata, aut ei imprimunt aliquid, atque adeo illabuntur intra illam.

Ad hoc argumentum, quod sine dubio difficultatem habet non levem. *Resp. distinguendo minorem,* ut angeli moverent animam separatam deberent agere et esse intra substantiam illius, si agerent principaliter, Concedo ; si instrumentaliter tantum, Nego. Quare probabilius ac fere certum arbitror in doctrina D. Thomæ, angelos non posse virtute naturali movere localiter animas separatas tanquam causas principales, sed solum tanquam ministros et causas instrumentales, idque dupliciter vel conferendo ipsi animæ separatæ virtutem, qua possit agere in externam materiam, vel imprimendo ipsi aliquam motionem sive impulsum spiritualem, ratione cujus anima separata fiat præsens alicui corpori, puta Cœlo Empyreo, Purgatorio, Limbo vel Inferno : Et hoc modo dicuntur Angeli deferre animas. Hoc autem Deus præstat mediis angelis, ut congruus ordo servetur in rebus et inferiora per superiora regantur et gubernentur. Et hæc de anima separata.

EPILOGUS ET TRANSITIO

Ad secundum principium.

Vidimus in hoc principio ex eo quod ens sit transcendens, materiam esse puram potentiam passivam et receptivam, et ea, quæ habent aliquem actum, sive potentiam activam elevari aliquo modo supra materiam, præsertim vero illa, quæ habent potentiam activam per modum causæ principalis, quæ vocantur viventia. Interea vidimus aliqua aliis esse perfectioris vitæ, vel minus perfectæ juxta majorem, vel minorem elevationem supra materiam, et sic vegetativa esse minus perfectæ vitæ, sensitiva perfectioris, intellectiva etiam multo amplius, et inter intellectiva angelos eo perfectiores, quo immaterialiores et elevatiores supra materiam, atque adeo magis actuales, et minus habentes de potentia. Superest modo agere de illo Ente, quod est omnino elevatum supra materiam omnem, hoc est, supra omnem potentiam receptivam : ita ut nihil omnino potentiæ receptivæ in ipso reperiatur. Hoc vero ens debere esse actum purissimum, ex eo satis constat; quia ubi nulla est potentia receptiva, nihil ibi est, nisi actus secundum puram et nudam rationem actus : Nam in iis, in quibus est potentia activa distincta ab actu, est etiam quædam potentialitas ad ipsum actum, saltem quatenus potentia illa activa considerata secundum se, est minus actualis, quam sit ipse actus secundus, et consequenter est aliquo modo potentialis Oportet ergo, quod in actu puro nihil omnino inveniatur etiam de potentia activa distincta a suo actu, et multo minus de potentia quocumque modo receptiva : et sic illud ens, quod est actus purus, est omnino elevatum supra materiam, illique, ut sic loquar, e diametro oppositus, ita ut, sicut materia est tota potentialitas, et nihil includit actus sive actualitatis, ita istud ens, quod vocamus actum purum, sit totum actus sive actualitas, et nihil includat potentialitatis. Hoc autem ens vocamus Deum. Deus ergo est actus purus, nihilque aliud a Deo potest esse actus purus. Et istud est secundum principium doctrinæ divi Thomæ, de quo jam agendum est.

SECUNDUM PRINCIPIUM

DEUS SOLUS EST ACTUS PURUS

PARS PRIMA

DE DEO

DISSERTATIO I[a]

DE DEI EXISTENTIA ET ESSENTIA

CAPUT I

An Deus sit, et quomodo sit.

Docent Dialectici propositionem exclusivam esse subobscuram et exponendam duabus aliis propositionibus, in quarum prima prædicatum exclusive enuntietur de subjecto ejusdem absque particula exclusiva; in secunda vero idem prædicatum negetur de omnibus aliis subjectis : Vocant particulam exclusivam, quæ excludit : cujusmodi particulæ sunt *tantum, solum* et aliæ hujusmodi significationis : Atqui hoc secundum D. Thomæ principium constat hac particula, *Solus :* Est ergo propositio exclusiva : atque adeo exponenda per duas alias, videlicet, *Deus est actus purus :* et, *Nullum ens creatum, est actus purus :* Nomine enim illo, *Deus*, intelligimus ens increatum et improductum : Nomine vero *Actus puri*, intelligimus id, quod tantam habet actualitatem, ut nihil omnino habeat potentialitatis admixtum. Quid autem sit potentialitas, patet ex primo principio; nihil siquidem aliud denotat, quam potentiam aliquam passivam et capacitatem recipiendi : Unde cum prima potentia passiva sit materia prima, ut diximus in primo principio, idem prorsus est, non habere potentiam passivam, ac esse omnino immateriale.

Addunt iidem Dialectici, ad veritatem exclusivæ necessarium esse, ut utraque propositio, per quam exponitur, sit vera : si enim altera esset falsa, tota quoque propositio exclusiva falsa foret : Ut ergo ista, *Deus solus est actus purus,* sit vera, oportet, ut veræ a sint istæ duæ : *Deus est purus :* et, *Nullum ens creatum est actus purus :* Cum enim hoc nomine, *Deus,* intelligatur ab omnibus ens increatum et improductum, omne illud ens, quod est creatum sive productum, est aliud a Deo; atque adeo, sicut idem significant hæ duæ propositiones : *Deus est actus purus,* et, *Ens increatum est actus purus :* ita idem significant istæ duæ, *Nullum ens aliud a Deo est actus purus,* et, *Nullum ens creatum est actus purus.* Verum quia, ut demonstrabimus, hæc secunda propositio, *Nullum ens creatum est actus purus,* manifeste sequitur ex priori, scilicet, *Deus, sive ens increatum est actus purus*, idcirco in præsenti hæc dumtaxat, *Deus est actus purus*, explicanda est et probanda saltem a posteriori.

D. Thom. 1. p. q. 2. a. 3.

Sed antequam id fiat, probandum est, dari ens aliquod increatum, sive improductum : *Probatur ergo :* Vel

omnia entia sunt improducta, vel omnia sunt producta, vel dantur aliqua improducta, et aliqua producta : Sed dici non potest, quod omnia sint improducta, nec etiam quod omnia sint producta : Ergo dicendum est, dari saltem unum aliquod ens improductum, et alia producta. *Major est evidens* : cum enim improductum idem sit ac non productum, divisio hæc entis in productum et improductum, est per membra contradictoria : atque adeo debet alterum ex illis cuilibet enti competere, juxta illud principium lumine naturali notum, *Quodlibet est vel non est*. Igitur omne ens vel est productum, vel improductum, vel datur aliquod ex entibus productum, et aliquod improductum. *Minor* vero habet duas partes ; *prima est,* dici non posse, quod omnia entia sint improducta ; *secunda est,* dici non posse, quod omnia entia sint producta : Et quidem prima pars evidens est ipsa experientia : videmus enim et experimur aliqua entia interire, et alia produci : Ergo non omnia sunt improducta : Secunda vero pars minoris probatur. Omnis causa efficiens et producens, quando efficit, influit et producit, supponitur habere existentiam : quia actus secundus, videlicet, efficere, supponit primum, id est, esse : Sed omne productum, quando producitur, ab aliqua causa efficiente producitur : Ergo omne productum supponit aliquam causam, quæ habeat existentiam. Illa ergo causa vel non habet existentiam ab alia, et sic est ens improductum : atque adeo non omnia sunt producta, sed datur aliquod ens improductum ; vel habet suam existentiam ab alia causa priori : et de illa iterum quæro, utrum sit producta ab alia vel non? Si non : Ergo datur ens improductum ; si sit producta, habet causam priorem, de qua iterum quæro, An sit vel non sit producta? Ergo deveniendum erit ad aliquod ens improductum, quod nullam habeat suæ existentiæ causam.

Neque dici potest, dari circulum, ita ut omnia sint producta sese producentia : nam in illo circulo sese producentium et productorum potest designari unum ens determinatum atque adeo productum et producens : quod qui negaret, negaret se esse aliquid certum et determinatum : unde urgendus esset sensu et experientia potius quam ratione : Hoc igitur ens determinatum in circulo illo producentium productorum, esset ens producens mediate vel immediate omnia, quæ in illo circulo consequuntur ; et esset ens productum ab omnibus, quæ in hujusmodi circulo ipsum antecedunt : Sed omnia illa quæ sequuntur sunt eadem ac illa, quæ præcedunt ; Ergo illud ens determinatum esset causa efficiens, et effectus eorumdem. Hoc vero implicare patet ex dictis : quia causa efficiens, quando efficit, habet existentiam, imo priusquam efficiat supponitur esse ; res vero, quæ est effectus et producta, supponitur non habere existentiam antequam producta sit : frustra enim produceretur, imo non produceretur, si jam supponeretur esse . Atqui illud ens determinatum in circulo est causa omnium subsequentium, et effectus omnium præcedentium, quæ sunt eadem : Ergo supponitur esse ante omnia subsequentia, et supponitur non esse ante omnia præcedentia : cum ergo subsequentia et præcedentia sint omnino eadem, supponitur esse et non esse respectu eorumdem, quod manifeste implicat : nam quatenus est causa efficiens subsequentium supponitur esse, et quatenus est effectus eorumdem, ut præcedunt, supponitur non esse. Hæc demonstratio ad sensum est evidens.

Nec secundo dici potest dari processum in infinitum in producentibus et productis. Ratio est eadem ex dictis : nam vel tota collectio infinitorum producentium est omnino eadem cum tota collectione infinita productorum, ita ut nullum sit ens in collectione producentium, quod non sit etiam in collectione productorum, vel

non est eadem, sed in collectione producentium datur aliquod ens, quod non est in collectione productorum; primum dici non potest, alias daretur circulus, quod implicare jam probatum est : Ergo dicendum est secundum, quod videlicet detur aliquod ens in collectione producentium, quod non sit in collectione productorum : Est igitur illud ens producens et non productum : Datur ergo ens non productum, quod tamen producit alia vel mediate vel immediate.

Istud igitur ens non productum sive improductum dicimus Deum : et illud esse actum purum, sic ostenditur : Quod non est in potentia ad esse, est actus purus essentialiter : Sed ens improductum, sive Deus, non est in potentia ad esse : Ergo Deus est actus purus. Major est evidens ex ipsa explicatione terminorum : vocamus enim actum purum illud, quod non est in potentia ad esse : hoc enim ipso, quod non est in potentia ad esse, caret omni potentia passiva et receptiva : cum omnis potentia passiva et receptiva sit ad aliquod esse. *Minor vero probatur.* Quod est in potentia ad esse, si reipsa sit, est reductum de potentia ad actum, ut patet ex terminis : Sed ens improductum non est reductum de potentia ad actum saltem substantialem : Ergo ens improductum non est in potentia ad esse : jam enim ostendimus ens improductum esse. *Minor probatur :* Esse reductum de potentia ad actum substantialem est, esse productum : Sed ens improductum non est productum, ut constat : Ergo ens improductum non est reductum de potentia ad actum substantialem. *Major constat :* quia produci nihil aliud est, quam reduci de potentia ad actum : atque adeo esse productum est esse reductum de potentia ad actum saltem substantialem.

Quod si semel concessum fuerit, dari aliquod ens, quod non sit productum, nec reductum de potentia ad actum substantialem, manifeste demonstrabitur illud idem ens nullam omnino habere potentiam passivam et receptivam ad aliquod aliud esse veluti accidentale : atque adeo illud carere omni hujusmodi potentialitate, et consequenter esse actum purum omnino et expertem omnis potentialitatis : et hoc fiet in consequentibus. Ex his ergo.

Sequitur 1. Dei essentiam esse suum esse sive existentiam, et e contra existentiam Dei esse ipsius essentiam.

1. — 1. p. q. 3. a. 4.

Probatur sequela. Essentia actus puri est ejus existentia, et e contra : Sed *Deus est actus purus,* ex dictis : Ergo essentia Dei est ejus existentia, et e contra. *Major probatur :* Quia alias actus purus non esset actus purus : sed esset potentia receptiva existentiæ tanquam actus sui.

Sequitur 2. Existentiam esse essentialem actui puro.

2. — Ibidem.

Probatur sequela. Ultima actualitas est essentialis actui puro : Sed existentia est ultima rei actualitas : Ergo existentia est essentialis actui puro. *Major est evidens :* Quia actus purus essentialiter excludit omnem potentialitatem, atque adeo est essentialiter ultima actualitas. Minor est definitio existentiæ.

Sequitur 3. Istam propositionem, *Deus est,* esse per se notam et immeditam secundum se.

3. — 1. p. q. 2. a. 1.

Probatur sequela. Propositio, cujus prædicatum est de essentia subjecti, est per se nota et immediata secundum se : Atqui prædicatum hujus propositionis, *Deus est,* est existentia, quæ, ut diximus, est essentialis Deo ut actui puro : Ergo hæc propositio, *Deus est,* est per se nota et immediata.

Sequitur 4. Eamdem propositionem *Deus est,* non esse per se notam et immediatam quoad nos.

4. — Ibidem. a. 2. et 3.

Probatur sequela. Propositio, quæ potest probari per aliquod medium, non est immediata, nec per se nota quoad nos : Sed illa propositio, *Deus est,* potest probari per aliquod medium quoad nos, qui non cognoscimus immediate, prædicatum ejus esse de essentia subjecti : unde et nos illam probavimus, ut patet ex dictis : Ergo illa propositio non est immediata et per se nota quoad nos.

Sequitur 5. Deum non esse compositum ex materia et forma.

5. — Ibidem. q. 3. a. 2.

Probatur sequela. Actus purus non est compositus ex materia et forma : Sed Deus est actus purus, ex dictis : Ergo, etc. *Major patet :* Quia in actu puro nulla est potentia, sed in composito ex materia et forma est potentia : nam materia est potentia, ut ostendimus in primo principio : Ergo, etc.

Sequitur 6. Deum non esse corpus,

6 — Ibidem. a. 1.

Probatur sequela. Corpus est compositum ex materia et forma : Sed Deus non est compositum ex materia et forma : Ergo, etc.

Sequitur 7. In Deo non esse compositionem ex natura et subsistentia.

7. — Ibidem. a. 3.

Probatur sequela. In omni composito ex natura et subsistentia, natura est potentia respectu subsistentiæ, quæ est actus : Sed in Deo utpote actu puro nulla est potentia : Ergo in Deo non est compositio ex natura et subsistentia.

Sequitur 8. Deum esse omnino idem quod Deitas sive natura et essentia divina, quantum ad rem.

8. — Ibidem.

Probatur sequela. In eo, in quo est idem subsistentia et natura, idem est concretum et abstractum : Sed, ex dictis, in Deo idem est subsistentia et natura : Ergo in Deo idem est concretum, id est, Deus, et abstractum, id est, Deitas sive natura et essentia. Dixi autem quantum ad rem, nam quantum ad modum significandi aliquo modo differunt, ut postea dicemus ex D. Thom 1. p. q. 39. a. 5.

Sequitur 9. In Deo non esse compositionem ex esse et essentia.

9. — Ibidem. a. 1.

Probatur sequela. Ubi esse est idem, quod essentia, non reperitur compositio ex esse et essentia; quia compositio exigit distinctionem : Sed, ex dictis, esse in Deo est idem, quod essentia : Ergo in Deo non est compositio ex esse et essentia.

Sequitur 10. Deum non esse compositum, sed simplicem.

10. — Ibidem. a. 7.

Probatur sequela. Illud, in quo nulla est compositio, est omnino simplex : Sed in Deo nulla est compositio, ex dictis, nec etiam compositio rationis, ut mox ostendemus : Ergo Deus non est compositus, sed omnino simplex.

Sequitur 11. Deum esse infinitum.

11. — 1. p. q. 7. a. 1.

Probatur sequela. Quod nullo modo est limitatum et finitum, est infinitum, ut ex terminis patet : Sed Deus nullo medo est limitatus et finitus : Ergo est infinitus. *Minor probatur ex dictis :* Quod nullum habet limitativum sive finem, non est limitatum et finitum : Sed Deus nullum habet limitativum : Ergo, etc. *Minor probatur :* Diximus in primo principio, omne limitativum, vel esse limitativum formale vel materiale; formale est, quod ut forma limitat et determinat ad certam speciem; ma-

teriale est, quod ut materia limitat et determinat ad individuum : Atqui in Deo non est limitativum materiale sive per modum materiæ, quia, cum sit actus purus, nulla est in eo potentia ; nullum etiam est limitativum formale : Ergo, etc. *Secunda pars minoris probatur :* In esse per se subsistente nullum est limitativum formale : Sed, ex dictis, Deus est ens per se subsistens : Ergo in Deo nullum est limitativum formale. *Major probatur :* Omne limitativum formale se habet ut forma et differentia superveniens illi, quod determinat : Atqui in esse per se subsistente non potest esse forma vel differentia : Ergo nec limitativum formale. *Minor probatur :* Omnis forma et differentia est actualitas ejus, cui supervenit : Sed in esse per se subsistente non potest esse aliqua actualitas, quæ illi superveniat, cum ipsum esse sit ultima actualitas, post quam non potest esse ulterior : Ergo in esse per se subsistente non potest esse forma vel differentia, quæ superveniens limitet, actuet et determinet.

Explicatur : Esse per se subsistens duo habet, videlicet, quod sit existentia et ultima actualitas, et quod sit subsistens, hoc est, quod sit irreceptum in essentia vel natura : Ex eo, quod sit ipsa ultima actualitas non potest habere ulteriorem actualitatem, per quam determinetur veluti ad certam speciem, sed debet habere omnem rationem, quæ pertinet ad ipsum esse secundum totam latitudinem essendi seclusis imperfectionibus, quæ non sunt de ratione ipsius esse, sed potius pertinent ad non esse : Ex eo vero, quod esse est per se subsistens, non potest recipi in aliquo tanquam subjecto, id enim, quod per se subsistit, non potest recipi in alio, atque adeo non potest limitari ex hoc, quod recipiatur in alio : unde fit, quod careat omni limitativo tam formali sive differentiali, quam materiali et veluti individuante.

Sequitur 12. In omni alio ente creato essentiam differre realiter ab existentia.

12. — 1. p. q. 3. a. 4.

Probatur sequela. Quod convenit Deo, quatenus est actus purus, non potest convenire alicui enti creato : Sed esse ipsum esse per se subsistens, sive existentiam Dei non distingui ab ejus essentia, convenit Deo ex eo, quod sit actus purus : Ergo non potest convenire ulli rei creatæ.

Sequitur 13. Nullam rem creatam esse infinitam per essentiam.

13. — 1. p. q. 7. a. 2.

Probatur sequela. Omne illud, cujus esse non est ipsa ipsius essentia, est finitum per essentiam : Sed, ex dictis, omne ens creatum est hujusmodi, ut ejus esse non sit ipsius essentia : Ergo omne creatum est finitum per essentiam. *Major patet :* Quia omne illud, cujus esse non est essentia, habet esse receptum, atque adeo finitum et limitatum per essentiam : unde nec essentia limitans potest esse infinita.

Sequitur 14. Deum esse summe perfectum.

14. — 1. p. q. 4. a. 1.

Probatur sequela. Actus purus et infinitus debet esse summe perfectus, Sed Deus est actus purus, et infinitus : Ergo est summe perfectus. *Minor patet,* ex dictis. *Major probatur :* Quia, quod maxime est in actu et in actu infinito, est summe perfectum : perfectum enim dicitur, quasi penitus factum, id est, cui nihil deest ; quamvis autem Deus non possit dici penitus factus, quia, ut diximus, est ens improductum, est tamen id, cui nihil omnino deest.

Sequitur 15. In Deo esse perfectiones omnes omnium rerum.

15. — Ibidem. a. 2.

Probatur sequela. Ens per se subsistens continet perfectiones omnes

omnium rerum : Atqui Deus est ens per se subsistens, ex dictis : Ergo, etc. *Major patet :* Quia, ut ostendimus, esse per se subsistens importat totam plenitudinem essendi nullo modo limitatam : Atqui plenitudo essendi continet omnes perfectiones : Ergo, etc.

Sequitur 16. Deum continere eminenter formaliter omnes omnino perfectiones simpliciter.

16. — Ibidem et 1. Contra gent. c. 28. et 31.

Explicatur : Perfectio simpliciter simplex dicitur illa, quæ nullam in suo conceptu formali includit imperfectionem : Dixi in suo conceptu formali, hoc est, in ratione formali, per quam in suo esse constituitur, v. g. Sapientia formaliter sumpta dicit cognitionem per altissimas causas ; quod vero sit substantia vel accidens, qualitas, habitus, hæc non dicit in suo conceptu formali. Quando ergo dicitur, quod Deus continet eminenter formaliter omnes perfectiones simpliciter simplices, nihil aliud intendimus, nisi quod Deus continet rationes formales, quas important hujusmodi perfectiones, et ideo dicimus Deum continere formaliter has perfectiones, quia continet illas secundum illarum conceptus et rationes formales : Sed, quia hæ perfectiones in rebus creatis important saltem de materiali aliquas imperfectiones, puta, sapientia importat rationem accidentis, qualitatis, habitus, etc. idcirco dicimus, quod continet illas eminenter, hoc est, in eminenti et elevata quadam perfectione, quæ excludit omnem omnino imperfectionem de materiali importatam.

Probatur ergo sequela : Plenitudo essendi per modum actus puri importat omnes omnino perfectiones seclusis omnibus imperfectionibus : Sed, ex dictis, Deus est ipsa plenitudo essendi, quia est ens per se subsistens per modum actus puri : Ergo Deus importat omnes omnino perfectiones seclusis imperfectionibus, quod est illas continere formaliter eminenter, ut patet ex explicatione.

Sequitur 17. Deum continere perfectiones secundum quid dumtaxat eminenter.

17. — Ibidem.

Explicatur : Perfectio secundum quid, est illa, quæ in suo conceptu formali importat imperfectionem, ita ut ejus conceptus formalis non possit præscindi ab imperfectione, sicut ratiocinari est perfectio secundum quid, quia importat quidem perfectionem intelligendi, sed ipsa intellectio non est totus et adæquatus conceptus, quem importat ; dicit enim præterea transitum ab una cognitione ad aliam, qui transitus est imperfectio, quia dicit mutabilitatem et potentialitatem.

Probatur ergo sequela : Quod continet omnem perfectionem seclusis imperfectionibus. continet perfectionem secundum quid tantum eminenter : Sed Deus utpote infinite perfectus continet omnem omnino perfectionem seclusis imperfectionibus : Ergo Deus continet perfectionem omnem secundum quid tantum eminenter, et non formaliter, id est, secundum propriam formalem illius rationem, eo quod dicat imperfectionem.

Sequitur 18. Deum continere omnes perfectiones omnium rerum genericas, specificas, numericas, essentiales, accidentales, etc. saltem eminenter.

Probatur sequela. Quod est infinite perfectum continet omnes omnino perfectiones genericas, specificas, etc. saltem eminenter, ex dictis : Sed Deus est infinite perfectus, ut demonstratum est : Ergo, etc.

Sequitur 19. Deum cum universo, id est, cum omnibus creaturis, non esse aliquid perfectius intensive vel extensive, quam Deum solum.

19. — Ibidem, et In 1. dist. 2. a. 2. et 3.

Probatur sequela. Nihil est perfe-

ctius intensive vel extensive ex hoc, quod adjungantur illi imperfectiones, si aliunde continet omnes omnino perfectiones etiam numericas : Sed, ex dictis, Deus continet omnes omnino perfectiones etiam numericas, et per hoc, quod ei adjungantur res creatæ non adjunguntur nisi imperfectiones, quandoquidem continet in se omnes perfectiones etiam numericas : Ergo per hoc non fit quid perfectius sive intensive vel extensive.

Sequitur 20. Nullam omnino imperfectionem esse in Deo.

20. — Ibidem.

Probatur sequela. In eo, quod est omnino et infinite perfectum, nulla est imperfectio, quia imperfectio est defectus perfectionis : Sed Deus est omnino et infinite perfectus : Ergo, etc.

Sequitur 21. Nullum omnino fundamentum distinctionis etiam rationis, quæ oritur ex potentialitate rei conceptæ posse reperiri in Deo.

21. — Opusc. 3. c. 24. Opusc. 72 q. 5 ; 1. p. q. 11. a. 4. et 12 ; 1. Contra gent. c. 5.

Probatur sequela. Fundamentum distinctionis etiam rationis, quæ oritur ex potentialitate rei conceptæ, importat imperfectionem ex parte rei conceptæ : Sed in Deo nulla est omnino imperfectio : Ergo in Deo nullum est fundamentum distinctionis etiam per rationem ortæ ex potentialitate. *Major patet :* Quia potentialitas ex parte rei conceptæ est imperfectio, atque adeo fundamentum distinctionis etiam per rationem ortæ ex potentialitate ex parte rei conceptæ importat imperfectionem.

Sequitur 22. Ea, quæ distinguuntur in rebus creatis ob potentialitatem ipsarum, nullo modo distingui in Deo etiam virtualiter, hoc est, per rationem cum fundamento ex parte Dei.

22. — De verit. q. 2. a. 1. et q. 21. a. 4 ; De potent. q. 1. a. 1. et q. 7. a. 6. et q. 9. a. 6.

Probatur sequela. Quæ distinguuntur ob imperfectionem rei conceptæ, non possunt distingui ullo modo in Deo ; alias in Deo reperiretur illa imperfectio, quæ esset fundamentum illius distinctionis : Sed, quæ distinguuntur virtualiter, id est, cum fundamento, ita ut fundamentum sit potentialitas ex parte rei conceptæ, distinguuntur ob imperfectionem : Ergo quæ sic distinguuntur in creatis, nullo modo possunt distingui in Deo.

Adverte igitur ex duplici capite posse aliqua distingui vel per rationem in rebus creatis ; *primo* ex ratione formali seclusa omni potentialitate et imperfectione : et sic intellectus et voluntas distinguuntur in rebus creatis, quia alia est ratio formalis intellectus, alia voluntatis ; *secundo* possunt aliqua distingui in rebus creatis propter potentialitatem, sicut intellectus et intelligere : intellectus enim non distinguitur ab intelligere, nisi quia intellectus est potentia ad intelligendum.

Adverte præterea, quod ad distinctionem virtualem sive rationis cum fundamento in re, non sufficit, quod distinctio fiat ex modo nostro concipiendi præcise, sed debet esse in re aliquod fundamentum vel proximum vel remotum, propter quod fiat hujusmodi distinctio ; et sic quando distinguimus in angelis naturam specificam ab individuali, v. g. naturam specificam Gabrielis, ab individuali, ut reddamus illam universalem, non vere distingueremus distinctione rationis cum fundamento in re, si haberemus tantum fundamentum ex parte modi nostri concipiendi : Sed, quia habemus fundamentum saltem remotum ex parte rei conceptæ, idcirco distinguimus : fundamentum autem ex parte rei conceptæ est, quod natura Gabrielis non sit sua existentia, vel sua subsistentia, quæ reddit naturam omnino incommunicabilem.

Igitur in Deo, cum nulla sit potentialitas, non possumus ponere distinctionem rationis fundatam in sola potentialitate.

Sequitur 23. Distinctionem omnem rationis, quæ reperitur in Deo, esse ex ratione formali eorum quæ distinguuntur.

23. — Ibidem.

Probatur sequela. Omnis distinctio rationis cum fundamento vel est ex ratione formali, vel ex potentialitate : Sed distinctio rationis ex potentialitate non est in Deo, ut dictum est : Ergo distinctio omnis per rationem cum fundamento debet esse in Deo ex ratione formali.

Sequitur 24. Quæ distinguuntur in Deo tantum penes objectum materiale vel connotatum, non distingui virtualiter.

24. — Ibidem.

Probatur sequela. Quæ non distinguuntur ex ratione formali, non distinguuntur virtualiter in Deo : Sed quæ distinguuntur in Deo penes objectum materiale tantum vel connotatum non distinguuntur ex ratione formali : nam objectum materiale et connotatum non faciunt diversam rationem formalem, sed sub eadem ratione formali sunt cum objecto aut termino primario, ut patet etiam in rebus creatis, et dicemus in tertio principio : Ergo quæ distinguuntur solum ex objecto materiali vel connotato, non distinguuntur virtualiter.

Sequitur 25. Omnem distinctionem rationis repertam in Deo fundari in eminentissima illius perfectione.

25. — De verit. q. 21. a. 4. ad 8. et 9. Opuscul. 3. c. 24.

Explicatur : Eminentissima Dei perfectio est hujusmodi, ut cum sit una et simplicissima contineat omnes omnino perfectiones, ex dictis ; et quia nos propter imbecillitatem et limitationem intellectus nostri non possumus illam unicam, et simplicissimam perfectionem unico conceptu concipere, illam veluti dividimus in plures secundum diversas perfectiones, quas videmus distinctas in rebus creatis ex vi rationum formalium, et non ex sola potentialitate rerum creatarum : et sic distinguimus v. g. intellectum in Deo ab ipsius voluntate.

Probatur ergo sequela. Quidquid est in Deo realiter, debet esse perfectio simpliciter simplex, ex dictis, et hæc perfectio ita est una, ut omnes contineat, ut ostensum est : Atqui fundamentum distinctionis virtualis est realiter in Deo ; alias absque fundamento distingueremus in Deo attributa : et sic non esset distinctio virtualis sive rationis cum fundamento : Ergo hujusmodi fundamentum debet esse ipsa divina perfectio, quatenus ita est una, ut nihilominus omnes contineat.

Sequitur 26. Quæcumque pertinent ad eamdem rationem formalem, etiamsi realiter distinguantur in rebus creatis, non distingui etiam virtualiter in Deo.

26. — Opusc. 9. q. 1; In 1. dist. 2. a. 3. et dist 22.

Probatur sequela. Quæ distinguuntur ob solam potentialitatem in rebus creatis, nullo modo etiam virtualiter distinguuntur in Deo : Sed quæ pertinent ad eamdem rationem formalem, non distinguuntur nisi ob potentialitatem in rebus creatis : Ergo quæ pertinent ad eamdem rationem formalem non distinguuntur etiam virtualiter in Deo.

Sequitur 27. Omnem perfectionem, quæ continetur in Deo, contineri in ipso essentialiter.

27. — 1. p. q. 3. a. 6.

Probatur sequela. Quod continetur in re essentialiter infinita, quia est infinita, continetur essentialiter : Sed omnis perfectio continetur in Deo, quia est res essentialiter infinita : Ergo continetur essentialiter. *Major patet,* quia eo modo continetur aliquid in re, quo illa res est infinita, si tota ratio continendi sit infinitas. Minor vero ex dictis est evidens.

Sequitur 28. Nullam perfectionem esse Deo accidentalem.

27. — Ibidem.

Probatur sequela. Perfectio, quæ continetur in aliqua re essentialiter, non est illi accidentalis : Sed omnis perfectio continetur in Deo essentialiter, ex dictis : Ergo nulla perfectio est in Deo accidentalis.

Sequitur 29. In Deo non esse compositionem ex subjecto et accidente.

Probatur sequela. In eo, in quo omnis perfectio continetur essentialiter, non potest esse compositio ex accidente et subjecto, ut est evidens : Sed in Deo omnis perfectio continetur essentialiter : Ergo in Deo non potest esse compositio ex accidente et subjecto.

Sequitur 30. In Deo non esse compositionem rationis sive Metaphysicam ex genere et differentia.

30. — Ibid. aq. 5.

Probatur sequela. Nulla compositio, quæ supponit distinctionem etiam rationis fundatam in potentialitate, potest esse in Deo, ut patet ex dictis : Sed compositio ex genere et differentia supponit distinctionem rationis fundatam in sola potentialitate : Ergo compositio ex genere et differentia non potest esse in Deo. *Major est evidens* ex dictis : quia in Deo nulla est distinctio etiam rationis fundata in sola potentialitate. *Minor etiam patet* ex iis, quæ diximus in primo principio : quia genus est quid potentiale ; et præterea quia genus et differentia in rebus creatis ponuntur ex eo, quod essentia sive natura est quid potentiale in ordine ad esse sive ad existentiam et subsistentiam : ex eo enim quod natura concipitur potentialis ad existentiam et subsistentiam, concipitur ut communicabilis pluribus.

Sequitur 31. Deum non esse in ullo genere vel prædicamento.

31. — Ibidem.

Probatur sequela : Primo, quia si Deus foret in aliquo genere vel prædicamento, maxime in genere et prædicamento entis : Atqui hoc dici non potest, quia ex primo principio ens non est genus : Ergo, etc. *Secundo* nullum potentiale potest concipi in Deo, ex dictis : Sed omne genus est quid potentiale, ut ostendimus in primo principio : Ergo nullum genus potest concipi in Deo. *Tertio* si aliqua foret differentia Dei, per quam differret a cæteris rebus, maxime ipsa infinitas : Sed infinitas non potest esse differentia Dei : Ergo, etc. *Minor probatur.* Nulla differentia includit genus, ex primo principio : Sed infinitas includit omnia : ex eo enim quod aliquid sit simpliciter infinitum, debet includere omnem omnino perfectionem, ut ostendimus : Ergo infinitas non potest esse differentia.

Sequitur 32. Omnem perfectionem divinam includere quamlibet aliam.

32. — Opusc. 9. q. 2. et 3.

Probatur sequela : Omnis perfectio simpliciter infinita includit quamlibet aliam, alioquin non esset infinita simpliciter : Sed omnis perfectio divina ex eo, quod est divina, est infinita simpliciter : Ergo omnis perfectio divina, ex eo, quod est divina, includit omnem aliam.

Sequitur 33. Inter perfectiones divinas non dari distinctionem etiam virtualem per modum excludentis et exclusi.

33. — Opusc. 9. q. 2. et 3.

Probatur sequela : Inter ea, quæ se mutuo essentialiter includunt ut sic, non potest dari distinctio virtualis per modum excludentis et exclusi, ut patet ex terminis : Sed omnes perfectiones divinæ sese mutuo essentialiter includunt ; quælibet enim ex eo,

quod est divina, essentialiter est finita, atque adeo includit omnem aliam : Ergo inter perfectiones divinas non datur distinctio virtualis per modum excludentis et exclusi.

Sequitur 34. Unum attributum divinum non posse perfecte præscindi ab alio, vel ab essentia, sicut nec essentiam ab attributis.

34. — Ibidem.

Probatur sequela : Quæ se mutuo essentialiter includunt, ita se habent, ut unum non possit perfecte præscindi ab alio, ut patet ex his, quæ in primo principio diximus de ente et modis differentibus entis : Sed divinæ perfectiones (quas vocamus attributa, quia illas attribuimus Deo) ita se habent, ut sese mutuo essentialiter includant, et essentia includat attributa, ut ostendimus : Ergo non possunt perfecte per intellectum præscindi.

Sequitur 35. Inter essentiam divinam et attributa, et inter ipsa attributa non dari distinctionem ex natura rei, sive mediam inter realem et rationis.

Probatur sequela : Primo, quia, ut diximus in primo principio, non datur hujusmodi distinctio media sive ex natura rei. *Secundo,* inter ea, quæ se mutuo essentialiter includunt non potest dari distinctio ex natura rei, quia hæc distinctio est per modum excludentis et exclusi : Sed essentia divina et attributa se mutuo essentialiter includunt, ex dictis : Ergo inter illa non potest dari distinctio ex natura rei.

Sequitur 36. Quod, si essentia divina vel ejus attributa cognoscerentur a nobis, ut sunt in se, non potest cognosci essentia sine attributis, nec attributa sine essentia, nec unum attributum sine aliis.

36. — Ibidem.

Probatur sequela : Quæ ut sunt in se mutuo essentialiter se includunt, non possunt cognosci ut sunt in se, nisi cognoscantur ut se mutuo essentialiter includentia, ut ex terminis patet : Sed essentia divina et attributa ut sunt in se mutuo essentialiter se includunt : Ergo si cognoscantur ut sunt in se, unum non potest cognosci sine alio.

Sequitur 37. Deum esse perfectissime simplicem.

37. — 1. p. q. 3. a. 7.

Probatur sequela : Illud, in quo nulla est distinctio nequidem virtualis per modum excludentis et exclusi, est perfectissime simplex : Sed in Deo nulla est distinctio nequidem virtualis per modum excludentis et exclusi, ex dictis : Ergo, etc. *Major patet,* quia, quod excludit omnem omnino compositionem est perfectissime simplex : Sed quod excludit omnem omnino distinctionem etiam virtualem per modum excludentis et exclusi, excludit etiam omnem omnino compositionem : nam ad compositionem requiritur distinctio partium componentium per modum excludentis et exclusi, ut patet : Ergo, etc.

Sequitur 38. Deum non posse in compositionem aliorum venire, hoc est, Deum non posse esse partem, ex qua cum alia parte resultet aliquod totum.

38. — Ibidem. a. 8.

Probatur sequela : Quod nullam includit imperfectionem, non potest esse pars, ex qua aliud componatur : quia omnis pars, ex qua totum componitur est imperfectior toto, et aliquo modo est potentialis respectu alterius partis : Sed Deus nullam omnino potest includere imperfectionem : Ergo, etc. Hinc habes, multo magis repugnare, quod Deus materiæ vel formæ physicæ rationem habeat, quia materia est quid potentiale, et forma, ut diximus, limitatur per materiam, quando in ea vere ac physice recipitur.

Sequitur 39. Deum non posse esse nisi unum essentialiter.

39. — 1. 1. q. 11. a. 3.

Probatur sequela ; Infinite perfectum nullam habens imperfectionem non potest esse nisi unum : Sed Deus est ens infinite perfectum nullam habens imperfectionem : Ergo non potest esse nisi unum. *Minor patet ex dictis. Major probatur.* Ea, inter quæ nullum potest esse principium distinctionis, non possunt esse nisi unum et idem : Sed infinite perfecta nullam habentia imperfectionem ita se haberent, ut inter illa nullum posset esse principium distinctionis : Ergo illa non possent esse nisi unum et idem. *Major* est evidens ex terminis. *Minor probatur.* Principium distinctionis in illis, vel esset perfectio quædam, vel imperfectio : Neutrum dici potest : Ergo, etc. *Minor probatur* quia si principium distinctionis esset aliqua perfectio, deberet esse aliqua perfectio in uno, quæ non esset in alio, atque adeo neutrum esset infinite perfectum : quia non haberet perfectionem, quam haberet alterum, et per quam alterum distingueretur ab altero : si vero principium distinctionis esset imperfectio, aliqua imperfectio esset in uno saltem, et sic non esset infinite perfectum nullam habens imperfectionem. Nec dicas hanc ratiocinationem destruere mysterium Trinitatis : quia alia est ratio distinctionis essentialis, alia distinctionis personarum : distinctio enim essentialis debet fieri per differentias, quæ necessario debent esse perfectiones rerum, quarum sunt differentiæ : distinctio vero personarum potest fieri per relationes, quæ secundum se non dicunt perfectionem vel imperfectionem, ut postea dicemus.

Sequitur 40. Deum esse bonum.

40. — 1. p. q. 6.

Probatur sequela ; Perfectum et bonum idem sunt, ut diximus in primo principio : Sed, ex jam dictis, Deus est perfectus. Ergo et bonus.

Sequitur 41. Deum esse summum bonum.

41. — Ibidem.

Probatur sequela: Infinite perfectum est summum bonum, quia eo modo est bonum, quo perfectum : Sed Deus est infinite perfectus : Ergo est etiam summum bonum.

Sequitur 42. Deum esse ultimum omnium rerum finem.

42. — Ibid. et 1. 2. q. 3. a. 8.

Probatur sequela : Summum bonum est ultimus finis : quia bonum et finis idem sunt, ex primo principio : Sed Deus est summum bonum : Ergo est ultimus finis.

Sequitur 43. Deum esse bonum per essentiam.

43. — 1. p. q. 6. a. 3.

Explicatur : Dupliciter potest aliquid dici bonum per essentiam ; *primo,* quia ipsa essentia rei est ex se actualis et perfecta ; *secundo,* quia essentia rei est ipsa bonitas : Hinc ergo.

Probatur sequela : Essentia Dei est ex se actualis et perfecta, quia est suum esse continens omnem perfectionem, imo est ipsa perfectio, ut ostendimus : Sed hoc est esse bonum per essentiam utroque modo explicato : Ergo Deus est bonum per essentiam.

Sequitur 44. Omnia alia entia a Deo posse dici bona bonitate divina.

44. — 1. p. q. 6. a. 4.

Explicatur : Aliquid potest dici bonum dupliciter ; *primo,* quia habet entitatem et perfectionem in se ; *secundo,* quia est medium ordinatum et conducens ad aliquem finem ; primo modo quælibet res est bona intrinsece per suam entitatem actualem ; secundo modo res ordinata ad finem dicitur bona a bonitate finis.

Probatur ergo sequela. Res ordinatæ ad finem sunt bonæ a bonitate finis : Sed res omnes sunt ordinatæ ad Deum tanquam ad finem, cum, ex dictis, Deus sit ultimus omnium rerum finis : Ergo res omnes possunt dici bonæ a bonitate Dei.

Sequitur 45. Res creatas non esse bonas per essentiam.

45. — 1. p. q. 6. a. 1.

Probatur sequela. Nulla res creata est perfecta per suam essentiam, nec ulla res creata est essentialiter sua perfectio, quia, ut diximus, in omni re creata, esse distinguitur ab essentia ; et existentia est actualitas et perfectio cujuslibet rei : Sed idem est esse bonum ac perfectum : Ergo nulla res creata est bona per essentiam.

Sequitur 46. Deum esse omnino immutabilem.

46. — 1. p. q. 9. a. 1.

Probatur sequela : Quod nullo modo est in potentia, est omnino immutabile, quia mutabilitas dicit potentialitatem : Sed Deus non est in potentia, cum sit actus purus ex dictis : Ergo Deus est omnino immutabilis.

Sequitur 47. Omne aliud ens a Deo esse mutabile.

47. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela : Omne, quod dicit potentiam, est mutabile : Sed omne ens creatum dicit potentiam, cum non sit actus purus : Ergo omne creatum est mutabile.

Sequitur 48. Deum esse æternum.

48. — 1. p. q. 10. a. 2.

Probatur sequela : Quod est omnino immutabile, est æternum : Sed Deus est omnino immutabilis : Ergo est æternus. *Major probatur :* Infinitum semper uniforme in esse et operari, est æternum : Sed quod est omnino immutabile, est infinitum, et semper uniforme in esse et operari : Ergo quod est omnino immutabile est æternum. *Major patet :* quia sicut tempus est numerus sive mensura motus secundum prius et posterius : ita æternitas est mensura infiniti semper uniformis, et hoc, quia, quod mensuratur tempore, habet prius et posterius, atque adeo partem priorem et posteriorem, et consequenter principium et finem ; æternitas vero utpote opposita tempori non habet partes, sed est tota simul, nec habet principium et finem.

Sequitur 49. Nullam rem a Deo esse æternam.

49. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Quod non est omnino immutabile, non est æternum, ut patet ex dictis : Sed nulla res a Deo est omnino immutabilis : Ergo nec æterna.

Sequitur 50. Æternitatem differre ab ævo et tempore.

50. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Mensura infinita et tota simul rei infinitæ et uniformis, differt ab omni finita et non omnino uniformi : Sed æternitas est mensura infinita et omnino uniformis, tempus vero est mensura finita et non uniformis sicut et ævum, cum hac tamen differentia, quod tempus proprie est mensura rei mutabilis quoad esse et operari, ævum vero est mensura rei mutabilis quoad operari, et immutabilis quoad esse ex principiis intrinsecis : Ergo æternitas differt ab ævo et tempore.

Sequitur 51. Æternitatem includere omnes omnino durationes inferiores, hoc est, ævum et tempus.

51. — 1. p. 13. 9. a. 13.

Probatur sequela. Mensura superior et infinita includit omnes inferiores ab ea essentialiter dependentes : Sed æternitas est mensura superior et infinita, ex dictis : Ergo includit omnes omnino durationes inferiores ævum et tempus, quæ ab illa essen

tialiter pendent, sicut res creatæ a Deo.

Sequitur 52. Æternitatem includere omnia, quæ in ævo et tempore continentur.

52. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod includit continens, includit etiam contentum, ut experientia constat : Sed æternitas includit ævum et tempus, quæ continent omnia, quæ aliquando existunt : Ergo æternitas includit etiam illa.

Sequitur 53. Omnia simul esse præsentia in æternitate.

53. — Ibidem

Probatur sequela. Quæ continentur in aliqua duratione tota simul et non successiva, sunt illi præsentia simul ; continentia enim illa in duratione non est, nisi præsentia : Sed, ex dictis, omnia continentur in æternitate, quæ est duratio tota simul et non successiva : Ergo omnia sunt illi simul præsentia.

Sequitur 54. Hanc præsentiam rerum omnium non esse tantum objectivam, sed realem.

Probatur sequela. Et primo quidem, quia talis debet esse præsentia rerum in æternitate, qualis est continentia, qua æternitas continet tempus et ævum, atque adeo, quæ sunt in tempore et ævo : Sed hæc continentia, qua æternitas continet ævum et tempus non est tantum objectiva, sed realis : Ergo et præsentia rerum in æternitate debet esse nedum objectiva, sed etiam realis. *Major est evidens* ex dictis ; Quia præsentia rerum oritur tanquam ex causa sive ratione a priori ex continentia. *Minor non est minus certa :* Quia æternitas non continet tantum objective ævum et tempus, sed vere ac realiter tanquam mensura realis superior et infinita. Unde *probatur secundo sequela :* Continentia in ratione mensuræ et durationis non est continentia tantum objectiva et in esse intelligibili ac repræsentativo, sed est continentia in ratione mensuræ realis : Atqui præsentia, quæ est tantum objectiva, non convenit æternitati in ratione mensuræ et durationis, bene autem præsentia realis : Ergo præsentia non tantum objectiva, sed realis est illa quæ convenit æternitati.

Confirmatur : Infinitas æternitatis in ratione mensuræ distinguitur virtualiter in Deo ab infinitate, quæ convenit cognitioni in ratione cognitionis eo modo, quo æternitas et cognitio in Deo distinguuntur : Sed ex infinitate cognitionis oritur continentia et præsentia objectiva, et ex infinitate æternitatis in ratione durationis oritur continentia et præsentia alterius rationis : Ergo ex continentia et præsentia orta ex infinitate æternitatis in ratione durationis non oritur præsentia objectiva, quæ non competit durationi ut sic, sed tantum cognitioni ; atque adeo continentia et præsentia orta ex æternitate est realis.

Denique *probatur sequela.* Præsentia conveniens æternitati debet esse hujusmodi respectu Dei, ut excludat, quod aliquid habeat rationem præteriti vel futuri respectu ipsius, quia in æternitate utpote duratione indivisibili nihil potest habere rationem præteriti vel futuri : Sed præsentia objectiva non excludit rationem præteriti vel futuri, nam, quæ cognoscimus ut præterita vel futura, habent præsentiam objectivam, et in esse repræsentato et cognito : Ergo præsentia objectiva non est illa, quæ convenit æternitati, sed solum realis.

Ut autem solvas omnia argumenta in oppositum, *adverte,* quod quando nos formamus propositiones etiam de rebus in æternitate existentibus, ut plurimum ac fere semper admiscemus tempus nostrum, quia verbum, quo copulamus prædicatum cum subjecto, consignificat tempus nostrum, et idcirco committitur æquivocatio dum a tempore nostro arguimus ad

æternitatem, vel ex nunc æternitatis ad nostrum tempus.

Adverte secundo, quod licet æternitas in se absolute ac simpliciter sit indivisibilis, atque adeo secundum se nullas omnino habeat partes, nihilominus nos ex defectu nostri intellectus distinguimus secundum nostrum modum concipiendi veluti quasdam partes virtuales, quando illam concipimus per correspondentiam, et comparationem ad nostrum tempus, et idcirco in æternitate per correspondentiam ad nostrum tempus plura concipimus, quæ illi non competunt secundum se.

Adverte denique, res ex se non esse præsentes in æternitate, sed tota ratio istius præsentiæ est ipsa æternitas, quatenus continet mensuras proprias, et proprias rerum durationes : unde res non sunt præsentes realiter æternitati, nisi quia sunt præsentes in propriis durationibus contentis intra æternitatem. In quo est magna differentia inter Deum, et res creatas, quia Deus est in æternitate tanquam in propria mensura, ut patet ex dictis, res vero creatæ sunt præsentes æternitati, non ut in propria mensura, sed ut in mensura superiori, infinita et indivisibili, continente durationes proprias rerum.

Sequitur 55. Deum esse omnino immaterialem.

55. — 1. p. q. 14. a. 1.

Probatur sequela. Actus purus debet esse omnino immaterialis, ut patet ex dictis : Sed Deus est actus purus : Ergo, etc.

CAPUT II.

De cognoscibilitate et visione Dei.

Sectio I^a. — De cognoscibilitate et visione Dei.

Sequitur 56. Deum esse summe intelligibilem.

Probatur sequela. Quod est summe immateriale, est summe intelligibile, ex dictis in primo principio : Sed Deus est summe immaterialis : Ergo est etiam summe intelligibilis.

Sequitur 57. Intelligibilitatem Dei superare in infinitum omnem intellectualitatem sive vim intelligendi cujuscumque intellectus creati vel creabilis.

57. — 1. p. q. 12. a. 4. et 7.

Probatur sequela. Eo modo superat intelligibilitas intellectualitatem sive vim intelligendi, quomodo immaterialitas objecti superat immaterialitatem virtutis intellectivæ : Sed immaterialitas Dei superat in infinitum immaterialitatem cujuscumque intellectus creati vel creabilis : Ergo intelligibilitas Dei superat in infinitum intellectualitatem sive vim intelligendi cujuscumque intellectus creati vel creabilis. *Major patet,* ex dictis, in primo principio, ubi ostendimus immaterialitatem esse causam intelligibilitatis, et unumquodque in tantum esse intelligibile et intellectuale, in quantum est immateriale. *Minor vero constat* ex dictis : quia immaterialitas actus puri et infiniti superat in infinitum immaterialitatem, quæ admittit potentialitatem.

Sequitur 58. Nullum intellectum creatum vel creabilem posse viribus naturalibus clare ac quidditative et intuitive cognoscere Deum.

58. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Nullus intellectus potest propriis viribus clare, quidditativè, et intuitivè attingere objectum, quod superat in infinitum vim suam intellectivam : Sed Deus ut objectum intelligibile superat in infinitum vim omnem intellectivam creatam vel creabilem, ex dictis : Ergo nullus intellectus potest viribus naturalibus clare, quidditative et intuitivè cognoscere Deum.

Sequitur 59. Nullam posse dari substantiam creatam supernaturalem.

59. — 1. 2. q. 110. a. 2; In 2. dist. 36. a. 2.

Probatur sequela. Substantia creata

supernaturalis posset propriis viribus videre clare, et quidditative Deum : Atqui hoc est impossibile, ex dictis : Ergo est impossibilis substantia creata supernaturalis. Alias ad hoc rationes adducemus in tertio principio.

Sequitur 60. Nullam posse dari substantiam creatam, cui gratia, lumen gloriæ et alia accidentia supernaturalia sint connaturalia.

60. — 1. p. q. 12. a. 5. ad 3. 3. p. q. 2. a. 12; In 1. dist. 17. q. 1. a. 1. ad 8; In 2. dist. 25. q. 1. a. 1. ad 5.

Probatur sequela. Substantia, cui gratia, et lumen gloriæ, aliave accidentia supernaturalia essent connaturalia, deberet esse supernaturalis : Atqui non potest dari substantia creata supernaturalis : Ergo non potest dari substantia, cui connaturalia sint gratia, etc. *Major patet :* Quia, quod est alicui connaturale, est ejusdem ordinis, cum eo, cui est connaturale, et e contra : Atqui gratia, lumen gloriæ, etc. sunt ordinis supernaturalis, ut est omnino certum, et nos probabimus : Ergo substantia, cui hæc accidentia essent connaturalia, esset ordinis supernaturalis : Unde hujusmodi substantia esset natura creata et nihilominus esset supernaturalis, hoc est, superans totam naturam creatam et creabilem, quod manifeste implicat.

Sequitur 61. Solum Deum posse esse substantiam supernaturalem.

61. — Ex iisdem locis.

Probatur sequela. Nulla substantia creata est supernaturalis : Ergo solus Deus potest esse substantia supernaturalis.

Sequitur 62. Accidentia supernaturalia debere dicere aliquem specialem ordinem ad Deum, ut vere sint supernaturalia.

62. — 1. 2. q. 110. a. 2. ad 3.

Probatur sequela. Omne illud accidens, quod est hujusmodi, ut nulli creatæ vel creabili substantiæ sit connaturale, sed potius est supernaturale, debet dicere aliquem specialem ordinem ad Deum, ut substantiam supernaturalem : accidens enim, cum sit entis ens, debet specificari per respectum ad aliquam substantiam, ut diximus in primo principio : Sed accidentia supernaturalia nulli substantiæ creatæ vel creabili sunt connaturalia, atque adeo non possunt ab ulla specificari : Ergo accidentia supernaturalia debent specificari per ordinem specialem ad Deum, ut est substantia supernaturalis.

Sequitur 63. Hunc ordinem accidentium supernaturalium non posse esse ordinem formæ ad subjectum.

63. — Ibid. 1. 2. q. 62. a. 1. et 2.

Probatur sequela. Nullum accidens potest dicere ordinem ad substantiam incapacem recipiendi accidentia tanquam ad proprium subjectum : Sed Deus, cum sit actus purus, est incapax recipiendi ulla accidentia, ut diximus : Ergo nullum accidens potest dicere ordinem ad Deum tanquam ad subjectum, atque adeo hæc accidentia supernaturalia non possunt dicere ordinem ad Deum tanquam ad subjectum.

Sequitur 64. Hunc ordinem accidentium supernaturalium ad Deum debere esse ordinem ad ipsum tanquam ad proprium specificativum.

64. — 1. 2. q. 63. a. 1; 2. 2. q. 17. a. 5. et 6.

Probatur sequela. Ordo accidentium ad Deum non potest esse, nisi vel ordo transcendentalis rei creatæ ad Deum, vel ordo formæ ad subjectum, vel ordo ad Deum tanquam ad proprium specificativum : Sed ordo, qui constituit accidentia et facit ea supernaturalia, non est ille primus, qui est communis omnibus rebus creatis, alias omnes res creatæ essent supernaturales, quod patet esse falsum; Secundus vero ordo est impossibilis, ut diximus : Ergo tertius debet constituere accidens in ratione supernaturalis.

Sequitur 65. Hunc ordinem accidentium supernaturalium ad Deum tanquam ad proprium specificativum debere terminari ad ipsam substantiam divinam secundum aliquam perfectionem ipsi naturæ divinæ propriam.

65. — Ibidem et De verit. q. 1. a. 12.

Probatur sequela. Ordo determinatus et specificativus debet terminari ad aliquam rationem determinatam et specialem, quæ conveniat ipsi termino sive rei, quæ terminat, ut patebit ex tertio principio : Sed Deo terminanti prædictum ordinem non potest competere ulla ratio, quæ non sit perfectio, ex dictis : Ergo ordo ille debet terminari ad aliquam perfectionem in Deo existentem.

Sequitur 66. Hunc ordinem debere terminari ad aliquam perfectionem formaliter in Deo existentem.

66. — Ex iisdem locis.

Probatur sequela. Ordo ad perfectionem in Deo virtualiter existentem potest covenire rebus ordinis naturalis, ut patet; nam v. g. ratiocinatio est participatio intellectus divini secundum illud, quod est eminenter in Deo, et sic de aliis : Sed ordo specialis accidentium supernaturalium ad Deum non potest convenire rebus ordinis naturalis, ex dictis : Ergo ordo ille specialis debet esse ad perfectionem in Deo non tantum virtualiter, sed etiam formaliter existentem.

Sequitur 67. Hunc ordinem ad illam perfectionem tanquam ad proprium specificativum constituere accidens supernaturale, ut participationem formalem illius perfectionis in Deo formaliter existentis, et ipsi propriæ.

67. — Ibidem.; 1. ad Corinth. 13. lect. 3. et 4.

Probatur sequela. Ordo ad aliquid tanquam ad proprium specificativum constituit rem, quæ habet hujusmodi ordinem, ut participantem aliquo modo rationem specificantem : hoc enim ipso, quod quid sumit specificationem ab alio, participat differentiam, actum, et perfectionem ab illo, ut patet : Sed ordo ille accidentium supernaturalium est ad perfectionem divinam tanquam ad proprium ipsius specificativum, ex dictis : Ergo ordo ille debet efficere, ut hujusmodi accidentia participent perfectionem illam Dei, ut in eo est formaliter : nam sola participatio perfectionis virtualiter sive eminenter tantum in Deo existentis non efficit ens supernaturale, ut ostensum est.

Sequitur 68. Accidens supernaturale esse participationem formalem alicujus perfectionis formaliter in Deo existentis, ut est propria Deo.

68. — Ibidem. et 2. 2. q. 23. a. 2. ad 1. et a. 3. ad 3. et q. 24. a. 2. et 7.

Probatur sequela. Ordo ille accidentium reddit illa formaliter participationes formales perfectionis alicujus in Deo existentis, ut est ipsi propria, ex dictis : Sed accidentia supernaturalia dicunt hunc ordinem formaliter : Ergo sunt formales participationes alicujus perfectionis in Deo existentis, ut est ipsi propria. Et sic gratia est participatio formalis naturæ divinæ, ut est radix attributorum; fides est participatio formalis certitudinis divini intellectus; Spes est participatio formalis voluntatis divinæ ut infallibiliter ex propriis Dei viribus consequentis suam beatitudinem : Charitas est participatio formalis dilectionis, qua Deus seipsum propter se, alia propter seipsum diligit; Lumen gloriæ est participatio formalis illius evidentiæ, qua Deus seipsum qnidditative cognoscit, et sic de aliis supernaturalibus.

Sequitur 69. Hæc accidentia supernaturalia esse media necessaria ad Deum ut finem supernaturalem attingendum.

69. — 1. 2. q. 62. a. 1. 2. 3. Quæst. 1. De verit. a. 5. et 12.

Probatur sequela. Ordinata per se primo ad aliquem finem sunt media

necessaria ad illum : Sed hæc accidentia per se primo ordinantur ad Deum ut supernaturalem : Ergo sunt media necessaria ad illum.

Sequitur 70. Non posse attingi Deum ut finem supernaturalem sine his accidentibus proportionaliter.

70. — Ibidem.

Probatur sequela. Sine mediis omnino necessariis non potest attingi finis, ut patet ex terminis : Sed hæc accidentia sunt media omnino necessaria, ad attingendum Deum ut finem supernaturalem, ex dictis : Ergo sine illis non potest attingi Deus ut finis supernaturalis. Dixi proportionaliter; quia v. g. sine fide non potest certo cognosci Deus ut finis supernaturalis, seclusa evidentia : sine charitate non potest attingi Deus ut summum bonum supernaturale, etc.

Sequitur 71. Non posse videri Deum clare, quidditative et intuitive, sine lumine gloriæ.

71. — 1. p. q. 12. a. 5.

Probatur sequela ex dictis : Quia lumen gloriæ est medium omnino necessarium ad cognoscendum evidenter Deum ut finem supernaturalem : præsertim cum nulla natura creata possit illum clare videre, ut supra diximus : Ergo, etc.

Sequitur 72. Visionem claram Dei esse possibilem absolute.

72. — 1. p. q. 12. a. 1.

Probatur sequela : Lumen gloriæ est possibile, ut est de fide : Ergo et visio clara Dei. *Patet consequentia :* quia quando medium per se primo ordinatum ad finem est possibile; etiam finis est possibilis.

Sequitur 73. Lumen gloriæ dare vim ac virtutem realem et physicam intellectui creato ex parte potentiæ ad videndum Deum.

73. — 1. p. q. 12. a. 5.

Probatur sequela : Accidens subjecto alicui inhærens dat illi vim et virtutem realem et physicam ad attingendum proprium objectum et finem, ut patet experientia, et constabit ex tertio principio : Sed, ex dictis, lumen gloriæ est accidens : Ergo, si subjecto inhæreat, dabit illi virtutem rea lem et physicam ad videndum Deum, ut proprium objectum.

Sequitur 74. Lumen gloriæ debere necessario inhærere ipsi intellectui videntis Deum.

74. — Ibidem.

Probatur sequela : Accidens debet necessario inhærere subjecto, cui communicat virtutem, et quod de non potente elicere aliquem actum constituit potens : Sed lumen gloriæ est accidens communicans intellectui virtutem, et reddens illum de non potente videre Deum, potentem, ex dictis : Ergo lumen gloriæ debet necessario inhærere intellectui videntis Deum.

Sequitur 75. Deum per se ipsum et per propriam essentiam non posse supplere vices luminis gloriæ.

Probatur sequela : Deus per seipsum et per propriam essentiam non potest supplere vices formæ, quæ debet necessario inhærere, aut informare, ut ostendimus supra in hoc eodem principio : Sed lumen gloriæ debet necessario inhærere intellectui, ut videat Deum, ex dictis : Ergo lumen gloriæ non potest suppleri a Deo per seipsum vel per propriam essentiam. *Confirmatur* quia si Deus solus per seipsum influeret effective in visionem Dei, ut est supernaturalis, illa visio ut supernaturalis, non eliceretur ab intellectu : Sed visio illa Dei ut visio clara ipsius, est essentialiter et intrinsece supernaturalis, ut patet ex dictis : Ergo visio Dei, ut visio Dei est, non eliceretur ab intellectu, quod implicat : quia actiones vitales, cujusmodi est visio ut visio, debent elici a principio vitali conjuncto, ut diximus in primo principio.

Sequitur 76. Ad visionem claram Dei requiri speciem vel aliquid, quod habeat rationem speciei.

76. — 1. p. q. 12. a. 2.

Probatur ex dictis in primo principio : Ad omnem cognitionem requiritur species vel aliquid determinans potentiam cognoscitivam, et reddens objectum illius determinate præsens: Sed visio Dei est quædam cognitio, ut per se patet : Ergo ad visionem Dei requiritur species vel aliquid determinans intellectum et reddens illi objectum præsens.

Sequitur 77. Illam speciem necessariam ad visionem Dei non posse esse quid creatum, sed necessario debere esse ipsam essentiam divinam.

77. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod est per se primo intelligibile in actu secundo, non potest fieri intelligibile per aliud, si cognoscatur ut est in se : Sed, ex dictis, Deus est per se primo intelligibilis in actu secundo, quia est summe immaterialis et actus purus : Ergo non potest fieri intelligibilis per aliquid aliud a se, atque adeo non potest fieri intelligibilis per speciem creatam, quæ ipsum reddat intelligibilem. Adverte autem quod species supplet vices non ipsius potentiæ cognoscitivæ, sed objecti, quod vel non est intelligibile, si sit quid materiale, vel non est præsens realiter in ipso intellectu : si enim esset intelligibile et præsens, non esset necessaria species: Atqui Deus est summe intelligibilis, et est præsens intellectui, qui perfusus est lumine gloriæ, cum sit immensus et præsens speciali modo in anima habente lumen gloriæ, ut alias dicemus : Ergo Deus non potest fieri intelligibilis per aliquam speciem creatam.

Hæc si perceperis, de facili te expedies ab omnibus argumentis in oppositum, et de facili impugnabis solutiones, quas nostræ rationi nonnulli afferunt.

Sequitur 78. Non esse possibilem speciem creatam impressam vel expressam, qua Deus videatur, ut est in se.

Probatur sequela. Quia ratio allata in præcedenti sequela probat implicare, quod Deus fiat intelligibilis cognitione clara, et quæ attingat ipsum ut est in se, per aliquam speciem creatam : quod sic ostenditur : Per speciem impressam objectum fit intelligibile in actu primo; per expressam fit intelligibile, sive cognitum et intellectum in actu secundo : Atqui implicat quod objectum per se primo intelligibile in actu secundo, fiat per aliud intelligibile sive in actu primo sive in actu secundo : Ergo cum Deus sit per se primo intelligibilis in actu primo et in actu secundo, implicat, quod fiat intelligibilis per aliquam speciem impressam vel expressam. *Major patet* ex dictis in primo principio : *Minor est evidens* ex terminis : illud enim, quod convenit alicui per se primo, convenit ei per seipsum, et ex propria ratione intrinseca, non autem per aliud.

Quod vero dicunt, verum esse, quod Deus sit intelligibilis per se primo respectu proprii intellectus, non respectu alieni, nihil obstat : quia species facit objectum intelligibile tam proprio quam alieno intellectui, nec supplet aliquid se tenens ex defectu ipsius intellectus, sed tantum ex defectu objecti : unde si Deus non esset per se primo intelligibilis respectu cujuscumque intellectus, haberet aliquem defectum ex parte sua, nimirum defectum intelligibilitatis vel præsentiæ : neuter autem defectus potest convenire Deo propter ipsius immensitatem, ratione cujus est ubique præsens, et propter ipsius summam et actualissimam immaterialitatem, ratione cujus est intelligibilis in actu secundo, quando cognoscitur ut est in se : quando vero non cognoscitur ut est in se, sive quando potentia cognoscitiva

non habet virtutem cognoscendi ipsum, ut est in se, tunc intelligitur per species creaturarum tanquam effectuum, non defectu præsentiæ vel intelligibilitatis ex parte ipsius, sed defectu virtutis intellectivæ ex parte ipsius cognoscentis.

Sequitur 79. Essentiam divinam uniri intellectui illius, qui videt Deum in esse intelligibili et repræsentativo.

79. — Ibidem.

Probatur sequela: Species, vel quod habet rationem speciei, unitur intellectui cognoscentis in esse intelligibili et repræsentativo : Sed essentia divina, ex dictis, habet rationem speciei in videntibus Deum ut est in se : Ergo essentia divina unitur intellectui videntis Deum in esse intelligibili et repræsentativo. Quomodo autem possit essentia divina uniri intellectui in esse intelligibili, et non uniri in esse reali et entitativo ; quandoquidem esse intelligibile et esse entitativum sunt in Deo indistincta virtualiter, alia difficultas est, ad quam dicendum non esse inconveniens, quod unum virtualiter indistinctum ab alio, præstet aliquod munus in aliquo non præstando aliud in eodem : cujus ratio est, quia potest esse specialis ratio repugnantiæ, quod uniatur secundum unum munus, et non secundum aliud : et sic est in proposito : repugnat enim, quod divina essentia uniatur alicui in esse entitativo, quia ad hoc deberet recipi physice, atque adeo limitari : hæc autem repugnantia non reperitur in unione in esse intelligibili, eo quod ad istam non requiritur realis et physica informatio et receptio, sed sufficit unio sive intima præsentia in esse intelligibili.

Sequitur 80. Intellectum videntis Deum fieri Deum in esse intelligibili.

80. — Ibidem.

Probatur sequela. Intellectus fit res per se intellecta in esse intelligibili, ut patet ex primo principio : Sed in vidente Deum, Deus est res intellecta per se, ex jam dictis : Ergo intellectus videntis Deum fit Deus in esse intelligibili.

Sequitur 81. Intellectum videntis Deum videre omnia, quæ sunt formaliter in Deo.

81. — 1. p. q. 10. a. 7. ad 2.

Probatur sequela. Intellectus habens lumen et speciem objecti videt omnia, quæ necessario repræsentantur per speciem : Sed intellectus videntis Deum habet lumen, et ipsam essentiam divinam ut speciem necessario repræsentantem omnia, quæ sunt formaliter in Deo : Ergo, etc.

Sequitur 82. Non posse videri essentiam divinam sine attributis, vel unum attributum sine alio.

82. — Ibidem.

Probatur sequela. Quæ ita se habent, ut unum non possit perfecte præscindi ab alio, unum non potest videri ut est in se, nisi videatur et aliud : Sed, ex dictis supra, essentia divina non potest perfecte præscindi ab attributis, nec attributa ab essentia, nec unum attributum ab alio : Ergo non possunt videri unum sine alio. Præterea cognitio clara, quidditativa et intuitiva debet attingere totam quidditatem et quidquid est essentiale, imo et quidquid necessario convenit objecto formaliter : Sed visio Dei est clara, quidditativa et intuitiva : Ergo debet attingere totam Dei essentiam, et omnia essentialia, et quæ necessario conveniunt Deo formaliter. Dictum est autem supra omnia attributa et perfectiones convenire Deo essentialiter : Ergo, etc. *Major patet:* Quia hæc est differentia inter cognitionem quidditativam, et non quidditativam, quod quidditativa attingit omnia essentialia ; illa autem quæ non est quidditativa, non attingit omnia essentialia : Similiter cognitio abstractiva non attingit rem præ-

sentem et existentem ut est in se ; intuitiva vero attingit rem præsentem et existentem ut est in se. Quod autem diximus de attributis, dicendum etiam est de personis divinis, quod videlicet non possit videri una persona sine alia : quia non potest videri una persona, nisi videatur ipsa essentia divina : et non potest videri essentia divina, nisi videantur tres personæ divinæ : quia, ut dicemus infra, essentia includitur in personis, et tres personæ in ipsa essentia.

Sequitur 83. Posse Deum videri clarius ab uno, quam ab alio.

83. — 1. p. q. 12. a. 6.

Conclusio est de fide et *probatur* ex dictis : Quod videtur ratione alicujus qualitatis accidentalis, videlicet luminis, potest clarius videri ab uno, quam ab alio : Sed, ex dictis, Deus videtur a Beatis ratione alicujus accidentalis qualitatis, videlicet luminis : Ergo clarius potest videri ab uno, quam ab alio. *Major patet :* quia qualitas, quæ non est potentia vel figura, potest intendi et remitti, ut omnes fatentur.

Sequitur 84. Lumen gloriæ esse totam rationem agendi in visione Dei.

84. — Ibidem.

Probatur sequela. Qualitas, sine qua nulla est virtus activa proxima ad aliquem actum, est tota ratio proxima agendi seu eliciendi talem actum : Sed lumen gloriæ est qualitas, sine qua nulla est virtus activa proxima in homine ad videndum Deum : Ergo est tota ratio proxima. *Major est evidens :* Quia ubi nulla est alia virtus proxima ad eliciendum actum, illa, quæ est, debet esse tota, ut ex terminis constat. *Minor vero patet* ex dictis ; quia nulla creatura habet virtutem proximam ad videndum Deum, nisi per lumen gloriæ.

Sequitur 85. Intellectum perspicaciorem non videre clarius Deum, quam minus perspicacem, si uterque habeat æquale lumen gloriæ.

85. — Ibidem.

Probatur sequela. Ubi tota ratio proxima agendi est æqualis, actus est etiam æqualis : alias non esset tota ratio agendi : Sed, ex dictis, lumen gloriæ est tota ratio agendi sive videndi Deum : Ergo ubi est æquale lumen gloriæ, est etiam æqualis visio : atque adeo intellectus perspicacior non videbit clarius Deum, quam minus perspicax, si uterque habeat æquale lumen gloriæ.

Sequitur 86. Nullum intellectum posse comprehendere Deum.

86. — 1. p. q. 12. a. 7.

Probatur sequela. Ad comprehensionem requiritur, ut tanta sit intellectualitas principii intelligentis, quanta est intelligibilitas objecti intellecti : Sed nullus intellectus quantocumque perfusus lumine gloriæ habet tantam intellectualitatem, quantam habet Deus intelligibilitatem, quia semper lumen est finitum, et Dei intelligibilitas est simpliciter infinita, ut diximus : Ergo nullus intellectus potest comprehendere Deum. *Major probatur :* quia sicut ad comprehensionem materialem et quantitativam, a qua deductum est nomen comprehensionis ad spiritualia, requiritur, ut tanta sit superficies continens, quanta est contenta : ita ad comprehensionem intellectivam requiritur, ut tanta sit intellectualitas intelligentis, quanta est intelligibilitas objecti intellecti

Sequitur 87. Nullum intellectum creatum posse cognoscere omnes omnino creaturas possibiles.

87. — Ibidem a. 8.

Probatur sequela. Qui cognosceret omnes creaturas possibiles comprehenderet Omnipotentiam divinam, atque adeo ipsum Deum : Sed nullus intelle-

ctus creatus hoc potest, ex dictis : Ergo nullus intellectus creatus potest cognoscere omnes creaturas possibiles. *Major patet :* Qui cognoscit terminum adæquatum alicujus virtutis, comprehendit hujusmodi virtutem, quia cognoscit illam, quantum cognoscibilis est : Sed qui cognosceret omnes creaturas possibiles, cognosceret terminum adæquatum Omnipotentiæ divinæ, ut patet : Ergo qui cognosceret omnes creaturas possibiles, comprehenderet Omnipotentiam divinam.

Sequitur 88. Ex videntibus Deum posse unum videre aliquas creaturas plures vel pauciores.

88. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui clarius vel minus clare videt causam, plures vel pauciores videt in ea effectus, secundum quod magis vel minus penetrat vim ipsius causæ : Sed ex videntibus Deum aliqui clarius, aliqui minus clare vident ipsum, juxta majus vel minus lumen gloriæ, ex dictis : Ergo cum Deus sit causa omnium, ut postea ostendemus, ex videntibus Deum, aliqui vident in Deo plures creaturas, alii pauciores. Hoc vero intelligitur de creaturis tanquam effectibus, qui plus vel minus latent in Deo tanquam in causa, atque adeo intelligitur de creaturis possibilibus : nam quoad creaturas existentes, quilibet videt in Deo eas, quæ ad suum statum spectant : quia, ut dicemus infra, beatitudo in ipsa Dei visione consistens, debet perfecte satiare appetitum Beati, et consequenter debet dare cognitionem omnium, quæ pertinent ad statum cujuslibet. *Breviter accipe.* Quilibet Beatus videbit in Deo omnia genera, et species rerum, quæ sunt in universo, ex individuis vero, factis, dictis, etc., videbit, quæ ad proprium statum pertinent, ut habes in D. Th., 1 p., q. 12, a. 8 ad 4.

Sequitur 89. Ea, quæ videntur in Deo, videri per ipsam Dei essentiam tanquam per speciem, non autem per aliquas similitudines vel species creatas.

89. — 1. p. q. 12. a. 9.

Probatur sequela. Effectus, qui videntur in causa, non videntur, nisi per speciem causæ, non autem per alias species : Sed, quæ videntur in Deo, videntur in ipso, ut in causa : et ipse Deus videtur per ipsam Dei essentiam tanquam speciem, non autem per aliquam speciem creatam, ut supra diximus : Ergo quæ videntur in Deo, videntur per ipsam Dei essentiam, non autem per aliquam speciem creatam.

Sequitur 90. Omnia, quæ videntur in Deo, simul et sine ulla prorsus successione videri.

90. — Ibid. a. 10.

Probatur sequela. Omnia quæ per unam speciem videntur, simul et sine ulla successione videri possunt, imo et necessario videntur, si illa species non subdatur libertati videntis quoad usum : Sed, ex dictis, omnia, quæ videntur in Deo, videntur per unam speciem, nimirum essentiam divinam, quæ non subditur libertati videntium, ut satis patet : Ergo omnia, quæ videntur in Deo simul et sine ulla successione videntur.

Sequitur 91. Visionem Dei, mensurari duratione aliqua supernaturali, quæ sit indivisibilis et tota simul.

91. — 1. p. q. 10. a. 2; In 2. dist. 2. q. 1. a. 1.

Probatur sequela. Actus supernaturalis, indivisibilis, et totus simul debet mensurari duratione supernaturali, indivisibili, et tota simul, quia mensura debet esse proportionata mensurato, ut patet : Atqui, ex dictis, visio Dei est actus supernaturalis, indivisibilis, et totus simul; cum sit absque ulla successione : Ergo visio Dei debet mensurari duratione supernaturali, indivisibili, et tota simul.

Sequitur 92. Hanc durationem recte vocari æternitatem participatam.

92. — Ibidem.

Probatur sequela. Duratio supernaturalis, indivisibilis et tota simul, præsertim quæ non habet finem, recte vocatur æternitas participata : Sed duratio, qua mensuratur visio Dei, est supernaturalis, indivisibilis, tota simul, ex dictis, et aliunde non habet finem, quia, ut dicemus alias, hæc visio est æterna a parte post : Ergo hæc duratio rectè vocatur æternitas participata.

Sequitur 93. Lumen gloriæ etiam mensurari æternitate participata.

93. — Ibidem

Probatur sequela. Principium proximum actus, quod est proinde ejusdem ordinis cum ipso actu, debet mensurari eadem mensura, qua ipse actus, quando tamdiu permanet actus quamdiu permanet principium, ut patet : Sed lumen gloriæ est principium visionis Dei, et est ejusdem ordinis supernaturalis, et tamdiu manet, quamdiu manet et ipsa visio, ut patet, ex dictis : Ergo lumen gloriæ mensuratur æternitate participata, sicut et ipsa visio. Et idem dicendum de gratia, charitate, et aliis habitibus supernaturalibus, quatenus stant et permanent cum ipsa visione Dei.

Sequitur 94. Visionem Dei elici non posse per conversionem ad phantasmata.

94. — 1. p. q. 12. a. 11.

Probatur sequela. Cognitio objecti omnino immaterialis, prout est in se, non potest elici per conversionem ad phantasmata : Sed visio Dei est cognitio objecti omnino immaterialis ut est in se, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 95. Visionem Dei elici non posse ab homine, quamdiu est in hac vita mortali, nisi rapiatur a sensibus et phantasmatibus.

95. — Ibidem.

Probatur sequela. Cognitio, quæ non potest haberi per conversionem ad phantasmata haberi non potest ab eo, qui omnia intelligit per talem conversionem, nisi rapiatur a sensibus et extrahatur a modo illo cognoscendi, ut est perspicuum : Sed, ex dictis, visio Dei est cognitio, quæ haberi non potest per conversionem ad phantasmata : Ergo visio Dei elici non potest ab homine, qui in hac vita omnia intelligit per hujusmodi conversionem, nisi extrahatur a modo illo intelligendi.

Sequitur 96. Multo minus posse Deum videri a potentia visiva et oculo corporeo.

96. — 1. p. q. 12. a. 3.

Patet sequela : Quia major est improportio : et quia potentia vitalis non potest elevari ad hoc, ut tanquam instrumentum eliciat actum vitalem : aliunde vero potentia visiva corporalis non potest elevari ad hoc, ut tanquam causa principalis eliciat visionem Dei ; quia Deus, utpote omnino immaterialis, est omnino extra totam latitudinem objecti specificativi potentiæ visivæ corporeæ.

Sequitur 97. Moysen, et D. Paulum, qui secundum Augustinum, dum adhuc essent in vita mortali, viderunt essentiam divinam transeunter, fuisse abstractos a sensibus, et phantasmatibus.

97. — D. Thom. 1. p. q. 12. a. 11, et 2. 2. q. 175. a. 3 ; D. Aug. 12. de gen. ad litt. c. 27. et 28. et Epist. 122.

Probatur sequela : Nullus potest videre Deum in hac vita mortali, nisi alienetur a sensibus, ut ostensum est : Sed secundum August. Moyses, et Paulus viderunt Deum : Ergo, etc.

Sequitur 98. Deum posse cognosci a nobis in hac vita aliquo modo.

98. — 1. p. q. 12. a. 12.

Probatur sequela. Objectum intelligibile, licet clare videri non possit, potest tamen aliquo modo cognosci ab habente intellectum et species, quibus aliquo modo objectum illud repræ-

sentetur : Sed Deus est objectum intelligibile, cum sit immaterialis, ex dictis ; homines vero sunt prædiți intellectu ; et species rerum creatarum aliquo modo repræsentant, sive deducunt in cognitionem Dei eo modo, quo effectus repræsentant causam ut constat ex primo principio : Ergo licet Deus a nobis clare et quidditative cognosci non possit in hac vita, potest tamen aliquo modo cognosci a nobis.

Sequitur 99. Multo magis posse nos cognoscere Deum per gratiam.

99. — 1. p. q. 12. a. 113.

Probatur sequela. Quo perfectior est effectus, perfectius deducit in causæ cognitionem, maxime si cum hoc etiam roboret et confortet ipsum intellectum: Atqui gratia, cum, ut diximus, sit quid supernaturale, est perfectior effectus Dei, et lumen gratiæ, hoc est fidei et donorum Spiritus sancti, de quibus alias, roborat et confortat intellectum nostrum : Ergo, etc.

Sequitur 100. Intellectum nostrum, quando elevatur ad visionem beatificam, non elevari ut instrumentum proprie, sed esse causam principalem ipsius visionis.

Probatur sequela. Causa, quæ elevatur ad attingendum aliquid, quod est intra suum objectum specificativum, non elevatur ut instrumentum proprie dictum, sed ut causa principalis, ut ostendemus in tertio principio : Sed, ut patet ex dictis, intellectus noster, quando elevatur ad videndum Deum elevatur ad attingendum aliquid, quod est intra objectum specificativum ipsius, quandoquidem potest naturaliter cognoscere Deum, licet non clare et quidditative : Ergo non elevatur ut causa proprie instrumentalis, sed ut causa principalis.

Sectio IIa. — De Nominibus Dei.

Sequitur 101. Posse nos aliquod nomen Deo imponere.

101. — 1. p. q. 13. a. 1.

Probatur sequela. Quicumque cognoscit objectum, potest ei aliquod nomen imponere, quia nomina significant res, prout cognoscuntur : Sed nos aliquo modo Deum cognoscimus, ex dictis : Ergo possumus ei aliquod nomen imponere.

Sequitur 102. Illud nomen, quod nos imponimus Deo, non exprimere ipsam Dei essentiam.

102. — Ibidem a. 2.

Probatur sequela. Qui non cognoscit rem per suam essentiam, non potest ei nomen imponere, quod exprimat essentiam, quia nomen imponitur juxta cognitionem, ex dictis : Sed nos in hac vita non possumus cognoscere Deum per essentiam, ut jam ostensum est : Ergo non possumus etiam ei nomen imponere, quod exprimat ipsam Dei essentiam.

Sequitur 103. Nomina dicta de Deo significare aliquo modo ejus substantiam, sed imperfecte.

103. — Ibidem.

Probatur sequela. Perfectiones, quæ sunt in Deo, sunt ejus substantia, ex dictis supra : Sed nomina dicta de Deo et a nobis ipsi imposita juxta perfectiones, quas videmus ab ipso emanasse in creaturas, significant similes in Deo perfectiones : Ergo hæc nomina significant Dei substantiam, imperfecte tamen, quia et perfectiones creaturarum imperfecte repræsentant perfectiones divinas, et per perfectiones creaturarum nos tantum imperfecte cognoscimus perfectiones divinas.

Sequitur 104. Nomina dicta de Deo, quantum ad rem significatam posse dici proprie, non quoad modum significandi.

104. Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Perfectiones conveniunt Deo proprie, quia illas proprie continet seclusis imperfectionibus, ut diximus supra : Sed nomina dicta de Deo significant perfectiones, quæ illi conveniunt : Ergo nomina illa proprie dicuntur de Deo quantum ad rem

significatam : quia tamen nos non cognoscimus perfectiones Dei, nisi secundum modum, quo relucent in creaturis, et eodem modo illas exprimimus per nomina, idcirco modus significandi, cum sit imperfectus, non convenit Deo, sive potius modus, quo illæ perfectiones significantur a nobis, non convenit proprie perfectionibus divinis.

Sequitur 105. Nomina dicta de Deo non esse synonyma.

105. Ibidem a. 4.

Probatur sequela. Nomina, quæ significant unam rem sub diversis rationibus, non sunt synonyma, ut est evidens : Sed nomina dicta de Deo significant unam rem sub diversis rationibus : significant enim unam et eamdem essentiam Dei, prout a nobis cognoscitur secundum diversas perfectiones a nobis de Deo ex creaturis cognitas : Ergo illa nomina non sunt synonyma.

Sequitur 106. Nomina dicta de Deo et creaturis non esse ipsis univoca.

106. — Ibid. a. 5.

Probatur sequela. Nomina univoca significant unam et eamdem rationem : Sed nomina dicta de Deo et creaturis non significant unam et eamdem rationem : Ergo nomina dicta de Deo et creaturis non sunt univoca. *Minor probatur ;* tum quia non potest abstrahi una ratio, quæ sit communis Deo et creaturis ; tum quia nomina dicta de creaturis significant perfectiones eo modo, quo reperiuntur in creaturis, hoc est, distinctas inter se, quod non competit Deo.

Sequitur 107. Nomina dicta de Deo et creaturis non dici pure æquivoce.

107. — Ibidem.

Probatur sequela : Quia nomina, quæ significant similem quidem rationem non perfecte eamdem, non dicuntur pure æquivoce, ut patet : Sed nomina dicta de Deo et creaturis significant rationem aliquam similem, licet non perfecte eamdem : quia perfectio creaturarum est aliquo modo similis divinæ : Ergo, etc.

Sequitur 108. Nomina dicta de Deo et creaturis dici analogice.

108. — Ibidem.

Probatur sequela. Nomina, quæ dicuntur de Deo et creaturis, non dicuntur univoce, nec pure æquivoce, sed dicuntur de creaturis in quantum habent quemdam ordinem et quamdam proportionem ad Deum : hoc enim modo Deum ex ordine creaturarum ad ipsum cognoscimus et nominamus : Sed hoc est nomina illa dici analogice, et patet ex dictis in primo principio : Ergo, etc.

Sequitur 109. Nomina, quæ dicuntur de Deo et creaturis proprie et non metaphorice, per prius dici de Deo, quam de creaturis, quantum ad rem significatam, quamvis quoad modum significandi per prius dicantur de creaturis.

109. — Ibid. a. 6.

Probatur sequela. Nomina de pluribus analogice dicta, per prius dicuntur de principali analogato, quod prius participat rationem significatam per nomen, et a quo cetera pendent in participatione illius rationis significatæ : Sed nomina, quorum significatum convenit Deo et creaturis, dicuntur de illis et de Deo analogice, et ratio significata prius est in Deo, quam in creaturis, et a Deo creaturæ pendent in participatione illius rationis significatæ, ut satis patet, ex dictis : Ergo illa dicuntur analogice : Quia tamen modus significandi prius sumitur ex creaturis, quas primo cognoscimus, et per posterius attribuitur Deo, idcirco quoad modum significandi prius dicuntur de creaturis quam de Deo.

Sequitur 110. Nomina, quæ metaphorice dicuntur de Deo, per prius dici de illis creaturis, de quibus nomen sic dicitur, quam de Deo, cui ex creaturis metaphora applicatur.

Probatur sequela. Quæ dicuntur metaphorice de Deo, non conveniunt illi proprie, sed potius conveniunt creaturis : Atqui nomina dicuntur prius de illis, de quibus dicuntur proprie, quam de illis, quibus non proprie conveniunt : Ergo nomina metaphorice dicta de Deo, prius dicuntur de creaturis.

Sequitur 111. Hoc nomen, *Deus,* significare susbtantiam Dei, quantum ad id, cui nomen impositum est ; licet non quantum ad id, a quo imponitur.

111. — Ibid. a. 8

Probatur sequela. Nomina, quæ significant perfectionem proprie in Deo existentem, significant ejus substantiam, licet id, a quo imponuntur sit aliqua ejus operatio, ut patet ex dictis : Sed hoc nomen, *Deus,* impositum est ad significandum id, quod habet perfectionem, scilicet Providentiam universalem, quæ vere ac proprie in Deo est, ut infra ostendemus : Ergo hoc nomen, *Deus,* significat substantiam Dei, quamvis impositum sit ab operatione, scilicet, a Providentia.

Sequitur 112. Hoc nomen *Deus* secundum rem significatam proprie esse reipsa incommunicabile, quamvis secundum opinionem sit communicabile ob aliquam similitudinem, quam cum Deo habent res, quibus communicatur.

112. — Ibid. a. 9.

Probatur sequela. Nomen significans naturam essentialiter unam et incommunicabilem est incommunicabile secundum rem, quamvis sit communicabile secundum rationem ex aliqua similitudine : Sed hoc nomen *Deus* significat naturam omnino unam, scilicet Deitatem, quam supra ostendimus esse non posse nisi unam, atque adeo aliis rebus incommunicabilem : Ergo hoc nomen *Deus* proprie sumptum non est communicabile, licet improprie et metaphorice possit communicari.

Sequitur 113. Hoc nomen, *Deus,* dici non univoce, nec pure æquivoce, sed analogice de Deo vero, et de Deo per participationem, vel secundum opinionem.

113. — Ibid. a. 10.

Probatur sequela : Nomen non significans unam rationem, sed similem realiter, aut saltem secundum opinionem, non dicitur univoce, nec æquivoce, sed analogice : quia dicitur per analogiam ad illam rem, quæ vere habet illam rationem : Sed hoc nomen, *Deus,* est hujusmodi, ut patet ex dictis : Ergo, etc. *Minor probatur:* quia hoc nomen, *Deus,* primo et principaliter significat rem, quæ habet naturam divinam ; secundario vero et minus principaliter, quod participat aliquid divinum ; et tandem significat id, cui falso opinantes attribuunt naturam divinam : unde omnes sic nominantes, nominant per ordinem ad rem, quæ vere habet naturam divinam.

Sequitur 114. Hoc nomen, *Qui est,* esse maxime proprium Deo.

114. — Ibid. a. 11.

Probatur sequela: Quod significat ipsum esse per se subsistens secundum totam plenitudinem et universalitatem essendi, et durationem, in qua nihil est præteritum aut futurum, est nomen maxime proprium Deo : quia hæc tria sunt maxime propria Deo, ex dictis supra : Sed hoc nomen, *Qui est,* hæc tria significat : Ergo est maxime proprium Deo. *Minor probatur.* Nam hoc nomen, *Qui est,* significat esse per se subsistens, non limitatum sed universale, et durationem semper præsentem.

Sequitur 115. Posse vere formari propositiones affirmativas de Deo.

115. — Ibid. a. 12.

Probatur sequela: Propositiones affirmativæ veræ de aliquo subjecto prædicant significatum prædicati esse idem cum subjecto secundum rem, licet importent aliquam distinctionem secundum rationem inter illud idem prædicatum et subjectum : Sed hujusmodi omnia conveniunt Deo : Ergo, etc. *Major patet* quia in omni propositione affirmativa prædicatum dicitur idem cum subjecto, et nihilominus prædicatum apprehenditur aliquo modo distinctum a subjecto, quod constat tum in prædicatione essentiali, ut *homo est animal,* tum in accidentali, ut *homo est albus :* in iis enim verum est, quod animal ratione distinctum ab homine, est nihilominus idem cum homine ; et habens albedinem distinctum per rationem ab homine, est idem realiter : imo et quando idem prædicatur de seipso intellectus aliquo modo apprehendit idem secundum rationem distinctum a seipso. *Minor est evidens* ex dictis supra : quia quæcumque sunt in Deo, sunt omnino idem secundum rem, et differunt tantum secundum rationem.

CAPUT III.

De operationibus Dei.

Sectio I^a^, — De Intelligere divino, de Scientia Dei, Ideis et Veritate.

Sequitur 116. Deum esse intelligentem.

116. — 1. p. q. 14 a. 1.

Probatur sequela : Omnis substantia omnino immaterialis est intelligens, ut probatum est : Sed Deus est substantia omnino immaterialis, ex dictis : Ergo est intelligens.

Sequitur 117. Intelligere actuale, esse formale constitutivum naturæ divinæ.

117. — Ibid. a. 4.

Explicatur. Constitutivum dicitur in qualibet re illud, quod est differentia vel quasi differentia propria ; sicut enim species constituitur ex genere et differentia : ita quælibet res concipitur habere aliquid commune, in quo conveniat cum aliis, et aliquid particulare et proprium, per quod concipitur distingui ab illis. Hoc ergo sensu dicimus intelligere esse constitutivum naturæ divinæ.

Probatur ergo sequela : Constitutivum actus purissimi non debet, saltem explicite, dicere totum, quod est in re, nec debet dicere quid potentiale ex parte rei conceptæ, imo debet dicere quid omnino actualissimum, ut constat : Sed hæc tria conveniunt soli intelligere divino in ordine ad naturam divinam : Ergo solum intelligere est constitutivum naturæ divinæ. *Minor quoad primam partem probatur;* quia intelligere secundum conceptum explicitum non importat totum, quod est in Deo : nam in Deo est esse æternum, infinitum, immutabilem, perfectum, bonum, esse substantiam, quæ omnia non importantur explicite per ipsum intelligere. Quod vero intelligere ut sic non importet ullam potentialitatem ex parte rei conceptæ, patet et simul quod sit actualissimum ; quia perfectissimus gradus essendi in actu secundo est quid actualissimum excludens omnem imperfectionem et potentialitatem : Sed intelligere est perfectissimus gradus essendi in actu secundo : Ergo intelligere est quid actualissimum excludens omnem omnino imperfectionem et potentialitatem. *Minor probatur :* Tres sunt gradus, esse, vivere, et intelligere : Esse ut distinguitur a vivere, non est quid ita perfectum ac vivere, ut patet ex dictis, in primo principio : vivere etiam ut distinguitur ab intelligere, non est quid ita perfectum ac intelligere : unde gradus intellectivus est omnium perfectissimus : gradus autem intellectivus in actu secundo nihil aliud est, quam intelligere : Ergo intelligere est perfectissimus

gradus in actu secundo, atque adeo constitutivum naturæ divinæ.

Sequitur 118. Esse etiam per se subsistens, non esse constitutivum essentiæ vel naturæ divinæ.

118. — Ibidem.

Probatur sequela : Esse, dupliciter sumi potest, vel ut distinguitur ab ipso vivere et intelligere, vel ut includit totam plenitudinem essendi : Sed neutro modo esse potest constituere naturam divinam : Ergo, etc. *Minor probatur,* constitutivum naturæ divinæ, et actus purissimi debet non importare totum, quod est in ipso, et debet importare summam perfectionem et actualitatem : Sed esse ut distinguitur a vivere et intelligere non importat summam perfectionem etiam substantialem, et summam actualitatem cum gradus vivendi, et intelligendi sit etiam substantialiter perfectior et actualior : esse autem, ut dicit totam plenitudinem essendi, includit totum, quod est et esse potest in natura actus purissimi : Ergo esse neutro modo potest esse constitutivum naturæ actus purissimi.

Sequitur 119. Gradum intellectivi, ut distinguitur ab intelligere tanquam radix illius, non posse esse constitutivum naturæ divinæ.

119. — Ibidem.

Probatur sequela. Nullum potentiale ex parte rei vel rationis conceptæ, potest esse constitutivum actus purissimi, ut ex terminis constat : Sed gradus intellectivi, ut distinguitur ab intelligere tanquam radix illius, est quid potentiale ex parte rei vel rationis conceptæ : Ergo gradus intellectivi, ut distinguitur ab ipso intelligere, non potest esse constitutivum naturæ divinæ, quæ est actus purissimus. *Minor est evidens :* nam intellectivum, ut est radix ipsius intelligere, importat ordinem ad intelligere, eo modo, quo potentia importat ordinem ad actum : Quod autem importat hujusmodi ordinem evidenter importat potentialitatem ex parte rei vel rationis conceptæ : Ergo, etc.

Sequitur 120. Gradum substantialem intellectivi, ipsum intellectum, sive virtutem proximam intelligendi, speciem intelligibilem, et intelligere, esse omnino idem in Deo absque ulla etiam virtuali distinctione.

120. — Ibidem.

Probatur sequela. Quæ in rebus creatis distinguuntur ob solam potentialitatem et pertinent ad eamdem rationem formalem, nullo modo distinguuntur in Deo etiam virtualiter, ut supra ostendimus : Atqui gradus substantialis intellectivi, ipse intellectus sive vis proxima intelligendi, species intelligibilis, et intelligere distinguuntur in rebus creatis ob solam potentialitatem, et pertinent ad eamdem rationem formalem intelligendi, ut patet ex dictis : Ergo hæc nullo modo distinguuntur in Deo etiam virtualiter.

Sequitur 121. In omni alia re creata hæc debere distingui universaliter loquendo.

121. — 1. p. q. 54. a. 1. et q. 77. a. 1. et q. 79. a. 1. et q. 87. a. 1,

Probatur sequela. Quod convenit Deo præcise ex hoc, quod est actus purus, non potest aliis convenire : Atqui identificare sibi omnino gradum substantialem intellectivi, intellectum, et ipsum intelligere convenit Deo præcise ex eo, quod sit actus purus, ut patet ex dictis : Ergo in rebus creatis ista non poterunt identificari. Non posui in conclusione speciem intelligibilem, quia illa saltem impressa in rebus omnino immaterialibus potest esse ipsa essentia, ut ostensum est in primo principio, nec tamen sequitur, quod sint actus purus, quia ad hoc sufficit, quod species expressa distinguatur ab ipsa essentia.

Sequitur 122. In omni alia re creata hæc debere distingui realiter.

122. — Ibidem.

Probatur sequela. Quæ distinguuntur per modum potentiæ physicæ et actus physici debent distingui realiter in compositis ex actu et potentia, quia actus physicus debet realiter informare et respicere potentiam, et potentia debet realiter recipere vel elicere actum : Sed in omni re creata, utpote, composita realiter ex actu et potentia, gradus intellectivi est potentia, gradus intellectivi est potentia radicalis ad ipsum intelligere, et intellectus est potentia proxima ad illud ipsum intelligere, quod est actus : Ergo hæc inter se realiter distinguuntur.

Sequitur 123. Universaliter in omni re creata potentiam proximam agendi distingui a gradu substantiali, sicut et actum secundum sive operationem ab ipsa potentia, ab ipsa substantia, et ab ipso esse sive ab existentia.

123. — Ibidem.

Probatur sequela. In omni re composita ex actu et potentia ista omnia debent realiter distingui : Sed omnis alia res a Deo est composita ex actu et potentia ; alias esset actus purus : Ergo in omni alia re a Deo substantia, potentia, esse et operari debent realiter distingui. *Major probatur :* In omni re tot debent esse potentiæ realiter distinctæ, quot sunt actus realiter ex sua ratione formali distincti : Sed in omni re composita ex actu et potentia debent esse duo actus realiter ex ratione sua formali distincti, videlicet esse sive existentia, et operatio : Ergo debent etiam esse duæ potentiæ, scilicet, potentia ad esse, et potentia ad operationem. *Major probabitur* in tertio principio. *Minor probatur :* Quia in omni re, cujus operatio est ipsum esse, illud esse est actus purus et infinitus, ut patet ex dictis. *Explicatur magis.* Omnis operatio vel est transiens vel immanens : Sed neutra potest esse ipsum esse in re creata : Ergo, etc. *Minor* quoad primam partem est evidens ; quia esse alicujus debet esse in ipso, alias per illud non existeret : Sed operatio transiens non est in operante. Ergo operatio transiens non est ipsum esse operantis : *Secunda vero pars minoris probatur.* Omnis operatio immanens est aliquo modo infinita : Sed esse nullius rei creatæ potest esse aliquo modo infinitum : Ergo nullius rei creatæ esse potest esse ipsa operatio, vel e contra. *Major est evidens :* quia omnis operatio immanens est vel sentire, vel intelligere, vel appetere : Sed sentire est aliquo modo infinitum, quia non determinatur ad certam quamdam speciem sui objecti, sicut nec intelligere nec appetere : Ergo operatio immanens est aliquo modo infinita quatenus dicit ordinem pene ad infinita objecta : At vero esse sive existentia non dicit ordinem ad infinita, alias non esset quid absolutum et substantiale : Ergo, etc. Denique operatio est ab ipso operante tanquam a causa efficiente, ut est evidens : Sed esse sive ipsa existentia non potest esse ab ipso existente tanquam a causa efficiente, nam causa efficiens supponitur esse, quando operatur, ut superius diximus : Ergo esse non potest in re creata esse operatio. Atque hinc intelliges, quare, si operatio et esse essent idem in re creata, res creata esset actus purus, quia sicut habet operationem a seipsa, ita haberet suum esse a se : hoc autem est esse actum purum, ut supra ostendimus.

Sequitur 124. Nullam substantiam creatam esse immediate operativam.

124. — Ibidem.

Probatur sequela. Substantia, quæ non respicit per se primo operationem tanquam proprium actum, non est immediate operativa : Sed nulla substantia creata respicit per se pri-

mo operationem tanquam proprium actum : Ergo nulla substantia creata est immediate operativa. *Minor patet* ex dictis : quia substantia per se primo respicit esse substantiale tanquam proprium actum, qui ab ipsa efficienter non procedit, sed in ipsa recipitur ; operationem vero non potest respicere ut proprium et per se primo actum, qui non procedat efficienter, sed solum recipiatur.

Sequitur 125. In Deo vim intellectivam sive intelligere, et objectum intelligibile esse omnino idem etiam absque virtuali distinctione.

125. — 1. p. q. 14. a. 4.

Probatur sequela. Ubi nihil est potentialitatis, vis intellectiva, et ipsum intelligibile sunt omnino idem absque virtuali etiam distinctione : Sed in Deo nihil est potentialitatis ; cum sit actus purus : Ergo oportet, quod vis intellectiva et objectum intelligibile sint omnino idem. *Major patet :* Quia vis intellectiva, quæ non est idem cum objecto intelligibili est in potentia ad ipsum : et objectum intelligibile, quod non est idem cum ipso intelligere, est in potentia ad ipsum intelligere. *Explicatur :* Intelligere et intelligi sunt omnino idem absque virtuali distinctione : nam in actionibus immanentibus non distinguitur actio a passione, quamvis denominatio extrinseca, quæ oritur ab ipsa actione immanente possit competere aliis quibusdam distinctis : Sed actualitas principii intellectivi ut sic, est intelligere, et actualitas intelligibilis ut sic est intelligi : Ergo actualitas intellectivi et intelligibilis ut sic, sunt omnino idem absque ulla distinctione etiam virtuali : Ergo ubi nulla est potentialitas, sed summa actualitas, neque principium intellectivum distinguitur ab intelligere, neque intelligibile distinguitur ab intelligi, neque intelligi ab intelligere, nec consequenter intelligibile ab intellectivo.

Sequitur 126. Objectum primarium intellectus divini esse ipsam naturam divinam, hoc est, ipsum proprium intelligere Dei.

126. — Ibid. a. 5.

Probatur sequela. Primum intelligibile est objectum primarium intellectus divini, utpote, qui est primum intelligere : Sed ipsa natura divina sive ipsum intelligere divinum, per quod natura divina constituitur, ut diximus, est primum intelligibile, ut patet : cum omnino identificetur cum ipso intelligi : Ergo natura divina est objectum primarium intelligere divini.

Sequitur 127. Intelligere divinum non debere concipi per modum operationis dimanantis et veluti procedentis ab ipso intellectu, sed tantum per modum actus actualissimi.

127. — 1. p. q. 14. a. 4.

Probatur sequela. Intelligere, quod est ipsum objectum intelligibile, non debet concipi per modum procedentis a principio intellectivo et veluti tendentis in objectum, quia ipsum intelligere est suum objectum : Sed intelligere divinum, ex dictis, est ipsum objectum intelligibile : Ergo, etc.

Sequitur 128. Intelligere divinum esse eminentissimo et particulari quodam modo directum et reflexum.

128. — Ex eodem loco.

Probatur sequela. Intelligere terminatum ad seipsum tanquam ad objectum primarium, est eminentissimo et particulari quodam modo directum et reflexum : Sed intelligere divinum terminatur ad seipsum tanquam ad suum objectum primarium, ex dictis : Ergo intelligere divinum est eminentissimo quodam modo directum et reflexum. *Explicatur major.* Omne intelligere aliquo modo est reflexum virtualiter, quatenus intellectus intelligendo objectum, ad quod primario terminatur, advertit se intelligere :

sed illud intelligere, quod primario terminatur ad seipsum tanquam ad primarium objectum, reflectit se supra se eminentissimo quodam modo ; quia ipsummet est objectum sui ipsius.

Sequitur 129. Objectum primarium cognitionis divinæ esse ipsam essentiam divinam.

129. — Ibidem.

Probatur sequela. Primum intelligibile est objectum primarium cognitionis divinæ : Sed essentia divina est primum intelligibile, cum sit primum immateriale, et radix intelligibilitatis omnium aliorum : Ergo, etc.

Sequitur 130. Attributa esse objectum sive potius prædicata objecti primarii.

130. — Ibidem.

Probatur sequela. Attributa non sunt objectum secundarium, cum sint ex se intelligibilia et divina, nec sunt etiam objectum formalissime primarium : Ergo sunt prædicata objecti primarii.

Sequitur 131. Creaturas esse objectum secundarium.

Probatur sequela. Quia non sunt ejusdem immaterialitatis, et intelligibilitatis, ut patet ex dictis.

Sequitur 132. Deum comprehendere seipsum.

132. — 1. p. q. 14. a. 4.

Probatur sequela. Intelligere, quod est ipsum objectum intelligibile, comprehendit seipsum : Sed, ex dictis, Deus est ipsum intelligere, quod est ipsum objectum intelligibile : Ergo Deus comprehendit seipsum. *Major patet :* Quia quando tanta est intellectualitas in actu intellectionis, quanta est intelligibilitas in objecto, illa intellectio est comprehensio : Sed quando intelligere est ipsum objectum intelligibile, tanta est intellectualitas in ipso intelligere, quanta est intelligibilitas in objecto, utrumque enim est æque immateriale et actuale, cum sint omnino idem absque virtuali distinctione : Ergo illa intellectio est comprehensiva illius objecti.

Sequitur 133. Deum cognoscere alia a se.

133. — 1. p. q. 14. a. 5.

Probatur sequela. Causa intelligens, quæ comprehendit seipsam, comprehendit etiam effectus alios a se : Sed Deus est causa intelligens comprehendens seipsum, ex dictis : Ergo comprehendit effectus alios a se, imo comprehendit omnia, quia, ut infra ostendemus, est causa omnium.

Sequitur 134. Deum cognoscere omnia a se in seipso ut in causa.

134. — Ibidem.

Probatur sequela. Causa comprehendens seipsam, comprehendit etiam rationem causæ in seipsa existentem : alias non comprehenderet se, quia non comprehenderet rationem causæ, quæ ipsi vere competit, et secundum quam est cognoscibilis : Sed Deus comprehendit se, ex dictis : Ergo comprehendit in se rationem causæ respectu eorum omnium, quorum est causa. Non potest autem seipsum ut causam perfecte comprehendere, nisi cognoscat omnes affectus, ad quos sua causalitas terminatur : cum ergo Deus sit causa omnium, omnia in seipso comprehendit ut in causa.

Sequitur 135. Deum non cognoscere immediate creaturas, hoc sensu, quod cognitio divina terminetur ad creaturas absque eo, quod terminetur ad seipsum.

135. — Ibidem.

Probatur sequela. Causa comprehendens se, ita ut hæc comprehensio ut terminatur ad se, sit ipsa natura causæ, non potest habere ullam omnino cognitionem non terminatam immediate ad se : Sed Deus est causa comprehendens se, ita ut ejus cognitio sit sua natura : Ergo non potest habere ullam cognitionem non terminatam immediate ad se. Major probatur : Quia alias vel deberet illa causa

cessare a propria cognitione et natura, ut aliam cognitionem haberet, vel deberet habere diversas realiter cognitiones, ita ut per unam, quæ esset ejus natura, comprehenderet se, et per aliam vel alias non terminatas immediate ad se, deberet cognoscere alia a se : Atqui utrumque implicat : Ergo, etc. *Sequela majoris est evidens :* si enim causa cognoscit se necessario semper, utpote cum ejus cognitio sit ipsius natura, semper debet se immediate cognoscere per omnem cognitionem, quam habet ; vel debet habere cognitionem aliam ab ea, quæ constituit propriam ipsius naturam, et sic per illam cognitionem cognoscere immediate non seipsam sed alia a se, quæ cognitiones inter se realiter distinguuntur, ut patet consideranti. Quod vero utrumque implicet, probatur : nam quoad primum, implicat causam cessare ab esse, si debet agere : Ergo implicat cessare a propria cognitione, quæ est suum esse et sua natura, si debet cognoscere alia a se. Quoad secundum vero, etiam implicat, quia in causa, in qua sunt plures cognitiones, est compositio realis et non perfecta simplicitas : Hoc autem repugnat primæ causæ : Ergo etc.

Sequitur 136. Non dari in Deo cognitionem, quæ attingat immediate creaturas in seipsis, virtualiter distinctam ab ea, quæ attingit easdem attingendo ipsam essentiam divinam ut objectum cognitum.

136. — 1. p. q. 14. a. 5.

Probatur sequela : Quæ distinguuntur virtualiter in Deo, distinguuntur ex ratione formali, et quæ non distinguuntur ex ratione sua formali, non distinguuntur etiam virtualiter, ut supra diximus : Atqui cognitio qua Deus comprehendit essentiam suam, ut objectum cognitum, et cognitio, qua attingit creaturas, non distinguuntur ex diversa ratione formali : Ergo hæ duæ cognitiones non distinguuntur virtualiter in Deo. *Minor probatur :* Quæ distinguuntur solum ex objecto secundario vel connotato materiali, non distinguuntur ex ratione formali, ut supra probatum est : Sed cognitio creaturarum non distinguitur a cognitione naturæ divinæ, nisi ex objecto materiali et connotato, ut patet ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 137. Creaturas cognosci a Deo in essentia divina ut cognita tanquam causa.

137. — Ibidem.

Probatur sequela : Qui comprehendit causam ut causam in omni cognitione, quam habet, cognoscit et comprehendit omnes effectus in illa causa ; alias non comprehenderet causam ut causam : Sed Deus in omni cognitione, quam habet, cognoscit comprehensive seipsum ut causam : Ergo in omni cognitione quam habet, comprehendit omnes effectus in seipso ut in causa prius cognita.

Sequitur 138. Cognitionem divinam nullo modo esse discursivam.

138. — Ibid. a. 7.

Probatur sequela : Qui cognoscit omnia in una et simplici causa, non habet cognitionem ullo modo discursivam : Sed Deus cognosit omnia in seipso, ut causa omnino una et simplici : Ergo non habet cognitionem discursivam.

Sequitur 139. In Deo esse veram et proprie dictam rationem scientiæ.

139. — Ibid. a. 1.

Probatur sequela : Cognitio rerum in causa habet veram rationem scientiæ : Sed Deus habet cognitionem omnium rerum in seipso ut causa : Ergo ejus cognitio habet veram rationem scientiæ.

Adverte tamen quod scientia dupliciter sumitur ; *primo* ut est quid commune ad scientiam stricte dictam, et sapientiam ; *secundo* prout distinguitur a sapientia : primo modo est cognitio effectus in causa, quæcumque tandem sit illa causa, et hoc modo diximus in Deo esse veram et pro-

priam rationem scientiæ ; secundo modo scientia est cognitio effectus per causas inferiores ; et hoc sensu non est proprie in Deo scientia, sed sapientia, quæ est cognitio effectus per causam superiorem ; quia, ut diximus, omnia cognoscit in seipso ut causa, ipse vero est causa omnium suprema et altissima.

Sequitur 140. In Deo non esse plures scientias etiam virtualiter distinctas, sed unicam sapientiam.

140. — Ibid. et 4. p. q. 15. a. 2 ad 2.

Probatur sequela : Ibi est unica scientia, ubi est unica causa, quæ est unica ratio formalis sciendi omnia, ut patet ex dictis in primo principio : Sed in Deo est unica causa, quæ est unica ratio formalis sciendi omnia, nimirum ipsius essentia ut causa : Ergo in Deo est unica scientia, sive potius sapientia.

Sequitur 141. Scientiam Dei terminari primario ad Deum ut habet rationem causæ.

141. — Ibidem.

Probatur sequela : Omnis scientia, quæ non dicit imperfectionem, terminatur ad causam ut sic ; scientia enim a posteriori, et per effectus dicit imperfectionem : Sed in Deo scientia non dicit imperfectionem ; quia ex dictis supra nulla est imperfectio in Deo : Ergo scientia Dei terminatur primario ad seipsum ut causam.

Sequitur 142. Scientiam Dei esse verum attributum.

142. — 1. p. q. 14. a. 1.

Probatur sequela : Absolutum, quod formaliter reperitur in Deo, dicens perfectionem simpliciter simplicem, est ipsa Dei essentia, vel attributum : Sed, ut dictum est, scientia reperitur in Deo formaliter, et dicit perfectionem simpliciter simplicem, ut patet ex dictis : Ergo vel est essentia, vel attributum : Sed non est ipsa essentia, quæ per solum intelligere constituitur, ut etiam constabit ex mox dicendis : Ergo, etc.

Sequitur 143. Scientiam Dei distingui virtualiter ab intelligere constitutivo naturæ divinæ.

143. — Ibid. et a. 4.

Probatur sequela : Quæ pertinent ad diversas rationes formales distinguuntur virtualiter, ut constat ex dictis supra : Atqui intelligere et scire pertinent ad diversas rationes formales ; intelligere siquidem respicit tantum intelligibile ; scientia vero respicit scibile, hoc est, cognoscibile per causam : Ergo, etc.

Adverte autem, quod ut supra diximus, sicut essentia divina includitur in attributis, et attributa se mutuo includunt, ita intelligere includitur in hoc, quod est scire ; impossibile siquidem est scire, nisi illa ipsa scientia sit cognitio : quare non per hoc distinguuntur intelligere constitutivum et scire, quod sint vel non sint cognitio, imo vero utrumque est una et simplicissima, ac omnino virtualiter indistincta cognitio : sed distinctio virtualis, quæ intervenit, tota petitur præcise ex diversa ratione formali, cognitio enim divina ut concipitur terminari ad ipsam essentiam divinam, ut primum intelligibile, habet rationem constitutivi essentialis naturæ divinæ ; ut autem concipitur terminari ad ipsam essentiam divinam ut causam, habet rationem scientiæ, et est attributum : et idem dicendum de prudentia et arte, de quibus infra.

Sequitur 144. Scientiam Dei terminari ad omnia, quorum Deus est causa.

144. — Ibid. a. 9. et 12.

Probatur sequela : Cognitio comprehensiva, quæ attingit rationem causæ ut sic, attingit etiam omnia, ad quæ se extendit ipsa causalitas : Sed scientia Dei est comprehensiva, et attingit rationem causæ, ex dictis : Ergo scientia Dei attingit omnia, ad quæ se extendit divina causalitas, cumque divina causalitas se extendat ad omnia simpliciter, etiam divina scientia omnia simpliciter attinget.

Sequitur 145. Scientiam Dei terminari ad aliqua, quorum Deus est causa in actu primo tantum ; ad alia vero, quatenus est illorum causa in actu secundo.

145. — Ibid. a. 9.

Probatur sequela : Cognitio comprehensiva causæ attingit illam secundum quod est causa, ut est evidens : Sed scientia Dei est comprehensiva : Ergo attingit essentiam Dei, prout est causa ; cum ergo essentia Dei sit causa aliquorum in actu primo tantum, et aliorum in actu secundo, ejus scientia attinget illam secundum quod est causa, hoc est, cognoscet suam essentiam esse causam aliquorum in actu primo dumtaxat, aliorum vero in actu secundo.

Sequitur 146. Scientiam Dei recte dividi in scientiam simplicis intelligentiæ, et scientiam visionis, seu intuitivam.

146. — Ibidem.

Probatur sequela. Scientia attingens aliqua, quorum est causa in actu primo tantum, et alia, quorum est causa in actu secundo, recte dividitur secundum illam divisionem causatorum, ut patet ex terminis : Sed scientia Dei attingit aliqua, quorum est causa in actu primo tantum, et alia quorum est causa in actu secundo, ex dictis : Ergo recte dividitur in scientiam simplicis intelligentiæ, quæ attingit ea, quorum est causa in actu primo tantum, et scientiam visionis, quæ attingit illa, quorum est causa in actu secundo. Ut autem intelligas hanc divisionem, Adverte scientiam visionis, sic dici a visione corporali, quæ, ut patet ex dictis in primo principio, non terminatur nisi ad rem præsentem et existentem ; et quia quæ Deus causat in actu secundo, reipsa sunt in æternitate, ut ostensum est supra ; et hæc æternitas est mensura Dei, et quantum ad esse, et quantum ad operationes, ut etiam diximus ; ideo hæc scientia dicitur scientia visionis, quia illa scientia uti visio corporalis terminatur ad res præsentes et existentes in ea duratione, qua ipsa scientia mensuratur. Scientia vero simplicis intelligentiæ dicitur illa, quæ non est visionis ; idcirco enim dicitur simplicis intelligentiæ, quia hæc cognitio non habet ex parte sui objecti id, quod visio addit ex parte sui, sed habet dumtaxat id, quod cognitio ex se et natura sua exigit. Visio autem, ut diximus, addit ex parte objecti illius præsentiam et existentiam : et hanc non exigit notitia, quæ tantum requirit, quæ simpliciter sunt de ratione notitiæ ; et propterea vocatur simplex intelligentia, sive scientia simplicis intelligentiæ ; quia est cognitio rei per causam, nihil requirens ex parte rei cognitæ, nisi id, quod simplex notitia exigit.

Sequitur 147. Hanc divisionem scientiæ Dei, in scientiam visionis et simplicis intelligentiæ, non esse divisionem in duas scientias virtualiter distinctas.

147. — Ibidem.

Probatur sequela. Tum quia, ut diximus, in Deo non datur nisi unica scientia : Tum quia, ut diximus etiam, quæ distinguuntur tantum ex parte objecti materialis et connotati non dicunt diversam rationem formalem nec distinguuntur virtualiter : Sed scientia visionis et scientia simplicis intelligentiæ distinguuntur tantum ex parte connotati et objecti materialis : Ergo, etc. *Minor probatur :* quia esse causam in actu primo, vel in actu secundo, est tantum distinctio ex parte objecti materialis et connotati, neque diversificat in Deo diversam rationem formalem causæ, ut est omnino certum : Atqui, ex dictis, divisio scientiæ Dei in scientiam visionis et scientiam simplicis intelligentiæ petitur ex hoc, quod respectu aliquorum Deus est causa in actu primo, et respectu aliorum est causa in actu

secundo : Ergo hæc divisio est tantum ex parte objecti materialis et connotati, non autem ex parte rationis formalis ; res enim causatæ sunt objectum materiale ; et decretum liberum Dei, quod non pertinet ad rationem scientiæ, est connotatum, ratione cujus Deus aliorum est causa in actu primo, et aliorum in actu secundo : nam ea, quæ Deus vult esse, facit in actu secundo ; quæ vero non vult esse, non facit nisi in actu primo.

Sequitur 148. Hanc divisionem scientiæ in scientiam visionis et simplicis intelligentiæ esse adæquatam.

148. — Ibidem.

Probatur sequela. Divisio per membra contradictoria est adæquata ; quia inter contradictoria non datur medium : Sed hæc divisio datur per membra contradictoria : Ergo etc. *Minor probatur ex dictis :* Esse causam in actu primo tantum, et esse causam in actu secundo, sunt membra contradictoria : Sed hæc divisio datur per hæc duo membra : Ergo datur per contradictoria. *Minor est certa ex dictis. Major non est minus evidens :* nam esse causam in actu primo tantum importat non esse causam in actu secundo, et esse causam in actu sscundo, importat non esse causam in actu primo tantum.

Sequitur 149. Non dari aliquam in Deo scientiam respectu rerum creatarum, quæ non reducatur ad unam ex istis.

149. — Ibidem.

Probatur sequela. Quando divisio est adæquata, non datur aliquid sub diviso, quod non reducatur ad alterum ex membris dividentibus, ut omnes concedunt : Sed divisio illa scientiæ Dei respectu rerum creatarum in scientiam simplicis intelligentiæ et visionis est adæquata, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 150. Deum per scientiam simplicis intelligentiæ non cognoscere res possibiles nisi cognoscendo suam ideam et virtutem rerum productivam.

150. — Ibid. et q. 15. a. 1.

Probatur sequela. Res esse possibiles nihil aliud est, quam non repugnantia terminorum, quæ fundamentaliter non est nisi ipsa idea divina, et potentia activa Dei : Sed Deus per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscit res ut possibiles : Ergo Deus per scientiam simplicis intelligentiæ non cognoscit res, nisi cognoscendo suam ideam et suam virtutem productivam rerum. *Minor patet ex dictis. Major probatur quoad primam partem :* Nulla negatio potest cognosci nisi cognito fundamento, ut est evidens : Sed non repugnantia est negatio, ut patet : Ergo non cognoscitur nisi cognito fundamento ; illud autem fundamentum, cum sit ab æterno, non potest esse aliquid aliud, nisi ipsa idea divina, quæ repræsentat terminos, et fundat illam non repugnantiam : Ergo Deus cognoscendo suam ipsam ideam, cognoscit fundamentum non repugnantiæ, et consequenter non repugnantiam. *Secunda vero pars majoris etiam patet :* quia rem, quæ nihil omnino est in se, posse produci, nihil aliud est, quam causam posse illam producere, sive habere virtutem illius productivam : res enim, quæ nihil est in se, non dicitur possibilis, ab aliqua potentia reali, quæ sit in ipsa : Sed dicitur possibilis per denominationem extrinsecam a potentia productiva ipsius, quam habet ejus causa : Sed rem esse possibilem, nihil aliud est, quam eam posse produci : Ergo rem esse possibilem nihil aliud est, quam vis activa, quam causa habet ; atque adeo Deus cognoscendo suas ideas et suam potentiam cognoscit res ut possibiles.

Sequitur 151. Deum per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscere primario Seipsum.

151. — Ibidem.

Probatur sequela. Ipsa Idea divina et Omnipotentia est ipsemet Deus ut infra etiam ostendemus : Sed Deus cognoscendo res ut possibiles cognoscit primario suam Ideam et suam Omnipotentiam, ex dictis : Ergo cognoscit Seipsum primario.

Sequitur 152. Deum per scientiam visionis cognoscere primario Seipsum ut causam in actu secundo.

152. — Ibidem.

Probatur sequela. Comprehendens effectus existentes non potest illos hoc modo præsertim per veram scientiam cognoscere, nisi primario cognoscendo eorum causam in actu secundo : Sed Deus per scientiam visionis comprehendit effectus, id est, creaturas existentes, quarum ipse est vera causa, easque cognoscit per veram scientiam, ut patet ex dictis : Ergo Deus per scientiam visionis cognoscit Seipsum ut causam in actu secundo.

Sequitur 153. Deum cognoscere omnia futura.

153. — 1. p. q. 14. a. 13.

Probatur sequela. Qui comprehendit omnes omnino causas, cognoscit futura : Sed Deus comprehendit omnes omnino causas ; comprehendit enim Seipsum, et in Seipso omnes res creatas, atque adeo omnes alias causas : Ergo Deus cognoscit futura.

Sequitur 154. Deum cognoscere futura, quæ in aliqua differentia temporis erunt existentia, tanquam sibi præsentia.

154. — Ibidem.

Probatur sequela. Omnia, quæ in quacumque differentia temporis sunt existentia, sunt Deo præsentia in æternitate realiter, ut supra ostendimus : Sed Deus cognoscit omnia ut sunt in æternitate ; cognoscit enim ea in mensura et duratione sua et suæ cognitionis, et non in mensura rerum cognitarum, quia non sunt, nisi objectum secundarium suæ cognitionis : Ergo cognoscit omnia etiam futura ut præsentia realiter in sua æternitate.

Sequitur 155. Deum non cognoscere futura, ut sibi futura, sed nobis.

155. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui cognoscit omnia ut sibi præsentia realiter in ea mensura, in qua et ipse cognoscit, non cognoscit res ut sibi futuras : Atqui, ex dictis, Deus cognoscit omnia ut sibi suæque cognitioni realiter præsentia in æternitate, quæ est mensura Dei et cognitionis divinæ : Ergo non cognoscit illa ut sibi futura. Cognoscit autem illa ut nobis futura ; quia cognoscit successionem, quæ est inter ipsas res in propriis mensuris, cum cognoscat comprehensive omnia.

Sequitur 156. Deum cognoscere certo res absolute futuras etiam in suo decreto, quo illas vere, realiter, et infallibiliter vult causare.

156. — 1. p. q. 14. a. 9. ad 3; 1. contra gent. c. 67. et 68.

Hæc sequela supponit, quod infra probaturi sumus, voluntatem divinam mediante suo decreto esse veram, realem, et infallibilem causam omnium omnino, quæ in quacumque differentia temporis existunt, et hoc supposito *probatur sequela :* Effectus futurus scientifice cognitus per altissimam causam, cognoscitur certo per causam omnino infallibilem et determinatam : Sed omnia futura sunt effectus, scientifice per altissimam causam a Deo cogniti, ut patet ex dictis, et hæc altissima causa est voluntas divina per suum decretum æternum omnino infallibile, ut postea probabimus : Ergo omnia futura absolute cognoscuntur a Deo in sua voluntate et decreto, quo illa vult vere, realiter, et infallibiliter causare.

Sequitur 157. Deum cognoscere futura absoluta in prædeterminatione physica, sibi præsente realiter, qua vult ab æterno prædeterminare causas omnes secundas in tempore ad omnes et singulas earum operationes et effectus.

157. — Ex iisdem locis.

Probatur sequela. Qui certo cognoscit effectum in sua voluntate et decreto, cognoscit etiam certo eumdem effectum in eo, quo exequitur suam voluntatem et decretum : Sed, ex jam dictis, Deus cognoscit certo futura absolute in sua voluntate et decreto : Ergo cognoscit etiam certo illa futura in eo, quo exequitur suam voluntatem, et decretum : Atqui, ex dictis in primo principio Deus exequitur infallibiliter suam voluntatem et decretum mediante prædeterminatione physica, qua ab æterno vult omnes causas secundas prædeterminare ad ipsarum omnes et singulas operationes : Ergo Deus cognoscit aliquo modo futura omnia absolute in hujusmodi prædeterminatione, quæ, licet non sit ab æterno, utpote aliquid creatum, est tamen realiter ab æterno præsens ipsi Deo : quia, ut diximus, omnia sunt realiter Deo præsentia in æternitate. Dixi autem, quod Deus futura illa certo cognoscit quodammodo in illa prædeterminatione, quia, cum illa prædeterminatio non sit secundum se altissima causa, sed solum quatenus est executio sive virtus executiva, qua voluntas divina, ut altissima causa, exequitur quod intendit, idcirco Deus, qui omnia, ut diximus, cognoscit in seipso ut altissima causa, non cognoscit futura absoluta in ea prædeterminatione secundum se, sed dumtaxat, ut est veluti conjuncta cum ipsa voluntate divina et decreto, cujus est executrix in tempore.

Sequitur 158. Tres esse veluti modos et media, in quibus Deus cognoscit futura absoluta, videlicet præsentiam realem rerum in æternitate, decretum suum, et prædeterminationem physicam.

158. — Ex iisdem locis.

Patet sequela, ex jam probatis.

Sequitur 159. Hos tres modos sive media, in quibus Deus cognoscit futura absoluta, debere reduci ad primum illud, quod est rerum illarum omnium realis præsentia in æternitate.

159. — 1. p. q 14. a. 13.

Explicatur : Decretum divinum, est actus liber divinæ voluntatis, atque adeo non potest non esse realiter præsens et existens in æternitate : Idem decretum est causa realis omnium omnino, quæ fiunt in tempore et in ævo ; est igitur prius prioritate causalitatis omnibus effectibus, quos causat ac demum non est causa proxima omnium, quæ producit mediis causis secundis, sed est causa mediante prædeterminatione physica, quæ est etiam præsens in æternitate, sicut et ipsi effectus a Deo per suum decretum producti, sunt in ea realiter præsentes. Ex his ergo :

Probatur seqaela. Medium omne, quo scientia visionis attingit suum objectum ut præsens et existens, debet etiam eodem modo esse præsens, et existens atque adeo debet reduci ad illam realem præsentiam : Sed decretum Dei et prædeterminatio physica sunt medium, quo Deus cognoscit certo absolute futura per scientiam visionis : Ergo decretum Dei et prædeterminatio physica sunt etiam realiter præsentia in æternitate : atque adeo debent omnino reduci ad hanc præsentiam. Unde habes rationem, propter quam D. Thomas, dum agit de cognitione Dei respectu futurorum, semper fere recurrit ad præsentiam rerum in æternitate ; quia alia, scilicet decretum et prædeter-

minatio physica, non sunt media, in quibus Deus cognoscat futura per scientiam visionis, nisi quatenus et ipsa sunt realiter præsentia in eadem æternitate.

Sequitur 160. Deum cognoscendo res absolute futuras in suo decreto et in prædeterminatione physica, non cognoscere illas ut sibi futuras, sed solum ut præsentes.

160. — Ex locis superius citatis.

Probatur sequela. Cognoscere rem in causa actualiter causante illam, non est cognoscere illam ut futuram, sed potius ut præsentem : Sed Deus cognoscendo res futuras in suo decreto et in prædeterminatione physica, cognoscit illas in causis actualiter eas causantibus : Ergo non cognoscit illas ut sibi futuras, sed ut præsentes. *Minor patet, ex dictis;* quia decretum Dei est actualis causalitas Dei, qua divina voluntas actu causat res omnes ; et prædeterminatio physica est actuale reductivum, quo videlicet Deus reducit causam omnem creatam de potentia ad actum, ut constat ex dictis.

Sequitur 161. Deum certo cognoscere omnia futura conditionata eo modo, quo sunt futura.

161. — 1. p. q. 14. a. 13.

Probatur sequela. Qui certo comprehendit omnia, quæ quocumque modo sunt, et cognoscit ea ut sunt, debet etiam certo cognoscere omnia futura sub conditione, eo plane modo, quo sunt futura : Sed, ex dictis, Deus comprehendit omnia, quæ quocumque modo sunt : Ergo cognoscit certo etiam omnia futura sub conditione.

Sed ut hæc omnia melius percipiantur, *advertendum est primo* quid sit futurum : Res ergo dicitur futura per denominationem extrinsecam : Nulla enim denominatio intrinseca, nisi sit essentialis, aut sumatur ex aliqua vera proprietate, potest convenire rei non existenti, ut est certum apud omnes : Sed hoc, quod est, rem esse futuram, non est denominatio essentialis, aut quæ petatur ex aliqua proprietate, alias nunquam posset esse præsens ; quia quod convenit rei ut prædicatum essentiale vel ut proprietas, semper ei convenit, nec potest ipsi oppositum convenire : Ergo non potest denominatio futuri esse intrinseca, nec convenire rei non existenti : Est ergo dumtaxat denominatio extrinseca. Omnis autem denominatio extrinseca alicui rei, debet peti ab aliqua forma, quæ sit intrinseca alteri, et sic esse visum convenit, v. g. parieti per denominationem extrinsecam a visione, quæ intrinsece est in potentia visiva : Ergo illa denominatio *futuri,* quando convenit alicui, debet peti ex forma aliqua intrinseca alteri rei. Quænam autem sit illa res, a cujus forma intrinseca res denominetur futura, sic potest declarari. Res, quæ dicitur futura, secundum illam rationem futuræ denominatur et distinguitur a re existente, et a re quæ est possibilis indifferenter, hoc est, quæ potest esse et non esse : Sed res existens est et denominatur ex eo, quod sit extra suas causas, cum existentia sit ultima rei actualitas ; unde dicitur res existens, quasi extra suas causas sistens : Ergo res futura et res possibilis indifferenter, non sunt, nec denominantur ex eo, quod sint extra suas causas (alias non differrent ab existente), atque adeo sunt et denominantur ex eo, quod sint intra causas suas : Res vero, quæ dicitur possibilis indifferenter, est intra causas : unde supra diximus res dici possibiles a potentia activa, quæ illas potest producere, ut etiam in tertio principio probabimus : cum ergo res possibiles indifferenter, possint esse et non esse, debent esse intra causas omnino indifferentes. Res ergo futura non est nec denominatur ex eo, quod sit extra suas causas, sed intra ; neque est intra causas omnino indifferentes (alias non differret a re possibili, ut constat) igitur res dicitur futura, quia est intra suas causas determinatas ad dandam illi existentiam in duratione se-

quenti : Ergo extrinseca denominatio *futuri* petitur a virtute activa causæ determinata ad dandam effectui existentiam.

Advertendum secundo hanc denominationem, sicut et determinationem causæ esse posse multiplicem : alia enim est determinatio omnino certa et infallibilis, alia non omnino certa. Determinatio causæ omnino certa et infallibilis dicitur illa, ad quam infallibiliter sequitur effectus ; incerta vero et fallibilis, ad quam non infallibiliter effectus sequitur. Duplex igitur erit denominatio, qua aliquid futurum dicitur, sive duplex erit futuritio ; alia certa, alia incerta. Præterea sicut illa determinatio causæ potest esse vel absoluta, vel sub conditione : sic etiam potest duplex esse futuritio, videlicet absoluta, vel sub conditione ; nam, v. g. quando dico, *Anti-Christus erit*, est determinatio et futuritio absoluta : quando vero dico, *Dabo tibi centum nummos, si laboraveris*, ibi est propositum et determinatio, et consequenter futuritio conditionata. Et siquidem conditio aliquando ponenda sit in rerum natura, illud, quod erat futurum sub conditione, transit in absolutum : et sic Deus illud cognoscit eodem modo, quo cognoscit absolute futura, de quibus jam diximus. Si vero conditio nunquam ponenda sit in rerum natura, erit futurum pure ac proprie conditionatum, de quo nunc agimus : Sed quia variæ sunt conditiones, etiam diversa sunt futura conditionata. Conditionum enim aliæ sunt, ex quibus necessario consequitur effectus, v. g. *Si ignis fuerit sufficienter applicatus, comburet ; si Petrus currat, movebitur ;* aliæ sunt ex quibus infallibiliter, quamvis non necessario effectus sequitur, v. g. *supposito, quod Deus velit incarnari, erit incarnatio ;* aliæ sunt ex quibus fallibiliter, et probabiliter dumtaxat effectus consequitur, ut, *si mater fuerit, amabit filium ;* aliæ demum, ex quibus nullo modo sequitur effectus, quantum est ex se, ut, *si percusseris terram baculo, rex vincet hostes*. Primi generis conditionata vocantur necessaria : secundi infallibilia ; tertii probabilia sive fallibilia ; quarti disparata. Sunt et alia conditionata, quæ vocamus promissoria, ut, *si laboraveris, dabo tibi centum nummos.*

Ex his ergo certum est futura conditionata necessaria cognosci a Deo per scientiam simplicis intelligentiæ. Ratio est, quia idem omnino est cognoscere hujusmodi conditionata, ac cognoscere propositionem universalem, in qua prædicatum antecedentis in conditionali positum sit subjectum, et consequens sit prædicatum, v. g. idem est hanc conditionalem, *Si Petrus currat, movebitur*, cognoscere, ac cognoscere istam universalem, *Omnis currens movetur :* Quæ propositio, cum sit necessaria, cognoscitur a Deo per scientiam necessariam sive simplicis intelligentiæ ; Secundi generis futura conditionata, quæ vocantur infallibilia, etiam cognoscuntur a Deo per eamdem scientiam ; quia ista cognoscuntur etiam in propositione universali, quam per illam scientiam Deus novit : ut in exemplo allato, *Si Deus velit Verbum incarnari, erit Verbi divini incarnatio :* hæc cognoscitur in ista universali, *Omnia, qua Deus vult fieri, infallibiliter fient*. Tertii generis conditionata certo cognoscuntur a Deo, non tamen ut infallibiliter futura, sed dumtaxat fallibiliter : cognoscuntur enim in propositione universali, quæ est tantum probabilis, v. g. illud, *Si mater est, diliget filium*, cognoscitur in ista, *Omnis mater diligit filium :* hæc vero certo quidem cognoscitur a Deo non tamen ut infallibiliter vera, sed tantum probabiliter.

Qua in re *tertio* et diligenter quidem *advertendum est* et distinguendum, aliud esse certo cognoscere, rem esse probabiliter futuram ; aliud certo cognoscere rem, quæ dumtaxat probabiliter futura est, esse certo futuram ; et demum aliud probabiliter et opinative cognoscere rem esse probabiliter futuram. *Explicatur :*

Quando quis videns conjecturas, judicat certo, probabile esse, quod res futura sit, non judicat rem esse certo futuram, sed dumtaxat judicat ex conjecturis, probabile esse, quod sit futura : quæ duo longe diversa sunt, et in moralibus necessario distinguenda : qui enim videns conjecturas, solum judicat probabile esse, quod aliquid futurum sit, non judicat temere : sed suspendit judicium de re, et judicat tantum de probabilitate. Quando vero certo judicat ex conjecturis probabilibus, rem esse certo futuram, tunc judicat temere et exponit se periculo errandi. Sed quando probabiliter et opinative judicat rem esse dumtaxat probabiliter futuram, tunc suspicatur, et nihil certo definit.

Deus ergo potest quidem certo judicare, rem esse probabiliter futuram : in hoc enim judicio nulla involvitur imperfectio ex parte judicantis : Sed non potest Deus suspendere judicium, quia aliunde novit, an res illa certo futura sit nec ne. Similiter non potest Deus judicare ex conjecturis probabilibus, rem esse certo futuram, quia tunc se exponeret periculo errandi : et multo minus potest Deus judicare probabili et opinativo judicio, rem esse probabiliter futuram ; quia opinio et judicium probabile important intrinsece imperfectionem incertitudinis, quæ Deo repugnat. Quantum ad futura conditionata disparata, quorum conditio nullam prorsus habet connexionem cum re, quæ sub illa conditione dicitur futura, certum est Deum nihil certo judicare de illis, neque illa cognoscere, nisi ex aliquo alio, puta decreto, promissione, etc. Et idem dicendum de conditionatis promissoriis.

Quod igitur dicimus in hac sequela, nihil aliud est, nisi quod Deus comprehendens omnia, certo cognoscit et judicat de quolibet futuro conditionato, quod futurum sit, eo tamen modo, quo futurum est ; nam futurum conditionatum neeessarium, sive ex cujus conditione sequitur necessario illud esse futurum, certo cognoscit tanquam necessarium, sive necessario futurum sub ea conditione : futurum conditionatum infallibile certo cognoscit tanquam infallibiliter futurum ; futurum denique conditionatum fallibile certo cognoscit tanquam fallibiliter futurum. Sed superest difficultas, per quam scientiam Deus cognoscat futurum conditionatum fallibile ; nam, ut diximus, futurum conditionatum necessarium et infallibile cognoscit per scientiam simplicis intelligentiæ ; de futuris etiam disparatis, certum est, quod ea non cognoscit, nisi in suo decreto, quo tribuit conditioni connexionem cum effectu, qui dicitur futurus : v. g. illud futurum conditionatum, quod habetur IV Regum, XIII, ubi Elisæus dixit ad Joas Regem Israël : *Si percussisses* (terram) *quinquies, aut sexies, aut septies, percussisses Syriam usque ad consummationem,* Deus revelaverat Elisæo, atque adeo Deus cognoscebat illud : sed non cognoscebat illam percussionem et consummationem Syriæ tanquam effectum, qui ex natura rei sequeretur ex percussione terræ facta quinquies vel sexies, vel septies, ut est evidentissimum : Ergo cognoscebat illam ex vi sui decreti, quo statuerat, quod si Joas quinquies, etc. percussisset terram, etiam postea percussurus esset Syriam usque ad consummationem. Et in hoc omnes fere consentiunt. Superest ergo difficultas solum de futuris conditionatis, quorum conditio habet tantum probabilem et liberam connexionem cum re, quæ dicitur futura : v. g. *Si Petrus ponatur in his aut illis circumstantiis, et præveniatur tali vel tali auxilio moraliter dumtaxat excitante, consentiet :* Difficultas, inquam, est utrum Deus cognoscat hujus generis conditionata in suo decreto, vel independenter ab illo, seclusa etiam præsentia reali rerum in æternitate : Aliqui enim recentiores volunt Deum illa cognoscere ; et hanc cognitionem

vocant scientiam mediam : nos vero ex nostris principiis illam scientiam rejicimus.

Sequitur ergo 162. Non dari in Deo scientiam mediam.

162. — 1. p. q. 14. a. 13 ; in 1. dist. 38. a. 5 ; 1. cont. gent. c. 67. q. 2 ; de veritate a. 12. et infinitis aliis in locis.

Probatur sequela primo : Nulla cognitio falsa esse potest in Deo : Sed scientia media est cognitio falsa : Ergo non est in Deo. *Minor probatur :* cognitio non conformis objecto est falsa : Sed scientia media est cognitio non conformis objecto suo : Ergo, etç. *Minor probatur :* Cognitio judicans aliquid certo et infallibiliter futuram, quod revera non est certo et infallibiliter futurum, est cognitio non conformis objecto suo : Sed scientia media est cognitio judicans aliqua esse sub conditione certo et infallibiliter futura, quæ revera non sunt futura : Ergo scientia media est cognitio non conformis suo objecto. *Minoris prima pars est certa* etiam juxta recentiores, qui volunt Deum ante decretum suum, sive independenter a decreto suo judicare per scientiam mediam aliqua sub conditione esse certo et infallibiliter futura ; Secunda vero pars, quod nimirum illa independenter a decreto divino non sint certo et infallibiliter futura, *probatur ex dictis :* Nihil est quocumque modo certo et infallibiliter futurum, nisi differat a possibili et existente : Sed ante decretum sive independenter a decreto Dei nihil differt a possibili et existente : Ergo independenter a decreto Dei nihil est certo et infallibiliter futurum. *Major est evidens :* ut enim aliquid dicatur certo et infallibiliter futurum, non debet esse existens, sive extra causas suas sistens in illa duratione, pro qua dicitur futurum, alias potius præsens diceretur, quam futurum : Ergo futurum debet esse intra causas, ut distinguatur ab existente. Ut autem distinguatur a possibili indifferente ad esse vel non esse, non debet esse intra causas indeterminatas et indifferentes ; alias enim esset mere possibile. Ex quo jam *probatur minor :* Ante decretum Dei sive independenter ab illo, vel res illa, quæ dicitur certo futura, est extra causas, vel adhuc est intra illas : si fit extra, non differt ab existente ; præterquam quod implicat independenter a Dei decreto aliquid creatum esse extra causas suas ; cum omne creatum, ut sit et existat, dependeat a decreto Dei. Si vero independenter a Dei decreto res sit intra causas, vel est intra illas indifferentes, et sic non differt a mere possibili : vel est intra causas determinatas, et sic differt quidem a possibili, sed non potest esse intra causas determinatas independenter a decreto Dei, si sit certo et infallibiliter futurum. Quod sic ostendo : Si futurum debet esse intra causas determinatas, ut sit certo et infallibiliter futurum, debet esse intra omnes suas causas certo et infallibiliter determinatas, ut constat : Atqui independenter a decreto Dei, nihil est intra omnes suas causas certo et infallibiliter determinatas : Ergo independenter a decreto Dei nihil est certo et infallibiliter futurum quomodocumque. *Minor probatur :* Voluntas Dei est una ex causis cujuscumque rei creatæ : Sed independenter a decreto Dei nihil est intra ipsam certo et infallibiliter determinatum : Ergo independenter a decreto Dei nihil est certo et infallibiliter determinatum in omnibus causis. *Major est de fide,* illamque infra probabimus. *Minor probatur :* Independenter ab actu, quo voluntas divina seipsam libere determinat, nihil creatum est intra voluntatem divinam certo et infallibiliter determinatum, ut est evidens : Sed decretum est actus, quo voluntas divina seipsam libere determinat : Ergo independenter a decreto Dei nihil creatum est determinatum certo et infallibiliter in voluntate divina.

Secundo probatur. Qui omnia cognoscit in seipso ut causa altissima, nihil cognoscit independenter a con-

stitutivo causæ altissimæ : Sed Deus, ex dictis, omnia cognoscit in seipso ut causa altissima : Ergo nihil cognoscit independenter a decreto suo, quo constituitur in rationem causæ respectu futurorum. *Major patet ex terminis. Minor jam probata est supra.* Quod vero Deus habeat rationem causæ respectu futurorum a decreto suo, probatur : Causa libere operans habet a suo decreto et actu libero rationem causæ : Sed Deus respectu rerum omnium creatarum est causa libere operans, ut est de fide, et probabitur infra : Ergo Deus habet rationem causæ a suo decreto et actu libero.

Probatur tertio : Nihil est ponendum a suis causis independenter ab actu suarum causarum, ut patet ex terminis : Sed futurum infallibile ex ipsis adversariis est illud, quod est certo et infallibiliter ponendum a suis causis: Ergo futurum nihil est independenter ab actu suarum causarum. Una autem ex causis est voluntas Dei libera, cujus actus est decretum æternum : Ergo nihil est futurum certo et infallibiliter independenter ab actu Dei libero.

Dices verum esse, quod nihil est ponendum independenter ab actu causarum suarum, sed vel posito vel ponendo : atque ita verum est nihil esse futurum certo et infallibiliter independenter a decreto Dei vel posito, vel ponendo, sive ut futuro per rationem, ita ut Deus cognoscat futura conditionata in suo decreto cognito ut futuro per rationem.

Sed contra : Quia, quod est essentialiter præsens et existens non potest cognosci ut futurum etiam per rationem ab illo, qui comprehendit. et videt rem, ut est in se quidditative, et intuitive : Sed decretum Dei est essentialiter præsens et existens, cum sit essentialiter æternum : Ergo non poterit cognosci ut futurum etiam per rationem a Deo, qui comprehendit et videt suum decretum ut est in se quidditative et intuitive.

Sequitur 163. Futura hæc conditionata non habere veritatem objectivam independenter a decreto Dei.

163. — Iisdem locis et 1. periherm. lect. 13.

Probatur sequela : Veritas illa objectiva vel est aliquid extra Deum, vel est intra ipsum : Sed neutrum dici potest : Ergo, etc. *Major patet* ex divisione per membra contradictoria. *Prima pars minoris probatur :* Nullum creatum est extra Deum independenter a decreto Dei : Sed veritas illa objectiva esset aliquid creatum : Ergo non esset extra Deum independenter a decreto Dei. *Secunda vero pars minoris probatur :* Omne quod est intra Deum, vel est omnino necessarium, vel est liberum : Sed veritas illa objectiva de futuris non potest esse intra Deum tanquam necessaria, nec tanquam libera : Ergo, etc. *Prima pars minoris patet ;* alias Deus non posset falsificare veritatem illam, atque adeo non posset facere, quod illud futurum conditionatum non esset sic futurum, imo nec ulla creatura id posset, ut est evidens ; unde tolleretur omnis libertas tum Dei, tum creaturarum omnium. Non potest etiam veritas illa objectiva de futuris esse quid liberum intra Deum independenter a decreto Dei ; Omne enim liberum intra Deum est actus liber et decretum, quod non est ante seipsum, ut patet : Ergo, etc.

Præterea veritas objectiva vel est objici intellectui, vel posse illi objici: Sed nullum futurum objicitur vel potest objici intellectui divino independenter a decreto : Ergo nullum fututurum habet veritatem objectivam independenter a decreto Dei. *Minor constat ex dictis;* quia nullus effectus potest habere rationem futuri independenter a decreto Dei, ut probatum est. Et præterea nullus effectus divinæ voluntatis potest objici intellectui divino, nisi mediante essentia divina ut causa : Sed essentia divina non habet rationem causæ respectu

cujuscumque effectus futuri, nisi ratione decreti : ergo independenter a decreto non potest objici intellectui divino. *Minor probatur :* quia essentia divina dupliciter potest habere rationem causæ, videlicet in actu primo, et in actu secundo : Sed in actu primo est tantum causa possibilium ; et in actu secundo non est causa nisi ratione decreti, et dependenter ab illo : Ergo respectu eorum, quæ non sunt mere possibilia, non habet rationem causæ independenter a decreto : Atqui futura conditionata ut sic non sunt mere possibilia : Ergo respectu futurorum conditionatorum essentia divina non habet rationem causæ independenter a decreto.

Confirmatur primo : Futura conditionata cognosci vel posse cognosci a Deo independenter a decreto, quia habent veritatem objectivam independenter a decreto, est illa cognosci independenter a decreto, quia cognoscuntur vel possunt cognosci : Sed hoc est manifesta et absurda petitio principii, ut est evidens : Ergo hoc est absurdum. *Major patet* : quia objici vel posse objici intellectui nihil aliud est, quam cognosci, vel posse cognosci : Sed habere veritatem objectivam nihil aliud est, quam objici vel posse objici intellectui : Ergo habere veritatem objectivam nihil aliud est, quam cognosci vel posse cognosci. Qui ergo dicunt, ideo futura conditionata cognosci vel posse cognosci a Deo independenter a decreto, quia independenter ab illo habent veritatem objectivam, nihil aliud dicunt, nisi quod futura conditionata ideo cognoscuntur vel possunt cognosci a Deo independenter a decreto, quia cognoscuntur vel possunt cognosci a Deo independenter a decreto. Quæ est omnino absurda petitio principii.

Confirmatur secundo : Juxta hos recentiores, futura conditionata independenter a decreto habent veritatem objectivam ex vi contradictionis propositionum, quæ de illis futuris conditionatis formantur, aut formari possunt : quia, ut isti aiunt, ex duabus propositionibus etiam de futuro conditionato altera debet esse determinate vera, altera determinate falsa in quocumque signo rationis : Atqui ista horum recentiorum assertio ex triplici capite est aperte falsa : Ergo falsum etiam est, quod futura conditionata habeant hanc veritatem objectivam independenter a decreto Dei. *Major est ipsa assertio recentiorum. Minor probatur primo :* Nullum objectum habet veritatem a propositionibus, quæ de illo formantur vel formari possunt, quin potius propositiones habent veritatem ab ipso objecto ; ex eo enim quod res est vel non est, oratio dicitur vera vel falsa : Ergo futura conditionata non possunt habere hanc veritatem objectivam ex vi contradictionis propositionum, quæ de illis formantur vel formari possunt. *Secundo* falsum est quod in propositionibus de futuro contingenti contradictoriis altera debeat esse determinate vera, et altera determinate falsa in quocumque signo rationis, etiam juxta hos recentiores : Ergo falsum est quod ipsi asserunt. *Consequentia est evidens. Antecedens probatur :* Non minus sunt contradictoriæ propositiones de contingenti ut futuro absolute, quam sint contradictoriæ propositiones de futuro conditionato, imo quodammodo multo magis : Atqui ex vi contradictionis propositionum de contingenti ut futuro absolute non sit, quod altera debeat esse determinate vera, et altera determinate falsa in quocumque signo rationis, etiam juxta illos auctores : Ergo ex vi contradictionis in conditionatis non debet altera esse determinate vera, et altera determinate falsa in quocumque signo rationis, nec consequenter debent hæc futura conditionata habere veritatem objectivam. *Major est verissima. Minor probatur :* Propositiones, quæ non cognoscuntur a Deo independenter a decreto, non habent veritatem determinatam,

ita ut contradictoriarum altera sit determinate vera, altera determinate falsa, in quocumque signo rationis, cum Deus cognoscat omnes, quæ habent veritatem determinatam : Sed propositiones etiam contradictoriæ de futuro absoluto non cognoscuntur a Deo independenter à decreto Dei : Ergo propositiones de futuro absoluto non habent veritatem determinatam, ita ut contradictoriarum altera sit determinate vera, et altera determinate falsa, ante decretum. *Minor probatur* quia non possunt cognosci propositiones nisi cognoscantur objecta, de quibus sunt : sed objecta, id est, futura absoluta non cognoscuntur independenter a decreto, alias etiam essent futura absolute independenter ab illo, et consequenter ponerentur in rerum natura independenter a voluntate Dei, et sic voluntas Dei non esset causa rerum omnium creatarum, quod est omnino falsum : Ergo in futuris absolutis, propositiones non cognoscuntur a Deo independenter a decreto.

Tertio falsum est, quod possint formari propositiones contradictoriæ de futuris sive absolute, sive conditionate in signo rationis ante decretum : Ergo falsum etiam est, quod altera contradictoriarum sit determinate vera, et altera determinate falsa in signo rationis ante decretum. *Consequentia est evidens :* quia propositiones, quæ non possunt formari in aliquo signo, non possunt esse contradictoriæ. *Antecedens probatur primo :* Omnes propositiones, quæ formantur ab æterno ab intellectu divino (qui solus est æternus) ante decretum divinæ voluntatis, sunt simpliciter necessariæ : Sed propositiones de contingenti ut futuro, sive absolute, sive conditionate, non sunt simpliciter necessariæ : Ergo propositiones de contingenti ut futuro non possunt formari ab intellectu divino ab æterno ante decretum Dei. *Minor est certa ;* quia talis est propositio, necessaria videlicet vel contingens, qualis est materia, sive objectum, de quo est propositio. *Major probatur :* quia, ut dicemus infra, prima radix totius contingentiæ est efficacia voluntatis divinæ. Unde sic arguitur : Ante primam radicem totius contingentiæ et libertatis nulla potest concipi vel contingentia vel libertas, præsertim ab eo, qui omnia comprehendit ut sunt : Sed efficacia decreti divini est prima radix totius contingentiæ et libertatis : Ergo ante decretum divinum nulla potest concipi vel contingentia vel libertas, præsertim a Deo, qui omnia comprehendit ut sunt.

Secundo probatur antecedens : Intellectus formans aliquas propositiones judicativas prius quam cognoscat objectum illarum, temere omnino illas format et judicat : Sed in signo rationis ante decretum Deus non cognoscit objectum aliquod sive absolute sive conditionate futurum priusquam formet propositiones judicativas, cum juxta hos auctores in ipsis propositionibus cognitis cognoscat objectum : Ergo intellectus divinus temere omnino judicaret et formaret propositiones in signo rationis ante decretum.

Explicatur vis hujus argumenti : Antequam aliquis formet propositiones judicativas de aliquo objecto, debet cognoscere ipsum objectum, alias prorsus temere judicat : Ergo antequam Deus formet propositiones judicativas de futuris, debet cognoscere illa futura, atque adeo non potest prius illas formare nisi temere judicet : Sed juxta assertores scientiæ mediæ illas format priusquam cognoscat objecta : Ergo temere judicat, cumque sit impossibile, quod Deus temere judicet, impossibile est, quod illas formet, antequam cognoscat futura. Quod autem juxta assertores scientiæ mediæ Deus formet propositiones de futuris saltem conditionatis antequam illorum objecta cognoscat, probatur. Qui in medio cognito cognoscit aliquid, prius debet cognoscere medium, quam id, quod cog-

noscit in medio ; prius, inquam, prioritate rationis : Sed juxta assertores scientiæ mediæ Deus cognoscit futura conditionata in veritate propositionum contradictoriarum tanquam in medio, in quo futura illa cognoscit : Ergo juxta illos prius debet cognoscere veritatem illam propositionum, atque adeo debent esse formatæ propositiones antequam Deus in illis cognoscat illa futura conditionata : Hoc autem esset temere judicare, ut dictum est, et esse omnino impossibile satis patet.

Tertio probatur antecedens sive declaratur radix hallucinationis : nam quando dicitur Deus cognoscere futura ante decretum, illa particula *ante* non denotat aliquod instans etiam rationis, in quo existat cognitio futurorum, et non existat decretum : sed solum denotatur, quod cognitio futurorum non pendet a decreto : unde est prioritas instantis, *a quo,* et non *in quo* : Cognitio autem futurorum non pendet a decreto ratione sui, cum sit omnino idem cum decreto, sed ratione objecti, id est, futura ipsa pendent a decreto : dicere ergo, quod cognitio futurorum non pendet a decreto Dei, est dicere, quod futura non pendent a decreto Dei, quod est manifeste falsum, quia cum futura etiam ut futura, sint entia creata, pendent a voluntate et decreto Dei.

Sequitur 164. Futura conditionata non cognosci a Deo in causis secundis, vel in earum supercomprehensione, independenter a decreto Dei.

164. — Iisdem locis.

Probatur sequela. Qui cognoscit omnia in causa altissima, non cognoscit in causis inferioribus quantumcumque comprehensis, vel supercomprehensis, independenter ab illa causa altissima, ut patet : Atqui, ex dictis, Deus cognoscit omnia in seipso ut causa altissima : Ergo non cognoscit aliqua, etiam futura conditionata in causis inferioribus etiam supercomprehensis, independenter a se ut causa : cum igitur Deus non habeat rationem causæ respectu futurorum, ut distinguuntur a possibilibus, nisi ratione decreti, non potest Deus futura conditionata cognoscere independenter a decreto.

Confirmatur : quia supercomprehensio nihil addit ex parte rei cognitæ supra simplicem comprehensionem : Sed per simplicem comprehensionem non cognoscuntur futura conditionata in causis inferioribus ; alias Angeli, et Christus Dominus ut homo cognoscerent illa, cum comprehendant causas omnes inferiores : Ergo etiam per supercomprehensionem non cognoscuntur futura conditionata. *Major probatur :* Qui dicit totum nihil excludit, et qui cognoscit rem, quantum cognoscibilis est, non potest melius aut perfectius cognoscere ex parte rei cognitæ : Sed qui comprehendit rem, totam illam cognoscit, quantum cognoscibilis est : Ergo supercomprehendendo nihil potest cognoscere in re, quod non cognoscatur per comprehensionem.

Confirmatur secundo : Quia in causis indeterminatis ut sic nihil potest cognosci ut futurum determinate et infallibiliter : Sed omnes causæ secundæ independenter a decreto Dei sunt indeterminatæ : Ergo in causis secundis independenter a decreto Dei non potest cognosci futurum determinate. *Major est* evidentissima: quia nulla causa potest deducere in cognitionem effectus, nisi secundum quod effectus in ea continetur, et consequenter si continetur tantum indifferenter et indeterminate, non potest cognosci ut determinate futurus. *Minor probatur :* causæ omnes impedibiles a suorum effectuum productione, sunt secundum hoc indeterminatæ : Sed omnes causæ secundæ sunt impedibiles a productione suorum effectuum ; possunt enim impediri a Deo, sive a decreto divino : Ergo independenter a Deo sive a decreto divino sunt indeterminatæ

Confirmatur tertio : quia decretum divinum prædefinit et prædeterminat causas omnes, ut ostendimus in primo principio, et infra etiam probabimus.

Sequitur 165. Futura conditionata libera non cognosci a Deo in voluntate libera creata, quasi Deus cognoscat, quid factura esset voluntas creata, si esset independens a Deo.

Probatur sequela : Quia, ut diximus, debet futura cognoscere in seipso ut causa altissima

Confirmatur, quia illa propositio seipsam destruit : *Quid factura esset voluntas creata si esset independens :* hoc enim idem est ac dicere, *Quid factura sit voluntas creata, si esset increata et Deus.* Neque per hoc potest aliquid aliud cognosci, nisi quod voluntas illa faceret, quod vellet, et nihil amplius.

Sequitur 166. Illa, quæ objiciunt in favorem scientiæ mediæ, nullius esse momenti.

166. — Patet ex illis locis.

Probatur sequela. Quia omnia, quæ objiciunt solum probant, quod Deus certo cognoscit inclinationem et dispositionem causarum secundarum, quam ipse Deus in eis posuit per suum decretum, atque adeo non cognoscit independenter a decreto ; neque cognoscit certo rem esse infallibiliter futuram, sed esse fallibiliter futuram secundum inclinationem causarum secundarum.

Specialiter tamen ad locum ex Matth. xi. *Si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes, olim in cinere et cilicio pœnitentiam egissent ;* ex quo volunt probare scientiam mediam, quia alias injusta esset increpatio, qua Christus increpat Judæos comparatione Tyriorum et Sidoniorum. *Respondendum primo* non omnes assertores scientiæ mediæ posse uti illo loco. Cum enim plures ex illis asserant in intellectu creato Christi non fuisse scientiam mediam, non possunt dicere, quod Christus, qui eo loci loquitur non ut Deus tantum, sed ut homo, locutus fuerit ex cognitione, quam ipse ut homo haberet per scientiam mediam. Alii vero, qui affirmant scientiam mediam fuisse in intellectu humano Christi, non possunt evadere, quin admittant Christum ut hominem cognovisse per illam, non solum ea, quæ Deus scit scientia visionis (quod tamen est contra D. Thomam, 3. p. q. 10. art. 2. et. q. 11. art. 1.), sed etiam omnia, circa quæ possunt formari propositiones conditionatæ : et cum circa omnia possibilia hujusmodi propositiones possint formari, debent necessario admittere Christum ut hominem cognoscere omnia possibilia, et consequenter comprehendere essentiam divinam, cujus rei impossibilitatem supra ostendimus.

R. 2. Assertores scientiæ mediæ æque teneri ad solvendum argumentum, quod ipsi afferunt. Certum est enim apud ipsos, Judæos prævisos fuisse a Deo consensuros gratiæ, si positi fuissent in aliis circumstantiis, vel si in eisdem Deus, uti poterat, dedisset aliam gratiam, quam prævidebat fore congruam sicut dedisset illam Tyriis et Sidoniis, si Christus apud eos fecisset miracula : Atqui hoc supposito æque videtur (absit verbo blasphemia) injusta increpatio, qua Christus increpavit Judæos comparatione Tyriorum; poterant enim respondere Judæi ; *Si tu nos posuisses in aliis circumstantiis, vel in iisdem dedisses nobis gratiam congruam, æque conversi essemus nos ac Tyrii.* Præterea Tyrii etiam habere viderentur causam conquerendi ; quia dicere possent ; *Cur noluisti facere virtutes apud nos, cum prævideres nos illi visis convertendos, et voluisti facere apud Judæos, quos præsciebas non convertendos.* Sed istæ omnes quærimoniæ humanæ cessant, si attendamus nullam in his, quæ sunt puræ ac meræ gratiæ, esse posse justam causam conquerendi.

R. 3. Ad hoc ut justa sit compara-

tiva increpatio sufficere, quod tam Judæi quam Tyrii potuerint converti, et Judæi non sint conversi visis virtutibus, sicut fuissent conversi Tyrii. Potuerunt autem converti ipsi Judæi, quia erant liberi, quia Deus multa auxilia sufficientia illis dederat, et quia penes ipsos erat ponere impedimenta ad gratiam (hoc enim ex seipsis poterant), sicut et penes ipsos erat non ponere hujusmodi impedimenta, quod poterant non ex se, sed ex gratia. Æquales ergo erant Tyrii et Sidonii ac Judæi quantum ad potentiam liberam, et quoad auxilia sufficientia : inæquales vero ex propria voluntate, quia majora impedimenta posuerant Judæi, quam Tyrii · Et hoc sufficit ad justitiam increpationis comparativæ.

Sequitur 167. Scientiam Dei esse eminenter formaliter speculativam et practicam.

167. — 1. p. q. 10, a. 16.

Probatur sequela. Cognitio, cujus objectum primarium et formale eminenter formaliter est speculabile et practicum, est eminenter formaliter speculativa et practica, quia, ut dicemus in tertio principio, cognitio suam perfectionem habet ab objecto primario et formali : Sed scientia divina habet objectum primarium et formale continens eminenter formaliter rationem speculabilis et practici : Ergo scientia Dei est eminenter formaliter speculativa et practica. *Minor probatur :* Objectum, quod continet rationem primæ veritatis et ultimi finis eminenter formaliter, continet etiam eodem modo rationem speculabilis et practici : Sed essentia divina, quæ est objectum scientiæ primarium et formale sub ratione causæ altissimæ, continet eminenter formaliter rationem primæ veritatis et ultimi finis : Ergo objectum primarium et formale scientiæ divinæ continet eminenter formaliter rationem speculabilis et practici. *Major est evidens :* quia sicut prima veritas est ratio cognoscendi omnes veritates speculativas, ta ultimus finis est ratio cognoscendi omnes veritates practicas. *Minor est etiam certa,* et patet, ex dictis supra, quia essentia divina est summe immaterialis, atque adeo prima veritas ; et est summum bonum, et consequenter ultimus finis.

Sequitur 168. Scientiam Dei esse practicam in actu secundo, quantum est de se.

168. — Ibidem.

Probatur sequela. Quidquid in actu puro reperitur, est in actu secundo quantum est ex parte ipsius : Sed Deus est actus purus, et ratio scientiæ practicæ reperitur in illo, ex jam dictis : Ergo ratio scientiæ practicæ in eo est in actu secundo quantum est ex se.

Sequitur 169. Scientiam Dei esse causam rerum.

169. — Ibid. a. 8.

Probatur sequela. Scientia practica in actu secundo est causa rerum : Sed scientia Dei est practica in actu secundo, ex dictis ; Ergo, etc.

Sequitur 170. Scientiam Dei non esse solum practicam per modum dirigentis et ordinantis, sed etiam per modum exequentis.

170. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod est practicum in actu secundo et per modum actus puri est causa, non solum dirigens et ordinans, sed etiam exequens : Atqui scientia Dei est practica in actu secundo, et est causa per modum actus puri, ex dictis : Ergo est causa etiam exequens. *Major patet* ex primo principio, in quo diximus, in rebus omnino immaterialibus non dari potentiam executivam distinctam ab intellectu et voluntate : diximus etiam actum imperii esse actum intellectus : ac demum ostendimus actum imperii esse ultimum actum, qui in processu agentis pure intellectualis reperitur ; quia non est necessarius

usus activus aut passivus, ubi potentia executiva non est distincta ab intellectu et voluntate. Unde sic arguitur : In actu puro, utpote omnino immateriali, imperium est actus, quo exequitur et causat, unde non est solum actus dirigens et ordinans, sed exequens : Sed Deus est actus purus : Ergo in ipso actus imperii est exequens : Atqui actus ille imperii est scientia : Ergo scientia est exequens : *Subsumptum probatur*. Actus intellectus qui terminatur ad effectum in causa est scientia : Sed actus imperii est actus intellectus, ut ostendimus, et hic actus in Deo terminatur ad effectus in causa : Ergo actus imperii est in Deo scientia. *Secunda pars minoris probatur :* Omnis actus intellectus divini debet terminari primario ad ipsam essentiam divinam, et nullus potest immediate terminari ad res creatas, ut supra demonstratum est : Ergo actus imperii in Deo debet terminari immediate ad essentiam divinam tanquam ad objectum primarium et formale : cum ergo attingat etiam creaturas, illas attingit in essentia divina tanquam causa, quia, ut superius demonstratum est, Deus cognoscit res creatas in sua essentia ut causa : Ergo actus imperii est scientia : cum ergo actus imperii sit executivus, scientia Dei erit executiva et productiva rerum.

Sequitur 171. Scientiam et Omnipotentiam non distingui virtualiter in Deo.

171. — Ibidem.

Probatur sequela. Potentia sive virtus executiva non distinguitur virtualiter ab Omnipotentia, ut est evidens : Sed scientia Dei est virtus executiva, ex dictis : Ergo scientia Dei non distinguitur ab Omnipotentia. Adverte tamen, quod, quia nos in hac vita non cognoscimus Deum, nisi per analogiam ad res sensibiles, in quibus videmus potentiam executivam esse aliquo modo distinctam a cognoscitiva, idcirco nos distinguimus in Deo Omnipotentiam a scientia cum fundamento non in ipso Deo, sed in rebus creatis, et in modo nostro intelligendi.

Sequitur 172. Scientiam Dei, quæ est executiva et causa rerum in actu secundo, supponere actum liberum voluntatis divinæ.

172. — Ibid. et a. 9, ad 3.

Probatur sequela. Imperium etiam in nobis supponit electionem, quæ est actus liber, ut ostendimus in primo principio, et hoc vel maxime verum est in Deo, qui est liberrimus, et nihil producit ad extra nisi libere : Sed scientia Dei, quæ est executiva et causa rerum in actu secundo, est actus imperii, ex jam dictis ; Ergo scientia Dei, quæ est executiva et causa rerum in actu secundo, supponit actum liberum voluntatis divinæ.

Sequitur 173. Illam scientiam, quæ est executiva rerum, esse scientiam visionis.

173. — Ibid. a. 9.

Probatur sequela. Scientia supponens actum liberum Dei, et terminata ad res præsentes et existentes, est scientia visionis, ex dictis supra : Sed scientia executiva et productiva rerum supponit actum liberum, et terminatur ad res ut existentes (quia dat illis existentiam,) et præsentes realiter in æternitate, quia dando illis existentiam in aliqua duratione creata, eo ipso dat illis præsentiam realem in æternitate, ut ostendimus supra : Ergo scientia executiva et productiva rerum est scientia visionis. Unde adverte scientiam simplicis intelligentiæ attingere res solum ut possibiles, scientiam autem visionis duo præstare juxta nostrum modum intelligendi ; nam et dirigit voluntatem, proponendo, quæ facienda sunt, et præsupposita electione voluntatis exequitur et producit res, quas Deus vult, et in ea duratione, qua Deus vult.

Sequitur 174. Non ideo res sciri a Deo, quia sunt, vel quia futuræ sunt; sed potius ideo res esse, vel futuras esse, quia Deus illas scit.

174. — Ibid. a. 8 ad 1.

Probatur sequela. Particulæ illæ, *ideo*, et, *quia*, important causalitatem proprie loquendo : Sed, ex dictis, scientia Dei est causa rerum, et res non sunt causæ ipsius scientiæ Dei : Erg non ideo res sciuntur a Deo, quia sunt, vel quia futuræ sunt, sed ideo sunt vel futuræ sunt, quia sciuntur a Deo. Quod si aliquando Patres videntur oppositum dicere, intelligunt quod scientia Dei non aufert libertatem, vel non est causa peccatorum, vel loquuntur tantum de scientia Dei præcise sub ratione scientiæ, cui ex suo genere non convenit ratio causæ, vel loquuntur de causa consequentiæ, qui videlicet est bona consequentia, *Res sunt : ergo sciuntur a Deo.*

Sequitur 175. Deum cognoscere omnia possibilia, existentia, futura quomodocumque, cogitationes cordium, singularia, infinita.

175. — Ibid. a. 8. 9. 11. 12. 13., etc.

Probatur sequela. Quia cognitio ejus est infinita et comprehensiva omnium, ut satis patet ex dictis.

Sequitur 176. Deum cognoscere etiam mala eo modo, quo sunt cognoscibilia.

176. — Ibid. a. 10.

Probatur sequela. Qui comprehendit omnia simpliciter, cognoscit mala eo modo, quo cognoscibilia sunt : Sed Deus comprehendit omnia simpliciter : Ergo cognoscit mala eo modo, quo cognoscibilia sunt.

Sequitur 177. Deum cognoscere mala cognoscendo in seipso bona, quorum mala sunt privationes,

177. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui cognoscit omnia ut sunt cognoscibilia, cognoscit mala ut sunt privationes bonorum : Sed Deus cognoscit omnia, ut sunt cognoscibilia : Ergo cognoscit mala, ut sunt privationes bonorum : Cum ergo non possit nosse mala ut privationes bonorum, nisi per bona, quorum sunt privationes, quia nec a nobis alio modo cognoscuntur, nisi faciamus entia rationis. quæ Deus facere non potest, debet cognoscere mala per bona ; bona autem cognoscit in sua essentia, ut patet ex dictis : Ergo cognoscit mala cognoscendo in seipso bona, quorum sunt privationes.

Sequitur 178. Deum cognoscere enuntiabilia, id est, propositiones, quæ de qualibet re possunt efformari.

178. — Ibid.a. 3. 4.

Probatur sequela. Qui comprehendit intellectum nostrum, cognoscit etiam enuntiabilia : Sed Deus comprehendit intellectum nostrum : Ergo cognoscit etiam ipsa enuntiabilia.

Sequitur 179. Deum cognoscere enuntiabilia absque compositione et divisione.

179. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui cognoscit omnia absque ulla imperfectione, et per unam et eamdem speciem, cognoscit etiam enuntiabilia absque compositione et divisione : Sed Deus cognoscit omnia absque ulla imperfectione, et per suam essentiam tanquam per unam et eamdem speciem causæ omnium : Ergo, etc. *Major patet :* quia compositio et divisio important imperfectionem, in quantum quod cognoscitur per unam speciem, attribuitur alteri per distinctam speciem cognito.

Sequitur 180. Scientiam Dei non esse variabilem.

180. — Ibid. a. 15.

Probatur sequela. Qui habet omnimodam immutabilitatem, non habet scientiam variabilem : Sed Deus, cum sit actus purus, habet omnimodam

immutabilitatem : Ergo non habet scientiam variabilem.

Sequitur 181. Scientiam Dei non esse discursivam.

181. — Ibid. a. 7.

Probatur sequela. Qui habet scientiam non variabilem, habet non discursivam, quia scientia discursiva est variabilis : Sed Deus habet scientiam non variabilem : Ergo, etc.

Sequitur 182. In Deo esse prudentiam, et artem.

Probatur sequela. Omnis perfectio simpliciter simplex est in Deo : Sed prudentia et ars sunt perfectiones simpliciter simplices : Ergo sunt in Deo. *Major probata est superius. Minor est evidens,* ex dictis, in primo principio, et infra amplius constabit : quia recta ratio agibilium, et recta ratio factibilium nullam in suis conceptibus formalibus includunt imperfectionem.

Sequitur 183. In Deo esse ideas rerum omnium.

183. — 1. p. q. 15. a. 1.

Probatur sequela. In artifice, sive in eo, qui habet artem, debet esse idea : Sed Deus est artifex, ut sæpius dicitur in Scriptura, et patet ex dictis : Ergo, etc. *Major patet :* quia idea est, ad quam respiciens artifex operatur : unde Deus respiciens ad ideam operatur omnia ad extra.

Sequitur 184. Ideam esse ipsam essentiam divinam.

184. — Ibidem.

Probatur sequela. Similitudo, ad quam respiciens artifex extra se operatur, est idea : Sed essentia divina est similitudo omnium, ad quam Deus ut artifex respiciens, omnia operatur : Ergo essentia divina est idea, et e contra. *Minor patet ex dictis supra,* quia Deus omnia cognoscit in sua essentia. Sed adverte quod essentia divina est species, qua seipsum et alia in se ut causa cognoscit; sed quia se cognoscendo cognoscit se perfectissimum, cognoscit creaturas posse aliquo modo imitari suas perfectiones, quæ unica sunt in ipso perfectio : quatenus ergo cognoscit suas perfectiones, quas creaturæ imitari possunt, ipsa essentia est idea.

Sequitur 185. Essentiam divinam non habere rationem ideæ, nisi ut a Deo cognoscitur et comparatur ad creaturas ut imitabilis ab ipsis.

185. — Ibidem.

Probatur sequela. Idea est forma, extra rem existens, ad quam respiciens artifex operatur : Sed essentia divina non potest esse forma, ad quam respiciens Deus operetur, nisi cognoscatur a Deo et comparetur ad creaturas ut imitabilis ab ipsis : Ergo essentia divina non potest esse idea, nisi sic cognoscatur et comparetur.

Sequitur 186. Creaturas ipsas non esse ideas, sed potius esse ipsa ideata.

186. — Ibidem.

Probatur sequela. Id, quod artifex operatur respiciendo ad ideam, non est idea, ut est evidens : Sed creaturæ sunt potius id, quod Deus operatur respiciendo ad suam essentiam, ut patet ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 187. In Deo esse plures ideas rerum.

187. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Qui cognoscit rem secundum omnia, secundum quæ cognoscibilis est, cognoscit illam secundum omnia, et singula a quibus participabilis esse potest et imitata : Atqui Deus comprehendit essentiam suam, atque adeo cognoscit illam secundum omnia, secundum quæ cognoscibilis est : Ergo cognoscit illam secundum omnia, et singula a quibus participabilis est, et imitata esse potest : hoc autem est habere plures ideas rerum : quia ipsa essentia divina cognoscitur ut diversimode imitabilis a creaturis : Ergo, etc.

Sequitur 188. Pluralitatem idearum non oriri ex sola essentia divina præcise ut sic, sed ex intellectu divino comparante essentiam suam ad res creatas.

188. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Ex uno, quatenus unum est, non oritur pluralitas, nisi ad diversa comparetur : Sed essentia divina una est : Ergo ex illa non potest oriri pluralitas, nisi quatenus ad diversa comparatur.

Sequitur 189. Comparationem illam essentiæ divinæ ut imitabilis a creaturis fieri ab ipso Deo.

189. — Ibid. a. 2. ad 3.

Probatur sequela. Actus intellectus divini est aut concipitur esse a Deo salva summa identitate : Sed comparatio illa est actus intellectus divini : Ergo comparatio illa fit ab ipso Deo.

Sequitur 190. Ad hanc comparationem resultare relationes rationis essentiæ divinæ ad res.

190. — Ibidem.

Probatur sequela. Illa comparatio intelligi non potest sine aliqua relatione : Sed illa relatio non est realis : Ergo intelligi non potest, nisi resultet relatio rationis.

Sequitur 191. Relationes illas sive respectus ideales fieri fundamentaliter ab ipso Deo.

191. — Ibidem.

Probatur sequela. Comparatio ipsa est ipse respectus fundamentaliter, id est, est fundamentum respectus : Sed comparatio fit a Deo : Ergo et respectus fundamentaliter.

Sequitur 192. Deum non facere ipsos respectus rationis formaliter.

192. — Ex iisdem locis.

Probatur sequela. Qui comparat res, inter quas non est relatio realis, et cognoscit relationes illas non esse reales, nec apprehendit illas ut reales non facit respectus rationis : Sed Deus comparat essentiam suam cum creaturis, nec tamen apprehendit illos respectus ad modum relationum realium : Ergo non facit ens rationis formaliter.

Adverte igitur respectum rationis fieri quidem fundamentaliter ex comparatione, sed formaliter fieri per hoc, quod hujusmodi respectus apprehendantur et concipiantur, ut quid reale ex modo concipiendi ; et hoc Deus non facit, quamvis non desint Theologi doctissimi, qui arbitrantur non esse inconveniens Deum facere entia rationis, quæ ex summa et infinita perfectione oriuntur, cujusmodi sunt respectus ideales, quod non parum probabile est.

Sequitur 193. In Deo esse ideam respectu omnium, quæ per se fieri possunt ; aliorum vel non esse omnino ideam, vel esse in Deo ideam non propriam, sed tantum, quatenus illa cum aliis factibilia sunt.

193. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Factibilia proprie illa sunt, quæ per se fiunt, non autem illa, quæ non fiunt vel non fiunt nisi cum aliis, et non per se : Sed idea est tantum respectu factibilium : Ergo idea est tantum eorum, quæ per se fiunt ; non autem eorum, quæ vel non fiunt a Deo, ut sunt mala, vel non fiunt per se, sed ratione alterius, ut est materia prima, genus, species, accidentia consequentia speciem, etc.

Sequitur 194. Ideam non esse aliquod ens rationis formaliter.

194. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Quod includit formaliter essentiam divinam ab intellectu divino comparatam ad creaturas, non est formaliter ens rationis, etiam si relatio rationis ex ea comparatione resultet : Sed ideæ divinæ includunt ipsam essentiam divinam

ut diversimode comparatam ad res creatas, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 195. Ideam non esse ipsam intellectionem divinam præcise ut sic.

195. — Ibidem.

Probatur sequela. Idea est, ad quam respiciens artifex operatur : Sed intellectio divina sub conceptu intellectionis, non est id, ad quod artifex respiciens operatur, ut est evidens : Ergo, etc.

Sequitur 196. Ideam non esse ipsam sapientiam vel artem divinam.

196. — Ibid. a. 2. ad 2.

Probatur sequela. Cognitio non est idea, ex dictis : Sed sapientia et ars sunt cognitio : Ergo sapientia et ars non sunt idea, vel e contra.

Sequitur 197. Ideam non constitui formaliter per ens rationis.

Probatur sequela. Quod constituitur formaliter per comparationem intellectus divini, etiam si ex illa resultet ens rationis, non constituitur per ipsum ens sive relationem rationis : Sed idea constituitur formaliter per comparationem intellectus divini, ex dictis : Ergo non constituitnr per ens vel relationem rationis.

Sequitur 198. Ideam esse causam exemplarem.

Probatur sequela. Species rei faciendæ ut cognita, ad cujus similitudinem res fit, est causa exemplaris : Sed idea est ipsa essentia divina, quatenus comparata ad creaturas est cognita, et ad cujus similitudinem creatura fit a Deo : Ergo, etc.

In quo autem genere causæ, causa exemplaris concurrat, an in genere causæ efficientis vel formalis extrinsecæ, dicemus in tertio principio.

Sequitur 199. In Deo esse veritatem.

199. — 1. p. q. 16. a. 5.

Probatur sequela. Veritas est conformitas inter intellectum et rem intellectam, ut diximus in primo principio : Sed inter intellectum sive intelligere divinum, et essentiam divinam, quæ est primario intellecta ab ipso, est maxima conformitas, imo et identitas perfecta ; cum, ut diximus, intelligere sit constitutivum formale essentiæ divinæ : Ergo in Deo est veritas.

Sequitur 200. Deum esse ipsam veritatem.

200. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod est ipsa conformitas inter intellectum et rem intellectam, est ipsa veritas : Sed Deus est ipsa conformitas inter intellectum et rem intellectam, quia est suum intelligere, et simul suum intellectum esse, ut diximus supra, etiam absque virtuali distinctione : Ergo Deus est ipsa veritas.

Sequitur 201. In Deo non distingui illo modo veritatem formalem et transcendentalem.

201. — Ibidem.

Probatur sequela. Veritas formalis est conformitas intellectus cum re intellecta ; veritas vero transcendentalis est conformitas rei ad intellectum : Sed in Deo hæ duæ conformitates non distinguuntur ullo modo : Ergo veritas formalis et transcendentalis nullo modo distinguuntur in Deo, *Minor patet ex dictis ;* quia in Deo intelligere est suum esse, atque adeo conformitas ipsius intelligere ad rem est ipsa conformitas rei, id est, objecti ad intellectum.

Sequitur 202. Veritatem intellectus divini esse unam, a qua omnia dicuntur vera veritate transcendentali.

202. — Ibid. a. 6.

Probatur sequela. Intellectus divinus cognoscens suam essentiam, et omnia in ipsa essentia, est una veritas formalis et transcendentalis, ut diximus : Sed omnia creata dicuntur

vera veritate transcendentali per ordinem ad intellectum divinum se et omnia in seipso cognoscentem, ut ostendimus in primo principio, ubi ostendimus in tali ordine et relatione ad intellectum divinum consistere veritatem transcendentalem : Ergo omnia dicuntur vera ab una veritate formali intellectus divini.

Sequitur 203. Veritatem omnem formalem cujuslibet intellectus creati esse a veritate formali intellectus divini speciali quadam ratione.

203. — Ibid. a. 6. et 8. ad 3.

Explicatur : Res omnis creata est ab intellectu divino, et consequenter a divina veritate tanquam a causa, a qua habet entitatem et consequenter veritatem transcendentalem, quæ nihil est aliud, quam ipsa entitas rei cum relatione ad intellectum divinum : Cum ergo propositio judicativa in intellectu creato existens, sicut et verbis externis prolata, sit entitas quædam creata, habet veritatem transcendentalem, quam habet etiam propositio judicativa, licet sit falsa. Sed præterea propositio judicativa habet aliam veritatem formalem, quæ nihil est aliud, quam conformitas cum objecto : et quia hujusmodi conformitas etiam sub ratione formali conformitatis est res quædam creata, etiam sub ratione formali conformitatis, debet esse ab intellectu divino, ut a causa : est autem ab intellectu divino, quatenus ipse intellectus divinus habens per summam identitatem conformitatem cum objecto suo primario scilicet essentia divina, habet etiam conformitatem cum objectis secundariis, quæ in eadem essentia continentur.

Probatur ergo consequentia : Omne creatum est a Deo, ut præhabente in se omnes omnium rerum perfectiones, ut infra ostendemus : Atqui veritas propositionis, non solum ut est entitas quædam, sed etiam ut est conformitas cum objecto, est quid creatum : Ergo et veritas transcendentalis, quæ convenit propositioni, ut est entitas, et veritas formalis, quæ convenit ei, quatenus est conformis suo objecto, est a Deo ut præhabente similem in suo intellectu perfectionem.

Sequitur 204. Nullam aliam posse dari veritatem in rebus, nisi vel transcendentalem, vel formalem.

204. — Ibid. a. 1.

Probatur sequela. Conformitas entitatis creatæ ad intellectum divinum est veritas transcendentalis, ex primo principio : Conformitas vero intellectus ad res, quæ sunt objecta cognitionis, est veritas formalis : Sed omnis veritas, quæ reperitur in rebus, vel est conformitas entitatis ad intellectum divinum, vel est conformitas intellectus ad objecta : Ergo omnis veritas vel est transcendentalis, vel formalis.

Sequitur 205. Veritatem, quam vocant objectivam, vel esse transcendentalem vel formalem.

205. — Ex eodem loco.

Probatur sequela. Omnis veritas ve est formalis vel transcendentalis, ex dictis : Sed veritas objectiva est veritas : Ergo est vel transcendentalis, vel formalis.

Explicatur : Veritas objectiva alicujus propositionis est veritas ipsius objecti, hoc est, conformitas objecti ad intellectum divinum, quatenus est natum facere verum sui conceptum in intellectu creato, ut diximus in primo principio : Atqui hæc veritas nihil aliud est, quam veritas transcendentalis, ut patet ex dictis ibidem : Ergo veritas objectiva est ipsa veritas transcendentalis.

Sequitur 206. Veritatem omnem creatam etiam objectivam esse a Deo.

206. — Ibidem.

Probatur sequela. Veritas omnis transcendentalis creata est a Deo, ut probabimus postea : Sed veritas objectiva est veritas transcendentalis, ex modo probatis : Ergo veritas objectiva est a Deo.

Sequitur 207. Veritatem omnem creatam transcendentalem et objectivam quæ est necessaria, esse ipsam entitatem creatam, ut necessario continetur in Deo in ratione possibilis.

207. — Ibid. a. 7.

Probatur sequela. Nulla entitas creata est necessaria, nisi ut continetur in Deo in ratione possibilis : Atqui veritas transcendentalis creata est ipsa entitas creata : Ergo veritas transcendentalis creata non est necessaria, nisi ut continetur in Deo sub ratione possibilis.

Explicatur : Hæc veritas, *Homo est animal rationale,* est veritas creata transcendentalis, si sumatur ex parte objecti, quia nihil est aliud, quam ipsa natura hominis : quod autem natura hominis consistat necessario in animali rationali, hoc habet ex eo, quia illud, quod vocamus hominem, per ideam divinam repræsentatur, ut imitans naturam divinam quoad vitam sensitivam et rationalem, eminenter in Deo præcontentam : Hoc autem est contineri in ratione non repugnantis : et quia ipsa cognitio divina est ipsa omnipotentia, ut diximus supra, ex hoc habet, quod sit possibilis illa natura, quia continetur in cognitione divina : et sic veritas transcendentalis creata etiam necessaria est a Deo aliquo modo, quatenus ab eo est ipsa non repugnantia terminorum, et ipsa possibilitas rerum ; ab eo, inquam, est non quasi efficiente et producente aliquid ad extra, sed veluti formaliter dante ei non repugnantiam, et possibilitatem, per denominationem extrinsecam.

Sequitur 208. Omnem veritatem transcendentalem creatam non necessariam, esse a Deo libere efficiente.

208. — Ibid. a. 7. ad 3.

Probatur sequela. Omnis veritas transcendentalis creata est a Deo : Sed veritas non necessaria non est a Deo necessario : Ergo libere.

Sequitur 209. Nullam veritatem objectivam, quæ non sit necessaria, posse esse ante decretum divinæ voluntatis.

209. — Ex eodem, etc.

Probatur sequela. Nulla veritas a Deo dependens libere, est ante decretum divinæ voluntatis, ut constat : Sed omnis veritas objectiva non necessaria dependet a Deo libere : Ergo nulla veritas objectiva potest esse ante decretum divinæ voluntatis.

Sequitur 210. Nullam dari veritatem objectivam propositionum de contingenti, sive absolute, sive conditionate futuro, ante decretum divinæ voluntatis.

210. — Ibidem.

Probatur sequela. Nulla datur veritas objectiva non necessaria ante decretum divinæ voluntatis : Sed veritas propositionum de contingenti, sive absolute, sive conditionate futuro, est veritas objectiva non necessaria : Ergo nulla datur veritas objectiva propositionum illarum ante decretum Dei. *Minor patet ;* quia contingens et non necessarium idem sunt : Sed veritas illa de contingenti est contingens : Ergo est non necessaria : *Minor probatur.* Talis est veritas objectiva propositionum, quale est objectum illarum : Sed objectum propositionum de contingenti, ut absolute vel conditionate futuro, est contingens : Ergo et veritas objectiva propositionum.

Sequitur 211. Deum non cognoscere futura, sive absolute sive conditionate, in veritate objectiva propositionum ante decretum suum.

211. — Ibidem.

Probatur sequela. Tum quia non datur hujusmodi veritas ante decretum, ut ostensum est : Tum etiam, quia cognoscere objectum in veritate objectiva est cognoscere objectum in seipso : Sed Deus ante decretum suæ voluntatis non cognoscit futura præ-

sertim conditionata in seipsis : Ergo nec in veritate objectiva : *Major patet ex dictis,* quia veritas objectiva propositionum est ipsum objectum. *Minor etiam constat :* quia nulla res creata habet veritatem saltem non necessariam in seipsa nisi sit in seipsa : Sed futura, quamdiu sunt futura, non sunt in seipsis : Ergo non habent veritatem in seipsis ; cumque aliunde non sint præsentia in æternitate nisi ratione decreti divini, ante hujusmodi decretum non possunt cognosci ut præsentia æternitati.

Sequitur 212. Verissimum esse quod ait D. Thomas, videlicet, *Illud, quod nunc est, ex eo futurum fuit, antequam esset, quia in causa sua erat, ut fieret : unde sublata causa non esset futurum illud fieri : Sola autem causa prima est æterna.* Atque hinc optime colligit, *Ea quæ sunt, semper fuisse verum, esse futura, quatenus in causa sempiterna fuit ut essent futura : quæ quidem causa Deus est, non ut est ens omnino necessarium præcise, sed ut est agens liberum.*

212. — 1. p. q. 16. a. 7. ad 3.

Patet sequela, ex dictis : Tum quia futurum debet esse determinatum in causa, ut supra probatum est : atque adeo futurum ab æterno debet esse determinatum in causa, ab æterno, et consequenter debet esse determinatum in causa æterna, quæ non est alia, nisi Deus : Tum quia veritas omnis est a Deo, ut ostendimus.

Sequitur 213. Iterum non dari scientiam mediam.

Probatur sequela. Ut detur scientia media, debet dari veritas objectiva futurorum sub conditione ante decretum divinæ voluntatis : Sed non datur hujusmodi veritas : Ergo nec scientia media : *Major patet :* quia alias Deus cognoscendo ante suum decretum verum esse, quod futura illa sint futura, falleretur, quia pro illo signo rationis ante decretum non est verum, quod sint futura, cum non habeant veritatem nisi a decreto Dei, ut probatum est.

Sequitur 214. Solam veritatem intellectus divini esse æternam.

214. — 1. p. q. 16. a. 7.

Probatur sequela. Omnis veritas vel est in intellectu, vel est per ordinem ad intellectum actu cognoscentem, atque adeo veritas æterna supponit intellectum æternum : Sed solus intellectus divinus est æternus, ut patet ex dictis supra : Ergo sola veritas intellectus divini est æterna. *Major est evidens ex dictis :* quia omnis veritas vel est formalis, et hæc est in intellectu ; vel est transcendentalis, et hæc est per ordinem ad intellectum Dei, qui cum sit suum intelligere, semper est actu intelligens.

Sequitur 215. Solam veritatem intellectus divini esse immutabilem.

215. — Ibidem a. 8.

Probatur sequela. Omnis veritas vel est in intellectu, vel pendet ab intellectu, ex dictis : Sed solus intellectus divinus est immutabilis : Ergo sola veritas intellectus divini est immutabilis.

Sequitur 216. Deum esse viventem.

216. — 1. p. q. 18. a. 3.

Probatur sequela. Quod est omnino immateriale, movet se a principio intrinseco, atque adeo est vivens : Sed Deus est omnino immaterialis : Ergo est vivens : *Major probata est* in primo principio. *Minor supra* in isto.

Sequitur 217. Omnia, quæ sunt in Deo, esse vitam.

217. — Ibidem a. 4.

Probatur sequela : Quidquid est intellectum in Deo, est vita : Sed omnia sunt in Deo ut intellecta, ex dictis : Ergo omnia sunt vita in Deo. *Major patet* ex iis, quæ diximus, intelligere siquidem Dei est vita : Sed

quidquid est intellectum in Deo est ipsum intelligere; quia in Deo non differunt intelligere et intelligi sive intellectum esse : Ergo, etc.

Sectio 2ª. — De voluntate et de amore, justitia, et misericordia Dei.

Sequitur 218. In Deo esse voluntatem.

218. — 1. p. q. 19. a. 1.

Probatur sequela. In quolibet intelligente est voluntas, ex dictis in primo principio : Sed Deus est intelligens, ut ostensum est : Ergo in Deo est voluntas.

Sequitur 219. Voluntatem, quæ in Deo est, non esse potentiam.

219. — Ibidem.

Probatur sequela. In actu puro nulla est potentia, ex dictis : Sed voluntas est in Deo, qui est actus purus, cum ut sic sit intelligens : Ergo voluntas in Deo non est potentia.

Sequitur 220. Voluntatem in Deo non posse concipi per modum potentiæ ex parte rei conceptæ.

220. — Ibidem.

Probatur sequela. In actu puro nulla potest concipi potentia ex parte rei conceptæ, quia ratio actus puri hoc non patitur : Sed Deus est actus purus : Ergo, etc.

Sequitur 221. Voluntatem et velle in Deo esse omnino idem absque virtuali distinctione.

221. — Ibidem.

Probatur sequela. Voluntas, quæ non est per modum potentiæ, sed per modum actus puri, est suum velle absque distinctione virtuali : Sed in Deo est voluntas non per modum potentiæ, sed per modum actus puri, ex dictis : Ergo voluntas et velle idem sunt absque distinctione virtuali.

Sequitur 222. Voluntatem in Deo esse ipsum esse Dei realiter.

222. — Ibid. a. 2 ad 1.

Probatur sequela. In eo, in quo nulla est compositio, omnia sunt ejus esse, ex dictis : Sed in Deo nulla est compositio, ut ostendimus : Ergo, etc.

Sequitur 223. Voluntatem in Deo distingui virtualiter ab ipso esse et intelligere Dei.

223. — Ibidem.

Probatur sequela. Quæ ad diversas rationes formales spectant, in Deo virtualiter distinguuntur : Sed intelligere et velle spectant ad diversas rationes formales : Ergo in Deo virtualiter distinguuntur. Adde quod velle et voluntas, cum sit appetitus intellectivus, supponit ipsum intelligere.

Sequitur 224. Velle in Deo concipi ut operationem consequenter ad esse sive intelligere, tanquam proprietatem consequentem ad essentiam, seclusa tamen reali distinctione.

224. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod concipitur in re ut virtualiter distinctum a formali constitutivo, et nihilominus necessario conveniens, debet concipi ut proprietas consequens : Sed velle sive voluntas in Deo concipitur ut virtualiter distincta a formali constitutivo, quod est intelligere, ex jam dictis, et nihilominus concipitur ut quid necessario conveniens; voluntas enim necessario convenit naturæ intelligenti, imo ad illam consequitur, ut dictum est : Ergo voluntas et velle concipitur in Deo ut quid consequens per modum proprietatis ad ejus essentiam, et cum non concipiatur per modum potentiæ, sed per modum actus secundi, debet necessario concipi per modum operationis.

Sequitur 225. Objectum primarium voluntatis divinæ esse ipsam essentiam divinam quatenus est summum bonum.

225. — 1. p. q. 19. a. 2.

Probatur sequela. Bonum conveniens per se primo volenti est objectum primarium voluntatis ipsius :

Sed essentia divina ut summum bonum est per se primo bonum conveniens Deo volenti : Ergo essentia divina ut summum bonum est objectum primarium voluntatis divinæ.

Sequitur 226. Essentiam divinam, ut per summam identitatem præhabet in se tanquam in radice omnia attributa Dei, esse objectum primarium voluntatis divinæ.

226. — Ibidem.

Probatur sequela. Summum bonum est objectum primarium voluntatis divinæ : Sed essentia divina, ut præhabens per summam identitatem in se tanquam in radice omnes perfectiones et attributa, est summum bonum : Ergo essentia divina ut sic præhabens omnes perfectiones, est objectum primarium voluntatis divinæ. *Minor probatur;* quia essentia divina est per seipsam summum bonum, unde diximus supra, Deum esse bonum per essentiam : Sed essentia divina, ut concipitur virtualiter distincta ab attributis, non concipitur summum bonum, nisi ut per identitatem continet omnem perfectionem : Ergo cum essentia divina ut summum bonum sit objectum voluntatis divinæ, ut probatum est, necessario dicendum est, essentiam divinam, quatenus per identitatem præhabet, ut radix omnes omnino perfectiones, esse objectum primarium voluntatis divinæ.

Sequitur 227. Objectum primarium voluntatis divinæ esse virtualiter ab ipsa voluntate divina distinctum.

227. — Ibidem.

Probatur sequela. Essentia divina, ut præhabet per modum radicis omnes omnino perfectiones, distinguitur virtualiter a voluntate divina : Sed objectum primarium voluntatis divinæ est essentia divina, ut præhabet per modum radicis omnes perfectiones divinas : Ergo objectum primarium voluntatis divinæ distinguitur virtualiter ab ipsa voluntate divina.

Sequitur 228. Perfectiones et attributa divina esse modos per se ipsius objecti primarii.

228. — Ibidem.

Probatur sequela. Proprietates objecti primarii, quod ut objectum primarium est radix illarum, sunt modi per se ipsius objecti, ut ex se patet : Sed attributa sunt proprietates essentiæ divinæ, quæ est objectum primarium ut est radix attributorum, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 229. Voluntatem divinam non posse habere actum desiderii vel spei respectu sui objecti primarii.

229. — 1. p. q. 20. a. 1. ad 2.

Probatur sequela. Respectu boni præsentis, quod quis possidet, non potest haberi desiderium vel spes, ut patet ex dictis in primo principio : Sed Deus habet suam essentiam, suasque omnes perfectiones : Ergo respectu illius, quod est objectum primarium ipsius voluntatis, ut ostendimus, non potest habere desiderium vel spem.

Sequitur 230. Voluntatem divinam respectu sui objecti primarii non posse habere nisi amorem et gaudium.

230. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui non potest habere desiderium et spem propter præsentiam objecti, non potest habere nisi amorem et gaudium : quia soli isti duo actus possunt stare cum præsentia objecti, ex dictis in primo principio : Sed divina voluntas non potest habere spem et desiderium circa suum objectum primarium propter ejus præsentiam : Ergo solum potest habere amorem et gaudium.

Sequitur 231. Deum velle alia a se.

231. — 1. p. q. 19. a. 2.

Probatur sequela. Res quælibet perfecta habet inclinationem ad hoc, ut

seipsam communicet; perfectum enim est perfectivum aliorum, et bonum communicativum sui, ut ex primo principio patet : Sed Deus est perfectus et intellectualis, ut diximus : Ergo habet inclinationem intellectualem ad hoc, ut seipsum communicet. Hæc autem inclinatio est voluntas per modum actus secundi, qui est velle : Ergo Deus habet velle circa alia a se.

Sequitur 232. Deum velle alia a se ut objectum secundarium.

232. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui vult alia a se ratione sui, vult illa ut objectum secundarium, hoc enim est esse objectum secundarium : Sed Deus vult alia a se ratione sui, utpote cum ipse sit objectum primarium, ex dictis : Ergo Deus vult alia a se ut objectum secundarium.

Sequitur 233. Deum velle se ut finem vel rationem finalem, et alia a se ut media.

233. — Ibidem.

Probatur sequela. Volitum propter se est finis, et volita propter aliud sunt media, ut patet ex primo principio : Sed Deus vult se propter se, sive ratione sui ; alia vero a se vult propter se : Ergo vult se ut finem, et alia ut media.

Sequitur 234. Deum velle se necessario.

234. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Omnis appetens vult necessario finem : Sed Deus est volens, seu appetens : Ergo volendo seipsum ut finem ac summum bonum, vult se necessario. *Major patet* ex dictis in primo principio. *Minor jam probata est.*

Sequitur 235. Deum velle alia a se non necessario, nisi ex suppositione.

235. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui vult finem non vult necessario ea, sine quibus habet finem : Sed Deus vult se ut finem, et habet seipsum sine aliis a se, cum seipso perfectus sit, ut supra ostensum est : Ergo non vult necessario alia a se.

Sequitur 236. Voluntatem Dei esse causam rerum.

236. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Primum agens, est agens per intellectum et voluntatem : Sed Deus est primum agens : Ergo agit per intellectum et voluntatem; Atque adeo voluntas ejus est causa rerum, hoc sensu, quod non agit, nisi quia vult. *Major probatur :* Quod præstituit finem aliis agentibus, est agens per intellectum et voluntatem : Sed primum agens præstituit finem omnibus aliis agentibus : Ergo primum agens agit per intellectum et voluntatem. *Major est evidens;* quia non potest agens aliquod præstituere finem aliis, nisi cognoscat finem, et velit. *Minor vero non est minus aperta :* quia agens per naturam non sibi præstituit finem, sed ipsi ab alio priori prædeterminatur finis.

Sequitur 237. Voluntatem Dei non esse quidem causam rerum, quasi sit potentia immediate executiva rerum, sed quia ipsa determinat intellectum ad productionem rerum.

237. — Ibidem.

Supponit hæc sequela, quod supra probavimus, intellectum divinum esse potentiam immediate executivam per imperium ; sed quia intellectus secundum se non est determinatus ad productionem horum, potius quam aliorum effectuum, debet determinari per voluntatem; quia ergo intellectus ut potentia executiva determinatur per voluntatem, dicitur voluntas Dei causa rerum.

Probatur ergo sequela. Causa determinans potentiam executivam ad hos et illos effectus, non est quidem potentia executiva, est tamen causa horum potius quam istorum effectuum :

Sed voluntas Dei determinat ejus intellectum prout est potentia executiva ad hos potius effectus, quam ad alios : Ergo voluntas Dei est causa rerum. *Major patet. Minor probatur :* Imperium non est actus intellectus, nisi ut determinati a voluntate, ut ostensum est in primo principio : Sed Deus est causa omnium rerum per imperium : Ergo est causa per intellectum ut determinatum a voluntate.

Sequitur 238. Voluntatem divinam esse causam veram, realem et physicam omnium rerum.

238. — Ibidem.

Explicatur : Dupliciter potest aliqua causa influere in effectum ; *primo* moraliter, exhortando, suadendo, alliciendo, etc. *Secundo* physice et realiter influendo : primo modo dicitur causa moralis ; secundo causa physica.

Probatur ergo sequela. Causa influens vere ac physice est causa physica : Sed voluntas divina per intellectum influit vere ac physice in omnes res creatas, et non tantum moraliter, quia omnia creata sunt entia per participationem, quæ non nisi physico influxu produci possunt ab ente per essentiam, ut etiam infra ostendemus : Ergo voluntas divina est causa rerum realis et physica.

Sequitur 239. Velle divinum, esse causam rerum.

239. — Ibidem.

Probatur sequela. Voluntas divina non influit realiter in res, nisi per suum velle, quia enim vult, influit. Sed causa rerum omnium est voluntas divina, ut realiter influit : Ergo est causa per suum velle, atque adeo velle divinum est causa rerum.

Sequitur 240. Velle illud divinum recte vocari decretum, vel definitionem et determinationem, et destinationem.

240. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Actus, quo quis decernit, definit, statuit, recte vocatur decretum, definitio, etc. Sed velle, quo voluntas divina causat res, est actus, quo Deus apud se decernit, definit, statuit, et determinat, et destinat rem producere, ut patet ex dictis : Ergo velle divinum recte vocatur decretum, definitio, determinatio, destinatio.

Sequitur 241. Velle illud divinum esse prædefinitionem, prædeterminationem et prædestinationem.

241. — Ibid. a. 4. initio corp.

Probatur sequela. Definitio determinatio, destinatio, quæ est causa, est etiam prædefinitio, prædeterminatio, prædestinatio : Sed velle divinum, quo causat res, est definitio, determinatio, destinatio, quæ est causa, ex dictis : Ergo est prædefinitio, prædeterminatio, prædestinatio. *Major patet :* Quod enim est prius recte explicatur per particulam illam, *Præ*, quæ significat prioritatem : Sed definitio, determinatio et destinatio, quæ est causa, est prior, cum omnis causa sit suo effectu prior prioritate causalitatis : Ergo definitio, determinatio, destinatio, quæ est causa, recte dicitur prædefinitio, prædeterminatio, prædestinatio.

Sequitur 242. Velle illud divinum esse prædefiniens, prædeterminans, et prædestinans physice.

242. — Ex eodem loco.

Probatur sequela. Velle, quod est prædefinitio, prædesterminatio et prædestinatio per modum causæ physicæ, est physice prædefiniens, prædeterminans et prædestinans, ut patet ex terminis : Sed velle divinum est omnium rerum causa physica, et sic per modum causæ physicæ est prædefinitio, prædeterminatio, et prædestinatio, ex dictis : Ergo velle, divinum est physice prædefiniens, prædeterminans, et prædestinans respectu omnium rerum.

Sequitur 243. Velle divinum dupliciter causare res; aliquas enim causat nulla media causa secunda; alias vero causat media aliqua causa secunda.

243. — 1. p. q. 104. a. 2.

Probatur sequela. Quod causat omnia omnino, dupliciter illa causat; nam aliqua causat mediis aliis causis, quas applicat ad agendum; alia vero causat, nullis causis mediis, ut constat experientia : Sed velle divinum omnia omnino causat, ex dictis : Ergo aliqua causat nullis mediis aliis causis, nempe ea, quæ creat; alia vero mediis aliis causis, scilicet ea, quæ producit per generationem, etc.

Sequitur 244. Velle divinum recte dici formaliter immanens et virtualiter transiens.

244. — De potent. q. 3. a. 15.

Probatur sequela. Velle, quod extra volentem causat aliquid, est actus immanens formaliter, et virtute atque causalitate sua transiens : Sed velle divinum causat omnia extra se : Ergo, etc. *Major patet;* quia omnis actus voluntatis est immanens; et omnis causa producens aliquid extra se, dicitur agere aliquo modo actione transeunte saltem virtualiter, ut patet.

Sequitur 245. In his, quæ Deus producit sine mediis causis secundis, nihil omnino mediare inter velle divinum et rem productam.

245. — 1. p. q. 45. a. 3.

Probatur sequela. Id quod mediaret, vel esset ens productum a Deo, vel non; Non potest dici, quod non foret productum; alias darentur duo entia improducta, quod falsum esse supra demonstratum est : Ergo esset ens productum a Deo : Vel ergo istud foret immediate productum a Deo, vel non immediate; Si dicatur, quod non immediate, igitur mediante alio, et sic de alio et alio in infinitum; Si vero dicatur, quod immediate : igitur voluntas divina per intellectum ut potentiam executivam potest immediate producere rem aliquam : atque adeo sine mediis aliquibus causis secundis, et sine virtute aliqua a se diffusa : et hoc pacto Deus creat, ut dicemus infra.

Sequitur 246. In his, quæ Deus producit mediis causis secundis, debere mediare concursum divinum, quo cum causis secundis concurrat voluntas divina ad earum operationes et effectus.

246. — 1. p. q. 105. a. 5.

Probatur sequela. Causa producens aliqua mediis aliis causis, debet cum illis concurrere, alias vel ipsa nihil ageret, et sic non esset causa, vel aliæ non agerent, et sic illis mediis non ageret : Sed voluntas divina producit omnes effectus et operationes causarum secundarum mediis causis secundis, cum producat omnia, ut diximus, et statim fusius explicabimus : Ergo voluntas divina debet concurrere concursu aliquo cum causis illis ad eorum operationes et effectus.

Sequitur 247. Concursum illum, quo voluntas divina concurrit cum causis secundis, debere esse productum immediate a voluntate divina, id est, absque ulla intermedia causa creata.

247. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia si produceretur mediante alio, et ille alius mediante alio, etc. daretur processus in infinitum, nec unquam voluntas divina quidquam produceret, atque adeo non esset causa, quod est contra jam probata. Sequela est evidens ex præcedentibus.

Sequitur 248. Concursum illum debere esse causam operationum et effectuum causarum secundarum.

248. — Ibidem.

Probatur sequela. Virtus etiam diffusa, qua mediante causa causat, est suo modo causa : Sed, ut constat

ex dictis, ille concursus est virtus diffusa, qua mediante, voluntas divina causat operationes et effectus causarum omnium secundarum : Ergo ille concursus debet etiam esse causa illorum effectuum et operationum, alias enim nec ipsa voluntas divina esset causa eorum.

Sequitur 249. Eumdem concursum debere esse causam physicam et realem illarum operationum et effectuum.

249. — Ibidem.

Probatur sequela. Causa, quæ influit media aliqua virtute, non alio modo causat, quam quo illa virtus influit ; et eo modo illa virtus debet influere, quo ipsa causa causat : Sed divina voluntas causat physice ac realiter omnes operationes et effectus causarum secundarum : Ergo concursus ille, quo mediante, divina voluntas causat, debet esse causa physica et realis. Enimvero si concursus ille tantum moraliter influeret in effectum et operationem, etiam voluntas divina influeret tantum moraliter, sicut, si, v. g. aliquis physice produceret in me eloquentiam, qua alteri persuaderem, et ipse persuasus ageret, ille, qui produceret physice ac realiter in me eloquentiam, non produceret physice actionem et effectum, quem alter meo persuasu faceret. Et ratio est ; quia cum ego non concurram ad illam operationem, nisi moraliter, nec ille etiam, qui me mediante concurrit, alio modo concurrit, quam moraliter, licet physice produxerit in me eloquentiam, qua alteri persuadeam : Ergo similiter etsi voluntas divina physice produceret suum concursum, si tamen concursus ille nonnisi moraliter concurreret ad operationes et effectus causarum secundarum, voluntas etiam divina non nisi moraliter in easdem operationes et effectus influeret. Adde quod maxima pars causarum secundarum est incapax illius influxus moralis, ut est evidens : unde si voluntas divina non præstaret, nisi concursum moraliter influentem, non causaret illas causarum secundarum operationes, et effectus, qui non possunt produci influxu morali.

Sequitur 250. Concursum illum debere esse quid realiter distinctum ab operationibus et effectibus causarum secundarum.

250. — Ibidem.

Probatur sequela. Causa realis et physica debet esse realiter distincta ab eo, cujus est causa realis, quia inter causam et causatum intervenit realis relatio, atque adeo distinctio, ut probabimus in tertio principio : Sed, ex dictis, concursus ille est vera causa, realis et physica : Ergo debet esse realiter distinctus ab operationibus et effectibus, quorum est causa.

Sequitur 251. Concursum illum debere esse priorem prioritate causalitatis operationibus et effectibus, quos causat.

251. — Ibidem.

Probatur sequela. Omnis causa ut causa est prior causalitate suo effectu, ut in tertio principio demonstraturi sumus : Sed concursus ille est causa, ut dictum est : Ergo est prior causalitate.

Sequitur 252. Concursum illum esse phsyice prævium.

252. — Ibidem.

Probatur sequela. Causa physice influens est physice prævia respectu sui effectus, cum sit prior in ratione causæ, ex dictis : Sed, ut probatum est, concursus ille est causa physice influens, sicut et voluntas divina physice influit : Ergo concursus ille est physice prævius.

Sequitur 253. Concursum illum esse physice prædeterminantem.

253. — Ibidem.

Probatur sequela. Concursus ille, ut virtus executrix divini decreti est in executione causa, eo modo

quo ipsum decretum divinum, cum hac sola differentia, quod decretum divinum est causa principalis et increata, concursus autem ille est veluti instrumentum sive virtus instrumentalis creata, qua Deus exequitur in tempore, quod decrevit ab æterno : Sed decretum divinum est prædeterminans etiam physice, ex dictis supra : Ergo concursus ille est etiam physice prædeterminans. Verum ut hæc melius intelligantur, iterum ad voluntatem divinam redeundum est.

Sequitur ergo 254. Voluntatis divinæ non dari causam ex parte ipsius.

254. — 1. p. q. 19. a. 5

Probatur sequela. Primæ causæ non datur causa, quia causa omnis est prior, et sic daretur prior prima simpliciter, quod implicat : Sed voluntas Dei est prima causa, cum, ut diximus, sit causa omnium, quod etiam infra probaturi sumus : Ergo voluntatis divinæ non datur causa ex parte ipsius.

Sequitur 255. Ex parte volitorum formaliter non dari causam voluntatis divinæ, bene tamen materialiter.

Explicatur : Dupliciter potest dari causa voluntatis ex parte volitorum ; primo formaliter ; secundo materialiter : formaliter, quatenus volitio unius est causa volitionis alterius rei : materialiter vero quatenus unum volitum est in ordine ad aliud, licet utrumque volitum sit per eamdem volitionem.

Probatur ergo sequela. In eo, qui vult omnia eodem actu, non potest una volitio esse causa alterius, atque adeò volitio finis, v. g. non potest esse causa volitionis mediorum : Sed, ut patet ex dictis, Deus vult omnia uno et eodem actu : Ergo in Eo una volitio non est causa alterius : et sic ex parte volitorum formaliter non datur causa voluntatis divinæ.

Quia tamen Deus vult, unum esse propter aliud, ut media propter finem, inde est, quod materialiter datur causa vel ratio voluntatis divinæ, in quantum finis est ei ratio volendi media.

Sequitur 256. Voluntatem divinam esse causam totius entis producibilis.

256. — 1. p. q. 45. a. 5.

Probatur sequela. Voluntas causæ improductæ est causa totius entis producibilis. Sed Deus solus est causa improducta, ex dictis initio : Ergo voluntas Dei est causa totius entis producibilis. *Major constat;* quia, ut diximus, primum agens est agens per voluntatem ; aliunde vero primum agens debet producere omnia, alias non esset primum in ratione causæ et agentis.

Sequitur 257. Voluntatem divinam esse causam universalissimam.

257. — Ibidem.

Probatur sequela. Causa totius entis producibilis est universalissima : nihil enim potest esse universalius et communius ente : Sed divina voluntas est causa totius entis producibilis : Ergo est causa universalissima.

Sequitur 258. Voluntatem divinam per se primo causare omnia sub ratione entis producibilis.

258. — Ibidem.

Probatur sequela. Causa universalissima debet causare omnia per se primo sub universalissima ratione, ut constat, et explicabitur in tertio principio : Sed voluntas Dei est causa universalissima, et ratio universalissima est ratio entis : Ergo voluntas Dei per se primo causat omnia sub ratione entis producibilis.

Sequitur 259. Divinam voluntatem debere concurrere ad omnia, quæ quocumque modo habent rationem entis producibilis.

259. — Ibid. et 1. p. q. 105. a. 5.

Probatur sequela. Causa per se

primo causans sub universalissima ratione entis producibilis, debet producere illam rationem ubicumque reperiatur : Sed, ex dictis, divina voluntas per se primo causat sub universalissima ratione entis producibilis : Ergo debet producere rationem entis ubicumque reperiatur. Hinc habes Deum sive divinam voluntatem, producere omnes modos, et rationes differentiales entis, atque adeo debere producere actiones causarum secundarum etiam ut a causis secundis dependent, et consequenter dari præmotionem ac prædeterminationem physicam, ut deduximus in primo principio, nec propterea tolli libertatem, nec sequi, quod Deus sit causa peccati, ut ibidem explicatum est.

Sequitur 260. Divinam voluntatem esse perfectissimam in ratione causæ.

260. — Ibidem.

Probatur sequela. Actus purus causans et attingens omnia sub ratione entis, debet esse perfectissimus in ratione causæ : Sed divina voluntas est actus purus et est causa attingens omnia sub ratione entis : Ergo divina voluntas est causa perfectissima.

Sequitur 261. Divinam voluntatem esse omnino infallibilem, ita ut omnia quæcumque vult, et eo modo quo vult, faciat.

261. — 1. p. q. 19. a. 6.

Probatur sequela. Causa perfectissima in ratione causæ est omnino infallibilis in causando : Sed divina voluntas est causa perfectissima in ratione causæ : Ergo est omnino infallibilis in causando.

Sequitur 262. Voluntatem divinam, quando aliquid vult, tria præstare, scilicet tollere impedimenta, ponere dispositiones, et producere rem quam vult.

262. — Ibidem.

Probatur sequela. Causa omnino infallibilis tria illa debet præstare, alias non esset infallibilis : Sed voluntas divina est causa omnino infallibilis : Ergo divina voluntas illa tria debet præstare, hoc est, debet tollere impedimenta, si adsint; debet ponere dispositiones, si necessariæ sint, et debet producere rem, quam intendit.

Sequitur 263. Divinam voluntatem non imponere rebus volitis necessitatem.

263. — Ibid. a. 8.

Probatur sequela. Causa causans omnia sub ratione entis, non imponit necessitatem causatis, quia producendo omnes modos entis, in quolibet causat modum ipsi causæ proximæ convenientem : Sed voluntas divina causat omnia sub ratione entis, ex dictis : Ergo non imponit rebus necessitatem, sed in quibusdam causat necessitatem, in aliis contingentiam, in aliis libertatem, quia ista omnia sunt modi entis.

Sequitur 264. Voluntatem Dei semper impleri.

264. — Ibid. a. 6.

Probatur sequela. Voluntas quæ est causa omnino infallibilis, semper impletur : Sed voluntas divina est omnino infallibilis : Ergo, etc.

Sequitur 265. Certitudinem et infallibilitatem causalitatis convenire voluntati divinæ ex se, quatenus est causa.

265. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Causæ perfectissimæ in ratione causæ debet convenire omnis perfectio causæ ut causa est : Sed voluntas divina est causa perfectissima, ex dictis : et certitudo atque infallibilitas causalitatis est perfectio causæ, ut causa est : Ergo hæc certitudo et infallibilitas causalitatis debet convenire voluntati divinæ, quatenus est causa. *Minoris secunda pars est evidens :* Virtus enim omnino efficax tollens impedimenta, ponens dispositiones et producens

effectum, est perfectio causæ in ratione causæ : Atqui infallibilitas causalitatis, est ipsa virtus omnino efficax tollens impedimenta, ponens dispositiones et producens effectum, ut per se patet : Ergo infallibilitas causalitatis est perfectio causæ, ut causa est.

Sequitur 266. Divinam voluntatem esse omnino infallibilem non ex sola Dei præscientia, sed ex se.

Probatur sequela. Quod convenit divinæ voluntati ex se ut causa est, non convenit ei ex sola præscientia : Sed infallibilitas omnimoda convenit divinæ voluntati ex se, quatenus causa est : Ergo convenit illi non ex præscientia, sed ex se.

Sequitur 267. Potius infallibilitatem competere præscientiæ ex divina voluntate.

267. — Ibid. et q. 2. de verit. a. 12.

Probatur sequela. Illi per se primo convenit infallibilitas, cui per se primo convenit ratio causæ perfectissimæ : Sed ratio causæ perfectissimæ per se primo convenit voluntati divinæ : Ergo et infallibilitas. *Major probatur et explicatur.* Quamvis voluntas non sit potentia executiva in Deo, hoc enim, ut diximus supra, convenit intellectui, nihilominus hoc quod est, esse potentiam executivam convenit intellectui, non secundum se, sed quatenus a voluntate libere movetur et applicatur opus. Movet quidem intellectus voluntatem quoad specificationem, proponendo illi objecta eligenda, unde est etiam radix libertatis : sed voluntas movet intellectum quoad exercitium, et est formaliter libera. In Deo igitur voluntas movet (eo modo, quo potest esse motio in Deo) intellectum ad exercitium : Atque adeo ratio potentiæ executivæ, quæ proprie importat exercitium, convenit intellectui ut moto a voluntate, sicut etiam proprie convenit voluntati libertas. Cum ergo ratio causæ per se primo conveniat illi, quod primo movet ad exercitium, et ratio causæ liberæ formaliter et per se primo conveniat voluntati, consequens est, ut infallibilitas orta ex ratione causæ, voluntati primo conveniat, præsertim cum scientia Dei versetur circa objecta creata, ut cognita in ipsa essentia ut causa : unde quodammodo præsupponitur ratio causæ determinatæ per voluntatem, antequam Deus cognoscat in seipso res creatas ut præsentes et existentes respectu æternitatis, et futuras nobis. Quare et ex parte objecti, nimirum rerum creatarum, et ex parte medii, videlicet ipsius essentiæ divinæ, voluntas divina præsupponitur infallibiliter determinata, ut ipsæ res sint infallibiliter futuræ, et ut cognoscantur certo et infallibiliter in ipsa essentia divina ut causa infallibili. Et sic patet etiam minor.

Sequitur 268. Efficaciam divinæ voluntatis esse primam radicem et causam contingentiæ.

268. — 1. p. q. 19. a. 8.

Probatur sequela. Infallibilitas causæ causantis omnia sub ratione entis est prima radix et causa contingentiæ, libertatis, et necessitatis : Sed efficacia divinæ voluntatis est ipsa infallibilitas ejusdem ut primæ causæ causantis omnia sub ratione entis, ut patet ex dictis : Ergo efficacia divinæ voluntatis est prima radix et causa contingentiæ, libertatis, et necessitatis. *Major est evidens :* quia ex eo, quod causa causat rationem entis, producit omnes modos entis, atque adeo contingentiam, libertatem, et necessitatem ; et ex eo quod causa illa habeat infallibilitatem in causando, nihil potest impedire, quin causet eos modos, prout voluerit.

Sequitur 269. Voluntatem Dei nullo modo esse mutabilem.

269. — 1. p. q. 19. a. 7.

Probatur sequela. Actus purus nullo modo est mutabilis, ut diximus supra : Sed voluntas Dei est actus purus :

Ergo voluntas Dei nullo modo est mutabilis.

Sequitur 270. Voluntatem Dei non posse manere suspensam circa quodcumque objectum ipsi ab intellectu propositum.

270. — Ex eodem loco.

Probatur sequela. Voluntas omnino immutabilis non potest manere suspensa circa quodcumque objectum sibi ab intellectu propositum : Sed voluntas Dei est omnino immutabilis : Ergo non potest manere suspensa circa quodcumque objectum ipsi ab intellectu propositum. *Major constat* : quia voluntas suspensa, est determinabilis et potest seipsam determinare, et concipitur in potentia ad actum, respectu cujus est suspensa, subindeque non est immutabilis.

Sequitur 271. Voluntatem Dei non posse concipi ut suspensam ex parte rei conceptæ, quamvis ex parte modi nostri concipiatur ut suspensa.

271. — Ex eodem loco.

Explicatur. Concipere voluntatem Dei ut attingentem actu suum objectum primarium, absque eo quod concipiamus, eam attingere objectum secundarium, saltem istud et illud in particulari, est concipere voluntatem Dei ut suspensam ex parte modi concipiendi, quia concipimus eam non concepto aliquo actu circa particularia objecta secundaria : et hoc possumus. Sed concipere illam ut suspensam ex parte rei conceptæ, est asserere, illam nullum habere actum circa objecta secundaria ipsi ab intellectu proposita : Hoc autem fieri non posse patet, quia esset concipere et asserere voluntatem Dei ut determinabilem per actus sequentes, atque adeo ut potentialem.

Quod autem decipit in hac parte, est, quod nonnulli imaginantur inter voluntatem Dei ut attingentem objectum primarium, et eamdem ut attingentem objectum secundarium intervenire prioritatem rationis instantis *in quo* ; cum tantum interveniat prioritas rationis secundum instans *a quo*, Prioritas (secundum rationem) instantis *in quo*, est prioritas, in qua unum concipitur existere, et aliud non existere ; prioritas (secundum rationem) instantis *a quo* est prioritas, in qua utrumque simul concipitur existere, sed unum esse rationem a priori vel causam saltem virtualem alterius. Sic v. g. radii solis concipiuntur posteriores ipsa substantia solis, quæ concipitur prior, non quod in aliquo instanti concipiatur sol existere sine radiis, sed quod concipiantur radii esse a sole tanquam a causa ipsorum.

Probatur ergo sequela. Voluntas, quæ concipitur ut actus purus et infinitus, nunquam potest concipi ut suspensa ex parte rei conceptæ, quia, ut explicavimus, hoc est concipere ipsam existere, et non habere omnem actum et omnem actualitatem, quam potest habere : Sed voluntas divina debet concipi ut actus purus et infinitus : Ergo nunquam potest concipi ut carens aliquo actu, quamvis possit concipi, non concepto aliquo actu particulari.

Sequitur 272. Voluntatem Dei habere decreta circa omnia omnino quocumque modo ipsi proposita ab intellectu divino.

272. — Ibid. a. 9.

Probatur sequela. Voluntas infinita et non suspensa habet decreta circa omnia, circa quæ potest illa habere, alias si vel circa unum non haberet decretum, circa illud esset suspensa : Sed voluntas Dei est infinita et non suspensa, ex dictis : Ergo debet habere decreta circa omnia sibi proposita ab intellectu divino.

Sequitur 273. Voluntatem Dei habere decreta de existentia vel non existentia cujuslibet possibilis.

273. — Ex eodem.

Probatur sequela. Voluntas non

suspensa habet actum circa quodlibet objectum : Sed voluntas divina est non suspensa : ergo habet actum circa quodlibet objectum.

Sequitur 274. Voluntatem divinam habere decreta conditionata ex parte objecti.

274. — Ex eodem.

Explicatur. Volitio aliqua dupliciter potest dici conditionata; *primo* conditione, quæ suspendat actum ; *secundo* conditione, quæ non suspendat actum, sed quæ exigat adimpletionem conditionis, ut actus habeat effectum: v. g. dum dico, *Vellem hoc, si mihi liceret illud velle :* ubi vides, quod voluntas suspendit actum efficacem volendi deffectu conditionis, quia illi non licet velle ; sed quando dico, *Volo tibi dare centum nummos cras, si laboraveris,* labor exigitur ut conditio, non ad hoc ut velim, sed ut volitio mea executioni mandetur : fatemur ergo Deum non posse habere volitionem conditionatam primo modo, quia hoc modo conditio suspendit actum efficacem ; voluntas autem Dei non potest manere suspensa circa quemcumque actum, ut diximus ; sed secundo modo divina voluntas potest habere decreta conditionata, quia non suspenditur actus, sed suspenditur executio rei volitæ, usque dum ponatur conditio.

Probatur ergo sequela. Voluntas, quæ non potest manere suspensa circa quodcumque objectum ipsi propositum ab intellectu, habet actus conditionatos ex parte objecti, si proponantur ei objecta sub conditione : Sed voluntas Dei non potest manere suspensa, ut ostendimus, et intellectus divinus cognoscit et proponit illi plura objecta conditionata, ut omnes admittunt : Ergo voluntas Dei habet plures actus sive decreta conditionata ex parte objecti. v. g. intellectus divinus proponit voluntati divinæ, quid vellet fieri, si incarnatio non fuisset facta, vel si Adam non peccasset etc.

Sequitur 275. Actum volitionis divinæ esse simpliciter infinitum.

275. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia attingit objectum primarium infinitum, et objecta omnia possibilia, quatenus vult aliqua ex illis fore, alia vero minime.

Sequitur 276. Actum volitionis divinæ licet sit unicus et simplex, æquivalere nihilominus formaliter eminenter actibus omnibus finitis quantumcumque in infinitum multiplicatis.

276. — Ibidem a. 10.

Probatur sequela. Infinitum simpliciter in aliquo genere æquivalet formaliter eminenter omnibus finitis ejusdem generis, etiamsi in infinitum multiplicentur : Sed actus divinæ voluntatis sive volitio divina, licet sit unica et simplex, est infinita simpliciter in ratione volitionis : Ergo æquivalet formaliter eminenter omnibus actibus volitionum et nolitionum finitis quantumcumque numero in infinitum multiplicatis. *Major patet :* nam v. g. linea infinita in ratione lineæ æquivaleret lineis finitis etiam in infinitum multiplicatis.

Sequitur 277. Unum actum voluntatis divinæ posse absque ulla tamen mutatione vel potentialitate, sed per modum actus purissimi attingere per modum volitionis vel nolitionis quodlibet objectum secundarium divinæ voluntatis.

277. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod æquivalet formaliter eminenter pluribus potest totum præstare, quod illa plura seclusis imperfectionibus et nobiliori ac perfectiori modo : Sed actus divinæ volitionis æquivalet formaliter eminenter omnibus volitionibus et nolitionibus finitis quantumcumque in infinitum multiplicatis : Ergo volitio divina potest totum præstare, quod illæ volitiones finitæ quantumcumque multiplicatæ ; atque adeo sicut istæ

possent attingere diversa objecta, ita et volitio divina; et sicut per actum unum volitionis voluntas creata posset velle, ut aliquod objectum particulare esset, et per alium posset velle, ut non esset, et per diversos posset velle ut alia essent, et per alios ut non essent, ita unica et simplex volitio divina illis omnibus finitis volitionibus et nolitionibus æquivalens, potest omnino invariata manens velle, ut hoc objectum sit, et velle, ut non sit, et velle, ut contrarium sit. *Major est evidens,* et patet exemplo animæ rationalis, quæ potest formaliter eminenter præstare in homine quidquid præstat anima sensitiva in animalibus cæteris; sicut et anima sensitiva præstare potest quidquid præstat vegetativa in plantis. Sic etiam Sol per suum lumen eminenter formaliter in genere causæ efficientis præstat plura, quæ a multis solum causis inferioribus præstari possunt.

Sequitur 278. Hanc eminentiam divinæ volitionis constituere formaliter actum Dei liberum.

278. — Ibidem.

Probatur sequela. Id, quo divina voluntas, seclusis omnibus imperfectionibus, potest per modum actus purissimi attingere varia objecta secundaria sub ratione formali objecti primarii, et quo potest quolibet attingere per modum volitionis, vel per modum nolitionis, constituit formaliter actum liberum Dei : Sed hæc eminentia divinæ volitionis est id, quo totum hoc potest divina voluntas seclusis omnibus potentialitatis et mutabilitatis imperfectionibus : Ergo hæc eminentia divinæ volitionis constituit formaliter actum Dei liberum. *Major est evidens,* quia, ut diximus in primo principio, actualis libertas consistit in eo, quod actus attingens objectum aliquod, ita illud attingat, ut ex modo attingendi possit non attingere. Minor etiam patet ex dictis.

Sequitur 279. Libertatem actualem esse formaliter in Deo.

279. — Ibidem.

Probatur sequela. Primo ex dictis supra : Omnis perfectio simpliciter simplex est in Deo : Sed libertas actualis est perfectio simpliciter simplex : Ergo est in Deo.

Secundo probatur sequela ex jam dictis. Eminentia illa actus divinæ voluntatis est formaliter in Deo : Sed libertas infinitæ volitionis consistit in ea eminentia, ex dictis : Ergo libertas infinitæ volitionis est formaliter in Deo.

Sequitur 280. Hanc libertatem Dei non esse actum virtualiter distinctum in ratione volitionis ab actu necessario, quo Deus seipsum vult.

280. — Ibidem.

Probatur sequela. Eminentia divinæ volitionis non est actus virtualiter distinctus in ratione volitionis ab ipsa divina volitione, ut est evidens : Sed libertas Dei consistit formaliter in illa eminentia, ex dictis : Ergo libertas Dei non est actus virtualiter distinctus in ratione volitionis ab ipsa volitione necessaria.

Explicatur : Sicut supra diximus sapientiam, prudentiam, artem Dei non addere cognitionem virtualiter distinctam supra ipsum intelligere constitutivum naturæ divinæ, sed solum addere rationem aliquam formalem ejusdem divinæ cognitionis, quatenus eadem cognitio divina ut terminatur ad ipsam essentiam Dei ut primum intelligibile est constitutivum naturæ divinæ, et eadem cognitio ut terminatur ad essentiam divinam ut causam est sapientia, et sic de aliis, ut explicatum est : ita eadem volitio divina ut terminatur ad primum appetibile et summum bonum, est velle divinum necessarium : et eadem virtualiter omnino indistincta in ratione volitionis, quatenus habet hanc eminentiam, ut possit per modum actus puri attingere hoc objectum secunda

rium per modum volitionis, et per modum nolitionis, est ipsa libertas divina. Unde :

Sequitur 281. Libertatem divinam esse modum, aut quasi modum virtualiter ab ipsa volitione necessaria distinctum.

281. — Ibidem.

Probatur sequela. Eminentia divinæ volitionis, quatenus est hujusmodi, ut possit attingere per modum volitionis vel nolitionis quodlibet ex objectis secundariis, est modus quidam virtualiter distinctus a volitione necessaria : Sed libertas divina formaliter consistit in illa eminentia, ex dictis : Ergo libertas divina formaliter consistit in modo virtualiter distincto a volitione necessaria.

Confirmatur. Quæ pertinent ad diversas rationes formales, in Deo virtualiter distinguuntur : Sed velle et libertas pertinent ad diversas rationes formales, eo fere pacto, quo cognoscere et ratio formalis sapientiæ : Ergo velle et libertas virtualiter in Deo distinguuntur.

Explicatur magis. In rebus creatis libertas est modus quidam ab ipsa volitione non solum realiter distinctus, sed etiam ex propria ratione formali, quia libertas potest advenire vel cessare invariato prorsus actu volitionis quoad substantiam, ut dictum est in primo principio : Igitur in Deo debemus distinguere cum fundamento in re etiam ex parte rationis formalis, ipsam libertatem tanquam modum ab ipsa divina volitione.

Sequitur 282. Actum liberum Dei terminari primario ad divinam bonitatem, ut est ratio volendi creaturas.

282. — Ibidem.

Probatur sequela. Volitio necessaria Dei terminatur ad ipsam divinam bonitatem, ut est ratio volendi seipsam, tanquam ad objectum primarium; ex quo fit, quod sit ratio volendi alia a se, ut alias diximus : Sed actus liber Dei est ipsa volitio divina necessaria cum modo illo eminentiæ jam explicato : Ergo actus liber Dei terminatur ad ipsam bonitatem divinam ut est ratio volendi alia a se, adjuncto tamen modo illo eminentiæ.

Sequitur 283. Hanc eminentiam, in qua consistit libertas, provenire ex eo, quod actus ille volitionis divinæ terminetur ad objectum primarium infinitum.

283. — Ibidem.

Probatur sequela. Infinitas actus divinæ volitionis, qua fit ut per modum actus puri possit infinita objecta secundaria attingere, provenit ex eo quod attingat objectum primarium infinitum, id est, infinite bonum : Sed eminentia divinæ volitionis, in qua consistit libertas, provenit ex infinitate illius actus, ut dictum est : Ergo eminentia illa divinæ volitionis provenit ex infinitate objecti primarii, quod est infinite bonum : ex quo fit quod possit esse ratio volendi infinita objecta secundaria, etiam indifferenter, hoc est, cum illa eminentia, ut attingendo quodlibet ex illis infinitis objectis secundariis per modum volitionis, possit per modum actus puri attingere illud idem per modum nolitionis.

Explicatur. Attingere sive terminari ad aliquod objectum secundarium per modum volitionis, et simul posse attingere per modum nolitionis dupliciter potest intelligi; *primo* ita ut sit sensus, quod simul et semel actualiter attingat unum et idem objectum, volendo quod sit et quod non sit : et hoc plane implicat; et consequenter non hoc modo intelligimus, quod sit in actu divinæ voluntatis virtus ad attingendum objectum per modum nolitionis, quando illud attingit per modum volitionis; *Secundo* potest intelligi, quod in illo eodem actu, quo attingitur aliquod objectum per modum volitionis, sive volendo quod illud objectum existat, sit nihil-

ominus virtus non per modum potentiæ, sed per modum actus purissimi, qua illud idem objectum potest attingi per modum nolitionis, sive volendo, quod illud objectum non sit; et hoc modo intelligimus esse in actu divinæ voluntatis virtutem, qua dum attingit objectum volendo quod sit, valeat illud idem attingere volendo, quod non sit. Et in hoc consistit eminentia divinæ volitionis ex eo quod sit infinita et actus purus : et in hac eminentia consistit formaliter libertas.

Sequitur 284. Libertatem divinam non esse in ordine ad actus divinæ voluntatis, sed in ordine ad objecta.

284. — Ibidem.

Probatur sequela. Libertas per modum actus puri non potest esse in ordine ad actus, sed ad objecta : Atqui libertas divina est per modum actus puri : Ergo non potest esse per ordinem ad actus, sed ad objecta. Non dicimus, quod actus divinus non sit liber : sed solum dicimus, quod in Deo non potest concipi libertas potentialis, quasi Deus sit liber in potentia in ordine ad actus, sed quod actus divinus sit liber in ordine solum ad objectum.

Adde præterea, quod libertas etiam in nobis non est circa ipsos actus, nisi quatenus ipsi actus habent rationem objecti, hoc est boni particularis, et indifferentis : Actus autem divinæ voluntatis cum sint realiter idem cum divina bonitate, nec actus liber, ut diximus, in ratione actus et volitionis distinguatur ab actu necessario, non possunt habere rationem boni particularis et indifferentis : atque adeo non possunt esse objectum libertatis.

Sequitur 285. Libertatem contradictionis et contrarietatis in Deo esse penes objecta hoc sensu, quod quia potest Deus velle hoc objectum existere, et potest velle, ut non sit, dicatur Deus liber libertate contradictionis; et quia potest velle, ut hoc objectum, puta calor, sit, vel ejus contrarium, puta frigus, dicatur liber libertate contrarietatis.

285. — Ibidem. a. 2.

Probatur sequela. Ubi non est libertas ad actus, sed solum in ordine ad objecta, libertas contradictionis et contrarietatis debet sumi penes contradictionem vel contrarietatem objectorum, ut est evidens : Atqui, ex dictis, in Deo non est libertas in ordine ad actus, sed in ordine ad objecta : Ergo libertas contradictionis et contrarietatis debet peti ex contradictione vel contrarietate objectorum.

Sequitur 286. Terminationem activam actus liberi ad objectum tam primarium quam ad secundarium divinæ voluntatis in communi esse omnino necessariam.

286. — Ex eodem loco.

Explicatur. Actus divinæ voluntatis potest concipi terminari active, id est, attingere objectum, vel primarium, quod est bonitas ipsa divina ut propter seipsam amabilis; et hæc attingentia est omnino necessaria, ut patet ex dictis supra; vel potest concipi attingere objectum primarium non secundum se, sed ut est ratio attingendi creaturas; et hoc modo etiam illa attingentia est necessaria, quia non potest voluntas divina quidquam velle, nisi ratione suæ bonitatis, quatenus est ita amabilis, ut cætera non sint ipsi amabilia nisi propter ipsam. Tertio potest actus divinæ voluntatis concipi ut attingens creaturas; quamvis enim illas velit ratione suæ bonitatis, attingit tamen illas : et hæc terminatio vel attingentia est etiam necessaria hoc sensu, quod nulla est creatura, quam non debeat necessario

attingere volendo ut sit, vel volendo ut non sit : quia, ut supra ostendimus, voluntas divina non potest manere suspensa circa quodcumque objectum sibi ab intellectu propositum, atque adeo debet sese determinare circa quodlibet, et consequenter debet necessario terminari ad quamlibet creaturam. Solum ergo restat ut libertas divina consistat in hoc, quod attingat hanc creaturam v. g. Petrum per modum volitionis, volendo quod Petrus existat, vel quod illam attingat per modum nolitionis, id est, volendo quod non existat. Hoc autem non dicit terminationem activam sive attingentiam, sed dumtaxat modum terminationis et attingentiæ.

Probatur ergo sequela. Voluntas, quæ nullum habet objectum, quod necessario non debeat attingere, nullam habet terminationem activam sive attingentiam, quæ non sit necessaria : Sed voluntas divina nullum habet objectum, quod necessario non debeat attingere, quia circa nullum potest manere suspensa, ut probatum est : Ergo voluntas divina nullam habet terminationem activam sive attingentiam, quæ non sit necessaria.

Sequitur 287. In nulla terminatione activa sive attingentia quoad substantiam posse consistere libertatem divinam.

Probatur sequela. In nullo omnino necessario ut sic, potest consistere libertas divina : Sed omnis terminatio activa sive attingentia est omni ex parte necessaria, quoad substantiam, ex dictis : Ergo in nulla terminatione activa sive attingentia potest consistere libertas divina.

Sequitur 288. In solo modo attingendi consistere libertatem divinam.

288. — Ibidem.

Probatur sequela. In eo solo potest consistere libertas divina, quod non est omni ex parte necessarium : Sed solus modus attingendi est non omni ex parte necessarius : Ergo in illo solo potest consistere libertas divina.

Sequitur 289. Hunc modum attingendi, esse quidem necessarium quoad totam entitatem, quam importat realiter, sed non formaliter sub ratione talis vel talis modi.

Explicatur. Modus attingendi creaturas secundum suam entitatem consideratus, est ipsa perfectio libertatis : quæ perfectio est omnino necessaria in Deo, sicut et in nobis libertas permanens est omnino necessaria, cum sit idem cum voluntate nostra, quæ est potentia et proprietas dimanans necessario ab anima : Sed quod divina voluntas attingat hoc modo creaturas, videlicet volendo ut existant determinate, vel volendo ut non sint determinate, hoc est illi liberum : et hæc, ut sic loquar, talitas modi attingendi nihil aliud est in Deo, nisi ipsa eminentia infinita divini actus, quæ æquivalet actibus finitis in infinitum multiplicatis : quæ eminentia secundum totam suam entitatem est necessaria, sed ut continet talem determinatum modum, puta volitionis quod res existat, est libera ; non quod possit abesse a Deo, et adesse illi quoad substamtiam, sed quod eadem substantia eminentiæ illius permanente possit illa eadem volitio omnino invariata attingere existentiam creaturæ, et simul sit virtus attingendi non existentiam.

Probatur sequela. Eminentia infinita divini actus liberi quoad totam entitatem est necessaria, non autem sub conceptu præciso talis vel talis modi determinati : Sed modus attingendi creaturas consistit in illa eminentia, et supra ostendimus : Ergo modus attingendi creaturas est necessarius quoad totam entitatem, licet non sub conceptu præciso et determinato talis modi.

Sequitur 290. Voluntatem divinam non posse esse malorum, ut mala sunt.

290. — Ibid. a. 9.

Probatur sequela. Nullum malum sive culpa potest esse objectum voluntatis, nisi apprehendatur sub aliqua ratione boni : Sed malum ut malum non potest apprehendi sub aliqua ratione boni præsertim ab intellectu divino, qui omnia novit ut sunt : Ergo, etc.

Sequitur 291. Permissionem malorum posse esse objectum voluntatis divinæ.

Probatur sequela. Permissio mali etiam culpæ potest esse quid bonum imo et est bonum aliquando : Sed Deus vult omne bonum : Ergo vult permissionem mali. Quod vero permissio mali sit bona patet : quia permissio mali est actus quidam Dei, qui non potest non esse bonus. Nec inde sequitur, quod malum sit bonum, quia permissio non dat malo bonitatem, sed tantum ex malo permisso elicit bonum.

Sequitur 292. Voluntatem Dei dividi in voluntatem signi et voluntatem beneplaciti, per metaphoram.

292. — 1. p. q. 15. a. 9.

Explicatur : Voluntas proprie dicit inclinationem intellectualem in objectum. Voluntas vero metaphorice dicitur signum ejusdem inclinationis : sicut homo pictus dicitur, quia est signum hominis. Quia ergo Deus quædam signa proponit, quibus homines solent significare voluntatem suam, ideo hujusmodi signa vocantur voluntates signi.

Probatur ergo sequela. Res, quibus homines significant voluntatem suam dicuntur metaphorice voluntates; signi sicut etiam actus interni, quibus aliquid placet, et quibus volunt, sunt et dicuntur voluntates beneplaciti : Sed Deus etiam similes res proponit hominibus, et aliunde quædam ei placent : Ergo in Deo est et voluntas signi et voluntas beneplaciti, qua quædam illi placent.

Sequitur 293. Hanc divisionem esse, aut prorsus æquivocam, aut valde analogam analogia elongatissima.

293. — Ibidem.

Probatur sequela. Vocare voluntatem signi in Deo res, quarum similibus homines significant voluntates suas, est omnino æquivocum, aut analogum analogia remotissima, si nomen et ratio significata per voluntatem attendantur : Atqui hoc est, quod fit in hac divisione : Ergo etc. *Major patet :* quia duplex ibi invenitur metaphora, prima est, qua in ipsis hominibus signa voluntatis, dicuntur voluntates; secunda est, quia id, quod convenit hominibus transfertur in Deum.

Sequitur 294. Voluntatem signi recte dividi in quinque capita, videlicet operationem, permissionem, præceptum, prohibitionem, consilium.

294. — Ibid. a. 10.

Probatur sequela. Signa, quibus homines solent significare voluntates suas, translata in Deum, dicuntur voluntates signi in Deo : Sed quinque sunt signa, quibus homines solent significare voluntates suas ; primo quidem, dum *operantur* per seipsos ; secundo dum *permittunt*, cum possent impedire; tertio, in his, quæ fieri debent per alios, *præceptum*, quoad bona necessaria, *prohibitio* quoad mala, *consilium* quoad bona, quæ sunt ex superabundante.

Sequitur 295. Voluntatem beneplaciti esse proprie dictam voluntatem.

295. — Ibidem.

Patet sequela ex dictis, quia est vera voluntas in Deo.

Sequitur 296. In Deo reperiri amorem.

296. — 1. p. q. 20. a. 1.

Probatur sequela. Velle bonum alicui est amare, ut diximus in primo principio. Sed, ex dictis, Deus vult bonum, vult enim seipsum et suam bonitatem : Ergo, etc.

Sequitur 297. Deum amare omnia existentia.

297. — 1. p. q. 20. a. 2.

Probatur sequela. Qui volendo causat bonum in aliquo, amat ; amare siquidem non est, nisi velle bonum : Sed Deus volendo causat bonum, saltem esse et existentiam in omnibus existentibus : Ergo omnia existentia amat.

Sequitur 298. Deum non amare possibilia tantum.

298. — Ibidem.

Probatur sequela. Deus non amat ea, quibus nullum vult bonum : Sed Deus nullum vult bonum possibilibus tantum : Ergo, etc.

Sequitur 299. Deum non amare omnia amore amicitiæ, aut benevolentiæ.

299. — Ibidem, ad 3.

Probatur sequela. Velle bonum capaci redamationis et communicationis in operibus vitæ, est amare amore amicitiæ aut benevolentiæ, ut etiam diximus in primo principio : Sed Deus non vult bonum dumtaxat capacibus redamationis et communicationis, sed etiam aliis, ex dictis : Ergo non amat omnia amore amicitiæ et benevolentiæ.

Sequitur 300. Deum amare creaturas irrationales amore concupiscentiæ.

300. — Ibidem.

Probatur sequela. Velle alicui bonum in ordine ad seipsum, vel ad alium, est amare amore concupiscentiæ, ex primo principio : Sed Deus vult creaturis irrationalibus bonum in ordine ad seipsum, et in ordine ad rationales creaturas, cum nolit irrationalibus bonum propter ipsas, nec amet illas amore amicitiæ ex dictis : Ergo illas amat amore concupiscentiæ.

Sequitur 301. Deum non æqualiter diligere omnia, ex parte boni voliti, bene ex parte actus, quo vult bonum.

301. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Qui per eumdem actum vult aliis majora, aliis minora bona, æqualiter illos diligit ex parte actus, non ex parte boni voliti, ut patet : Sed Deus per eumdem actum vult aliquibus majora bona, aliis minora, ut constat ex dictis ; cum alias creaturas amet amore amicitiæ, alias amore concupiscentiæ : Ergo, etc.

Sequitur 302. Deum magis diligere meliora.

302. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Deum plus diligere aliquem, est velle ipsi, et causare in eo majus bonum, ex dictis : Sed in melioribus vult et causat majus bonum ; cum ejus velle sit causa omnis boni : Ergo, etc.

Sequitur 303. In Deo esse justitiam distributivam.

303. — 1. p q. 21. a. 1.

Probatur sequela. In gubernatore, qui dat cuilibet secundum suam dignitatem, est justitia distributiva : Sed Deus, ut postea ostendetur, est gubernator ; et, ex dictis, dat melioribus meliora bona, et sic distribuit cuilibet secundum suam dignitatem, quam etiam ipse dat cuilibet : Ergo, etc. Adverte autem quod, cum justitia vindicativa sit pars justitiæ distributivæ, debet etiam reperiri in Deo : Sicut enim Deus distribuit bona juxta meritum cujuslibet, ita etiam distribuit et infligit pœnas juxta demeritum, idque intentione puniendi malos, et reducendi ad quamdam

æqualitatem ipsas exorbitantias peccatorum.

Sequitur 304. In Deo non esse proprie justitiam legalem.

304. — Ibid. ad 3.

Probatur sequela. Quæ important imperfectionem non sunt in Deo : Sed justitia legalis importat imperfectionem : Importat enim esse subditum superiori, cujus legem in ordine ad bonum commune justitia legalis tanquam proprium objectum respicit, ut alias ostendemus : Ergo, etc.

Sequitur 305. Improprie posse dici in Deo justitiam legalem illam, quo omnia agit secundum voluntatem suam. Hanc nonnulli vocant justitiam legalem architectonicam.

305. — Ibidem.

Probatur sequela. Quæcumque Deus agit, agit secundum voluntatem suam justam et rectam : cujus objectum est bonum ordinatum ad seipsum juxta legem sapientiæ suæ, ut patet ex his, quæ diximus : Sed hoc est, esse in Deo justitiam legalem improprie, quatenus nimirum agit juxta legem sapientiæ suæ in ordine ad bonum suum, quod est bonum universi in quantum est bonum auctoris et conservatoris universi : Ergo, etc.

Sequitur 306. In Deo non esse justitiam commutativam.

306. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia hæc etiam dicit imperfectionem, ut alias ostensuri sumus.

Sequitur 307. In Deo justitiam recte dici veritatem.

Probatur sequela. Conformitas operis ad legem, cui concordat, recte dicitur veritas, quæ est conformitas objecti cum intellectu divino, ut diximus : Sed in Deo justitia est conformitas operis ad legem, quæ est ratio sapientiæ ipsius existentis in intellectu ejus; unde est conformitas cum intellectu : Ergo in Deo justitia est veritas :

Sequitur 308. In Deo non esse misericordiam, quantum ad passionis affectum; bene quantum ad effectum.

308 — Ibidem.

Probatur sequela. Tristitia de miseria alterius est misericordia quantum ad passionis affectum; expulsio autem miseriæ alterius est misericordia quantum ad effectum : Sed in Deo non est tristitia de miseria alterius, quia hæc importat imperfectionem ; est tamen expulsio miseriæ alterius : Ergo, etc.

Sequitur 309. Eamdem expulsionem miseriæ factam a Deo sub diversa consideratione esse actum bonitatis, justitiæ, liberalitatis, et misericordiæ.

309. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Communicatio perfectionis est actus bonitatis, justitiæ, liberalitatis et misericordiæ sub diversa consideratione : Sed expulsio miseriæ alterius est communicatio perfectionis : Ergo, etc. *Major probatur* ; quia communicatio perfectionis absolute considerata est actus bonitatis; Bonitas enim, ut diximus supra, est perfectiva et communicativa sui : eadem communicatio, ut fit juxta cujuslibet rei proportionem, est actus justitiæ, ut dictum est ; Et quando fit mere gratis et non propter aliquam intentam utilitatem, est actus liberalitatis, ut patet : ac demum, ut per illam perfectionem communicatam expellitur alterius miseria, est actus misericordiæ, ut constat ex dictis supra : Ergo, etc.

Sequitur 310. In omnibus Dei operibus reperiri justitiam et misericordiam sumendo misericordiam, pro expulsione cujuscumque defectus, quamvis proprie misericordia non sit nisi expulsio miseriæ, quæ proprie est defectus rationalis naturæ, cui soli competit esse felicem.

310. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Deus in omnibus operibus suis operatur conformiter ad leges sapientiæ suæ largiendo bona juxta proportionem : Sed in his consistit justitia et misericordia, ut patet ex dictis : Ergo, etc. *Major constat :* quia etiam dum punit malos (quæ punitio bonum est) relaxat aliquid de rigore vindictæ ; unde et ibi quædam est misericordia ; et dum creat, dat esse rei creatæ secundum quod conforme est suæ sapientiæ ; unde et ibi est quædam justitia.

Sectio 3ª. — De Providentia, prædestinatione, et reprobatione.

Sequitur 311. Prudentiam sive providentiam esse in Deo.

311. — 1. p. q. 22. a. 1.

Probatur sequela. Recta ratio ordinationis in finem est prudentia sive Providentia : Sed in Deo est recta ratio ordinationis in finem : Ergo in Deo est prudentia. Major est certa, quia quamvis Providentia dicatur a futuris providendis, nihilominus principalis pars Providentiæ consistit in recta dispositione rerum in finem præsertim ultimum. *Minor vero probatur ex dictis ;* quia Deus est summum bonum, ordinat autem omnia in seipsum ; Sed summum bonum et ultimus finis idem sunt : Ergo cum in hac ordinatione nulla sit imperfectio, ordinatio illa et ratio ordinis esse debet in Deo.

Sequitur 312. Prudentiam sive providentiam in Deo debere esse rationem mediorum in finem ordinativam non per modum potentialitatis, sed per modum actus puri.

312. — Ibidem.

Probatur sequela. Quidquid est in Deo, debet esse per modum actus puri exclusa omni potentialitate, ut patet ex dictis : Sed Providentia sive ratio ordinativa rerum in finem est in Deo : Ergo Providentia sive ratio ordinativa rerum in finem debet esse per modum actus secundi sive puri in Deo.

Sequitur 313. Hanc Providentiam Dei esse actum imperii.

Probatur sequela. Actus secundus Providentiæ sive prudentiæ est actus imperii etiam in creatis, ut alias ostendemus : Sed in Deo est Providentia sive prudentia per modum actus secundi, et actus puri, ut dictum est : Ergo in Deo Providentia sive prudentia debet esse actus imperii, quo videlicet in actu secundo intimat et ordinat res in finem.

Sequitur 314. Hanc Providentiam præsupponere in Deo secundum modum nostrum concipiendi non solum intentionem finis, sed etiam aliquo modo electionem rerum ut mediorum ordinandorum in finem.

Probatur sequela. Actus imperii præsupponit intentionem et electionem, ut patet ex dictis in primo principio : Sed Providentia modo nostro concipiendi etiam in Deo est actus imperii, ex jam dictis : Ergo hæc Providentia modo nostro concipiendi etiam in Deo præsupponit intentionem et electionem.

Sequitur 315. Eumdem actum imperii esse actum sapientiæ divinæ et actum prudentiæ.

315. — Ibidem.

Probatur sequela. Imperium est actus sapientiæ divinæ, ut terminatur ad res existentes cognitas in essentia

divina ut in causa efficiente, ut diximus supra : Sed actus Providentiæ sive prudentiæ est etiam imperium, ut ordinans res in finem : Ergo actus prudentiæ est idem actus imperii, ac actus sapientiæ, sub diversa tamen ratione formali ; quia ut est actus sapientiæ terminatur ad essentiam divinam utcausam altissimam efficientem; ut autem est actus prudentiæ terminatur ad eamdem essentiam, quatenus ad illam ut summum bonum et ultimum finem omnia ordinantur.

Sequitur 316. Omnia omnino, quæ quocumque modo bona sunt, et ordinata in finem, esse subjecta Providentiæ divinæ.

316. — 1. p. q. 22. a. 2.

Probatur sequela. Quæcumque fiunt in ordine ad finem, ordinantur a Deo in illum finem, et subduntur ejus providentiæ, cum providentia sit ipsa ratio ordinis in finem : Sed omnia omnino bona, ut bona sunt, a Deo fiunt in ordine ad finem : Ergo omnia omnino bona in ordine ad finem Dei subsunt Providentiæ divinæ.

Sequitur 317. Omnia omnino, quæ sunt, subdi Providentiæ divinæ.

317. — Ibidem.

Probatur sequela. Omnia bona in ordine ad finem subduntur Providentiæ divinæ : sed omnia, quæ sunt, ut sic, bona sunt et fiunt a Deo, qui cum sit agens intellectuale, ex dictis, agit propter finem : Ergo omnia quæ sunt, subduntur Providentiæ divinæ.

Sequitur 318. Suffocationes in aquis, occisiones, bella etc. subdi Providentiæ divinæ.

318. — Ibidem.

Probatur sequela. Quæcumque sunt subduntur Providentiæ divinæ : Sed ista omnia sunt, ut constat exprerientia : Ergo, etc.

Sequitur 319. Mala culpæ, non quidem ut peccata sunt, sed ut ex illis bonum aliquod elicitur, subdi Providentiæ divinæ.

219. — Ibidem.

Prooatur sequela. Mala culpæ ut sunt peccata, non sunt, sed potius deficiunt ab esse ; eadem vero, ut ex illis bonum aliquod elicitur, sunt : Ergo mala culpæ, ut sunt peccata, non subduntur Providentiæ divinæ, quia ut sic non ordinantur, nec ordinari possunt in summum bonum : ut autem ex illis elicitur aliquod bonum, et sunt et ordinantur.

Sequitur 320. Permissiones peccarum subdi Providentiæ divinæ.

220. — Ibidem.

Explicatur. Permissio peccatorum dupliciter considerari potest : *active,* qua ratione permissio peccati est ipse actus voluntatis divinæ volentis non impedire peccatum; et potest sumi *passive,* qua ratione permissio peccati nihil est aliud, quam substractio auxilii, quo impediretur peccatum : Et quidem permissio peccati active sumpta non proprie subditur providentiæ, quia actus ille, quo Deus vult permittere peccatum propter bonum inde eliciendum, non est quid distinctum ab ipsa ordinatione in finem, sive ab ipsa ratione ordinis in finem; ad hoc autem ut aliquid proprie subdatur ipsi Providentiæ, debet esse quid distinctum ab ipsa Providentia, quia ut aliquid proprie ordinetur ad aliud, debet distingui tam ab actu ordinante, quam a fine, ad quem ordinatur; à neutro autem distinguitur actus permissionis, nam ille idem actus realiter est ipse actus ordinans, et est ipse ultimus finis, ad quem ultimate ordinatur. Quare sequela hæc intelligi debet de permissione passiva, id est, de negatione auxilii, quo impediretur peccatum; *Probatur ergo.* Negatio auxilii subditur Providentiæ; Deus siquidem hanc negationem ordinat ad aliquem finem : Sed permissio peccati

est negatio auxilii, quo impediretur peccatum : Ergo permissio peccati subditur divinæ Providentiæ : Sed de hoc iterum infra, cum de prædestinatione.

Sequitur 321. Quæcumque occasionaliter ex peccato consequuntur, etiam subdi Providentiæ divinæ.

321. — 1. p. q. 23. a. 2.

Probatur sequela. Quæcumque sunt in quantum sunt, sive ut habent rationem entis et boni, subduntur Providentiæ divinæ, ut probatum est : Sed quæ occasionaliter ex peccato consequuntur, sunt, imo aliquando sunt maxima bona, ut Incarnatio Verbi, Passio Christi, et alia multa : Ergo ista omnia subduntur Providentiæ divinæ.

Sequitur 322. Providentiam divinam terminari ad omnia sub ratione entis et boni.

322. — Ibidem.

Probatur sequela. Eo modo, quo terminatur causalitas divina, terminatur etiam Providentia : Sed causalitas divina terminatur ad omnia sub ratione entis, ut dictum est supra : Ergo Providentia divina etiam terminatur ad omnia sub ratione entis. *Major patet ;* quia providentia nihil est aliud, quam ordinatio in finem, respectu eorum, quæ fiunt ab ipso providente.

Sequitur 323. Deum immediate omnibus providere.

323. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Habere in intellectu rationem ordinis omnium in finem est omnibus providere, ut constat : Sed Deus immediate habet in intellectu suo rationem ordinis omnium et singulorum in finem : Ergo Deus immediate omnibus providet. Adverte autem quod aliud est habere ordinem aliquorum in finem, et aliud est exequi hunc ordinem ; habere siquidem ordinem est tantum in intellectu illius, qui ordinat ; exequi vero importat aliquid extra ipsum ordinantem : unde quamvis Deus habeat in intellectu suo ordinem hunc immediate de omnibus et singulis ; non tamen immediate exequitur hunc ordinem, sed mediis causis secundis ; non quod ipse non possit illum ordinem exequi, sed quia ex bonitate sua vult, ut causæ secundæ sint causæ, et exequantur, quod ipse immediate per seipsum ordinavit.

Sequitur 324. Providentiam divinam non imponere necessitatem rebus omnibus provisis, et ordinatis in finem.

324. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Quod attingit omnia sub ratione entis, non imponit necessitatem omnibus, quæ attingit : Sed, ex dictis, Providentia divina attingit omnia sub ratione entis : Ergo non imponit necessitatem omnibus. *Major probata est in primo principio ;* quia in ipsa ratione entis continentur omnes modi necessitatis, contingentiæ, libertatis, etc. Unde qui omnia et singula attingit sub ratione entis, debet etiam istos modos attingere, atque adeo non imponere omnibus modum necessitatis, sed quibusdam, et aliis debet dare modum contingentiæ, aliis modum libertatis, juxta naturam cujuslibet.

Sequitur 325. Finem, ad quem Providentia omnia ordinat, esse primo et principaliter ipsum Deum, sive bonitatem divinam et gloriam.

325. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Ultimus finis est ille, ad quem primum agens omnia ordinat : Sed ipsa bonitas divina est ultimus finis, quia, ut diximus, est summum bonum : Ergo bonitas divina est finis, ad quem Deus sua Providentia omnia ordinat : Major patet, et probabitur in tertio principio, quia secundum ordinem finium est ordo agentium, et e contra : cum enim omne agens agat propter finem, et finis aliquo modo moveat agens ad agen-

dum, oportet, quod cuilibet agenti correspondeat proprius finis, sicut cuilibet mobili correspondet proprium movens.

Sequitur 326. Providentiam divinam nunquam deficere ab eo fine ultimo.

326. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Providentia supponens intentionem finis ultimi efficacem et infallibilem, etiam est infallibilis, et nunquam deficit ab illo fine, ut est evidens ex terminis : Sed Providentia divina supponit intentionem ultimi finis efficacem et infallibilem, ex dictis : Ergo Providentia divina est infallibilis et nunquam deficit. *Minor probatur*; quia, ut diximus, Providentia divina supponit intentionem et electionem, est enim imperium; intentio autem Dei et electio est actus divinæ voluntatis, quem supra ostendimus esse causam efficacissimam et infallibilem.

Sequitur 327. Providentiam divinam non ordinare semper efficaciter omnia et singula ad finem proprium et connaturalem cujuslibet.

327. — Ibidem.

Probatur sequela. Provisor generalis non tenetur efficaciter intendere nisi finem universalem, non autem finem particularem cujuslibet : Sed Providentia divina est Providentia provisoris generalis, Dei scilicet qui cum provideat omnibus, est provisor generalis : Ergo non tenetur omnia et singula ordinare nisi in finem universalem, non autem ad finem proprium et connaturalem cujuslibet rei. *Major est evidens* : quia providentia debet habere finem sibi correspondentem; unde Providentia generalis debet habere finem generalem.

Sequitur 328. Res provisas a Deo consequi vel non consequi suos fines particulares juxta beneplacitum Dei.

328. — Ibidem.

Probatur sequela. Res provisæ a provisore infallibili debent quidem consequi finem intentum ab ipso, sed alios fines particulares non necessario consequuntur, nisi juxta beneplacitum provisoris, maxime quando provisor est omnipotens, et facit quidquid vult : Sed Deus est provisor generalis, infallibilis, et omnipotens, ut patet ex dictis : Ergo res provisæ ab ipso consequuntur vel non consequuntur suos fines particulares juxta beneplacitum Dei.

Sequitur 329. Res provisas a Deo quandoque deficere a fine aliquo particulari, non autem a generali.

Probatur sequela. Res provisæ, quæ ordinantur tantum in finem generalem et non in particularem, deficiunt a fine particulari, si eas ipse provisor voluerit non consequi hujusmodi finem particularem, ut patet ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 330. Providentiam divinam non posse dici Providentiam divinam, nisi sit assecutio finis, respectu cujus dicitur Providentia.

330. — Ibidem.

Explicatur. Omnis Providentia, sive increata, sive creata, est ratio ordinis rerum provisarum in finem; finis autem providentiæ divinæ, ut diximus, est bonitas divina; et hunc finem semper assequitur quidquid terminat divinam Providentiam : Sed præterea Providentia divina quandoque ordinat rem aliquam provisam in suum finem particularem; et tunc non est tantum Providentia divina in ordine ad bonitatem divinam, sed etiam in ordine ad finem illum particularem; quem si de facto res provisa non attingeret, non posset esse Providentia divina respectu hujusmodi finis, quia licet non sit de ratione Providentiæ in communi, quod res provisa assequatur suum finem (unde Medicus dicitur prudens et providens, dum adhibet media apta ad sanitatem, quamvis non sequatur sanitas) est tamen de ratione

Providentiæ divinæ ex eo quod divina est, ut res provisa assequatur finem illum etiam particularem, respectu cujus Deus dicitur habere Providentiam de illa re, sive ad quam illam rem ordinat ; ita ut de ratione Providentiæ divinæ sit ordinatio efficax in finem.

Probatur ergo sequela. Sola ordinatio efficax in finem est divina Providentia : Sed quando non est assecutio finis, non est ordinatio efficax in finem : Ergo quando non est assecutio finis, non est divina Providentia respectu illius finis, v. g. fi Deus ordinaret lapidem ad centrum, et lapis non perveniret ad centrum ex aliquo impedimento, etiam si Deus dedisset illi lapidi aliqua media, quibus posset ad centrum pervenire, non posset dici divina Providentia in ordine ad illum finem, bene autem ad alium, quem de facto lapis assequeretur.

Sequitur 331. Ex dictis omnibus supra, esse differentiam nedum inter intelligere constitutivum, sapientiam, prudentiam et artem, sed etiam inter ista omnia et ideam ac legem æternam.

331. — 1. 2. q. 93. a. 1.

Probatur explicando singula. Intelligere constitutivum terminatur ad essentiam divinam ut primum intelligibile ; Sapientia ad essentiam divinam ut causam altissimam efficientem ; Ars ad essentiam divinam, ut est ratio faciendi ad extra ; Providentia ad essentiam divinam ut finem, ad quem res ordinantur ; Idea est ipsa essentia divina ut ab ipsomet Deo comparata ad creaturas et imitabilis ab ipsis ; Lex est ipsa eadem essentia divina, quatenus continet rationes statutas, secundum quas res ipsæ debent in executione gubernari : et quia alia est lex communiter et universaliter constituta, secundum quam omnia debent ordinarie gubernari, alia vero, secundum quam debent non ordinarie, sed in casu aliquo particulari gubernari, idcirco distinguitur lex ordinaria, et lex extraordinaria.

Sequitur 332. Dari in Deo prædestinationem.

332. — 1. p. q. 23. a. 1.

Probatur sequela. Ratio ordinis ad finem nedum ipsius providentis, sed etiam rei provisæ excedentem naturales vires intellectualis naturæ creatæ, est prædestinatio : Sed datur in Deo ratio ordinis ad finem, nedum ipsius providentis, sed etiam rationalis naturæ, cui providetur, qui finis excedit naturales vires ipsius naturæ creatæ : Ergo datur in Deo prædestinatio : *Major probatur :* Quia ad finem excedentem vires naturales natura intellectualis destinatur, cum non possit ex seipsa ad illam pertingere, et ratio illius destinationis in destinante est prior ipsa actuali destinatione sive transmissione : Est ergo hujusmodi ratio prædestinatio. *Minor probatur ex multis, quæ supra diximus ;* ac primo quidem diximus, visionem claram Dei esse possibilem absolute loquendo ; diximus etiam, hanc visionem excedere omnes vires naturales cujuscumque creaturæ : Indicavimus hanc visionem esse ultimum finem creaturæ intellectualis : Ostendimus, quod divina Providentia est ratio ordinis rerum in finem, semper quidem in generalem, aliquando etiam in specialem ipsius rei, cui providetur : Ex his omnibus elicitur, quod datur in Deo ratio ordinis creaturæ intellectualis etiam in finem specialem ipsius, qui est ipsa visio beatifica superexcedens omnes vires naturales ejusdem creaturæ ; atque adeo manet probata minor.

Sequitur 333. Solas creaturas intellectuales proprie dici prædestinatas.

333. — Ibidem ad. 2.

Probatur sequela. Sola illa, quæ transmittuntur in finem, possunt dici destinata ad illum : Sed solæ creaturæ intellectuales transmittuntur in

gloriam ; Deo enim finis ille est connaturalis ; creaturæ vero non intellectuales sunt omnino incapaces illius finis : Ergo solæ creaturæ intellectuales proprie dicuntur prædestinatæ.

Sequitur 334. Ipsam gloriam quandoque dici prædestinatam.

334. — Ex q. 6, de verit. a. 1. In 1. dist. 40 q. 2.

Probatur sequela. Quia quæ continentur in ipsa ratione transmissionis creaturæ intellectualis in finem, aliquomodo dici possunt prædestinata : Sed ipse finis sive gloria continetur in illa ratione transmissionis, qua creatura ordinatur ad gloriam, ut patet : Ergo, etc. Adde quod aliquando prædestinari, sumitur pro prædeffiniri, præstitui, prædeterminari ; et quia terminus et finis præstituitur, dicitur prædestinari.

Sequitur 335. Etiam media, quibus pervenitur ad terminum sive gloriam dici aliquando prædestinata.

335. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia etiam ipsa prædeffiniuntur et continentur in ratione ordinis ad finem tanquam media, quibus creatura transmittitur in finem : Ergo, etc.

Sequitur 336. Prædestinationem esse partem Providentiæ.

336. — 1. p. q. 23. a. 1.

Probatur sequela. Ratio ordinis in aliquem finem particularem est pars rationis ordinis in finem universalem, sicut finis particularis, est quodammodo pars universalis, præsertim quando sunt subordinati, quia universalis attingitur saltem inadæquate ratione particularis : Sed prædestinatio est ratio ordinis in finem particularem, ut dictum est, qui etiam subordinatur universali, qui est bonitas divina, ut ostendimus, Ergo prædestinatio est pars providentiæ.

Sequitur 337. Prædestinationem non esse speciem Providentiæ.

337. — Ibidem.

Probatur sequela. Tum quia, ut diximus, in Deo non est genus ; Tum etiam quia ratio ordinis in finem aliquem particularem subordinatum generali, non est species rationis ipsius ordinis ; quia semper manet eadem ratio ordinis variato tantum fine : Sed prædestinatio est ratio ordinis in finem particularem subordinatum generali, ut constat : Ergo, etc.

Sequitur 338. Prædestinationem esse dumtaxat partem objectivam providentiæ.

338. — 1. p. q. 23. a. 1.

Explicatur. Pars objectiva dicitur illa, quæ est pars ex parte objecti, ita ut sit idem omnino actus, qui quatenus terminatur ad unum objectum communius vocetur totum, et idem actus ut terminatur deinde ad objectum aliquod particulare dicatur pars, non quasi pars actus, cum sit unus et idem, sed pars objecti.

Probatur ergo sequela. Objectum particulare unius et ejusdem actus, qui attingit objectum generale, sicut et actus quatenus significatur ut attingens illud objectum particulare dicitur pars objectiva : Sed prædestinatio est omnino idem actus ex parte Dei cum providentia, et solum differunt in hoc, quod objectum providentiæ est omne ens creatum, ut ordinatum in gloriam Dei ut sic, et ut significatur nomine prædestinationis objectum est creatura intellectualis ut ordinata in gloriam ipsius creaturæ ut finem particularem in ordine ad gloriam Dei : Ergo prædestinatio est pars objectiva providentiæ. *Minor est evidens ex dictis* ; neque enim imaginandum est, quod prædestinatio non sit providentia, vel quod non ordinet creaturas intellectuales ultimate in gloriam Dei ; hoc enim falsum est ; cum bonitas et gloria Dei sit ultimus finis ipsius Dei : sed quia

præterea ordinat creaturas, non omnes, sed intellectuales, in partem illorum finium particularium, quibus mediantibus Deus ipsas etiam creaturas intellectuales ordinat in bonitatem et gloriam suam, idcirco prædestinatio est idem omnino actus cum providentia, quæ dicitur prædestinatio ut ordinat creaturas in ipsarum gloriam tanquam in partem finis. Ex duplici ergo capite prædestinatio dicitur pars providentiæ, videlicet ex parte creaturarum, quia non omnes per prædestinationem ordinat, sed tantum partem, videlicet aliquas creaturas intellectuales ; nec ordinat in finem suum adæquatum, quatenus sub nomine prædestinationis explicatur, sed in finem veluti inadæquatum, et subordinatum, quo mediante ordinat in finem adœquatum et communem.

Sequitur 339. Prædestinationem esse actum imperii divini.

239. — Ibidem.

Probatur sequela. Providentia est actus imperii divini, ex dictis supra : Sed prædestinatio est ipsamet providentia, ex jam dictis : Ergo prædestinatio est actus imperii divini.

Sequitur 340. Prædestinationem nihil ponere formaliter in prædestinato.

340. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Actus imperii nihil ponit formaliter sive per modum causæ formalis in rebus imperatis, sed tantum in ipso imperante, ut constat : Sed prædestinatio est actus imperii, ex dictis : Ergo prædestinatio nihil ponit in prædestinato, sed dumtaxat in prædestinante formaliter.

Sequitur 341. Prædestinationem quoad executionem et per modum causæ actualiter efficientis ponere aliquid in prædestinato.

341. — Ibidem.

Probatur sequela. Actus imperii infallibiliter efficacis et effectivi ponit aliquid in re imperata per modum causæ efficientis : Sed prædestinatio est actus imperii divini, quod, ut supra ostendimus, est infallibiliter efficax et effectivum : Ergo prædestinatio quoad executionem et in genere causæ efficientis ponit aliquid in prædestinato, videlicet vocationem et magnificationem.

Sequitur 342. Prædestinationem esse præparationem gloriæ per gratiam.

342. — Ibid. ad 3.

Probatur sequela. Ratio ordinis in finem ultimum supernaturalem per medium etiam supernaturale nihil aliud est, quam præparatio gloriæ per gratiam, quatenus videlicet per hanc rationem in intellectu suo præconceptam et præstitutam Deus præparat se ad producendam in creatura intellectuali gloriam mediante gratia : Sed prædestinatio est ratio ordinis in finem supernaturalem, qui haberi non potest nisi per gratiam, ut patet ex dictis : Ergo prædestinatio est præparatio gloriæ per gratiam, vel, quod idem est, præparatio gratiæ ad gloriam, vel præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime aliqui perveniunt ad gloriam, et consequenter liberantur ab omni miseria.

Sequitur 343. Deum non teneri ad ordinandas efficaciter omnes creaturas intellectuales in gloriam.

343. — Ibid. a. 3. et a. 4. ad 3.

Probatur sequela. Qui habet providentiam generalem, non tenetur omnes res particulares efficaciter ordinare in finem illarum particularem, ut diximus, maxime vero, quando finis ille est gratuitus et non connaturalis : Sed Deus habet providentiam generalem, ut ostendimus : Ergo non tenetur omnes creaturas intellectuales efficaciter ordinare in ipsarum finem particularem, maxime vero in gloriam, qui effectus, ut demonstravimus, est mere gratuitus.

Sequitur 344. Deum non teneri ad prædestinandas omnes creaturas intellectuales.

344. — Ibidem.

Probatur sequela. Ordinare efficaciter in gloriam ut finem particularem creaturarum intellectualium est illas prædestinare, ut patet ex dictis : Sed Deus non tenetur efficaciter ordinare omnes creaturas intellectuales in gloriam, ut jam ostendimus : Ergo non tenetur omnes illas prædestinare. Quod autem de facto non omnes prædestinaverit patet, tum ex Scriptura, tum etiam, quia provisor generalis debet aliquem defectum permittere, ut patet ex dictis.

Sequitur 345. Deum aliquos reprobare.

345. — Ibidem.

Probatur sequela. Non ordinare aliquos in gloriam est ipsos reprobare : Sed Deus aliquos non ordinat in gloriam, ex dictis : Ergo aliquos reprobat. *Major est evidens :* quia eo ipso, quod aliqui non ordinantur ad gloriam, ab illa deficiunt ; hoc autem est reprobari, id est, non probari, non admitti, sed deficere.

Sequitur 346. Prædestinationem supponere electionem aliquorum ad gloriam.

346. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Tum quia imperium supponit electionem, ut ostendimus in primo principio : Sed prædestinatio, ex dictis, est imperium : Ergo prædestinatio supponit electionem. Tum etiam, quia ordinare aliquos in aliquem finem, aliis non ordinatis, supponit electionem, qua aliqui sint electi ad illum finem, non alii, ut est evidens : Sed, ex dictis, aliquos Deus prædestinat ordinando in gloriam, aliis rejectis sive non ordinatis : Ergo hæc prædestinatio sive ordinatio supponit electionem.

Sequitur 347. Electionem ad gloriam supponere dilectionem.

347. — Ibidem.

Probatur sequela. Omnis electio unus præ alio supponit dilectionem ; non enim eligeretur unus præ alio, nisi diligeretur : Sed electio ad gloriam est unius præ alio, ex dictis : Ergo electio ad gloriam supponit dilectionem.

Sequitur 348. Dilectionem Dei non supponere, sed facere bonum in re dilecta.

348. — Ibidem.

Probatur sequela ex dictis supra. Voluntas Dei est causa totius boni creati, atque adeo non supponit bonum creatum, sed facit : Atqui dilectio Dei est ipsa voluntas sive velle Dei ; est enim actus, quo vult bonum, ut diximus : Ergo dilectio Dei non supponit bonum, sed facit illud in re dilecta.

Sequitur 349. Omne bonum, ratione cujus aliquis diligitur vel eligitur præ alio, esse effectum dilectionis Dei.

349. — Ibidem.

Probatur sequela. Omne bonum est effectus causæ totius boni : Sed dilectio Dei est causa totius boni : Ergo omne bonum est effectus dilectionis Dei.

Sequitur 350. Omne bonum in prædestinato existens, esse etiam effectum illius electionis, qua prædestinatus eligitur præ alio.

350. — Ibid. a. 5.

Probatur sequela. Omne bonum, quod est effectus dilectionis, ex qua oritur electio, est etiam effectus illius electionis ; quia ipsa electio includit dilectionem, ut patet : Sed omne bonum existens in prædestinato est effectus dilectionis, ex qua oritur electio, ut constat ex dictis : Ergo omne bonum existens in prædestinato est effectus electionis.

Sequitur 351. Omne bonum existens in prædestinato esse effectum imperii divini.

351. — Ibidem.

Probatur sequela. Omne bonum, quod est effectus electionis, est effectus illius actus, quo Deus id ordinat exequendum, quod per ipsam electionem vult in ordine ad finem, ut constat etiam ex primo principio : Sed imperium est actus ille, quo Deus ordinat exequendum bonum, quod vult per electionem, ut diximus supra : Ergo omne bonum existens in prædestinato est effectus imperii Divini.

Sequitur 352. Omne bonum, quod est in prædestinato, esse effectum prædestinationis.

352. — Ibidem.

Probatur sequela. Imperium, quo Deus ordinat exequendum aliquid in ordine ad gloriam, est prædestinatio ex dictis : Sed omne bonum existens in prædestinato est effectus illius imperii, ex dictis : Ergo omne bonum existens in prædestinato est effectus prædestinationis.

Sequitur 353. Bonum illud, quod est in prædestinato, esse plus minusve effectum prædestinationis juxta ordinem proximiorem vel remotiorem,quem dicit ad gloriam.

353. — Ibidem.

Explicatur. Licet omne bonum, quod est in prædestinato, sit effectus prædestinationis, nihilominus quia prædestinatio est ordinatio in gloriam tanquam in finem per media, evidens est, quod media, quæ proximius ordinantur ad gloriam, sunt magis immediati effectus ipsius prædestinationis; et hoc est, quod intendimus esse plus minusve effectum ipsius prædestinationis ; non quod omnia bona non sint effectus prædestinationis, sed quod aliqua bona sint effectus magis sive propinquius ordinati ad gloriam. Et in hoc sensu :

Probatur sequela. Media ut media sunt plus minusve effectus intentionis et ordinationis in finem juxta quod plus minusve conducunt ad obtinendum finem : Sed bona omnia quæ sunt in prædestinato (excepta gloria) sunt media ad gloriam, ut patet : Ergo ex illis ea sunt magis quodammodo effectus prædestinationis quæ propinquius et efficacius conducunt ad gloriam.

Sequitur 354. Perseverantiam in gratia usque ad mortem esse maxime proprium effectum prædestinationis.

354. — Ad Rom. 8. lect. 6.

Probatur sequela. Media, quæ propinquius conducunt ad gloriam, sunt maxime effectus prædestinationis : Sed perseverantia in gratia usque ad mortem omnium propinquissime conducit ad gloriam : Ergo perseverantia in gratia usque ad mortem est effectus prædestinationis; unde dicitur donum proprium prædestinatorum et electorum.

Sequitur 355. Omnia dona supernaturalia esse etiam magis proprie effectus prædestinationis.

355. — Ibid. et 1. p. q. 23. a. 1.

Probatur sequela. Media ejusdem ordinis cum fine sunt magis proprie effectus intentionis finis, quia propinquius conducunt ad finem, quam alia quæ non sunt ejusdem ordinis : Sed dona supernaturalia sunt ejusdem ordinis cum gloria, quæ est etiam supernaturalis, ut diximus : Ergo dona supernaturalia sunt etiam magis proprie effectus prædestinationis.

Sequitur 356. Inter hæc dona computandos etiam esse actus liberos supernaturales, quos elicit prædestinatus, tam illos, quibus se disponit ad gratiam quam alios, quos elicit post justificationem, et illos, quibus perseverat.

356. — D. Thom. 1. p. q. 23. a. 4. et 5.

Probatur sequela. Omnia bona supernaturalia, quæ conducunt ad consequendam gloriam, proprie sunt

effectus prædestinationis; Sed actus omnes enumerati sunt bona supernaturalia, quæ conducunt ad consequendam gloriam : Ergo sunt proprie effectus prædestinationis.

Sequitur 357. Omnes omnino gratias, nulla prorsus excepta, sive sint actuales, sive habituales, esse etiam proprie effectus prædestinationis.

357. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia sunt ordinis supernaturalis, et conducunt ad consequendam gloriam.

Sequitur 358. Gratiam etiam per peccatum interruptam, et gratias sufficientes, esse effectus prædestinationis.

358. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia etiam ista sunt supernaturalia, et saltem occasionaliter conducunt ad gloriam, quatenus homo humilior resurgit, pœnitet ipsum tam ingratum fuisse, etc.

Sequitur 359. Etiam permissiones peccatorum esse effectus prædestinationis.

359. — Ad Rom. 3. lect. 6.

Probatur sequela. Quia ista etiam sunt bona saltem occasionaliter conducentia ad consequendam gloriam.

Sequitur 360. Bona etiam naturalia, et omnia omnino, quæ accidunt prædestinatis, imo etiam ipsam substantiam prædestinati esse aliquo modo effectus prædestinationis.

360. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia ista omnia sunt bona, quæ conducunt ad gloriam.

Sequitur 361. Prædestinationem non posse fieri ex præviis meritis.

361. — 1. p. q. 23. a. 5.

Probatur sequela. Causa totius boni, quod est in prædestinato tam quoad finem, quam quoad media, non potest fieri ex præviso aliquo illius bono : Sed ex dictis, prædestinatio est causa totius boni, etc. Ergo prædestinatio non potest fieri ex aliquo bono præviso ; atque adeo nec ex prævisis meritis. *Major prob.* supponendo dici non posse quod prædestinatio fiat ex prævisis meritis, quasi illa sint causa efficiens actus prædestinationis, cum actus ille nihil aliud sit, quam ipsa Dei substantia, quæ nullam potest habere causam efficientem. Ergo merita prævisa sunt causa prædestinationis non ex parte actus, sed solum ex parte objectorum, quæ in prædestinatione includuntur. In hoc vero sensu *Probat. minor.* Duo tantum in prædestinatione includuntur, videlicet media et finis cum sit ratio ordinis in finem. Sed finis non potest esse volitus ex prævisione mediorum, ita ut sint motivum volendi finem et ordinandi in finem, imo potius e contra finis est motivum volendi et ordinandi media in finem; Ergo merita non possunt esse motivum volendi et ordinandi media in gloriam, sed potius e contra gloria est motivum volendi et ordinandi media in gloriam tanquam in finem : Verum quia quæstio hæc de prædestinatione magni momenti est ad plura fidei dogmata, diligentius explicanda est.

Advertendum ergo *primo;* quod qui dicunt prædestinationem fieri ex prævisis meritis, nomine prædestinationis intelligunt electionem ad gloriam, et dicunt motivum et rationem, propter quam Deus voluit gloriam huic homini v. g. Petro, esse merita, non quidem existentia, sed futura et prævisa.

Advertendum *secundo* merita dupliciter concipi ut futura ; primo absolute ; secundo conditionate, ut patet ex dictis supra, cum de scientia media egimus.

Advertendum *tertio*, aliquos ex auctoribus, qui tuentur in rei veritate electionem ad gloriam fieri ex prævisis meritis ut conditionate futuris,

nolle tamen simpliciter hoc concedere, sed dicunt hoc sensu prædestinationem fieri ex prævisis meritis, quia nisi præviderentur merita ut conditionate futura, illa præparatio mediorum in ordine ad gloriam, non haberet perfectam et integram rationem prædestinationis, sed esset tantum quædam providentia generalis. Cujus sui dicti rationem assignant, quia prædestinatio per hoc differt a providentia generali, quod prædestinatio sit certa et infallibilis respectu consecutionis gloriæ tanquam finis, providentia vero generalis non sit certa et infallibilis. Unde inferunt, quod cum prædestinatio non sit certa et infallibilis sine prævisione meritorum saltem sub conditione, non potest prædeslinatio fieri aut esse sine prævisione illorum; non quod merita prævisa, etiam ut conditionate futura, sint aut fuerint Deo ratio eligendi homines ad gloriam vel gratiam etc., sed quia sine hujusmodi prævisione voluntas illa dandi hominibus gloriam, non haberet rationem integram prædestinationis. Atque hinc ulterius concludunt, prædestinationem esse mere gratuitam, quamvis non sit sine prævisione conditionata meritorum. Addunt tamen aliquam gratiam, quæ nimirum datur in tempore ob aliquod meritum præcedens, vel ob dispositionem, vel occasionem antecedentem, esse ab æterno a Deo volitam intuitu illius meriti, dispositionis, vel occasionis conditionate prævisæ. Cumque iidem auctores asserant Deum ex lege ordinaria in tempore non dare alicui etiam primam gratiam, nisi in eo præcesserint actus naturales cujusdam fidei, spei, et charitatis naturalis, consequenter volunt, Deum noluisse ab æterno dare primam gratiam, nisi ob illos actus antecedentes ut conditionate prævisos, et generaliter nullam gratiam ab æterno alicui fuisse volitam a Deo, nisi propter bonum usum illius prævisum a Deo sub conditione, quod nonnulli explicant exemplo Regis, qui vellet dare alicui militi equum et arma, quia præsciret eum bene illis usurum, si det; nolle autem alteri dare, quia præsciret illum eis non bene usurum, etiam si daret. Demum hæc omnia ita ad omnes omnino extendunt ut dicant etiam Christi Domini et Beatissimæ ejus Matris animas ea ratione in tantam dignitatem potius quam aliorum animas electas fuisse, quia Deus præviderat eas melius, quam cæteras, pro sua innata libertate usuras suo arbitrio.

Verum hæ omnes opinationes ex dictis concidunt : quia non possunt prævideri merita ut conditionate futura ante decretum Dei, quo vult illa merita esse saltem conditionate futura : Hoc autem decretum non potest esse, nisi post voluntatem, qua Deus vult gloriam illis : Ea vero voluntas est prædestinatio. Vide dicta superius.

Sequitur ergo 362. Electionem hominum ad gloriam non fuisse ex meritis prævisis ut futuris absolute.

362. — Ibidem.

Probatur sequela. Electio non potest fieri ex meritis prævisis ut futuris, si merita non sint futura aliquo modo ante electionem : Atqui merita non sunt absolute futura ante electionem : Ergo etc. *Minor probatur.* Decretum Dei, quo vult merita esse absolute futura est post electionem ad gloriam : Sed nulla merita sunt absolute futura ante decretum Dei, quo vult illa esse absolute futura, ut patet ex dictis supra : Ergo nulla merita sunt absolute futura ante electionem ad gloriam. *Major constat* quia volitio finis antecedit volitionem mediorum ut media sunt ad finem : Sed electio ad gloriam est volitio finis; decretum Dei, quo vult merita esse absolute futura, est volitio mediorum, cum merita sint media ad gloriam ; Ergo electio ad gloriam est prior decreto Dei, quo vult merita esse absolute futura, atque adeo decretum illud Dei est post electionem ad gloriam, et consequen-

ter antequam merita sint absolute futura.

Sequitur 363. Merita ut conditionate futura non posse esse ante electionem ad gloriam.

363. — Ibidem.

Probatur sequela. Decretum saltem conditionatum ex parte objecti est ante merita conditionate futura, cum sit causa futuritionis conditionatæ ipsorum : Sed electio ad gloriam est ante decretum illud conditionatum : Ergo electio ad gloriam est ante merita etiam conditionate futura; atque adeo merita non sunt conditionate futura ante electionem. *Minor probatur :* quia media non possunt esse volita ut media quocumque modo, nisi præcedat volitio finis; cum media ut media sint volita propter finem. Adde quod non possunt merita prævideri ut conditionate futura ante electionem ad gloriam, nisi detur scientia media, ut fatentur hi Neoterici : Sed non datur scientia media, ex dictis supra : Ergo, etc.

Sequitur 364. Prædestinationem et electionem Dei esse causam infallibilem omnium suorum effectuum certitudine et infallibilitate causalitatis.

364. — D. Tom. 1. p. q. 23. a. 6. et q. 6. de verit. a. 3.

Probatur sequela. Omnis causalitas divina est certa et infallibilis ex se, et ex propria perfectione causalitatis, ut supra demonstratum est : Sed prædestinatio et electio habent causalitatem divinam, ut jam ostendimus. Ergo prædestinatio et electio sunt infallibiles certitudine causalitatis.

Sequitur 365. Prædestinationem et electionem Dei esse certam etiam seclusa præscientia.

365. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod est certum ut causa, est certum etiam seclusa præscientia, si ratio causæ sit distincta a præscientia : Sed prædestinatio et electio est certa ut causa, ex jam dictis : Ergo est certa seclusa præscientia, nisi quatenus ipsa præscientia est causa.

Sequitur 366. Falsum esse, quod prædestinatio non sit infallibilis, nisi ex præscientia, ut dicit nova illa opinio, de qua jam diximus.

366. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod est certum seclusa præscientia, non est certum ex sola præscientia : Sed prædestinatio est certa seclusa præscientia, ex dictis : Ergo falsum est, quod non sit certa nisi ex præscientia.

Sequitur 367. Etiam falsum esse, quod prædestinatio per hoc differat a providentia generali, quod prædestinatio sit certa ex præscientia, providentia vero generalis ideo non sit certa, quia non habet adjunctam præscientiam.

367. — Ibidem.

Probatur sequela. Tum ex modo dictis; ostendimus enim omnem providentiam esse certam. Tum etiam, quia dato et non concesso, quod providentia non sit certa, prædestinatio tamen est certa certitudine causalitatis, et non solius præscientiæ, ut probatum est.

Sequitur 368. Prædestinationem ad gloriam non posse esse omnino gratuitam si fiat ex prævisis meritis, vel si fieri non possit nisi prævisis meritis.

368. — Ibidem.

Probatur sequela. Quando merita etiam prævisa sunt ratio alicujus doni, illud donum non est mere gratuitum : Sed merita prævisa sunt ratio prædestinationis, si hæc fiat ex meritis prævisis, nec fieri possit nisi ex illis prævisis : Ergo prædestinatio non est gratuita. *Major* est evidens; quia ubi interveniunt merita etiam ut prævisa, non intervenit ratio doni mere gratuiti. *Minor probatur :* In æternis unum non est prius alio, nisi quia est

ratio illius ; alia enim prioritas in æternis non potest intelligi : Sed merita prævisa et prædestinatio sunt æterna : Ergo merita prævisa non possunt esse priora prædestinatione, nisi sint ratio prædestinationis : Cum ergo prædestinatio non fiat ex prævisis meritis, nisi merita prævisa sint priora prædestinatione, si prædestinatio fiat ex prævisis meritis, merita prævisa sunt ratio prædestinationis.

Explicatur. In æternis nihil est prius aut posterius, nisi quatenus unum est ratio alterius : quando autem merita sunt ratio, non intervenit donum gratuitum : non potest autem prædestinatio fieri ex prævisis meritis, nisi merita ut futura et prævisa aliquo modo sint priora, atque adeo sint ratio, propter quam Deus prædestinat. *Unde subsumo :* Nullum eorum, quorum merita sunt ratio, est mere gratuitum : Sed merita prævisa sunt ratio prædestinationis et omnium effectuum ejus : Ergo nec prædestinatio, nec effectus ejus, id est, gratia, auxilia, etc. sunt mere gratuita ; nec gratia est gratia si prædestinatio fiat ex prævisis meritis.

Sequitur 369. Dato et non concesso, quod Deus exigeret actus aliquos naturales fidei, spei, etc. ante primam gratiam, adhuc dici non posse, quod prædestinatio fieret ex illis actibus prævisis ut condionate futuris.

369. — Ibidem.

Probatur sequela. Idcirco merita non possunt esse prævisa, quia sunt effectus prædestinationis, et fieri nequit, ut comprehendens omnia, qualis est Deus, prævideat effectus a se dependentes, et non videat se ut causam : atque adeo fieri nequit ut prævideat effectus prædestinationis, nisi seipsum videat ut prædestinantem : Sed dato et non concesso, quod illi actus naturales essent requisiti etiam ad primam gratiam, illi actus etiamsi naturales, essent effectus prædestinationis, quia conducerent ad consequendam gratiam et gloriam : Ergo hoc dato illi actus prævideri non possent ante prædestinationem.

Sequitur 370. Absolute falsum esse præexigi illos actus naturales.

Probatur sequela. Quia gratia non esset mere gratuita : sed de hoc alias

Sequitur 371. Multo magis falsum esse quod anima Christi ad tantam dignitatem ea ratione evecta sit, quod prævisa sit, bene usura libero arbitrio.

371. — D. Thom. 1. p. q. 10. a 1.

Probatur sequela. Quia si de omnibus prædestinatis falsum est, ut jam ostendimus, quod eorum prædestinatio sit quocumque modo ex prævisis meritis, vel non sine illis, multo magis id falsum est de prædestinatione Christi, quæ tanto magis fuit gratuita, quanto major est gratia unionis hypostaticæ, quam quæcumque alia. Sed de his postea. Ut autem videamus, quomodo se habeant, dilectio, electio, prædestinatio tam nostra, quam Christi secundum prioritatem, altius repetendum est ex hoc eodem principio.

Sequitur ergo 372. Nihil esse in Deo realiter prius aut posterius duratione.

Probatur sequela. In æterno nihil est realiter prius aut posterius duratione, cum, ex dictis, æternitas sit tota simul : Sed Deus est æternus, ut ostendimus : Ergo in Deo nihil est realiter prius aut posterius duratione.

Sequitur 373. Nihil in Deo esse prius aut posterius ratione secundum instans rationis, quod vocant, *in quo.*

373. — Ibidem.

Probatur sequela. In actu puro nihil est prius aut posterius, etiam ratione secundum instans *in quo :* Sed Deus est actus purus : Ergo nihil est in Deo prius aut posterius ratione secundum instans *in quo.* Major probatur : quia in actu puro nihil potest concipi ut imperfectum vel poten-

tiale et ulterius actuandum : Sed aliquid esse posterius ratione secundum instans *in quo*, nihil est aliud, quam aliquid concipi ut imperfectum, potentiale, et ulterius actuandum : Ergo, etc. *Minor probatur :* Aliquid concipi prius ratione secundum instans *in quo*, nihil est aliud, quam concipere aliquod instans, in quo unum sit, et aliud non sit : hoc enim intelligitur per prioritatem instantis *in quo*, et nihil aliud : Sed hoc est concipi aliquid ut imperfectum, potentiale, et ulterius actuandum : id enim quod concipitur prius, concipitur non habere pro illo instanti aliquid, quod pro posteriore habebit : Ergo concipere aliquid prius secundum instans *in quo*, est concipere aliquid imperfectum, incompletum, potentiale, et ulterius actuandum.

Sequitur 374. Posse concipi in Deo aliquid prius prioritate instantis *a quo*.

374. — Ex 7. Metaph. lect. 15, et 1. p. q. 39. a. 7. ad 3.

Probatur sequela. Concipere aliquid ut principium vel causam virtualem, nihil imperfectionis, imo perfectionem maximam importat : Sed non repugnat imo potest concipi in Deo, quod nullam imperfectionem, sed potius perfectionem importat : Ergo non repugnat concipere in Deo aliquid prius prioritate instantis *a quo*. *Major est certa de fide*, quia possumus et debemus concipere Patrem æternum ut principium Filii, et Patrem ac Filium ut principium Spiritus sancti : Et præterea omnes concedunt nos posse concipere unum attributum ut causam virtualem alterius, v. g. immutabilitatem, ut causam virtualem æternitatis.

Sequitur 375. Inter actus Divinos non esse ullam prioritatem, nisi unus sit distinctus virtualiter ab alio, et unus sit causa virtualis alterius.

375. — 1. p. q. 39. a. 7.

Probatur sequela. Prioritas virtualis requirit distinctionem virtualem et quod unum sit causa virtualis alterius : Atqui inter actus divinos non est aliqua prioritas nisi virtualis : Ergo inter actus divinos unus non est alio prior, nisi distinguatur virtualiter ab alio, et unus sit causa virtualis alterius. Major est evidens ex dictis : quia in divinis unum non potest esse prius alio nisi sit causa virtualis : Sed sicut causalitas realis exigit distinctionem realem, ita causalitas virtualis exigit distinctionem virtualem.

Sequitur 376. Nullam esse prioritatem inter actus intellectus divini, ut sunt actus.

376. — Quodl. 4. q. 12. a. 2,

Probatur sequela. Quia, ut supra ostendimus, nulla est inter illos distinctio virtualis. Idemque dicendum de actibus voluntatis inter se comparatis.

Sequitur 377. Inter actus intellectus et voluntatis posse esse prioritatem virtualem.

377. — 1. p. q. 19. a. 4.

Probatur sequela. Ubi est distinctio virtualis, et unum est causa virtualis alterius, est etiam prioritas virtualis : Sed inter actus intellectus et voluntatis est distinctio virtualis, et actus intellectus est causa virtualis actus voluntatis : Ergo, etc. *Minor probatur :* quia intellectus est causa virtualis voluntatis, ut omnes concedunt : Sed actus intellectus non distinguitur etiam virtualiter in Deo ab intellectu, nec actus voluntatis a voluntate : Ergo actus intellectus est causa virtualis actus voluntatis in Deo ; atque adeo inter actum intellectus et voluntatis est prioritas.

Sequitur 378. Actum intellectus divini ut sic, esse priorem actu voluntatis ; non autem ut liberum formaliter.

378. — Ibidem.

Probatur sequela. Omnis causa

etiam virtualis est prior aliquo modo : Sed actus intellectus nimirum judicium indifferens est causa radicalis libertatis in voluntate, ex primo principio ; actus autem voluntatis est causa omnis libertatis formalis in omnibus aliis potentiis, ut patet ex ibidem dictis : Ergo actus intellectus divini est prior actu voluntatis ut sic ; actus tamen voluntatis est prior actu intellectus, ut liber est formaliter.

Sequitur 379. Nullum actum intellectus divini liberum et circa objectum indifferens Deo, posse antecedere actum voluntatis liberum.

379. — 1. p. q. 19. a. 10.

Probatur sequela. Nullus effectus aut quasi effectus potest antecedere causam suam etiam virtualem : Sed emnes actus intellectus divini ut liber, est quasi effectus actus liberi voluntatis tanquam causæ virtualis : Ergo nullus actus intellectus divini liber et circa objectum liberum et indifferens potest antecedere actum liberum voluntatis divinæ.

Sequitur 380. Prædestinationem, quæ, ut supra ostendimus, est actus liber intellectus divini ; cum sit actus imperii, non antecedere, imo subsequi electionem divinam.

380. — 1. p. q. 23. a 4.

Sequela satis patet ex dictis.

Sequitur 381. Actum dilectionis et electionis ad gloriam esse omnino simul.

381. — Ibidem.

Probatur sequela. Omnes actus indistincti virtualiter ut sic sunt omnino simul, nec unus est ullo modo prior alio, ex dictis : Sed dilectio et electio sunt actus indistincti virtualiter ; cum sint actus voluntatis, ut patet ex his, quæ probavimus : Ergo dilectio et electio sunt omnino simul.

Sequitur 382. Electionem hominum et angelorum, imo et Christi Domini ex parte actus esse omnino simul : Et idem dicendum de prædestinatione.

382. — Locis supra citat.

Probatur sequela. Quia ex parte actus nulla est distinctio virtualis.

Sequitur 383. Nullam esse prioritatem ex parte objecti in actibus divini intellectus vel divinæ voluntatis, nisi quæ vel est ex natura rei, vel ex voluntate divina.

Probatur sequela. Objecta intellectus et voluntatis Dei non sunt inter se priora vel posteriora, nisi vel ex natura rei, vel ex voluntate divina volente, quod unum sit prius alio, vel quod unum aliquo modo dependeat ab alio : Sed tota prioritas actuum divinorum, quæ dicitur ex parte objecti, nihil aliud est, quam ipsa prioritas sive dependentia objectorum inter se, sive dependentia illa sit materialis, et in esse rei, sive sit formalis et in esse cogniti aut voliti : Ergo prioritas actuum divinorum, vel est ex natura rei, vel ex voluntate divina. *Explicatur* actum divinum esse priorem ex parte objecti non est nisi unum objectum esse prius alio : Unum autem objectum esse prius alio contingit ex duplici capite ; vel quia ipsa rei natura ita exigit, inquantum unum objectum dependet ab alio, et sic illud a quo aliud pendet dicitur prius, illud vero, quod dependet dicitur posterius ; vel oritur ex eo, quod Deus vult unum pendere ab alio, etiamsi natura sua non pendeat. v. g. media ut media pendent a fine ex natura rei ; et sic ex natura rei finis est prior, et est prius volitus, quam media : Et hinc est quod dicimus Deum velle prius finem, quam media, non quod Deus habeat unum actum, quo velit finem, et alium, quo velit media, et quod actus, quo vult finem, sit prior, quam actus, quo vult media ; sed quod finis ut finis, est id,

a quo in genere causæ finalis media dependent; et sic ex parte objecti media non sunt volita, nisi ratione finis. Et ex hoc nos concipientes actus divinos ad modum nostrorum, dicimus volitionem, qua Deus vult finem, esse priorem illa, qua Deus vult media : Addimus tamen *ex parte objecti,* ut corrigamus quodammodo modum nostrum concipiendi, nec imaginemur esse duas distinctas realiter volitiones, alteram qua Deus velit finem, et alteram, qua velit media ; sed hoc modo loquendi significemus totam prioritatem, quæ intervenit, esse ex parte objecti, quatenus media ut sic non sunt volita nisi propter finem, atque adeo quod dependent ab ipso fine etiam ut sunt volita. Ita similiter quando Deus per Prophetam dixit Joas, quod si percussisset quinquies terram, percussisset Syriam usque ad consumptionem ; percussio Syriæ fuit volita a Deo dependerer a percussione terræ facta quinquies; non quod natura sua percussio Syriæ dependeret a percussione terræ quinquies facta ; patet enim unam non pendere ab alia secundum se ; sed solum ex eo, quod Deus ita voluisset et ordinasset : Unde percussio Syriæ dependebat a quinta percussione terræ, non ex natura rei, sed ex voluntate divina : et sic percussio Syriæ volita fuit a Deo, ita ut dependeret a percussione terræ tanquam a conditione, qua posita consequenter percussio Syriæ poneretur. Unde non fuerunt ibi duo actus divinæ voluntatis, alter, quo vellet percussionem Syriæ, alter, quo vellet percussionem terræ ; sed unus et idem actus fuit in Deo, quo voluit percussionem Syriæ dependentem a percussione terræ.

Ex his ergo constat, quod prioritas in actibus divinis ex parte objecti, nihil est aliud, quam ipsa prioritas et dependentia objectorum orta vel ex natura rei, vel ex ipsa voluntate divina. Ex hoc autem jam facillime intelligitur, quomodo prædestinatio et electio Christi sit prior nostra; et hinc etiam multa alia consequuntur. Unde :

Sequitur 384. Prædestinationem Christi esse priorem nostra ex parte objecti, veluti triplici prioritate, videlicet in genere causæ finalis, efficientis et exemplaris.

384. — 1. p. q. 24. a. 3. et 4.

Probatur sequela. Electionem et prædestinationem esse priorem ex parte objecti nihil aliud est, ut diximus, quam objectum esse prius, et illud, quod dicitur posterius dependere ab illo priori : Sed nos ut prædestinati dependemus a Christo ut a causa finali, exemplari et efficiente, ut infra dicturi sumus : Ergo prædestinatio et electio Christi, est prior nostra ex parte objecti.

Sequitur 385. Prædestinationem et electionem Christi esse quodammodo posteriorem prævisione peccati saltem originalis ex parte objecti.

385. — 3. p. q. 1. a. 3.

Probatur sequela. Illud, à quo Deus voluit aliud dependere saltem ut a conditione vel occasione, est prius illo, quod dependet in eo genere : Sed Deus voluit Incarnationem dependere a peccato originali saltem ut a conditione vel occasione, ut infra ostendemus : Ergo Incarnatio est quodammodo posterius volita a Deo, quam permissio peccati originalis ex parte objecti, et consequenter prædestinatio et electio Christi, quæ est volitio Incarnationis, est quodammodo posterior permissione et prævisione peccati originalis ex parte objecti, et consequenter prædestinatio et electio Christi, quæ est volitio Incarnationis, est quodammodo posterior permissione et prævisione peccati originalis.

Sequitur 386. Absolute ac simpliciter prædestinationem Christi esse priorem permissione et prævisione peccati originalis.

386. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod est volitum per modum causæ finalis est absolute ac simpliciter prius volitum, quam omnia alia. quæ per modum medii aut occasionis volita sunt, quia causa finalis simpliciter prior est, præsertim respectu voluntatis, sive in ratione volitæ : Sed Deus voluit Christum per modum causæ finalis omnium, ut postea dicemus : Ergo volitio, quæ est electio et prædestinatio Christi, ex parte objecti absolute et simpliciter prior est ipsa permissione et prævisione peccati.

Sequitur 387. Prædestinationem hominum esse aliquo modo posteriorem prævisione peccati originalis.

287. — Locis citatis.

Probatur sequela. Quod est posterius posteriori, est etiam posterius priori, ut est evidens : Sed prædestinatio hominum est posterior prædestinatione Christi, quæ aliquo modo est posterior permissione et prævisione peccati originalis, ut dictum est : Ergo prædestinatio hominum est aliquomodo posterior permissione peccati.

Sequitur 388. Prædestinationem angelorum non fuisse posteriorem prævisione peccati originalis.

388. — 1. p. q. 23. a. 1. ad 3.

Probatur. Quia, ut alias ostendemus, prædestinatio angelorum ex parte objecti non dependebat a Christo, cujus omnis gratia est gratia Redemptoris : unde nec etiam gratia Adami ante lapsum fuit ex meritis Christi, nec consequenter fuit effectus prædestinationis ejus nisi ut reparata : Sed de hoc alias.

Sequitur 389. Reprobationem, prout est denegatio gloriæ et gratiæ, quatenus sunt beneficia indebita, esse partem Providentiæ divinæ.

389. — In 1. ad Hannib. dist. 40. a. 3. et 1. p. q. 23 a. 3.

Probatur sequela. Quod est pars rationis ordinis in finem, est pars providentiæ : Sed reprobatio, ut est denegatio beneficii indebiti, est pars rationis ordinis in finem : Ergo reprobatio, ut est denegatio beneficii indebiti, est pars providentiæ. *Major constat ex dictis,* quia providentia, ut diximus, est ratio ordinis rerum in finem *Minor probatur :* Id, quo aliqui ordinantur in finem universalem etiam per hoc, quod non attingunt particularem, est ratio aliqua ordinis illorum in finem : Sed per reprobationem, ut est denegatio beneficii indebiti, reprobi ordinantur in finem universalem, qui est gloria Dei, etiam per hoc, quod non attingunt finem particularem, scilicet, gloriam propriam ; quia hoc ipsum quod est, ipsos non consequi gloriam propriam ordinatur in gloriam Dei : Ergo reprobatio, ut denegatio beneficii indebiti est pars providentiæ.

Sequitur 390. Reprobationem, ut est inflictiva pœnæ debitæ peccatis reproborum esse etiam partem providentiæ.

390. — Ibidem.

Probatur sequela. Particularis ratio ordinis in finem est pars providentiæ : Sed reprobatio, ut est inflictiva pœnæ est particularis ratio ordinis in finem ; quia Deus etiam illam pœnam ordinat in finem suæ gloriæ : Ergo reprobatio ut inflictiva pœnæ, est pars providentiæ : Sed sicut prædestinatio supponit electionem et dilectionem prædestinatorum : ita reprobatio supponit voluntatem non dandi gloriam, et voluntatem puniendi peccantes.

Sequitur 391. Utramque reprobationem, sive reprobationem sub utraque illa ratione, esse partem objectivam providentiæ.

391. — Ibidem.

Probatur sequela. Pars objectiva est illa, quæ tantum est pars objecti : Sed reprobatio est tantum pars objecti : nam cum omnia omnino ordinentur ad gloriam et bonitatem Dei, reprobatio solum dicit quosdam ordinari per non consecutionem gratiæ et gloriæ, vel per substrationem auxilii, ex quo sequitur peccatum, et per punitionem : Ergo, etc.

Sequitur 392. Effectum reprobationis in adultis esse substractionem auxilii et permissionem peccati.

392. — Ibidem.

Probatur sequela. Effectus intentionis non dandi gloriam est substractio mediorum : Sed reprobatio importat intentionem non dandi gloriam : Ergo reprobationis effectus est substractio mediorum, atque adeo auxilii : cumque in substractione auxilii includatur permissio peccati, sequitur etiam ipsam permissionem peccati esse effectum reprobationis.

Sequitur 393. Reprobationem, ut est denegatio beneficii indebiti, antecedere omnem prævisionem peccati actualis.

393. — Ibidem.

Probatur sequela. Intentio non dandi beneficium indebitum antecedit illud, quod consequitur ad hujusmodi intentionem, et consequenter prævisionem ejus : Sed reprobatio est intentio non dandi gratiam ut beneficium indebitum, ex qua denegatione gratiæ sequitur peccatum, ut est simplex negatio actus : Non potest autem prævideri peccatum, nisi sit futurum, neque potest esse futurum antequam Deus subtrahendo gratiam velit illud permittere, ut patet ex his, quæ diximus supra : Ergo, etc.

Sequitur 394. Reprobationem, ut importat intentionem puniendi, esse ex prævisis demeritis.

394. — Ibidem.

Probatur sequela. Omnis intentio infligendi pœnam supponit saltem permissionem culpæ eo modo, quo pœna supponit culpam, ut est evidens : Sed reprobatio, ut importat intentionem puniendi, est intentio infligendi pœnam : Ergo supponit saltem permissionem culpæ : ex hac autem permissione, culpa est infallibiliter futura, ex dictis supra.

Sequitur 395. Utramque reprobationem esse actum positivum tam ex ea parte, qua est actus intellectus, quam ex illa, qua supponit actum voluntatis.

395. — Ibidem.

Probatur sequela. Omnis ratio ordinis rerum in finem est actus positivus, et supponit actum positivum voluntatis, præsertim quando voluntas est hujusmodi, ut circa nullum objectum sibi ab intellectu propositum possit manere suspensa : Sed ex dictis, reprobatio est ratio ordinis reproborum in finem, id est, in gloriam Dei per denegationem gloriæ et inflictionem pœnæ, et supponit actum voluntatis volentis non dare gloriam, sed infligere pœnam ; aliunde vero voluntas divina est hujusmodi, ut non possit manere suspensa circa quodcumque objectum ipsi ab intellectu propositum : Ergo reprobatio est actus positivus, nimirum imperium, quo Deus ordinat reprobos in finem suæ gloriæ per denegationem gratiæ et gloriæ, et per inflictionem pœnæ, quam vult ; denegationem quidem, quatenus positive vult non dare gloriam etiam ante prævisa demerita; inflictionem vero pœnæ, quam vult ex prævisione peccati.

Sequitur 396. Certum esse numerum prædestinatorum.

396. — 1. p. p. 23. a. 7.

Probatur sequela. Omnes agens in-

tellectuale perfectum certo prædeffinit numerum eorum quæ per se intendit, et quæ sunt partes principales totius, quod vult operari : Sed Deus est agens intellectuale perfectissimum : Ergo certissime prædeffinit numerum eorum, quæ intendit, et quæ sunt partes principales universi : Hæ autem partes principales sunt non solum spheræ cælestes et incorruptibilia, et species rerum corruptibilium, verum etiam ipsi prædestinati, qui secundum animam sunt incorruptibiles, ex dictis in primo principio, et qui prôpinquius attingunt ultimum finem ; imo propter ipsos cætera visibilia videntur creata : Ergo, etc.

Sequitur 397. Non solum esse certum numerum prædestinatorum formaliter, sed etiam materialiter ; hoc est, non solum esse certum quod prædestinati sint tot v. g. decies millies centena millia, sed etiam est certum, quod erunt hi, et non alii.

397. — Ibidem.

Probatur sequela. Primo, quia Deus non vult res in communi, sicut nec cognoscit in communi, sed in particulari, ut alias diximus : Deinde quia partes principales debent esse prædeffinitæ nedum formaliter, sed etiam materialiter a perfectissimo agente per intellectum, ut probat ratio jam adducta.

Sequitur 398. Cuilibet prædestinato intentum esse a Deo gradum determinatum gloriæ.

398. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia perfectissimum agens intellectuale debet prædeffinire cuilibet parti principali determinatum gradum perfectionis, præsertim quando perfectio est hujusmodi, quæ non potest haberi, nisi per media illi parti data ex vi intentionis ipsius prædefinientis ; alias non esset agens perfectissimum intellectuale, ut constat : Sed Deus est agens perfectissimum intellectuale, et prædestinati, sunt partes principales universi, nec possunt consequi gloriam, nisi per media ex vi prædestinationis ipsis a Deo concessa, sicut dictum est : Ergo Deus cuilibet prædestinato vult et præfigit certum et determinatum gratiæ et gloriæ gradum.

Sequitur 399. Hanc certitudinem tam numeri prædestinatorum, quam gradus gloriæ, esse certitudinem causalitatis, et non solius præscientiæ.

399. — Ibidem.

Probatur sequela. Prædeffinitio est certa certitudine causalitatis et non solius præscientiæ, ex dictis. Sed hæc certitudo tam numeri, quam gradus gloriæ est certitudo prædeffinitionis : Ergo est certitudo causalitatis, et non solius præscientiæ.

Sequitur 400. Prædestinationem quantum ad actum non juvari precibus Sanctorum.

400. — Ibid. a. 9.

Probatur sequela. Quod est certum certitudine causalitatis non juvatur precibus Sanctorum quoad actum, quia actus ipse in se certus est, ut causa : Sed prædestinatio est certa certitudine causalitatis : Ergo in se et ut actus et causa non juvatur precibus Sanctorum.

Sequitur 401. Prædestinationem quoad effectum juvari precibus Sanctorum tanquam causarum secundarum.

401. — Ibidem

Probatur sequela. Causa prima, quæ compatitur effectus aliarum causarum quorum ipse est etiam causa, potest admittere sub se alias causas ; Atqui prædestinatio est causa prima, quæ compatitur effectus aliarum causarum, quorum ipsa est etiam causa, ut patet ex dictis, tum in primo principio, tum etiam in isto de causalitate divina : Ergo potest admittere sub se alias causas, quales sunt orationes Sancto-

rum, quæ etiam sunt effectus ipsius divinæ prædestinationis.

Sequitur 402. Gratiam actualem, per quam Deus exequitur suam prædestinationem, esse seipsa efficacem.

402. — Q. 6. de ver. a. 1.

Probatur sequela. Medium, quo quis exequitur certam et infallibilem causalitatem, debet esse seipso efficax, quatenus est medium et veluti instrumentum executivum : Sed gratia actualis est medium, quo Deus tanquam instrumento exequitur certam et infallibilem causalitatem prædestinationis : Ergo gratia debet esse seipsa efficax. Vide dicta superius de voluntate Dei.

Sequitur 403. Dari in Deo librum vitæ.

403 — 1. p. q. 24. a. 1.

Probatur sequela. Deus habet notitiam de his, quos elegit ad viam æternam : Sed talis notitia dicitur liber vitæ : Ergo, etc. *Major patet* ex dictis. *Minor probatur :* Quia sicut in libro scribuntur hi qui eliguntur, et in intellectu dicitur scriptum, quod firmiter est in memoria, ita liber vitæ dicitur notitia, quam Deus habet de electis. Quia vero qui non eliguntur etiam apud homines non conscribuntur, non datur liber mortis.

Sequitur 404. Librum vitæ dici proprie respectu vitæ æternæ seu gloriæ.

404. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Electio ad aliquid tanquam ad finem indebitum est ad id, quod non competit rei secundum suam naturam : Sed liber vitæ est notitia electionis ad vitam gloriæ tanquam ad finem indebitum, ut supra ostendimus : Ergo liber vitæ dicitur respectu vitæ gloriæ.

Sequitur 405. Nullum scriptum in libro vitæ proprie et per æternam prædestinationem, deleri de illo.

405. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Nulla causa certa et infallibilis unquam deficit : Sed prædestinatio est certa et infallibilis, ex dictis : Ergo prædestinatio nunquam deficit; atque adeo nullus scriptus in libro vitæ secundum æternam prædestinationem, ab illo deletur.

Sequitur 406. Contingere, quod illi, qui scripti sunt in libro vitæ non per æternam prædestinationem, sed solum ratione gratiæ sanctificantis, per quam ordinantur ad vitam æternam, deleantur de libro vitæ.

406. — Ibidem.

Probatur sequela. Ordinati ad aliquid secundum aliquam rationem, quæ variabilis est, possunt deficere ab illa ordinatione, ut patet : Sed qui habent gratiam justificantem, sunt ordinati in vitam æternam secundum illam gratiam, quæ est quodammodo semen gloriæ, ut dicemus infra, et quæ variabilis est ratione liberi arbitrii, ut etiam ostendemus : Ergo, etc.

Sectio 4ª. — De potentia Dei et de ejus beatitudine.

Sequitur 407. In Deo esse potentiam activam, non passivam.

407. — 1. p. q. 25. a. 1.

Probatur sequela. In actu puro est potentia activa, et non passiva, quia hæc involvit potentialitatem : Sed Deus est actus purus : Ergo in Deo est potentia activa, non passiva.

Sequitur 408. Hanc potentiam activam non distingui ab actu.

408. — Ibid. ad 2.

Probatur sequela. In omni eo, in quo potentia distinguitur ab actu, est potentialitas : Sed in Deo utpote actu puro non est ulla potentialitas : Ergo in Deo potentia activa non distinguitur ab actu.

Sequitur 409. Hanc potentiam activam non distingui ab intellectu et voluntate.

409. — Ibid. ad 4.

Probatur sequela. Ex dictis supra, ubi illam fuse probavimus.

Sequitur 410. Potentiam Dei esse infinitam.

410. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Unumquodque in tantum est agens et potens agere, in quantum est in actu : Sed Deus utpote actus purus est in actu infinito, quia ipsum esse ejus est infinitum : Ergo est agens et potens agere infinitum : Habet igitur potentiam infinitam. Hinc tamen non sequitur, quod effectus Dei sit vel esse possit infinitus, vel quod possit Deus movere corpus in non tempore; quia Deus non est agens univocum, sed æquivocum, cujus effectus non manifestat totam vim agentis, nec assimilatur ipsi virtuti.

Sequitur 411. Deum esse omnipotentem.

411. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Agens, quod habet potentiam infinitam, est omnipotens : Sed Deus est agens habens potentiam infinitam : Ergo, etc. *Major probatur :* qui potest quidquid non repugnat sive quidquid est possibile, est omnipotens : Sed qui habet potentiam infinitam, potest omne id, quod non repugnat : Ergo qui habet potentiam infinitam, est omnipotens.

Sequitur 412. Deum non posse facere, quod præterita non fuerint.

412. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Quod implicat non est possibile : Sed præterita non fuisse, repugnat : Ergo non est possibile : et consequenter Deus illud non potest.

Sequitur 413. Deum posse facere alia, quæ non fecit, absolute loquendo.

413. — Ibid. a. 5.

Probatur sequela. Omnipotens potest alia facere, quæ non fecit : Sed Deus est omnipotens : Ergo potest alia facere, quæ non fecit. *Major est evidens:* quia omnipotens aliqua faciendo non desinit posse, quod semper potest; quamvis enim, supposita determinatione suæ sapientiæ et voluntatis propter suam immutabilitatem, impossibile sit, quod ponat alia, quæ per suam sapientiam et voluntatem non determinavit; hæc tamen non est impossibilitas, quæ auferat ab eo potentiam : sicut quando nos agimus libere, v. g. amamus, facta suppositione amoris, non possumus odisse; et tamen etiam dum amamus, habemus potentiam odio habendi; et hoc quia actus liber amoris opponitur quidem actuali odio, non tamen opponitur potentiæ etiam odio habendi, imo vero idcirco actus amoris est liber, quia actu quidem elicitur, sed cum modo illo, qui importat potentiam odio habendi. Vide dicta in primo principio de sensu composito et diviso.

Sequitur 414. Simpliciter et absolute loquendo Deum posse facere meliora, quam quæ fecit.

414. — Ibid. a. 6.

Probatur sequela. Qui est omnipotens, potest res meliores et meliores simpliciter et absolute in infinitum producere; alias non esset omnipotens : Sed Deus est omnipotens : Ergo potest simpliciter et absolute res meliores et meliores in infinitum producere.

Sequitur 415. Deum non posse melius facere rem, quam fecit ex parte modi faciendi.

415. — Ibidem.

Probatur sequela. Facere melius rem ex parte modi faciendi, est facere illam ex majori sapientia et bonitate : Sed Deus non potest facere rem quamcumque ex majori sapientia et bonitate : Ergo non potest melius rem facere, quam fecit ex parte modi faciendi.

Sequitur 416. Deum posse facere melius rem aliquam, quam fecit ex parte rei factæ quoad accidentalem perfectionem.

416. — Ibidem.

Probatur sequela. Deum facere rem aliquam melius quam fecit ex parte rei factæ quoad perfectionem accidentalem, nihil est aliud, quam addere rei factæ perfectionem aliquam accidentalem : Sed Deus potest cuilibet rei a se factæ addere perfectionem accidentalem, ut est evidens ; unde una res ejusdem speciei est perfectior alia : Ergo, etc.

Sequitur 417. Deum non posse facere eamdem rem aliquam essentialiter perfectiorem, quam fecit.

417. — Ibidem.

Probatur sequela. Implicat eamdem rem esse essentialiter perfectiorem sive habere differentiam essentialem perfectiorem : Sed Deus non potest facere, quod implicat : Ergo Deus non potest facere eamdem rem essentialiter perfectiorem, quam fecit. *Major probatur :* quia rem esse eamdem, et non esse eamdem, sive esse unius certæ speciei, et non esse ejusdem speciei implicat, ut patet : Sed rem eamdem esse essentialiter perfectiorem per differentiam essentialem est esse ejusdem speciei, et non esse ejusdem speciei ; quia differentiæ essentiales variant speciem : Ergo, etc.

Sequitur 418. Deum suppositis rebus a se factis non posse facere melius universum quoad ordinem.

418. — Ibid. ad 3.

Probatur sequela. Ubi est perfectissimus ordo, non potest esse melior : Sed in universo est perfectissimus ordo : Ergo, etc.

Sequitur 419. Deum non posse facere aliquid melius humanitate Christi, quatenus a Verbo divino substantatur ; vel matre Christi, quatenus ejus maternitas ad Filium Dei terminatur ; vel beatitudine supernaturali, quatenus ad Deum ipsum ut est in se tanquam ad objectum proprium terminatur.

419. — Ibid. ad 4.

Probatur sequela. Infinito, qua parte infinitum est, non potest fieri majus aut melius, ut ex terminis constat : Sed humanitas Christi, quatenus terminatur vel substentatur a Verbo Divino, et maternitas B. Virginis, ut terminatur ad Filium Dei, et beatitudo supernaturalis ut terminatur ad Deum ut objectum, ut sic præcise, sunt quid infinitum, ratione videlicet termini et objecti : Ergo, etc.

Sequitur 420. Deum esse Beatum.

420. — 1. p. q. 26. a. 1.

Probatur sequela. Habere bonum perfectum intellectualis naturæ, et cognoscere se illud possidere, atque ex hoc habere omnium rerum dominium, est esse beatum : Sed Deus, cum sit actus purus, possidet seipsum, qui est bonum intellectualis naturæ perfectissimum, cognoscit se possidere illud, cum seipsum comprehendat, et est omnium dominus, ut patet ex dictis supra : Ergo, etc.

Sequitur 421. Deum esse beatum secundum intellectum.

421. — — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Secundum illam virtutem Deus est beatus, secundum quam possidet bonum perfectissimum, et cognoscit se possidere, quia beatitudo consistit in hac possessione et cognitione possessionis illius : Sed Deus secundum intellectum primo possidet seipsum ; cognoscendo enim seipsum sese comprehendit et possidet, ut diximus supra ; et similiter, ex dictis constat, quod cognoscit seipsum comprehensive ; atque adeo

possidet : Ergo secundum intellectum est beatus.

Sequitur 422. Deum esse beatitudinem objectivam cujuslibet intellectualis naturæ.

422. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Summum bonum est beatitudo objectiva intellectualis naturæ, id est, objectum possidendum ab ea per beatitudinem : Sed Deus est summum bonum, ex dictis supra : Ergo, etc.

Sequitur 423. Deum non esse beatitudinem formalem intellectualis naturæ.

423. — Ibidem.

Probatur sequela. Beatitudo formalis creaturæ est aliqua res creata : Sed Deus non potest esse aliqua res creata : Ergo Deus non potest esse beatitudo formalis creaturæ. *Minor patet* ex dictis initio. *Major probatur* : quia operatio rei creatæ est res creata ; quod enim a creatura fit, creatum est : Sed beatitudo formalis creaturæ est operatio, qua creatura possidet summum bonum, ut etiam infra ostendetur : Ergo, etc.

Sequitur 424. Beatitudinem Dei includere eminenter formaliter omnem beatitudinem.

24. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Summum bonum formaliter eminenter includit omnem beatitudinem : Sed Deus est summum bonum, ex dictis : Ergo, etc. *Major probatur :* Triplex est beatitudo, contemplativa, activa, et terrena includens voluptatem, divitias, potestatem, dignitatem et famam : Sed summum bonum hæc omnia formaliter eminenter includit : Ergo, etc. *Major probatur*, Summum bonum habet contemplationem sui et aliorum omnium perfectissimam : habet ergo beatitudinem contemplativam. Habet etiam gubernationem totius universi : habet ergo activam. Pro voluptate habet gaudium de se et aliis ; pro divitiis habet ex se plenam sufficientiam et omnium possessionem ; pro potestate, omnipotentiam ; pro dignitate, omnium dominium et regimen ; pro fama, omnium creaturarum admirationem : Ergo, etc.

DISSERTATIO II[a]

DE DISTINCTIONE PERSONARUM.

CAPUT I

De processione et de relationibus.

Sectio 1[a]. — De processione.

Sequitur 425. Deum esse formaliter eminenter fœcundum.

425. — 4 contra gent. c. 10. et 11. opusc. 3. cap. 52.

Probatur sequela. Qui habet formaliter eminenter omnes perfectiones, est eminenter formaliter fœcundus ; quia fœcunditas est perfectio : Sed Deus habet formaliter eminenter omnes perfectiones, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 426. Deum esse fœcundum per virtutem et potentiam activam.

Probatur sequela. Qui est formaliter eminenter fœcundus, est fœcundus per virtutem et potentiam activam, non per passivam, quæ importat imperfectionem : Sed Deus est eminenter formaliter fœcundus : Ergo est fœcundus per virtutem et potentiam activam, non per passivam.

Sequitur 427. Deum esse fœcundum secundum intellectum et voluntatem.

427. — Ibidem.

Probatur sequela. Subsistens pure immateriale fœcundum secundum potentiam et virtutem activam, est fœcundum secundum intellectum et voluntatem ; hæ enim duæ dumtaxat virtutes et potentiæ activæ in re pure spirituali reperiuntur : Sed Deus est sub-

sistens pure immateriale, ex dictis supra, et est fœcundus secundum potentiam et virtutem activam : Ergo Deus est fœcundus secundum intellectum et voluntatem.

Sequitur 428. Dari in Deo processionem.

428. — 1. p. q. 27 a. 1.

Probatur sequela. In omni fœcundo datur processio : Sed Deus est fœcundus : Ergo in Deo datur processio.

Sequitur 429. In Deo dari processionem ad intra.

429. — Ibidem.

Probatur sequela. In quo datur fœcunditas per intellectum et voluntatem, datur processio ad intra : Sed in Deo datur fœcunditas per intellectum et voluntatem : Ergo in Deo datur processio ad intra. Has tamen omnes probationes sic accipe, ut non sint demonstrationes, sed dumtaxat convenientiæ, supposita divina revelatione.

Sequitur 430. In Deo dari processionem ad intra per intellectum.

430. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. In eo, qui est fœcundus ad intra secundum intellectum, est processio ad intra per intellectum : Sed Deus, ex dictis, est fœcundus ad intra secundum intellectum : Ergo, etc.

Sequitur 431. In Deo dari processionem Verbi.

431. — Ibidem.

Probatur sequela. Ubi est processio ad intra per intellectum, est processio Verbi, quia solum Verbum procedit ad intra per intellectum : Sed in Deo est processio ad intra per intellectum : Ergo in Deo est processio Verbi.

Sequitur 432. Per hanc processionem communicari Verbo ipsum intelligi et intelligere Dei.

432. Ibid. ad 2.

Probatur sequela. Omni Verbo procedenti per intellectum communicatur formaliter ipsum intelligi sive intelligere, quæ in Deo sunt omnino idem absque distinctione etiam virtuali : Sed datur in Deo Verbum procedens per intellectum : Ergo datur in Deo Verbum, cui formaliter communicatur intelligi seu intelligere.

Sequitur 433. Verbo divino formaliter et ex vi processionis communicari naturam divinam.

433. — Ibidem.

Probatur sequela. Cui communicatur formaliter ex vi processionis formale constitutivum naturæ, communicatur formaliter ex vi processionis natura constituta, ut ex terminis patet : Sed Verbo divino formaliter ex vi processionis communicatur intelligere quod, ut diximus supra, est formale constitutivum naturæ divinæ : Ergo Verbo divino formaliter ex vi processionis communicatur natura divina.

Sequitur 434. Processionem Verbi divini esse proprie generationem formaliter eminenter.

434. — Ibidem.

Probatur sequela. Processio, per quam formaliter ex vi ipsius communicatur ipsa natura procedentis ei, a quo procedit, est proprie generatio seclusis imperfectionibus : Sed per processionem Verbi divini formaliter ex vi ipsius communicatur natura divina, ex dictis : Ergo processio Verbi est proprie generatio seclusis imperfectionibus, quæ in generationibus creatis inveniuntur. Hinc habes, hanc processionem Verbi esse processionem viventis a vivente conjuncto in similitudinem naturæ.

Sequitur 435. Dari in divinis processionem per voluntatem.

435. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Ubi est fœcunditas, datur processio : Sed datur in divinis fœcunditas secundum voluntatem . Ergo et processio.

Sequitur 436. Hanc processionem per voluntatem esse per modum amoris et impulsus.

436. — Ibidem.

Probatur sequela. Omnis processio per primum actum voluntatis est per modum amoris et impulsus; sicut enim per intelligere primarium procedit Verbum, quia intellectus illud producit; ita per velle primarium procedit quidam terminus intra ipsam voluntatem, qui terminus defectu nominum vocatur nomine actionis, videlicet, amoris, et nomine ponderis ac impulsus in rem amatam : Sed datur in Deo processio per voluntatem : Ergo datur in Deo processio per modum amoris et impulsus.

Sequitur 437. Hanc processionem non esse generationem.

437. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Processio, quæ formaliter vi sua non communicat naturam, non est generatio : Sed processio per voluntatem formaliter vi sua non communicat naturam; communicat enim vi sua ipsum velle, sive amorem et impulsum, quæ distinguuntur in Deo virtualiter a natura, ut supra ostensum est : Ergo processio per voluntatem non est generatio.

Adverte autem : quid sit, processionem formaliter vi sua communicare naturam sive formaliter ex vi processionis communicare aut recipere naturam; Cum enim duo sint universaliter loquendo, quæ reperiuntur in processione, sicut et in omni tendentia ad terminum, ratio, videlicet *quæ,* et ratio *sub qua,* ut alias diximus, necessarium est, ut tam ratio *quæ;* quam ratio *sub qua;* exigat communicationem naturæ, ad hoc ut processio sit generatio; nec sufficit, quod sit communicatio naturæ propter identitatem et transcendentiam ipsius naturæ cum quacumque alia ratione : Et sic quamvis terminus per voluntatem ad intra procedens in Deo, sit Deus, et consequenter sit habens naturam divinam etiam ex vi processionis divinæ, ut divina est, quatenus non potest non terminari ad terminum, qui sit Deus; nihilominus terminus procedens ad intra per voluntatem in Deo non recipit formaliter ex vi processionis naturam divinam, quia formalissime ex vi processionis hujusmodi communicatio debet terminari tam quoad rationem *quæ,* quam quoad rationem *sub qua,* non ad naturam, secundum formale constitutivum naturæ, sed ad amorem, qui non est natura, sed est ejus proprietas. Et si hæc percipias facillime te expedies ab argumentis in contrarium.

Sequitur 438. Processiones divinas non esse actus naturæ, ut virtualiter distinctæ ab intellectu et voluntate in Deo.

438. — Ibid. a. 5.

Probatur sequela explicando illam. Ostendimus supra, intelligere divinum esse formale constitutivum naturæ in Deo; velle autem esse véluti proprietatem consequentem ad naturam quatenus constituitur per ipsum intelligere; et consequenter dicendum est, intelligere divinum secundum se non distingui virtualiter a natura divina; ipsum autem velle distingui virtualiter. Verumtamen hoc non impedit, quin concipiendo naturam divinam per analogiam ad res creatas, concipiamus ipsam naturam divinam, ut aliquo modo distinctam ab ipso intelligere, quatenus concipimus naturam divinam præstare duo munia in Deo, videlicet illud, quod præstat natura creata in nobis, et aliud, quod præstat potentia intellectiva. Difficultas ergo est, utrum in Deo prima processio concipienda sit esse a natura tanquam actus ipsius, quatenus natura divina concepta per analogiam ad creaturas præstat munus naturæ, an quatenus præstat munus intellectus; et similiter, utrum secunda processio sit actus naturæ divinæ, ut virtualiter distinguitur ab ipso velle

seu voluntate. Dicimus ergo in hac sequela processiones non esse actus naturæ ut sic, sed quatenus natura est ipse intellectus divinus ; ex quo fit, quod etiam secunda processio sit actus voluntatis divinæ, ut virtualiter distinguitur a natura.

Probatur ergo sequela. Processiones Verbi et Amoris ut sic non possunt esse a natura, nisi ut habet rationem intellectus et voluntatis ; Sed in Deo processiones sunt processiones Verbi et Amoris ut sic, ex dictis : Ergo in Deo processiones non possunt esse a natura ut distincta aliquomodo ab intellectu et voluntate. *Major est evidens :* Est enim de intrinseca ratione Verbi, ut Verbum est, quod si procedat, concipiatur procedere ab intellectu, ut intellectus est, sive ipse idem intellectus habeat rationem naturæ, sive non. Et similiter est de intrinseca ratione Amoris, quod si procedat, concipiatur procedere a voluntate ut voluntas est, sive idem sit cum natura, sive non. Et ratio est, quia Verbum ut Verbum est terminus intellectus ut sic ; et Amor ut Amor, est terminus voluntatis.

Sequitur 439. Processionem Verbi formalissime includere ipsam intellectionem.

439. — 1. p. q. 27. a. 2.

Probatur sequela. Omnis actus intellectus formalissime ut sic, est intellectio, ut patet ex dictis in principio, et constabit ex dicendis in tertio, ubi ostendemus actionem propriam virtutis cujuslibet esse veluti proprium specificativum illius : Sed processio Verbi est actus intellectus ut sic, ex dictis : Ergo processio Verbi est formalissime intellectio.

Sequitur 440. Processsionem activam Verbi esse dictionem in divinis.

440. — 1. p. q. 27. a. 2.

Probatur sequela. Prolatio sive productio Verbi est dictio, ut patet a simili in Verbo externo, quod nos ore producendo dicimus : Sed activa processio Verbi in Deo est prolatio sive productio Verbi, ut patet ex dictis : Ergo processio Verbi in Deo est dictio.

Sequitur 441. Dictionem includere formalissime intellectionem.

441. — 1. p. q. 34. a. 1. ad 3. et q. 47. a. 1. et q. 65. a. 4.

Probatur sequela. Processio activa Verbi formalissime includit intellectionem, ex dictis : Sed dictio est processio activa Verbi : Ergo dictio formalissime includit intellectionem.

Sequitur 442. Intellectionem, quam includit dictio, esse ipsam intellectionem essentialem.

442. — Ibidem.

Probatur sequela. Intellectio in Deo est tantum unica et essentialis, ut ostendimus supra, dum probavimus, distinctionem inter intelligere constitutivum, sapientiam, prudentiam, etc. Sed dictio, ex dictis, includit intellectionem essentialem : Ergo, etc. *Minor probata est supra,* et ratio est ex dictis, quia quæcumque pertinent ad eamdem rationem formalem sunt unum et idem in Deo absque distinctione etiam virtuali : Sed intelligere constitutivum naturæ, et intelligere illud, quod est dictio, præcise ut est intelligere, pertinent ad eamdem rationem formalem : Ergo intelligere constitutivum, et quod includitur in dictione, sunt unum et idem absque distinctione etiam virtuali.

Sectio 2ª. — De relationibus.

Sequitur 443. Dicere nihil aliud importare supra ipsum intelligere, nisi rationem sive relationem principii dicentis ad Verbum.

443. — 1. p. q. 27. a. 1. et q. 34. a. 1. ad 3. 4. cont. gent. c. 2. q. 4. de verit. a. 6. ad 6.

Probatur sequela. Intelligere productivum Verbi nihil importat nisi illud esse principium productivum Verbi, ut patet ex dictis : Sed dicere esse principium productivum Verbi,

nihil est aliud quam relatio, ut statim ostendemus : Ergo dicere nihil aliud importat supra intelligere, quam relationem principii dicentis ad Verbum.

Sequitur 444. Dicere in divinis esse omnino ipsum generare.

444. — Ibidem.

Probatur sequela. Intelligere productivum Verbi in divinis est ipsa generatio, sive est ipsum generare : Sed dicere in divinis est intelligere productivum Verbi : Ergo dicere in divinis est omnino ipsum generare.

Sequitur 445. Filium et Verbum esse omnino idem formalissime et absque ulla etiam virtuali distinctione.

445. — 1. p. q. 34. a. 2. ad 2.

Probatur sequela. Terminus dictionis, quæ est formalissime generatio, est Filius et Verbum absque ulla virtuali distinctione ; quia ut dicemus in tertio principio, quando actio est eadem formalissime, etiam terminus est formalissime idem, et e contra : Sed, ex dictis, Verbum est terminus dictionis, quæ in divinis est formalissime generatio : Ergo Verbum et Filius in divinis sunt idem formalissime.

Sequitur 446. Processiones divinas non esse emanationes sive resultantias, sed veras actiones.

446. — 1. p. q. 27. a. 2. 3. et 5. explicans seipsum a. 1.

Explicatur. Non intendimus, quod Processiones divinæ sint veræ actiones de prædicamento actionis, imo nec in aliquo prædicamento constitutæ, sed quod non sint resultantiæ eo modo, quo proprietates consequuntur per resultantiam, quatenus ex actione, qua producuntur dispositiones, resultant deinde formæ substantiales, et ex illis proprietates, ut explicatum est in primo principio.

Probatur sequela. Resultantia sive emanatio sequitur ex vi alterius actionis prioris, ut omnes fatentur : Sed processiones divinæ non fiunt ex vi alicujus actionis prioris : Ergo processiones divinæ non sunt resultantiæ. *Major patet* et explicatione. *Minor probatur :* Intelligere et velle non fiunt ex vi alicujus prioris actionis, alias daretur in natura intellectuali aliqua prior actio : Sed processiones divinæ sunt intelligere et velle : Ergo non fiunt ex vi alicujus prioris actionis.

Nec valet dicere, quod intelligere et velle non sunt processiones, nisi ut habent adjunctas relationes, ut jam indicavimus, et postea dicemus ; ipsæ autem relationes sunt veluti proprietates.

Non valet, inquam, quia imprimis relationes non sunt processiones, nisi quoad connotatum, ut postea explicabimus. Deinde, quia hujusmodi relationes etiamsi essent proprietates, deberent consequi ad actiones, intellectionem scilicet et volitionem.

Sequitur 447. Non dari in Deo, nisi has duas processiones per intellectum et voluntatem.

447. — 1. p q. 27. a. 5.

Probatur sequela. Omnis processio in divinis est per actionem immanentem, sive per virtutem activam, quæ habeat actionem immanentem ; quia processio in divinis et ejus terminus remanent intra ipsum Deum : Sed in Deo utpote naturæ pure intellectualis, non est aliqua virtus, quæ habeat actionem immanentem, nisi intellectus et voluntas, ut probatum est : Ergo in Deo non est processio nisi per intellectionem et amorem.

Sequitur 448. In Deo reperiri relationes reales.

448. — 1. p. q. 28. a. 1.

Probatur sequela. Ubi est procedens realiter, et is, a quo procedit, est etiam relatio realis, si sint ejusdem ordinis : Sed in Deo est procedens realiter, et is a quo procedit : cum sint reales processiones, ex dictis : et tam procedens, quam is, a quo pro-

cedit sunt in Deo, id est, intra ipsum Deum, atque adeo ejusdem ordinis : Ergo in Deo sunt relationes reales : *Major est evidens,* quia is, qui procedit, dicit habitudinem realem ad eum, a quo procedit, et e contra, si sint ejusdem ordinis, ut etiam probabimus in tertio principio.

Sequitur 449. Relationes in divinis esse reales etiam secundum *Ad* limitate sumptum.

449. — Ibid. et in 1. dist. 25. a. 4 ; De pot. a. 6. ad 14. et lect. 4. in c. 16. Joann.

Explicatur. Relatio est ad aliud, quia est habitudo : Sed quia aliquando ex sola comparatione unius ad aliud per rationem, oritur hæc habitudo, ideo quandoque relatio est tantum rationis : quæ tamen convenit cum relatione reali, quia est ad aliud, et sic concipitur habitudo illa ad aliud, ut quid commune relationi reali et rationis : et quia habitudo illa significatur per ly *Ad,* idcirco dicimus *Ad* ut *Ad* esse commune aliquomodo relationi reali et rationis : et sub hoc conceptu communi dicitur *Ad* sumi illimitate, quia sumitur ut non determinatum ad certum genus. Aliquando vero sumitur *Ad* limitate, in quantum sumitur ut denotat habitudinem realem ; et tunc *Ad* non convenit nisi relationibus realibus. Relationes autem sunt reales in rebus creatis ex eo, quod inhærent realiter, aut quasi inhærent ; et hoc sensu sive secundum hunc conceptum ratio accidentis concipitur imbibi- transcendentaliter in ipso *Ad,* eo modo, quo ens concipitur imbibi in modis differentialibus : quia ipsum *Ad* in relationibus realibus est etiam accidens ; non enim *Ad* relationum realium concipi debet ut quid medium inter illud, quod refertur, et illud ad quod refertur, sed debet concipi ut quid in ipso, quod refertur dans illi ordinem ad aliud. Quod autem præstat in relationibus realibus creatis ratio accidentis, præstat in relationibus divinis identitas et infinitas substantiæ et naturæ divinæ, atque adeo infinitas naturæ divinæ efficiet ut *Ad* relationis divinæ limitate sumptum sit reale, imo sit ipsa natura et substantia divina.

Probatur ergo sequela. In omnibus relationibus realibus *Ad* limitate sumptum est reale : Sed relationes divinæ sunt reales, ex dictis : Ergo relationes divinæ secundum *Ad* limitate sumptum sunt reales : non autem si sumatur *Ad* illimitate : quia secundum hoc convenit tam relationi reali, quam rationis.

Sequitur 450. Relationes in divinis ut reales sunt, esse idem cum substantia divina.

450. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Quidquid est in rebus creatis accidentale, si reperiatur in Deo, est substantiale, imo est ipsa substantia Dei, quia, ut diximus supra, nihil est in Deo accidentale : Sed relationes reperiuntur in Deo, ex dictis : Ergo in Deo erunt quid substantiale, imo et ipsa substantia Dei.

Sequitur 451. Relationes etiam ut virtualiter explicite distinguntur a natura divina, includere implicite ipsam naturam divinam.

451. — Ibid. et 1. p. q. 33. a. 3. ad 1.

Probatur sequela. Nulla datur in divinis distinctio virtualis per modum excludentis et exclusi : sed omnis distinctio virtualis est per modum includentis et inclusi, ut superius probatum est : Atqui datur in Deo distinctio tantum virtualis relationum a natura Divina : Ergo hæc distinctio est per modum includentis et inclusi. *Minor constat ex dictis supra :* quia relatio est realiter ipsa substantia et natura divina, et quia nulla est in Deo compositio realis, vel rationis, ex dictis.

Sequitur 452. Conceptum relationum divinarum non posse perfecte præscindi a conceptu naturæ divinæ.

452. — Ibidem.

Probatur sequela. Conceptus, qui implicite includit alium, non potest perfecte præscindi ab illo, ut patet ex dictis initio primi principii : Sed conceptus relationum divinarum includit implicite conceptum naturæ divinæ, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 453. Conceptum naturæ divinæ non posse perfecte præscindi a conceptu relationum tanquam modorum inconvertibilium.

453. — Ibid. et 1. p. q. 39. ab. ad 2.

Probatur sequela ex dictis. Quando duo conceptus, ita se habent, ut unus non possit perfecte præscindi ab altero, etiam alter non potest perfecte præscindi a priore : Sed conceptus relationum non potest perfecte præscindi ab essentia et natura divina : Ergo nec conceptus naturæ divinæ poterit perfecte præscindi a conceptu relationum. *Minor probata est. Major probatur :* Si unus conceptus non sit perfecte præcisus ab altero, remanet semper per intellectum inclusus in altero ; atque adeo hic alter semper per intellectum includit priorem v. g. si ratio entis non potest perfecte præscindi a ratione rationalitatis, semper rationalitas per intellectum includet rationem entis : Atqui hoc est, conceptum istum rationalitatis v. g. non perfecte præscindi a conceptu alio v. g. entis : Ergo si ratio sive conceptus entis non est perfecte præcisus a rationalitate, neque conceptus rationalitatis erit perfecte præcisus a conceptu entis, et ratio est, quia præcisio per intellectum idem præstat secundum intellectum, quod præcisio realis præstat realiter : Sed implicat in præcisione reali unam aliquam rem esse perfecte præcisam ab alia, quin vicissim hæc alia sit perfecte præcisa ab illa priori : Ergo implicat unum conceptum esse perfecte præcisum per intellectum ab alio quin vicissim hic alius sit per intellectum perfecte præcisus ab illo priori. Cum ergo conceptus relationis in divinis non possit perfecte præscindi a conceptu naturæ divinæ, ut ostensum est, implicat conceptum naturæ divinæ per intellectum præscindi a conceptu relationis.

Diximus autem conceptum naturæ divinæ non posse perfecte præscindi a conceptu relationum tanquam modorum inconvertibilium, nam dupliciter potest unus conceptus includere alium ; *Primo* ut prædicatum aliquo modo essentiale, vel ut proprietatem convertibilem, et sic Unum, Verum, Bonum includuntur in ente, et conceptus entis includit Unum, Verum, Bonum : *Secundo* potest unus conceptus includere alium ut modum inconvertibilem ; sicut conceptus entis includit conceptum rationalitatis v. g. quia rationalitas non convertitur cum ente : unde non est necessarium, quod ubicumque reperitur ratio entis, reperiatur ratio rationalitatis, quia rationalitas est tantum modus differentialis et inconvertibilis respectu entis : Et hoc provenit ex eo quod rationalitas ex natura sua non est ratio transcendentiæ, sed ratio transcendentiæ petitur ex ipsa communissima ratione entis. In proposito igitur quælibet relatio divina est veluti modus inconvertibilis respectu naturæ divinæ ; attributa vero sunt prædicata essentialia : Unde ubicumque reperitur natura divina, reperiuntur etiam omnia attributa : non tamen ubicumque reperitur una relatio sub conceptu talis relationis v. g. Paternitas sub conceptu explicito Paternitatis, reperitur et alia relatio v. g. Filiatio sub conceptu explicito Filiationis, quamvis reperiatur id, quod est Filiatio. Ratio vero est, quia ipsa natura divina et quodlibet attributum habent ex se infinitatem, quæ infinitas, est ratio realis transcendentiæ et inclusionis attributorum in natura divina, et naturæ divinæ in attributis : At

vero infinitas non competit relationi ut relatio est, quin potius illi ut sic competit distinctio realis a termino, ut postea ostendemus : Sed infinitas et transcendentia realis competit Relationi ratione infinitatis naturæ divinæ : Et idcirco quælibet relatio divina se habet instar modi inconvertibilis, nec debet reperiri sub conceptu explicito talis relationis, ubicumque reperitur natura divina, quamvis debeat reperiri sub conceptu implicito, qui est ipsa natura divina. Hæc si diligenter advertas facile te expedies ab omnibus argumentis, quæ æque militant contra ipsum Mysterium Trinitatis, et contra nostram conclusionem de quibus etiam infra aliquid dicemus.

Sequitur 454. Quamlibet relationem divinam includere perfectionem infinitam.

454. — Q. 9. de pot. a. 5. ad 23. Opusc. cont. errores grav. cap. 7.

Probatur sequela. Natura divina est perfectio infinita, ex dictis supra : Sed quælibet relatio divina includit veluti transcendaliter naturam divinam, ex modo dictis : Ergo quælibet relatio divina includit perfectionem infinitam.

Sequitur 455. Relationem divinam non includere perfectionem infinitam secundum conceptum explicitum relationis ut sic, quatenus conceptus ille est communis ad relationes reales et rationis.

55 — 1. p. q. 28. a. 1.

Probatur sequela. Quod advenit Deo ex tempore, non importat ut sic perfectionem aliquam; alias aliqua perfectio ex tempore adveniret de novo ipsi Deo qui consequenter non esset ab æterno ex natura sua infinite perfectus, cujus oppositum supra ostendimus : Atqui relatio rationis advenit Deo ex tempore : Ergo relatio rationis ut sic non includit perfectionem. Conceptus ergo relationis, ut est quid analogice commune relationi reali et rationis, non importat perfectionem, sed abstrahit a perfectione et imperfectione.

Sequitur 456. Relationem divinam importare perfectionem infinitam, quatenus est relatio realis, et consequenter divina.

456. — Q. 7. de pot. a. 9.

Explicatur. Relatio non est realis, nisi quatenus includit secundum conceptum implicitum rationem entis realis ; quæ ratio correspondet in relatione divina illi rationi, secundum quam relatio prædicamentalis creata includit rationem accidentis ; ita ut sicut relatio prædicamentalis etiam secundum rationem relationis prædicamentalis habet rationem entis realis, quatenus implicite et transcendentaliter etiam secundum *Ad* includit rationem accidentis et inhæret, ac dicit *In* : sic plane relatio divina non fit realis, nisi quatenus includit secundum conceptum implicitum rationem entis realis ; quæ ratio in illa non est ratio accidentis, sed substantiæ et naturæ divinæ, ut transcendaliter propter infinitatem ipsius realem imbibitur in ipso *Ad* ut *Ad* relationis divinæ. Dicimus ergo relationem divinam secundum conceptum illum, qui correspondet conceptui relationis prædicamentalis ut dicit *In,* et est realis, importare perfectionem.

Probatur sequela. Natura divina ut transcendentaliter imbibita in relatione ut dicit *Ad,* importat infinitam perfectionem : Sed relatio divina ut est realis etiam secundum *Ad* non est accidens, sed est ipsa natura divina ut transcendentaliter imbibita in ipsa relatione : Ergo relatio divina ut est realis etiam secundum *Ad* importat infinitam perfectionem.

Sequitur 457. Relationem divinam secundum rationem relationis, vel quatenus dicit *Ad,* non importare perfectionem relativam virtualiter a perfectione naturæ divinæ ut transcendentaliter in ipsa relatione imbibitæ distinctam.

457. — 1. p. q. 42. a. 4.

Probatur sequela. Perfectio naturæ divinæ ut transcendentaliter imbibitæ in ipso *Ad* relationis divinæ, non distinguitur virtualiter tanquam perfectio relativa, a perfectione absoluta ipsius naturæ divinæ ; Sed relatio divina secundum rationem relationis, sive secundum *Ad,* non importat aliam perfectionem, quam perfectionem naturæ divinæ ut transcendentaliter imbibitæ in ipso *Ad* relationis divinæ : Ergo relatio divina etiam secundum *Ad* non importat perfectionem relativam virtualiter distinctam a perfectione absoluta ipsius naturæ divinæ. *Major est evidens,* tum quia perfectio ut sic dicit quid absolutum ; dicit enim actum rei, qui absolutus est : Tum etiam, quia perfectio substantialis, qualis est perfectio naturæ divinæ imbibitæ in ipso *Ad* relationis, est perfectio absoluta ; denique quia perfectio naturæ divinæ ut imbibitæ in relatione est eadem omnino perfectio virtualiter indistincta sub conceptu perfectionis ab ipsa perfectione naturæ divinæ secundum se. *Minor vero probatur ex jam dictis.* Omnis perfectio relationis divinæ ut dicit *Ad* vel convenit illi secundum quod est relatio illimitate, id est communis conceptus ad relationem realem et rationis, vel secundum quod convenit analogice cum relatione reali prædicamentali, vel secundum quod est divina, cum nulla alia ratio possit in relatione divina concipi : Sed ex nullo istorum conceptuum potest illi competere perfectio relativa : Ergo nullam dicit perfectionem relativam. Prima pars minoris probata est sequela 452. Secunda pars probata est sequela 453. Tertia probata est etiam sequela 451.

Sequitur 458. Non dari in Deo tres existentias relativas.

458. — 1. p. q. 28. a. 1. q. 9. de pot. a. 5. ad 19. q. 8. a. 2. ad 11. q. 2. a. 6.

Probatur sequela. Ubi non sunt tres perfectiones relativæ, non sunt tres existentiæ relativæ, quia existentia est perfectio, imo est perfectio absoluta, eo quod est ultima rei actualitas in ipsa, ut patet ex dictis supra ; Sed in Deo non dantur tres perfectiones relativæ : Ergo nec tres existentiæ relativæ.

Sequitur 459. Non dari in Deo tres durationes relativas.

459. — Ibid. et ac varit. q. 1. a. 5. ad 18.

Probatur sequela. Ubi non sunt tres existentiæ relativæ non sunt etiam tres durationes relativæ : Sed in Deo non sunt tres existentiæ relativæ : Ergo, etc. *Major est evidens,* quia duratio est mensura existentiæ rei, atque adeo ubi non est triplex existentia, non est triplex duratio.

Sequitur 460. Non dari in Deo tres æternitates relativas.

Probatur sequela. Tum quia non dantur in Deo tres durationes relativæ ; quælibet autem duratio Dei est æternitas : Tum etiam, quia absoluta non multiplicantur ex multiplicatione relationum ; alias distinguendæ essent in Deo tres sapientiæ relativæ, tres bonitates relativæ, imo et tres intellectiones, tres volitiones, tres substantiæ, etc.

Sequitur 461. Dari in Deo tres relationes realiter inter se distintas.

461. — 1. p. q. 28. a. 3.

Probatur sequela. Ubi est oppositio relativa proprie, est distinctio realis relationum : Sed in Deo sunt tres oppositiones ralativæ : Ergo in Deo est distinctio realis relationum. *Major est evidens :* quia ubi ponitur aliquid, debent poni, quæ sunt de intrinseca ratione ipsius : Sed de intrinseca ratione oppositionis relativæ est distin-

ctio realis inter ea, quæ opponuntur relative : Ergo cum in Deo ponatur oppositio relativa, erit etiam distinctio realis.

Sequitur 462. Has relationes distingui virtualiter ab essentia divina.

462. — In 11. dist. 33. q. 1. a. 1. ad 2. q. 8.

Probatur sequela. Quæ distinguntur realiter inter se in Deo debent saltem virtualiter ab essentia divina distingui, alias vix posse salvari quod distinguerentur realiter inter se : Sed dantur relationes in Deo inter se realiter distinctæ : Ergo saltem virtualiter illæ distinguuntur ab essentia.

Sequitur 463. In Deo omnia esse omnino idem, ubi non obstat relationis oppositio.

463. — 1. p. q. 28. a. 1.

Probatur sequela. In re omnino simplicissima omnia omnino sunt idem, nisi reperiatur aliqua oppositio relativa, quæ natura sua exigit distinctionem realem inter opposita ; quia ut supra diximus, res omnino simplicissima excludit omnem compositionem, atque adeo distinctionem realem : Sed Deus est omnino simplex, ut supra probatum est, et nihilominus in eo reperitur relativa oppositio, ex jam dictis : Ergo in Deo omnia snnt omnino idem, ubi non obstat oppositio relativa.

Sequitur 464. In Deo esse quatuor relationes.

464. — 1. p. q. 28. a. 4.

Probatur sequela. Ubi sunt duæ processiones, sunt quatuor relationes : Sed in Deo sunt duæ processiones, ex dictis : Ergo, etc. *Major constat :* quia quælibet processio importat duas relationes, nimirum procedentis et ejus a quo procedit.

Sequitur 465. Unam ex his relationibus non distingui realiter ab aliqua vel ab aliquibus ex tribus aliis.

465. — Ibidem.

Probatur sequela. Ubi sunt duæ tantum processiones, et quatuor relationes, oportet necessario ut una relatio non distinguatur realiter ab aliqua vel ab aliquibus ex tribus aliis : Sed in Deo sunt duæ processiones, et quatuor relationes, ex dictis : Ergo oportet, ut una ex illis non distinguatur realiter ab aliqua vel aliquibus ex tribus alius. *Major patet :* quia ubi sunt duæ processiones, sunt etiam duo termini procedentes, qui debent distingui, saltem ex modo procedendi, et debet esse unum principium, a quo illi duo termini procedant ; atque adeo illud principium debet habere duas relationes ad duos terminos. Imo nec duo termini possunt in Deo esse distincti realiter, nisi habeant inter se oppositionem relativam : quia, ut ostendimus, in divinis nulla est distinctio realis nisi ex oppositione relativa : Ergo necessarium est, ut unum ex principiis dicat relationem ad unum terminum ; et hic terminus dicat relationem ad principium ; et quod vel utrumque suppositum ex his duobus, vel saltem alterum dicat relationem ad secundum terminum, sicut et terminus vel ad utrumque, vel ad alterum ex suppositis, a quibus tanquam a principio procedit.

Sequitur 466. Relationem paternitatis sive dicentis distingui realiter a Filiatione sive relatione Verbi.

466. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia opponutur.

Sequitur 467. Relationem principii per modum amoris producentis distingui etiam realiter a relatione procedentis per modum amoris.

467. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia etiam istæ duæ opponuntur.

Sequitur 468. Relationem principii producentis per modum amoris non distingui realiter a relatione vel Paternitatis vel Filiationis ut sic.

468. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia relatio ista principii producentis per modum

amoris, non opponitur relative Paternitati et Filiationi ut sic : Ergo non distinguitur realiter a Paternitate et Filiatione ut sic. Illam veror elationem principii producentis per modum amoris vocamus Spirationem activam : Ergo Spiratio activa non distinguitur realiter a Paternitate et Filiatione ; atque adeo est idem realiter cum illis, et distinguitur tantum virtualiter.

Sequitur 469. Spirationem activam distingui realiter a Spiratione passiva sive a relatione termini procedentis per modum amoris.

469. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia opponuntur. Et ex his constat Spirationem activam esse idem realiter cum Paternitate et Filiatione ; atque adeo tres tantum relationes in Deo distingui realiter.

Sequitur 470. Illud principium : Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, necessario explicandum esse.

470. — In 1. dist. 33. q. 1. a. 1. ad 2. q. 8. de pot. a. 2. ad 1. et a. 5. 1. p. q. 28. a 3 ad 1.

Probatur sequela. Ex duplici capite : ac primo quidem, quia, ut constat ex dictis, tres relationes Paternitas, Filiatio, et Spiratio passiva, sive Processio, realiter inter se distinguntur, quamvis sint idem cum essentia et natura divina : Secundo quia quamvis Paternitas et Filiatio realiter inter se distinguantur, sunt tamen idem realiter cum Spiratione activa.

Sequitur 471. Explicationes illius principii, quæ sunt eadem etc. quas tradit D. Thomas variis in locis, esse optimas, quæ consistunt omnes in hoc, quod : Quæ sunt eadem uni tertio finito, sunt eadem inter se : Quæ vero sunt eadem uni tertio infinito, sunt etiam eadem inter se, dummodo sint eadem re et ratione, id est, non distinguantur virtualiter ab illo tertio, et dummodo inter se non opponantur saltem relative.

471. — Iisdem locis.

Probatur sequela. Quia quodlibet principium explicandum est secundum illud quod ei convenit per se, et non secundum illud, quod convenit illi ratione materiæ : Sed huic principio, *Quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se*, convenit per se tantum, quod intelligatur de rebus finitis, vel etiam de re infinita in his, quæ non distinguntur ab illo tertio virtualiter, et inter se non opponuntur : Ergo sic debet intelligi. *Minor probatur :* quia cum veritas fidei certior sit omni veritate naturali etiam cujuscumque primi principii, illud tantum debet competere principio alicui naturali, quod ex veritate fidei colligitur, illi per se competere : Atqui ex veritate fidei colligitur non competere per se veritatem illi principio, nisi juxta explicationem datam ; ita enim exigit mysterium Sanctissimæ Trinitatis, quod est veluti primum fidei mysterium : Ergo dicendum est non alio modo veritatem huic principio competere nisi juxta allatam explicationem. Nec illa explicatio est absque ratione : Nam distinctio virtualis salvat in Deo, quidquid salvaret distinctio realis seclusis imperfectionibus ; Sed distinctio realis præstat, ut quæ sunt opposita relative distinguantur vere realiter inter se, id est, quod opposita relative, quia sunt distincta realiter a subjectis, in quibus sunt, distinguantur realiter inter se : Ergo distinctio virtualis relationum ab essentia salvabit veram distinctionem realem inter relationes, quæ secundum propriam rationem reperiuntur in Deo ut ostensum est. Ex eo igitur, quod relationes sunt in Deo virtualiter distinctæ ab essentia fiet, quod possint nihilominus distingui realiter inter se ratione oppositionis relativæ. Et hæc ratio reddit explicationem hanc in reipsa certam, et apud omnes prudentes saltem probabilem : Qui autem solvit probabiliter, solvit evidenter, maxime in rebus divinis, et in iis quæ sunt fidei.

Sequitur 472. Quamlibet relationem divinam esse subsistentem.

472. — Q. 9. de pot. a. 9. ad 33. in 3. dist. 5. q. 2. a. 11. ad 2. 4. cont. gent. c. 14.

Probatur sequela. Omnis substantia est subsistens, ut patet : Sed quælibet relatio divina est substantia, ex dictis : Ergo quælibet relatio divina est subsistens.

Sequitur 473. Quamlibet relationem divinam realiter ab alia distinctam ex tribus superius explicatis esse subsistentem incommunicabiliter, id est, ita ut sit distincta ab omni illa, cui opponitur, eique non possit communicari.

473. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod est per se subsistens, unum, et oppositum alteri, est subsistens incommunicabiliter ; ex eo enim quod est unum est indivisum in se, et divisum a quolibet alio ; et ex eo quod est oppositum, ac per se subsistens non potest alteri communicari : Sed quælibet relatio divina ex tribus jam superius explicatis realiter distinguitur a sibi opposita, et est per se subsistens : Ergo quælibet relatio d vina realiter distincta ab altera est per se subsistens incommunicabiliter.

Sequitur 474. Paternitatem, Filiationem, et Processionem in divinis esse per se incommunicabiliter subsistentes.

474. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia quælibet istarum trium relationum est distincta realiter ab alia, ut patet ex dictis.

Sequitur 475. Has tres relationes esse tres subsistentias.

475. — Ibidem.

Probatur sequela. In divinis abstractum et concretum non distinguuntur, ita ut Deus et divinitas sint idem quoad rem, licet non quoad modum significandi, ut diximus superius ; et ratio est, quia nulla est in divinis compositio ex natura et subsistentia propter transcendentiam naturæ in subsistentia, et e contra, ortam ex infinitate : Sed ex dictis hæ tres relationes sunt subsistentes : Ergo hæ tres relationes sunt etiam tres subsistentiæ.

CAPUT II.

De personis divinis.

Sectio 1ª. — De personis in communi.

Sequitur 476. Dari in divinis tres personas tantum.

476. — 1. p. q. 30. a 1. et 2.

Probatur sequela. Tres relationes, per se subsistentes in natura divina sunt tres personæ : Sed dantur tantum in divinis tres relationes per se subsistentes, ex dictis : Ergo dantur in divinis tres tantum personæ *Major probatur* : quia persona nihil aliud est, quam rationalis (id est intellectualis) naturæ individua (id est incommunicabilis) substantia, id est subsistentia ; unde persona dicta est quasi per se una : et hinc est, quod persona idem significat in natura intellectuali, quod significat suppositum, subsistentia, sive hypostatis, et res naturæ in omnibus naturis etiam non intellectualibus ; ita ut dicatur res naturæ, quatenus supponitur alicui naturæ communi ; subsistentia, quatenus per se et non in alio existit : hypostasis, quatenus subsistat ; suppositum, quatenus concipitur supponi, etc. Persona vero dicitur in rebus intellectualibus, quod per se subsistit incommunicabiliter ; eo quod nomen personæ quamdam dignitatem significat : hæc autem dignitas est in eo, qui subsistit in natura dignissima scilicet intellectuali.

Sequitur 477. Hoc nomen, *Persona*, in divinis significare relationem in recto, et importare naturam divinam in obliquo.

477. — 1. p. q. 29. a. 4.

Probatur sequela. Subsistentia sive

hypostasis in divinis est ipsa relatio, ex dictis : Sed hoc nomen, *Persona*, significat in recto subsistentiam et in obliquo importat naturam, ut patet ex definitione personæ jam explicata : Ergo hoc nomen, *Persona*, in divinis significat relationem in recto, et importat naturam divinam in obliquo.

Sequitur 478. Hoc nomen, *Persona divina*, non significare relationem secundum formalem rationem relationis, sed secundum quod relatio est subsistens, vel est ipsa subsistentia.

478. — Ibidem.

Probatur sequela. Relatio ut relatio in divinis constituit quidem distinctionem a quocumque alio propter oppositionem, non tamen explicat conceptum subsistendi : Sed hoc nomen *Persona divina*, significat et explicat conceptum subsistendi principaliter, et distinctionem sive incommunicabilitatem tanquam modum subsistendi : Ergo hoc nomen, *Persona divina*, non significat relationem sub conceptu formali relationis, sed sub conceptu formali subsistentis incommunicabiliter : quia tamen subsistere incommunicabiliter in divinis non convenit, nisi ratione relationis, idcirco hoc nomen, *Persona divina*, etiam significat relationem.

Sequitur 479. Dici posse, quod hoc nomen, *Persona divina*, significat essentiam sive substantiam in recto, et relationem in obliquo.

479. — Ibidem.

Probatur sequela. Essentia sive substantia aliquando apud antiquos sumitur pro hypostasi : Sed hoc nomen, *Persona divina*, significat in recto hypostasim sive subsistentiam : Ergo hoc nomen, *Persona divina*, potest dici significare essentiam sive substantiam in recto, quatenus substantia sumitur pro hypostasi; relationem vero significare dicitur in obliquo, quatenus relatio veluti indirecte et ex consequenti importatur in divinis nomine hypostasis, in quantum relatio est solum in divinis id, quod est hypostasis, quamvis hoc, quod est esse hypostasim vel subsistentiam non conveniat illi ratione relationis ut sic, sed quia est divina, ex quo habet quod sit substantia, et consequenter subsistens.

Sequitur 480. Hoc nomen, *Persona divina*, importare aliquid positivum.

480. — Ibidem.

Probatur sequela. Subsistentia et ipsa etiam incommunicabilitas est aliquid positivum, sicut et essentia sive natura divina : Atqui hoc nomen *Persona divina*, importat subsistentiam et incommunicabilitatem in recto, et naturam divinam in obliquo : Ergo importat aliquid positivum : *Major patet, quoad secundam partem, et probatur quoad primam* : Unitas per se est aliquid positivum : Sed subsistentia ut incommunicabilis non est nisi unitas per se : Ergo subsistentia etiam ut incommunicabilis est aliquid positivum. *Major patet* ex dictis in primo principio, ubi ostendimus unitatem esse ipsam entitatem ut indivisam in se, et divisam a quolibet alio. *Minor etiam est evidens :* nam subsistentia ut incommunicabilis nihil est aliud, quam modus per se existendi, qui est quid positivum, et unitas illius modi, quæ est ipsa entitas illius modi ut indivisa in se et divisa a quolibet alio.

Nec valet si dicas, quod incommunicabilitas ut sic, est aliquid negativum, nimirum negatio communicabilitatis : hoc enim apertissime falsum est; quia licet exprimatur per aliquam negationem, debet tamen esse quid positivum, cum sit formale constitutivum suppositi vel personæ, quæ, ut omnes fatentur, est aliquid positivum : Quare sicut irrationalitas, ut differentia constitutiva bruti, et distinctiva ejus a rationalitate et homine, est revera aliquid positi-

vum, quamvis exprimatur termino negativo : ita incommunicabilitas subsistentiæ, quæ constituit personam, est aliquid positivum, licet exprimatur termino negativo.

Confirmatur. Relatio ut subsistens formaliter non dicit solam negationem, ut est evidens : Sed hoc nomen, *Persona divina,* importat relationem ut subsistentem : Ergo hoc nomen, *Persona divina,* non dicit formaliter solam negationem.

Sequitur 481. Quamlibet relationem divinam realiter ab alia distinctam dicere subsistentiam incommunicabilem.

481. — Ibidem.

Probatur sequela. Constitutivum personæ non est sola incommunicabilitas ut negatio, sed subsistentia incommunicabilis, ex dictis : Atqui relatio est constitutivum personæ, ut postea ostendemus ; quia idem est distinctivum et constitutivum, sola autem relatio est distinctivum ut jam diximus ; quia in divinis omnia sunt unum, ubi non obstat relationis oppositio : Ergo relatio non est sola incommunicabilitas, sed subsistentia incommunicabilis.

Sequitur 482. Dari in Deo tres subsistentias relativas.

482. — Ibidem.

Probatur sequela. Quælibet relatio est subsistentia incommunicabilis, et non sola negatio : Sed sunt in Deo tres relationes : Ergo et tres subsistentiæ incommunicabiles, et non solum tres negationes.

Sequitur 483. Dari in Deo etiam subsistentiam absolutam.

483. — Q. 9. de pot. a. 9. ad 13 ; In 3. dist. 6. q. 2. a. 1. ad 2 ; 4. cont. gent. c. XIV.

Probatur sequela. Ubi est per se existentia est subsistentia : Sed in Deo est per se existentia absoluta : Ergo et subsistentia absoluta. *Major patet :* quia in rebus creatis substantialibus per se, existentia vel est subsistentia, vel est id, cujus subsistentia reddit naturam capacem, atqu adeo ubi est per se existentia est etiam subsistentia. *Minor vero est evidens* ex dictis supra, quia existentia per se et substantialis est ipsa essentia Dei.

Sequitur 484. Hanc subsistentiam absolutam esse idem cum natura divina absque distinctione virtuali.

484. — Ibidem.

Probatur sequela. Per se existentia est omnino idem cum natura divina absque ulla distinctione etiam virtuali ; quia existentia substantialis et per se est omnino idem cum natura actus puri, ut vidimus initio : Atqui subsistentia absoluta est ipsa per se existentia : Ergo subsistentia absoluta est idem omnino cum natura divina absque distinctione virtuali.

Sequitur 485. Hanc subsistentiam absolutam esse communicabilem.

485. — Ibidem.

Probatur sequela. Natura divina est communicabilis : Sed hæc subsistentia absoluta est ipsa natura divina absque virtuali distinctione : Ergo hæc subsistentia absoluta est communicabilis.

Sequitur 486. Hanc subsistentiam absolutam non constituere personam.

486. — Ibidem.

Probatur sequela. Subsistentia constituens personam non est communicabilis : Sed subsistentia absoluta est communicabilis : Ergo subsistentia absoluta non constituit personam.

Sequitur 487. Hanc subsistentiam absolutam constituere concretum substantiale quasi suppositum.

487. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod non constituit personam, et nihilominus constituit principium *Quod* agendi, constituit concretum substantiale quas

suppositum ; quia cum actiones sint suppositorum, principium *Quod* actionum debet esse saltem concretum substantiale quasi suppositum : Sed subsistentia absoluta non constituit personam, ex dictis, et nihilominus constituit principium *Quod* operandi ; nam vere Deus creat, conservat, regit, etc. Ergo subsistentia absoluta constituit concretum substantiale quasi suppositum.

Sequitur 488. Spirationem activam non importare subsistentiam incommunicabilem, nec constituere personam.

488. — 1. p. q. 36. a. 4. ad 1. et 4 ; In 1. d. 11. q. 1. a. 2. et 4. et d. 29. in ult. ad 2. et 10. de pot. a. 2. ad 15.

Probatur sequela. Ubi non sunt nisi tres subsistentiæ constituentes tres personas, non potest esse quarta quæ constituat ullam personam : Sed in Deo non sunt nisi tres subsistentiæ constituentes tres personas, videlicet Paternitas, quæ constituit Patrem ; Filiatio, quæ constituit Filium ; et Spiratio passiva, quæ constituit Spiritum sanctum : Ergo quarta relatio videlicet Spiratio activa non constituet ullam personam.

Sequitur 489. Spirationem activam ex natura sua non importare subsistentiam communicabilem distinctam virtualiter a subsistentia communi et absoluta.

489. — Ibidem.

Probatur sequela. Tum quia superflua foret hujusmodi subsistentia, cum Spiratio activa, ut est communis, subsistat eadem subsistentia, qua subsistit voluntas et natura divina, quam importat : Tum quia ut statim probandum est, Spiratio activa exigit ex propria ratione duo supposita.

Sequitur 490. Spirationem activam ex propria ratione exigere, ut subsistat per subsistentiam duorum suppositorum.

490. — 1. p. q. 26. a. 2.

Probatur sequela. Actus, quo duo supposita se mutuo amantia producunt unum et eumdem amorem (si debeat subsistere) ex propria ratione exigit duo supposita ; nisi enim essent duo ad minus non se mutuo amarent ; Sed Spiratio activa est actus, quo Pater et Filius tanquam duo supposita se mutuo amant, ut aliquomodo patet ex dictis, et infra fusius probabitur : Ergo Spiratio activa exigit ex propria ratione duo supposita, atquo adeo exigit subsistere in duobus suppositis ; cum ex eo quod sit substantialis, exigat subsistere sive per se existere.

Sequitur 491. Numerum ternarium In divinis esse numerum transcendentalem.

491. — 1. p. q. 36. a. 2.

Probatur ex dictis in primo principio. Numerus in his, quæ non habent quantitatem, est transcendentalis : Sed personæ divinæ non habent quantitatem ; cum Deus sit omnino immaterialis, ex dictis : Ergo numerus in personis divinis est transcendentalis.

Sequitur 492 Numerum in divinis nihil addere supra unitates personarum distinctarum.

492. — Ibidem.

Probatur sequela. Numerus transcendentalis nihil addit supra unitates inter se distinctas, ut patet ex primo principio : Sed numerus in divinis est transcendentalis : Ergo numerus in divinis nihil addit supra unitates personarum inter se distinctas.

Sequitur 493. Dari in Deo Trinitatem personarum.

493. — 3. p. 3. a 1.

Probatur sequela. Numerus ternarius personarum est Trinitas personarum : Sed datur in Deo numerus ternarius personarum, sive dantur tres personæ, ex dictis : Ergo datur in Deo Trinitas personarum.

Sequitur 494. Deum esse unum in natura et trinum in personis.

494. — Ibidem.

Probatur sequela. Quidquid est in Deo, est Deus, ex dictis supra : Sed unitas naturæ et Trinitas personarum est in Deo, ut ostensum est : Ergo unitas naturæ et Trinitas personarum est Deus, atque adeo Deus est unus in natura et trinus in personis.

Sequitur 495. Hoc nomen, *Persona,* esse commune tribus personis divinis.

495. — 1. p. q. 30. a. 4.

Probatur sequela. Nomen, cujus significatum convenit aliquibus, est etiam illis commune : Sed cuilibet personæ divinæ convenit significatum hujus nominis, *Persona,* ut patet ex dictis : Ergo hoc nomen, *Persona,* est commune tribus personis divinis.

Sequitur 496. Communitatem hujus nominis, *Persona,* vel rationis significatæ per hoc nomen, non esse communitatem generis ad species, vel speciei ad individua.

496. — Ibidem.

Probatur sequela. Ubi nullum est genus, nulla species, non datur communitas generis vel speciei : Sed, ex dictis supra, in Deo non est genus, neque species : Ergo nec communitas generis vel speciei.

Sequitur 497. Hoc nomen *Persona,* dictum de personis divinis et creatis, esse analogum.

497. — 1. p. q. 30. a. 3.

Probatur sequela. Omne nomen dictum de Deo et creaturis est analogum, ut diximus supra : Ergo, etc.

Sequitur 498. Hoc nomen *Persona,* dictum de personis divinis esse commune eo modo, quo individuum vagum, v. g. aliquis homo, est commune pluribus hominibus, v. g. Petro, Paulo etc.

498. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Nomen significans naturam communem cum determinato modo essendi aut subsistendi, est commune sicut individuum vagum, v. g. aliquis homo. Sed hoc nomen *Persona* significat naturam communem cum determinato modo essendi, qui est subsistere in natura divina per subsistentiam distinctam ab aliis : Ergo hoc nomen, *Persona divina,* est commune sicut individuum vagum, v. g. aliquis homo Est tamen differentia : quia individuum vagum, v. g. aliquis homo, significat individuum ex parte naturæ humanæ; at vero persona divina significat subsistens in natura divina.

Sequitur 499. Hoc nomen, *Persona divina,* non esse commune univoce, proprie loquendo.

499. — Ibidem.

Probatur sequela. Quidquid est commune univoce proprie loquendo, est commune per modum generis, speciei vel differentiæ : Sed hoc nomen *Persona divina,* non est commune per modum generis, speciei vel differentiæ, cum in Deo non detur genus, species, vel differentia ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 500. Hoc nomen, *Persona divina,* non esse commune tribus personis æquivoce.

500. — Ibidem.

Probatur sequela. Nomen commune pure æquivoce significat rationem omnino diversam : Sed hoc nomen, *Persona divina,* non significat rationem omnino diversam, cum significet subsistens in natura divina, quod competit Patri, et Filio, et Spiritui sancto : Ergo, etc.

Sequitur 501. Hoc nomen, *Persona divina,* non esse commune pure analogice.

501. — Ibidem.

Probatur sequela. Nomen analogum significat unam rationem repertam in multis, quam participant dependenter ab uno, vel in ordine ad unum, ut

diximus alias : Sed hoc nomen, *Persona divina*, non significat rationem, quam Pater participet dependenter a Filio, vel Filius dependenter a Patre, vel Spiritus sanctus dependenter a Patre et Filio ; nulla enim est inter personas divinas dependentia, cum hæc dicat imperfectionem : nec etiam hoc nomen, *Persona divina*, exprimit, quod una persona sit in ordine ad aliam, quamvis revera Pater sit relative ad Filium etc. Ergo nomen *Persona divina*, non omnino analogice dicitur.

Sequitur 502. Hoc nomen, *Persona divina*, esse commune analogice formaliter eminenter, id est, seclusis imperfectionibus, quæ sunt in analogiis creatis.

502. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia revera Pater est persona divina per relationem ad Filium, et Filius per relationem ad Patrem ; et Spiritus sanctus per relationem ad Patrem et Filium, ut sunt unum principium spirans : Hoc autem sufficit, ut seclusis imperfectionibus dicatur analogice ; quia sicut v. g. sanum dicitur de medecina, pulsu, deambulatione, analogice per ordinem ad sanitatem animalis, ita Pater dicitur persona divina, quia dicit relationem ad Filium, et Filius ad Patrem, quamvis maxima sit disparitas, ut est evidens : unde est ibi tantum analogia formaliter eminenter, ut diximus.

Sequitur 503. Nomina omnia significantia multiplicitatem naturæ cum distinctione personarum, vel unitatem personarum cum unitate naturæ non esse usurpanda in hoc mysterio.

503. — 1. p. q. 31

Probatur sequela. Quia nomina usurpanda sunt conformiter ad rei veritatem : Sed nomina significantia multiplicitatem naturæ cum distinctione personarum, vel unitatem personarum cum unitate naturæ, non usurparentur conformiter ad hujus mysterii veritatem : Ergo non sunt usurpanda.

Sequitur 504. Nomen *diversitatis et differentiæ*, proprie non esse usurpandum.

504. — Ibid. a. 5.

Probatur. Quia nomen *diversitatis et differentiæ* proprie non significant solam distinctionem personarum, sed naturæ : Ergo, etc. Nomen tamen *distinctionis* potest usurpari, et sic explicandum est, si alicubi inveniatur nomen differentiæ vel diversitatis apud SS. Patres, vel in scriptura, vel in usu Ecclesiæ.

Sequitur 505. Nomen *Separationis, Divisionis, Disparitatis*, esse vitandum.

505. — Ibidem.

Probatur. Quia, *Separatio et Diversitas* significant naturam non simplicem, sed compositam : Et nomen *Disparitatis* significat inæqualitatem : Unde una persona in divinis non est separata vel diversa, vel dispar ab alia.

Sequitur 506. Nomen *Alieni et Discrepantis* non esse usurpandum, dicendo unam personam esse alienam vel discrepantem ab alia.

506. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia hæc nomina tollunt personarum divinarum similitudinem ; id enim quod est alienum et discrepans non est simile, ut patet.

Sequitur 507. Non esse usurpandum nomen *Singularitatis*, ita ut dicamus Deum singularem.

507. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia singularitas tollit communicabilitatem naturæ ; quod enim est singulare habet naturam incommunicabilem : Atqui neque Deus nec aliqua persona divina habet naturam incommunicabilem ; quia natura divina est communicabilis : Ergo, etc.

Sequitur 508. Non esse usurpandum nomen *Unici,* dum de Deo loquimur.

508. — Ibidem.

Probatur. Quod est unicum non habet pluralitatem personarum : Sed Deus habet pluralitatem personarum : Ergo non est unicus. Dicimus tamen Deum unum, et Christum esse unicum Filium Dei, quia per hoc, quod dicimus, Deum esse unum, denotamus unitatem naturæ in Deo, eo quod terminus ille, *Unum* denotat tantum unitatem naturæ; et terminus ille, *Unicus Filius,* denotat in Deo non esse alium Filium.

Sequitur 509. Non esse utendum nomine, *Confusi.*

509. — Ibidem.

Probatur. Quia confusio tollit ordinem; in divinis autem est ordo originis.

Sequitur 510. Non esse utendum nomine, *Solitarii,* in divinis.

510. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia solitarium tollit consortium aliarum personarum in divina natura.

Sequitur 511. Non esse etiam utendum nomine, *Triplicis, vel Duplicis, vel Multiplicis* proprie.

511. — 1. p. q. 31. a. ad 3.

Probatur sequela. Quia triplex, duplex, multiplex importat proportionem inæqualitatis, id est, importat, quod illud, respectu cujus aliquid dicitur triplex, duplex, vel multiplex sit inæquale ipsi triplici etc. v. g. triplex substantia, est inæqualis illi substantiæ, respectu cujus alia dicitur triplex : At vero in divinis una persona non est inæqualis duabus, sed omnino ejusdem dignitatis.

Sequitur 512. Nomen neutrum absolute positum in divinis, significare essentiam ; masculinum vero significare personam.

512. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Quia nomen neutrum absolute positum est informe, id est, non significat aliquid distinctum ; unde dicimus *Album* signifinicare rem albam, quæcumque tandem illa sit ; unde per neutrum genus convenienter significatur essentia communis : Masculinum vero significat suppositum determinatum, ut *Albus* significat suppositum habens albedinem.

Sequitur 513. Nomen, *Alius,* masculine posse usurpari de una persona divina in ordine ad aliam, v. g. dicendo, Filius est alius a Patre.

513. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia, ut diximus, masculinum significat distinctum suppositum : Atqui revera Filius est distinctum suppositum : Ergo, etc.

Sequitur 514. Nomen, *Aliud,* absolute positum non usurpandum dicendo, v. g. Filius est aliud a Patre.

Probatur sequela. Quia, *Aliud,* significat distinctam naturam ; unde dicendo Filius est aliud a Patre, diceremus Filium habere naturam distinctam a natura Patris, quod est falsum. Possumus tamen usurpare *Aliud* cum addito v. g. dicendo Filius est aliud suppositum a Patre. E contra vero non possumus dicere Filium esse unum suppositum cum Patre, bene autem, Filium esse unum cum Patre, non tamen quod sit unus cum Patre.

Sequitur 515. Tres personas divinas posse dici tres res, et tres unitates.

515. — 1. p. q. 30. a. 1. ad 4. et q. 38. a. 3. ad 3; In 1. dist. 25. q. 1. a. 4.

Probatur sequela. Quælibet relatio et subsistentia divina est res et unitas : Sed sunt tres relationes et subsistentiæ divinæ : Ergo possunt dici tres res et tres unitates. Adverte tamen quod si dicerentur tres res divinæ, periculum foret, ut nomen rei tunc significaret essentiam : Unde explicandum esset quomodo dicerentur tres res divinæ, v. g. addendo quoad

relationes, ut determinaretur et tolleretur omnis æquivocatio.

Sequitur 516. Non posse proprie dici tria entia.

516. — In 1. dist. 19. q. 3. a. 3. et dist. 25. q. 1. a. 4. q. 1. de verit. a. 1. et 5.

Probatur sequela. Tum propter jam dicta, quia nomen neutrum significat essentiam : Tum etiam, quia ens proprie significat vel ipsam existentiam, vel ordinem ad existentiam : Atqui in Deo non sunt tres existentiæ, neque tres ordines ad existentiam. Ergo nec tria entia. *Minor probatur.* Cum enim existentia in divinis sit ipsamet natura divina etiam absque distinctione virtuali, neque proprie potest poni ordo etiam virtualis ad existentiam, neque possunt poni plures existentiæ, vel plures ordines ad unam existentiam ; quia existentia sicut et natura præsupponitur ad personam et relationem.

Sequitur 517. Non posse dici proprie tria bona, vel tria vera.

517. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia nomen neutrum significat essentiam et naturam, ex dictis : et quia in Deo non sunt tres veritates aut tres bonitates, ut patet ex iis, quæ diximus.

Sequitur 518. Posse dici in divinis tres existentes, tres veros, tres bonos, tres immensos, tres æternos adjective, non tamen substantive.

518. — 1. p. q. 39. a. 3.

Probatur sequela. Quia nomen adjectivum significat formam non absolute, sed per modum adjacentis in supposito habente illam ; substantivum autem significat formam per modum substantiæ per se subsistentis : Et ideo in adjectivis, singularitas et pluralitas attenditur ex suppositis ; in substantivis, attenditur ex formis ut per se subsistentibus : Atqui in divinis sunt tria supposita, et non sunt tres formæ essentiales per se subsistentes : Ergo in divinis possunt adjectiva significantia aliquam rationem essentialem dici pluraliter, non autem substantiva eamdem significantia : Cum ergo hæc nomina *existens, verus, bonus, immensus, æternus*, etc., significent aliquam rationem essentialem, ut patet, possunt adjective dici pluraliter, non autem substantive. Et sic D. Athanasius dicit non esse tres immensos, tres æternos substantive.

Sequitur 519. Non posse dici tres Deos.

519. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia Deus est nomen substantivum significans naturam.

Sequitur 520. Non posse dici absolute tres divinos.

Probatur sequela. Quia, licet terminus ille, *divinus,* possit significare rationem essentialem adjective ; tamen absolute positum est æquivocum, et potest convenire etiam his, quæ non sunt Deus substantialiter, sed tantum per participationem ; unde dicimus gratiam divinam, effectus divinos, et similia.

Sequitur 521. Posse dici tres Personas divinas, attributa divina, et similia.

521. — Ibidem.

Probatur sequela. Quæ æquivocatio, quæ est in illo termino, *divinus,* tollitur per adjunctum, scilicet, persona, attributum, et similia.

Sequitur 522. Nomina, quæ significant essentiam, vel attributum essentiale in concreto, posse aliquando supponere pro natura divina subsistente absolute, aliquando etiam pro una persona, aliquando pro pluribus.

522. — Ibidem.

Explicatur. Nomina concreta dicuntur illa, quæ significant formam ut in habente, cujusmodi sunt Deus, æternus, Pater, etc. hæc enim significant formam ut in habente illam, v. g. Deus significat naturam divinam, ut in habente : unde quamvis

idem significent concretum et abstractum in divinis, modus tamen significandi est omnino diversus. Ex his autem nominibus aliqua significant ipsam naturam divinam ut in habente, sicut hoc nomen Deus; aliqua significant aliquod attributum essentiale, ut in habente, ut hoc nomen, Æternus, quod significat æternitatem ut in habente illam; alia denique significant aliquid proprium personis, vel in communi, ut Persona, quod nomen significat personalitatem sive subsistentiam quodammodo ut in habente; vel in particulari, ut Pater, quod nomen significat Paternitatem ut in habente ipsam. Dicimus ergo, quod nomina concreta, quæ significant vel naturam, vel attributum essentiale, supponunt pro ipsa essentia ut subsistente, ut quando dicitur *Deus creat;* quandoque vero ex prædicato determinantur ad supponendum pro persona una, ut quando dicitur, Deus generat; vel pro duabus, ut quando dicitur, Deus spirat.

Probatur ergo sequela. Nomina significantia aliquid essentiale ut in habente, tam possunt supponere pro ipsa natura subsistente absolute, quam pro ipsa persona subsistente incommunicabiliter; quia significant essentiam ut in habente; subsistens autem in natura absolute, tam habet naturam, quam subsistens in natura incommunicabiliter : Sed nomina concreta substantialia significant naturam, sive aliquid essentiale ut in habente : Ergo tam possunt supponere pro sola natura subsistente absolute, quam pro persona. Unde non solum, hæc est vera, *Deus creat, Deus generat, Deus spirat,* sed etiam istæ : *Æternus creat, generat, spirat,* et idem de aliis concretis.

Sequitur 523. Has esse falsas absolute, *Deus non generat, Deus non spirat, Deus est non generans,* et alias similes.

523. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Quia nomen concretum substantiale supponit pro persona, et quando non determinatur, supponit pro habente significatum nominis substantialis, ex dictis : Sed hoc supposito omnes illæ negativæ, sunt falsæ : *Deus non generat, Deus non est generans:* Ergo, etc. *Probatur minor :* quia negatio est malignantis naturæ, et in propositione negativa prædicatum se tenet universaliter; unde idem est dicere, *Deus non generat,* etc. ac dicere, *nullus habens Deitatem generat,* etc. Hæc autem est falsa et hæretica; quia Pater est habens Deitatem, et tamen generat : Ergo, etc. Dixi autem, has absolute esse falsas, quia ex aliquo addito possunt esse veræ, ut si diceremus, *Deus genitus non generat.* Unde etiam hæc est falsa : *Deus genuit Deum, qui est Pater :* quia relativum *Qui* refert habentem naturam divinam ut in habente illam per generationem. Similiter ista est falsa : *Deus Pater genuit se Deum :* quia nomen reciprocum *se,* refert habentem naturam divinam cum Paternitate : ista tamen est vera : *Pater genuit Deum, idem cum ipso Patre.*

Sequitur 524. Nomina abstracta substantialia non posse supponere pro persona.

524. — Ibid. a. 5.

Probatur sequela. Quia licet inter nomina abstracta et concreta non sit distinctio quoad rem significatam in divinis, est tamen differentia, quoad modum significandi : Atqui hoc sufficit ut nomina abstracta non possint supponere pro persona : Ergo, etc. *Minor patet ex dictis;* nam ideo nomina concreta substantialia possunt supponere pro persona, quia significant naturam divinam ut in habente ex modo significandi : Sed abstracta non significant naturam divinam ut in habente propter diversum modum significandi : Ergo abstracta non possunt supponere pro persona : unde istæ sunt falsæ, *Deitas generat : Deitas generatur,* etc.

Sequitur 525. Nomina abstracta personalia adjectiva non posse prædicari de substantialibus : v. g. non potest dici, *Essentia est generans, essentia est genita,* etc. substantiva tamen possunt prædicari propter identitatem, ut, *essentia est Paternitas,* etc.

525. — 1. p. q. 39. a 6.

Probatur sequela. Quia adjectiva significant formam ut adjacentem alteri tanquam habenti illam ; substantiva vero significant solam identitatem inter formas : Atqui falsum est, quod significatum abstracti ex modo significandi sit significatum adjectivi ut adjacens alteri tanquam habenti ; est tamen verum in formis abstractis, quod una sit alia : Ergo, etc. *Minor patet* in exemplis allatis : nam falsum est, quod essentia divina sit ipse, qui generat tanquam habens generationem, quamvis verum sit quod sit idem cum ipsa generatione.

Sequitur 526. Dictionem exclusivam *Solus* cathegorematice non posse addi affirmative termino essentiali in divinis ; bene tamen syncathegorematice.

526. — 1. p. q. 31. a. 3.

Explicatur. Dictio exclusiva, *Solus,* sumitur cathegorematice, quando suum significatum tantummodo ponit circa id, quod determinat, vel de quo dicitur ; ut cum dicitur, *Deus est solus;* tunc enim ponit solitudinem in Deo : sumitur autem syncathegorematice, quando non ponit suum significatum absolute, sed dumtaxat excludit omne aliud suppositum a consortio prædicati ; ut cum dicitur : *Solus Deus creat : Solus Deus est æternus,* etc.

Ex hac explicatione *probatur sequela ex dictis :* Deus non est solitarius : Sed dictio exclusiva *Solus* cathegorematice significat Deum esse solitarium : Ergo non potest dictio exclusiva addi affirmative termino essentiali. Syncathegorematice vero nihil prohibet, ut patet in exemplo allato : *Solus Deus creat.*

Sequitur 527. Dictionem exclusivam, *Solus,* non posse addi termino personali in ordine ad prædicatum essentiale, si proprie loquamur : bene autem in ordine ad prædicatum proprium illi personæ, cui adjungitur dictio exclusiva.

527. — Ibidem.

Explicatur. Dictio exclusiva excludit, ut diximus, omne aliud subjectum a participatione prædicati, excepto illo, cui adjungitur, et sic quando dicimus, *Solus Pater est Deus,* excludimus omne aliud subjectum vel suppositum a consortio prædicati, ita ut negemus esse aliquod aliud suppositum, quod sit Deus, excepto illo, quod vocamus Patrem in divinis ; et sic patet manifeste propositionem illam esse falsam. Quia tamen simile locutiones reperiuntur sive in Scriptura, sive apud Patres, sic explicanda est illa propositio, *Solus Pater est Deus* id est, ille, qui solus est Pater in divinis, est Deus : et hoc modo est verissima : sicut etiam ista, *Solus Pater generat ;* quia tunc dictio exclusiva excludit omne aliud suppositum a consortio prædicati, ut sit sensus : nullum aliud suppositum generat in divinis, nisi illud, quod vocatur Pater.

Sequitur 528. Non esse inconveniens, quod in divinis utamur nominibus concretis et abstractis, imo esse necessarium.

528. — 1. p. q. 39. a. 5.

Probatur sequela. Simplicia subsistentia recte nominibus abstractis et concretis significantur et exprimuntur : Sed, ut patet ex dictis, non solum essentialia et absoluta, sed etiam propria personis divinis sunt simplicia et subsistentia : Ergo recte nominibus abstractis et concretis significantur et exprimuntur. *Major est*

evidens, quia simplicitas nomine abstracto exprimitur; subsistentia nomine concreto melius significatur : nam v. g. Deitas magis simplicitatem ex modo significandi denotat; Deus vero subsistentiam ejusdem divinitatis importat. Et similiter Paternitas simplicitatem divinæ relationis exprimit, et Pater ejusdem subsistentiam designat. Hoc vero esse necessarium satis constat, quia per hoc necessario respondendum est hæreticis, et melius explicatur totum mysterium.

Sequitur 529. Has proprietates personarum divinarum in abstracto significatas recte vocari notiones.

529. — 1. p. q. 32. a. 2.

Probatur sequela. Notio est, qua aliquid innotescit : Sed per has proprietates in abstracto significatas, melius innotescunt personæ, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 530. Notiones ad hoc præcise poni, ut quælibet persona innotescat, prout est vel non est ab alia, sive ut innotescat secundum suam originem.

530. — Ibidem.

Probatur sequela. Divinæ personæ multiplicantur secundum originem : Sed notiones ponuntur, ut innotescant Divinæ personæ : Ergo ponuntur notiones ut innotescant, secundum quod multiplicantur per originem.

Sequitur 531. Quinque tantum esse notiones.

531. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Inter tres personas ratio originis quintupliciter tantum potest innotescere : primo quatenus prima a nulla alia persona habet originem; secundo, quatenus a prima secunda habet originem, idque tum ex parte primæ, tum ex parte secundæ; tertio, quatenus ab utraque tertia habet originem, et id vel ex parte utriusque, primæ videlicet et secundæ, vel ex parte tertiæ : Sed in Divinis sunt tantum tres personæ, ex dictis supra : Ergo sunt tantum quinque, quibus ratio originis innotescat, atque adeo sunt tantum quinque notiones. Unde prima persona, quæ est Pater, ut a nulla alia, innotescit per innascibilitatem; quatenus vero ab ipsa Filius ducit originem, innotescit per Paternitatem. Secunda quatenus est a Patre, innotescit per Filiationem. Prima et secunda, quatenus ab illis est tertia, innotescunt per Spirationem activam, et ipsa tertia innotescit per Spirationem passivam, sive Processionem. Ex istis tres tantum sunt relationes constituentes personas, videlicet Paternitas, Filiatio et Processio : Quatuor sunt relationes; nam Spiratio activa est relatio, ut supradictum est; Quatuor sunt proprietates; nam Spiratio activa cum conveniat duabus personis, non est proprietas.

Sectio 2ª. — De personis in specie.

Sequitur 532. Patrem æternum esse principium.

532. — 3. p. q. 33. a. 4.

Probatur sequela. Is, a quo alius procedit, est principium : Sed Pater in divinis est is, a quo alius procedit, nimirum Filius : Ergo Pater in divinis est principium.

Sequitur 533. Patrem æternum non proprie dici causam.

533. — Ibidem.

Probatur sequela. Causa dicit distinctionem substantiæ et effectus dependentiam ab ipsa : Sed inter Patrem et filium in divinis non est distinctio substantiæ, ex dictis, nec consequenter est dependentia : Ergo Pater in divinis non potest dici causa.

Sequitur 534. Patrem posse dici totius Trinitatis principium.

534. — Ibidem.

Probatur sequela. Hoc, quod est esse Trinitatis principium, non importat, quod sit principium sui ipsius : Atqui hoc excluso Pater est aliarum

personarum principium : Ergo Pater potest vere dici totius Trinitatis principium.

Sequitur 535. Patrem posse dici Deitatis principium, dummodo hoc intelligatur in bono sensu.

535. — 1. p. q. 39. a. 5. ad 6.

Probatur sequela. Qui est principium communicans Deitatem personis aliis, potest hoc sensu dici primum Deitatis principium : Sed hic est bonus sensus illius propositionis : Ergo, etc.

Sequitur 536. Hoc nomen, *Pater,* esse nomen proprium divinæ personæ.

536. — 1. p. q. 33. a. 2.

Probatur sequela. Nomen importans id, quo persona constituitur et distinguitur ab aliis, est proprium illius personæ : Sed hoc nomen, *Pater,* importat id, quo prima persona constituitur et distinguitur ab aliis personis divinis, Ergo nomen, *Pater,* est proprium primæ personæ. *Minor patet* ex dictis : quia hoc nomine, *Pater,* importatur relatio ad Filium, ac per hoc distinctio a Filio. In eodem autem nomine importatur etiam Spiratio activa, ut dictum est, per quam distinguitur a Spiritu sancto.

Sequitur 537. Patrem æternum perfectissimo modo esse Patrem.

537. — Ibidem.

Probatur sequela. Pater eo modo est Pater, quo est generans : Sed Pater æternus perfectissimo modo est generans ; quia communicat nedum naturam eamdem specie, sed etiam numero : Ergo perfectissimo modo est Pater.

Sequitur 538. Nomen Patris melius exprimere primam personam, quam nomen generantis.

538. — Ibid a. 2.

Probatur sequela. Denominatio a perfectione et fine melior est, quam denominatio, quæ petitur ab eo, quod significatur per modum viæ et fieri : Sed nomen Patris est denominatio a perfectione et fine, quia Paternitas est veluti complementum generationis, quæ per nomen generantis, exprimitur, ut in fieri : Ergo nomen Patris melius exprimit primam personam, quam nomen generantis.

Sequitur 539. Nomen Patris per prius dici de Deo personaliter respectu Filii, qui est Deus, quam essentialiter respectu creaturarum, ut procedunt a Deo.

539. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Per prius dicitur nomen Patris de illo, qui perfectissimo modo est Pater, respectu ejus, qui est perfectissimo modo Filius, quam respectu ejus, qui tantum est similitudinarie Filius : Sed Pater æternus dicitur Pater respectu Verbi, quod est perfectissimo modo Filius, ex dictis ; respectu autem creaturarum Deus non est Pater, nisi quia creaturæ procedunt ab ipso tanquam vestigia, vel tanquam aliquo imperfecto modo similes, sive quoad naturam intellectualem, sive quod gratiam, sive quoad gloriam : Ergo per prius dicitur, etc.

Sequitur 540. Rationem ingeniti esse propriam Patri.

540. — Ibid. a. 4.

Explicatur. Ratio ingeniti vel innascibilis tripliter sumi potest ; *primo* ut dicit puram negationem generationis passivæ sive filiationis ; *secundo* prout dicit privationem saltem aliquo modo ejusdem generationis passivæ ; *tertio* ut dicit privationem cujuscumque processionis ab alio, quæ ad quamdam dignitatem spectet. Primo modo ratio ingeniti non est proprietas Patris : convenit enim etiam divinitati ut sic sive naturæ divinæ ; Secundo modo potest privatio dupliciter sumi ; primo pro carentia in subjecto apto secundum se, et secundum propriam et peculiarem rationem ; et hoc modo non sumitur

ratio ingeniti; quia si Pater æternus esset suppositum aptum ad habendam generationem passivam, illa non careret, cum sit imperfectio, non habere id, quod aliquid est natum aptum habere : sed secundo modo sumitur privatio prout est carentia in subjecto apto non secundum se, sed apto secundum aliquid sui generis vel ordinis; quomodo Talpa potest dici privata visu et cæca, et hoc modo Pater æternus potest dici ingenitus privative, quia licet secundum rationem propriam personæ Patris non sit aptus ad habendam carentiam generationis passivæ, est tamen suppositum aptum in aliquo sui ordinis et quasi generis, id est, in aliqua persona divina : nam inter personas divinas Filius est capax generationis passivæ : Et hoc modo ratio ingeniti est proprietas Patris, quatenus dicit formaliter privationem primæ processionis, et virtualiter etiam secundæ. Quod si tertio modo accipiatur ratio ingeniti vel innascibilis, quatenus hoc nomine intelligitur privatio cujuscumque processionis, clarissime illa importat proprietatem Patris.

Probatur ergo sequela. Ratio ingeniti est privatio (modo explicato) vel generationis passivæ, ut includentis virtualiter privationem processionis, vel est privatio omnis processionis : Sed utroque modo (qui in idem recidit) est proprietas Patris : Ergo ratio ingeniti est proprietas Patris. *Major patet* ex explicatione. *Minor probatur ex dictis :* Soli Patri convenit non procedere ab alio : Sed hoc exprimit ratio ingeniti : Ergo soli Patri convenit ratio ingeniti, atque adeo est proprietas.

Sequitur 541. Relationem Paternitatis esse fundamentum illius negationis, quæ nomine ingeniti vel innascibilis exprimitur.

541. — Ibidem.

Probatur sequela. Illud est fundamentum negationis vel privationis, ex quo resultat negatio vel privatio : Sed ex relatione Paternitatis in divinis resultat negatio vel privatio generationis passivæ et cujuscumque processionis : Ergo relatio Paternitatis est fundamentum innascibilitatis vel rationis ingeniti. *Minor probatur ex dictis :* quia in Deo non possunt esse nisi duæ processiones; altera per intellectum, quæ est generatio; altera per voluntatem, quæ est spiratio passiva : Sed relatio Paternitatis est fundamentum negationis utriusque : Ergo relatio Paternitatis est fundamentum omnis processionis. *Minor probatur :* Quod est fundamentum negationis generationis passivæ, per modum oppositi relative est etiam fundamentum negationis passivæ spirationis : Sed relatio Paternitatis est per modum oppositi relative fundamentum negationis generationis passivæ sive filiationis, ut est evidens : Ergo est etiam fundamentum negationis spirationis passivæ, sive processionis, atque adeo utriusque. *Major patet ex dictis :* quia fundamentum negationis primæ processionis per modum oppositi relative importat virtualiter spirationem activam ; quia cum in divinis omnia sint idem, ubi non obstat relativa oppositio, oportet, quod spiratio activa sit idem cum Paternitate, cum inter Spirationem activam et Paternitatem non sit oppositio relativa ; atque adeo Paternitas ut importat Spirationem activam fundat negationem omnis processionis : Et cum non procedere ab aliquo sit aliqua ratio distincta, saltem secundum conceptum explicitum, a relatione Paternitatis, ratio ingeniti importat rationem aliquo modo distinctam a ratione Paternitatis : Et hoc modo est proprietas atque adeo notio Patris.

Sequitur 542. Rationem Verbi proprie dici in divinis personaliter.

542 — 1 p. q. 34.

Probatur sequela. Quod significatur ut aliquid ab alio procedens, dicitur proprie personaliter in divinis : Sed

ratio Verbi significatur ut aliquid ab alio procedens : Est enim Verbum, quod ab intelligente sive dicente procedit, ut patet ex dictis : Ergo ratio Verbi proprie dicitur personaliter in divinis.

Sequitur 543. Verbum esse proprium nomen Filii.

543. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Quod ad intellectum pertinet et personaliter dicitur, est proprium Filii : Sed Verbum ad intellectum pertinet et personaliter dicitur ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 544. Verbum divinum formaliter procedere ex cognitione divinæ essentiæ, omnium attributorum, personarum, et creaturarum possibilium.

544. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Terminus cognitionis comprehensivæ debet necessario procedere ex cognitione divinæ essentiæ, attributorum, personarum, et creaturarum possibilium : Sed Verbum divinum est terminus cognitionis comprehensivæ : Ergo etc. *Minor patet ex dictis :* quia Verbum divinum, cum sit Deus, est infinitum, atque adeo debet adæquare totam cognitionem Dei, etiam ut est infinita et comprehensiva.

Sequitur 545. Verbum divinum ex vi processionis non procedere ex cognitione creaturarum ut futurarum, vel præsentium æternitate.

545. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod procedit naturaliter, et non libere, non procedit ex vi processionis per aliquam actionem liberam : Sed Verbum divinum procedit naturaliter, cum sit Filius et Deus, et non libere : Ergo non procedit ex vi processionis per aliquam actionem liberam ; cujusmodi est cognitio creaturarum futurarum vel præsentium in æternitate : Hæc enim cognitio supponit actionem liberam, qua Deus libere vult creaturas ; unde et scientia libera dicitur.

Sequitur 546. Verbum divinum procedere identice per cognitionem creaturarum et futurarum, quatenus est idem cum natura divina.

546. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod ex vi processionis recipit naturam divinam, identice recipit omnia absoluta quæcumque identificantur cum natura divina, quatenus identificantur : Sed Verbum divinum ex vi processionis recipit naturam divinam, ut dictum est supra : Ergo Verbum divinum identice recipit omnia absoluta quæcumque identificantur cum natura divina : Cognitio autem futurorum, libertas et quæcumque spectant ad voluntatem identificantur cum natura divina, ut patet ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 547. In nomine Verbi intelligi respectum ad creaturas.

547. — Ibidem.

Probatur sequela. In Verbo terminante cognitionem omnium etiam creaturarum, intelligitur respectus ad creaturas : Sed Verbum divinum terminat cognitionem omnium etiam creaturarum possibilium : Ergo in Verbo divino intelligitur respectus ad creaturas. *Major est evidens :* quia Verbum debet exprimere quidquid cognoscitur per cognitionem, per quam procedit, et quam terminat.

Sequitur 548. Hunc respectum esse diversum juxta diversitatem creaturarum.

548. — Ibid. ad 5.

Probatur sequela. Eodem modo se habet Verbum terminans cognitionem, quo se habet ipsa cognitio : Sed, ex dictis supra, cognitio divina respectu quarumdam creaturarum est cognoscitiva et factiva in actu secundo, et respectu aliarum est tantum cognoscitiva in actu secunde, et factiva in actu primo : Ergo et Verbum respectu aliquarum erit cognoscitivum et factivum in actu secundo ; respectu

aliarum erit cognostivum in actu secundo, et factivum in actu primo.

Sequitur 549. Hunc respectum non esse nisi respectum rationis.

549. — Ibidem.

Probatur sequela. Tum quia inter res diversi ordinis non est relatio realis : Tum etiam, quia sicut cognitio divina non attingit res creatas, nisi tanquam objectum secundarium, ut diximus, ita Verbum non debet ad illas habere respectum, nisi tanquam ad objectum secundarium : hic autem respectus in Deo est tantum respectus rationis.

Sequitur 550. Nomen Imaginis esse nomen personale in divinis.

Probatur sequela. Quæ important originem ab alio, sunt personalia in divinis : quia solæ personæ dicunt originem : Sed nomen et ratio imaginis importat originem ; est enim imago quasi imitago, id est similitudo in specie vel aliquo, quod sit proprium naturæ specificæ expressa ab alio : Ergo nomen et ratio imaginis est quid personale in divinis.

Sequitur 551. Rationem imaginis esse propriam Verbo.

551. — Ibidem.

Probatur sequela. Illud, de cujus ratione est similitudo in natura ex vi processionis, est proprie imago ; quia et habet originem, et ex vi originis habet similitudinem in natura : Atqui Verbo divino ex vi processionis convenit similitudo in natura, ex dictis : Ergo Verbo divino convenit proprie ratio imaginis.

Sequitur 552. Verbum esse proprie ac formaliter imaginem.

552. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia, ut jam diximus, ad veram et propriam et formalem rationem imaginis nihil requiritur, nisi quod ex vi processionis sit similitudo in natura : Atqui Verbum divinum ex vi suæ processionis est simile in natura : Ergo est proprie ac formaliter imago.

Sequitur 553. Tertiam personam Trinitatis convenienter vocari Spiritum sanctum.

553. — 1. p. q. 36. a. 1.

Probatur sequela. Quod se habet per modum impulsus ordinati in Deum, convenienter dicitur Spiritus sanctus ; quia ipse impulsus dicitur Spiritus, et ex hoc, quod est ad Deum, dicitur sanctus : Sed tertia persona Sanctissimæ Trinitatis procedit per modum impulsus, et in ordine ad Patrem et ad Filium, a quo procedit, et qui est Deus : Ergo, etc. *Minor patet ex dictis supra*, quia tertia Persona procedit per modum amoris ; amor autem est quidam impulsus in rem amatam.

Sequitur 554. Spiritum sanctum procedere a Patre et Filio.

554. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Persona, quæ distinguitur realiter ab alia in divinis, procedit ab illa, vel e contra ; quia in divinis omnia sunt idem ubi non obstat relatio originis : Sed Spiritus sanctus distinguitur a Patre et Filio, ut est de fide : nec Pater et Filius a Spiritu sancto procedunt ; cum Pater sit Principium ingenitum, et Filius sit terminus primæ processionis, ex dictis : Ergo Spiritus sanctus debet procedere a Patre et Filio.

Sequitur 555. Quod si Spiritus sanctus non procederet a Filio, non distinguerctur ab illo.

555. — Ibidem.

Probatur sequela. Personæ, inter quas non est oppositio relativa originis, non distinguuntur in divinis : Sed si Spiritus sanctus non procederet a Filio, inter Filium et Spiritum sanctum non esset oppositio relativa originis ; hæc enim vel est ipsa processio, vel fundatur in processione, ut constat ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 556. In illa suppositione impossibili, quod Spiritus sanctus non procederet a Filio, Filium non fore Filium, atque adeo nec Patrem fore Patrem.

556. — Ibidem.

Probatur sequela. Si Filius procederet per intellectum et voluntatem non esset proprie et adæquate Filius; sed esset una persona, quæ simul esset Filius et Spiritus sanctus, quia, ut diximus, non distinguerentur : Atqui hoc casu impossibili posito, Filius non esset Filius; cum ex vi processionis non magis procederet ut similis in natura, quam ut non similis : Ergo, etc. *Minor patet :* nam qua parte Filius sive illa persona procederet per voluntatem, non procederet ut similis ex vi processionis : Si autem Filius non esset proprie Filius, Pater non esset Pater; cum Pater dicatur per ordinem et respectum ad Filium, ut Filius est.

Sequitur 557. Filium in divinis recipere a Patre virtutem spirandi.

557. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Quidquid habet Filius recipitur a Patre : Sed habet virtutem spirandi, ex dictis : Ergo illam recipit a Patre. *Major est certa :* quia Filius recipit a Patre naturam, cum qua identificantur omnia : Ergo debet recipere a Patre quidquid non habet oppositionem relativam cum filiatione : Sed virtus spirativa non habet oppositionem relativam cum Filiatione, ut patet : Ergo debet recipere a Patre virtutem spirativam.

Sequitur 558. Filium in divinis recipere a Patre ipsam Spirationem activam, quatenus est actio producens Spiritum sanctum.

558. — Ibidem.

Probatur sequela. Spiratio activa ut actio nihil importat nisi vim spirativam et connotat subsistentiam sive suppositum, in quo est : Sed Filius recipit a Patre vim spirativam ex dictis : Ergo recipit a Patre ipsam Spirationem activam prout est actus. Neque vero imaginandum est, quod Filius recipiat a Patre virtutem aliquam spirativam veluti potentialem, qua deinde ipse Filius utatur, et cui, utendo illa, superaddat ultimam actualitatem, sed recipit a Patre virtutem spirativam per modum actus secundi; et recipiendo illam simul cum natura ex vi processionis, constituitur Filius et suppositum actu spirans.

Sequitur 559. Recte dici posse, Spiritum sanctum procedere a Patre per Filium.

559. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui procedit ab aliquo ut recipiente virtutem et actionem productivam ipsius ab alio, recte dici potest procedere ab isto per illum : Sed Spiritus sanctus procedit a Filio ut recipiente vim et actionem spirandi a Patre : Ergo recte dici potest, quod procedit a Patre per Filium. *Major declaratur;* quia ad hoc, ut quis dicatur operari per alium, sufficit quod alius recipiat ab illo priore virtutem, vel motum, quo iste alius operatur, et sic homo dicitur operari per serram, v. g. vel aliud instrumentum, quia instrumentum accipit vim scindendi artificiose ab ipso homine, imo et ab illo recipit motum. Nec tamen hinc inferendum est, vel Filium nihil agere, vel se habere ut instrumentum, aut ut causam secundam. Ratio est, quia illa virtus et actio, qua spirat est eadem omnino ac virtus et actio, qua Pater spirat : unde sicut illa virtus et actio constituunt Patrem ut principium principale et non instrumentale; ita etiam constituunt Filium ut principium Spiritus sancti, non instrumentale, sed principale hoc sensu, quod Filius est idem omnino principium Spiritus sancti cum Patre, sola personarum distinctione servata, ita nihilominus ut persona Filii habeat a persona Patris illam vim spirativam in actu secundo; et quia illam habet a Patre, Pater di-

citur spirare per Filium tanquam per suppositum distinctum, cui communicat vim spirandi in actu secundo.

Sequitur 560. Patrem et Filium esse unum principium Spiritus sancti.

560. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Qui habent unam numero virtutem et actionem, etiamsi realiter in ratione suppositi distinguantur, sunt unum principium : Sed Pater et Filius habent unam et eamdem numero virtutem et actionem spirativam, ex dictis : Ergo sunt unum principium Spiritus sancti. *Major probatur :* quia nomen substantivum, sive forma significata per nomen substantivum, non multiplicatur, nec dicitur pluraliter, nisi sint distinctæ formæ ; nam si per impossibile una et eadem albedo esset in pluribus subjectis, non possent dici plures albedines, possent tamen dici plura alba, quia substantivum accipit unitatem vel multiplicatem a forma significata, adjectivum vero a supposito vel subjecto ; alias possemus dicere esse tres Deos, quia sunt tria supposita habentia Deitatem : hoc tamen est falsum, ut patet ex dictis supra.

Sequitur 561. Patrem et Filium esse unum Spiratorem.

561. — Ibid. ad 7.

Probatur sequela. Spirator est nomen substantivum significans principium spirandi : Sed Pater et Filius sunt unum principium spirandi, ex dictis : Ergo sunt etiam unus Spirator, sumendo, Spiratorem substantive, ut debet sumi.

Sequitur 562. Patrem et Filium posse congruenter et vere dici duos spirantes.

562. — Ibidem.

Probatur sequela. Duæ personæ habentes unam et eamdem spirationem possunt dici duo spirantes : Sed Pater et Filius sunt duæ personæ habentes unam et eamdem numero spirationem : Ergo possunt dici duo spirantes. *Major constat ex dictis,* quia adjectiva supponunt pro suppositis vel subjectis.

Sequitur 563. Spirationem activam distingui virtualiter a Paternitate et Filiatione.

563. — Ex eodem loco.

Probatur sequela. Quod est idem cum duobus etiam infinitis, quæ non sunt idem inter se, debet distingui virtualiter ab illis, ex dictis supra : Sed Spiratio activa est idem cum Paternitate et Filiatione, quæ non sunt idem inter se, imo distinguuntur realiter, ut ostendimus : Ergo Spiratio activa debet distingui virtualiter a Paternitate, et a Filiatione.

Sequitur 564. Spirationem activam ex propria ratione exigere, esse in duobus suppositis realiter distinctis.

564. — Ibid. ad 1.

Probatur sequela. Amor amicitiæ proprie ex propria ratione exigit esse in duobus suppositis realiter distinctis : Sed Spiratio activa est amor amicitiæ inter Patrem et Filium : Ergo Spiratio activa exigit ex propria ratione esse in duobus suppositis realiter distinctis. *Major est evidens :* quia amor amicitiæ ex propria ratione exigit amorem et redamationem ; per hoc enim differt a simplici benevolentia, ut alias diximus.

Sequitur 565. Spiritum sanctum proprie esse amorem, sumendo amorem non pro actu, sed pro termino actus.

565. — 1. p. q. 37. a. 1.

Probatur sequela. Persona procedens per amorem est terminus actus amoris ut patet ex terminis : Sed Spiritus sanctus est persona procedens ex amore inter Patrem et Filium : Ergo est terminus amoris, atque adeo potest dici amor, quia non habemus nomen, quo exprimamus

terminum illius actus, qui est amor.

Sequitur 566. Patrem et Filium diligere se Spiritu sancto.

566. — Ibid. ad 2.

Probatur sequela. Qui se diligunt, diligunt se amore non solum eo, qui est actus, sed etiam eo, qui est terminus actus : Sed Pater et Filius se diligunt : Ergo diligunt se amore, qui est actus et amore, qui est terminus actus. Cum ergo Spiritus sanctus sit amor, qui est terminus, Pater et Filius diligunt se Spiritu sancto. *Major probatur :* Quando terminus in ipso actu includitur etiam secundum modum intelligendi, id, quod dicitur tale ab actu, potest dici tale a termino actus, v. g. quia in calefactione intelligitur calor productus, possumus dicere, quod ignis calefacit calefactione, et etiam calore producto ; et quia in ipsa floritione includuntur flores tanquam terminus. possumus dicere, quod arbor floret floritione et floribus. Quando vero in actione non importatur determinatus terminus, non potest denominari agens a termino : Unde, quia producere ut sic non importat florem, non possumus dicere quod arbor producit florem flore, sed tantum floritione. Hinc est quod non possumus dicere, quod Pater intelligit, vel est sapiens Verbo, vel generat Filio, vel spirat Spiritu sancto. Cujus rei ratio est, quia quando actio exprimitur, ut dicens præcise ordinem et veluti relationem ad terminum tanquam effectum aut productum, tunc agens non potest denominari a termino, quia tunc terminus non est de conceptu actionis, quamvis ordo ad terminum sit de conceptu illius : et sic quia generatio dicit ordinem ad terminum, tanquam quid per se terminans vim actionis, generans non potest denominari ab illo termino, atque adeo non potest dici, quod Pater generet Filio, nec quod Pater et Filius spirent Spiritu sancto, sed debet dici, quod Pater generat Filium et Pater et Filius spirant Spiritum sanctum : sed quando terminus ingreditur conceptum actionis in ordine ad alium terminum : tunc potest agens denominari a termino ingrediente conceptum actionis, et sic est in proposito, nam diligere notionale importat et actionem, scilicet amorem, et terminum, scilicet, Spiritum sanctum ; et præterea importat terminum alium, sive potius objectum, quod diligitur, scilicet Patrem et Filium, ideo potest dici, quod Pater et Filius diligunt se Spiritu sancto, sicut etiam potest dici, quod Pater dicit se et omnia Verbo.

Sequitur 567. Spiritum sanctum non procedere formaliter ex amore creaturarum possibilium, ut mere possibiles sunt.

567. — Ibid. a 3.

Probatur sequela. Creaturæ ut possibiles non amantur a Deo, ut diximus supra : Ergo Spiritus sanctus non procedit ex amore creaturarum possibilium.

Sequitur 568. Donum esse nomen proprium Spiritus sancti.

568. — 1. p. q. 38. a. 1.

Probatur sequela. Quod importat originem per voluntatem et amorem, est proprie donum : Sed Spiritus sanctus importat originem per voluntatem et amorem : Ergo est donum proprie, et ita proprie, ut non conveniat alteri esse donum nisi ratione ipsius. *Major probatur :* quia donum est ipsius dantis sive potius est a dante ; hoc autem, quod est esse ab alio proprie importat originem : donum etiam esse debet gratuitum et liberaliter alteri concessum : hoc vero esse non potest nisi ex amore ; quia amor est ratio dandi liberaliter : Donum ergo importat originem per amorem.

Sequitur 569. Rationem doni posse aliquo modo convenire ipsi essentiæ divinæ, imo et toti Trinitati, sed non ita proprie.

569. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia ratio doni

importat esse alicujus ; essentia autem est Dei per identitatem : Et tota Trinitas est Dei etiam per identitatem, et Filius est Patris per originem. Sed quia ratio doni propriissime dicti importat, quod sit ab alio, non ita proprie convenit essentiæ : Unde quando dicitur essentia data Filio, hoc idem est, ac essentia est communicata Filio, sicut et Spiritui sancto ; sed nec essentia importat originem nec communicatio essentiæ est gratuita : respectu autem creaturarum ratio doni convenit Spiritui sancto tanquam amori, qui est primum donum.

CAPUT III.

De personis in comparatione ad Essentiam, ad relationes ad actus notionales, et de comparatione ipsarum ad invicem.

Sequitur 570. Optime dici posse, quod tres personæ sunt unius essentiæ vel una essentia est trium personarum.

570. — 1. p. q. 38. a. 2.

Probatur sequela. Tres personas esse unius essentiæ, vel unam essentiam esse trium personarum, nihil aliud significat, nisi unam essentiam, quatenus a nobis intelligitur esse in tribus personis, quæ veluti habent illam : Sed hoc est verum ex dictis, Ergo etc. *Major probatur :* Quia tres personas esse unius essentiæ nihil aliud significat, nisi tres personas habere unam et eamdem essentiam ; suppositum enim intelligitur a nobis ut habens naturam : Similiter unam esse essentiam trium personarum, nihil aliud sonat, nisi unam essentiam esse in tribus personis ut habentibus illam.

Sequitur 571. Convenienter essentialia attributa posse appropriari personis.

571. — Ibid. a. 7.

Probatur sequela. Quod manifestat mysterium Trinitatis, convenienter fit : Sed appropriatio essentialium facta personis manifestat mysterium Trinitatis : Ergo, etc. *Major est evidens,* quia mysterium Trinitatis est obscurum, atque adeo conveniens est, ut manifestetur. *Minor probatur :* Quia quando quæ sunt intellectus divini appropriantur Filio, manifestatur, quod Filius in divinis procedit per intellectum ; et quando, quæ sunt voluntatis appropriantur Spiritu sancto, manifestatur quod Spiritus sanctus procedit per voluntem ; et utrumque est per viam similitudinis : Quando vero quæ sunt potentiæ appropriantur Patri, manifestatur per viam dissimilitudinis, quia ostenditur, quod Pater in divinis non est senex et imbecillis : sicut frequenter contingit in humanis : Quomodo vero essentialia a sacris Doctoribus approprientur personis divinis, vide in D. Thom. 1. p. q. 39. art. 8.

Sequitur 572. Personam divinam non constitui in ratione personæ per aliquam rationem absolutam.

572. — 1. q. 40. d. 1. et 2.

Probatur sequela. Quod non distinguitur per aliquam rationem absolutam non constituitur per aliquam rationem absolutam : Sed, ex dictis, nulla persona divina distinguitur ab alia per aliquam rationem absolutam : Ergo non constituitur per aliquam rationem absolutam. *Major patet :* quia idem est constitutivum et distinctivum.

Sequitur 573. Personam divinam constitui per aliquam rationem relativam.

573. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod constituitur, et tamen non constituitur per rationem absolutam in divinis debet constitui per relativam : Sed persona divina constituitur aut saltem concipitur a nobis constitui, et non per aliquam rationem absolutam : Ergo per relativam.

Sequitur 574. Personam divinam constitui per relationem, non quidem ut relatio est præcise, sed ut relatio divina est.

Probatur sequela. Explicando prius, quod intendimus : Persona divina etiam ut persona duo habet ; *primum* est, quod sit subsistens ; *secundum* est quod sit incommunicabilis, sive quod incommunicabiliter sit subsistens : hæc enim utraque ratio requiritur ad rationem personæ ; quia ut supra dictum est, subsistentia absoluta non constituit personam, quippe quæ non facit subsistere incommunicabiliter, adeoque non est subsistentia distincta a qualibet alia. Relatio etiam divina duo habet ; primum est, quod sit relatio ; secundum est, quod sit divina : Relatio divina præcise ut relatio, non dat subsistere ; alias omnis relatio etiam creata daret subsistere, quod patet esse falsum ; sed ut Divina, dat subsistere. Relatio vero ut relatio dat distinctionem ab eo, cui opponitur relative, atque adeo relatio, ut relatio est, dat incommunicabilitatem respectu ejus, cui opponitur relative.

Probatur ergo sequela. Ut aliqua ratio constituat personam divinam, duo debet præstare, nimirum subsistentiam et incommunicabilitatem, ut patet ex dictis : Sed relatio divina utrumque præstat, distinctionem nimirum et incommunicabilitatem : Ergo, etc.

Sequitur 575. Relationem divinam secundum conceptum explicitum et inadæquatum relationis ut sic, non constituere personam.

575. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod non dicit subsistentiam, secundum quod non dicit illam, non potest constituere personam ; cum de ratione personæ sit substantia : Sed relatio divina secundum conceptum explicitum et inadæquatum relationis ut sic non dicit subsistentiam : Ergo secundum hunc conceptum explicitum et inadæquatum non constituit saltem adæquate personam divinam.

Sequitur 576. Relationem divinam secundum conceptum explicitum et inadæquatum divinæ subsistentiæ ut sic præcise, non constituere personam divinam.

576. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod non præstat incommunicabilitatem, sub illo conconceptu explicito, secundum quem illum non præstat, non potest constituere personam : Sed relatio divina secundum conceptum explicitum divinæ subsistentiæ non præstat, sive non concipitur præstare incommunicabilitatem vel distinctionem ; alias subsistentia absoluta, quæ divina est, etiam constitueret personam ; quod falsum esse constat ex dictis : Ergo relatio divina secundum conceptum subsistentiæ divinæ non constituit personam.

Sequitur 577. Utrumque conceptum relationis divinæ, id est, conceptum explicitum relationis et conceptum divinæ, in quo implicite involvitur ratio subsistentiæ, requiri ad constitutionem personæ.

577. — Ibidem.

Probatur sequela. Ad constitutionem personæ duo conceptus requiruntur, scilicet conceptus subsistentiæ, et conceptus incommunicabilitatis : Sed hi duo conceptus non possunt nisi per duos alios præstari, videlicet per conceptum relationis, ut divina est et subsistens, et per conceptum relationis, ut relatio est, sicut patet ex dictis : Ergo uterque conceptus requiritur.

Sequitur 578. Personam divinam non constitui per origines, sive per actus notionales, ut sic.

578. — Ibidem.

Explicatur. Origines sive actus notionales in divinis sunt ipsæ processiones, v. g. generatio activa, et

passiva, Spiratio activa, et Spiratio passiva, sive processio : Hi actus notionales duo dicunt, nimirum actum quemdam intellectus aut voluntatis divinæ, et personam sive subsistentiam ; nam v. g. generare dicit intelligere, et addit etiam Paternitatem, sicut diximus supra de ipso dicere ; generatio passive sumpta dicit ipsum intelligi, et addit Filiationem sive subsistentiam Verbi. Similiter Spiratio activa duo dicit, nimirum diligere, et addit duas subsistentias, nimirum Paternitatem et Filiationem, ut constat ex dictis supra : Spiratio passiva sive processio dicit ipsum diligi, sive amorem, et addit subsistentiam Spiritus sancti, quam deffectu nominum explicamus nomine Spirationis passivæ sive processionis. Quod ergo intendimus, est, ipsos actus notionales sub conceptu actuum notionalium non constituere personas divinas.

Probatur sequela. Quod non significatur sub conceptu intrinseci constitutivi personæ, sed potius ut præsuppositum vel ut via, non potest sub illo conceptu esse illius constitutivum, ut ex terminis videtur evidens : Sed actus notionales, ut exprimuntur sub conceptu actuum notionalium, non significantur sub conceptu intrinseci constitutivi personæ, sed vel ut aliquid præsuppositum, vel ut via ad constitutivum : Ergo actus notionales sive origines sub illo conceptu significantur, ut quid progrediens ab una persona, et tendens in aliam, v. g. generatio significatur sub conceptu generationis, ut via progrediens et tendens a Patre ad Filium ; unde præsupponit quodammodo Patrem, et concipitur ut via ad constituendum Filium.

Nec valet, si dicas actus notionales esse veluti fundamentum relationum : fundamentum autem est quodammodo prius ipsa relatione ; unde actus notionales sunt quodammodo priores ipsis relationibus, atque adeo, cum concipiuntur advenire relationes, jam concipiuntur constitutæ personæ, sal-

tem illæ, quæ sunt principia actuum notionalium, v. g. relatio Paternitatis fundatur in generatione activa, et concipitur ex illa consurgere : Ergo generatio activa concipitur ut prior, Paternitate : cum ergo advenit Paternitas, jam concipitur principium generationis activæ constitutum ; non per ipsam relationem Paternitatis, quæ concipitur ut posterior, utpote consurgens ex generatione activa tanquam ex fundamento : Ergo concipitur principium generationis sive generans constitutum in ratione personæ, antequam concipiatur relatio, atque adeo generans debet constitui per ipsam generationem, non per relationem : Ergo per actum notionalem constituitur in ratione personæ.

Non valet, inquam, quia hoc inconveniens, quod opponitur, æque urget, si dicamus personas constitui per actus notionales : quod sic ostenditur : Actiones sunt suppositorum, unde agere ut principium quod, præsupponit suppositum constitutum : Sed actus notionales ut sic, concipiuntur per modum actionum : Ergo concipiuntur per modum alicujus præsupponentis supposita : Sicut ergo, qui dicunt personas constitui per actus notionales, coguntur asserere, quod hi actus duo munia præstant, constituendi personas, et agendi notionaliter, et sic hi actus secundum prius munus, sunt quodammodo priores seipsis secundum munus posterius : ita nos, qui tuemur relationes constituere personas, dicimus, quod relationes divinæ ex eo quod relationes divinæ, duo munia inadæquata præstant ; primum est facere subsistere incommunicabiliter ; secundum est referre in actu exercito ; et secundum prius illud munus inadæquatum sunt priores seipsis secundum alterum munus ; quamvis etiam in illo priori munere subsistendi incommunicabiliter implicite involvatur relatio, quæ facit in divinis distinctionem et incommunicabilitatem. Quia enim nos in rebus creatis concipimus subsisten-

tiam incommunicabilem absque relatione, hinc est, quod concipimus in Deo subsistentiam incommunicabilem non conceptu relatione explicite, quamvis implicite involvatur in conceptu subsistentiæ incommunicabilis ; et sic, concipimus relationem non explicite, sed implicite, concipiendo explicite subsistentiam incommunicabilem ; sub quo conceptu relatio constituit personam, et est prior seipsa, ut concipitur sub conceptu explicito relationis : reipsa tamen relatio ut relatio divina, constituit personam, et est idem omnino in Deo etiam absque distinctione virtuali et cum persona, et cum suo fundamento, et cum actu notionali, quamvis distinguatur per conceptus inadæquatos, quos formamus per analogiam ad similes conceptus in rebus creatis repertos.

Sequitur 579. Spirationem activam non constituere unam personam.

579. — Ibid. et q. 36. a. 4. ad 2.

Probatur sequela. Relatio, quæ in divinis ex propria ratione exigit duas personas et unam virtutem, non constituit unam personam : Sed, ex dictis, Spiratio ex propria ratione exigit duas personas, et unam virtutem Spirativam : Ergo non constituit unam personam.

Sequitur 580. Si fiat abstractio relationis constitutivæ a persona, quomodo fit abstractio universalis a particulari, v. g. generis a differentia, non remanere personam, sed solam essentiam.

Probatur sequela. Abstracto constitutivo non remanet constitutum, ut est evidens : Sed ablata sive abstracta relatione constitutiva, abstrahitur constitutivum personæ : Ergo abstracta relatione, v. g. Paternitate, non remanet persona, sed sola essentia divina.

Sequitur 581. Quod, si fiat abstractio relationis vel proprietatis non constitutivæ, remanet persona.

581. — 1. p. q. 40. a. 3.

Probatur sequela. Ob contrariam rationem, quia semper remanet constitutivum ; unde abstracta relatione Spirationis activæ, vel proprietate ingeniti a Patre, remanet persona Patris.

Sequitur 582. Actus notionales esse attribuendos personis.

582. — 1. p. q. 41. a. 1.

Probatur sequela. Origo unius ab alio non potest designari nisi per aliquos actus : Sed divinis personis attribuenda est origo : Ergo divinis personis attribuendi sunt actus : Hi autem actus vocantur notionales, quia per illos innotescit persona divina.

Sequitur 583. Hos actus notionales non esse a voluntate, ut a principio, quatenus voluntas distinguitur a natura.

583. — Ibid. a. 2.

Explicatur. Voluntas dupliciter potest considerari ; *primo* ut natura quædam est, et hoc modo agit per modum naturæ ; *secundo* potest considerari voluntas ut distinguitur a natura ; et hoc modo agit libere, et non ut determinata ad unum. Deinde voluntas etiam ut libera, potest considerari, vel ut principium actus, qui dicitur produci a voluntate ; secundo non ut principium, sed concomitanter : quo modo possum dicere, quod ego sum voluntate mea, non quidem ut principio, quia voluntas mea non est principium meæ existentiæ, sed quia voluntas mea concomitatur meam existentiam. Dicimus ergo voluntatem divinam, ut distinguitur contra agens per naturam, sive ut dicitur agens liberum, non esse principium actuum notionalium.

Probatur sequela. Agens determinatum ad unum, non est agens voluntate, ut principio, quatenus volun-

tas distinguitur ab agente naturali : Sed actus notionales sunt ab agente determinato ad unum; Ergo actus notionales non sunt a voluntate ut principio, quatenus voluntas distinguitur ab agente naturali. *Major est evidens* : quia agens determinatum ad unum : non habet nisi unam formam, per quam agit : quod autem agit voluntate ut principio prout voluntas distinguitur ab agente naturali, non habet unam formam, per quam agit, quia agit per formam intellectam ; formæ autem intellectæ sunt plures. *Minor vero est etiam evidens ex dictis*, quia Pater generat hunc Filium in divinis ut determinatus ad unum ; et similiter Pater et Filius ut unum principium spirant determinate hunc Spiritum sanctum.

Sequitur 584. Actus notionales posse dici voluntarios concomitanter.

584. — Ibidem.

Probatur sequela. Esse voluntarium concomitanter, nihil aliud est, quam voluntatem etiam liberam concomitari id, quod sic dicitur voluntarium : Atqui certum est, quod voluntas etiam libera concomitatur actus notionales ; nam Pater voluntarie et libere complacet sibi in generatione Filii, sicut et complacet sibi in propria existentia : Ergo, etc.

Sequitur 585. Actus notionales esse voluntarios, large accipiendo voluntarium.

585. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod est a principio intrinseco cum cognitione, est voluntarium, large sumendo nomen voluntarii : Sed actus notionales sunt a principio intrinseco, cum cognitione; sunt enim actus intellectus, et voluntatis : Ergo actus notionales possunt in hoc sensu dici voluntarii.

Sequitur 586. Spirationem adhuc magis stricte posse dici voluntariam.

586. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod est a voluntate ut principio *quo,* etiamsi sit a voluntate ut natura, potest dici magis stricte voluntarium, ut patet : Sed actus Spirationis est a voluntate, ut principio : Ergo quamvis sit a voluntate ut natura, potest dici voluntaria.

Sequitur 587. Spirationem activam non esse formaliter liberam, sed tantum concomitanter :

587. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod est a voluntate ut natura tanquam a principio, et ab eadem ut libera tantum concomitanter, non est formaliter, sed tantum concomitanter liberum, ut patet ex terminis : Sed, ex dictis, Spiratio activa non est a voluntate tanquam principio nisi ut natura, et ut ab agente determinato ad unum, et tantum est a volunte ut libera concomitanter : Ergo Spiratio activa non est formaliter libera, sed concomitanter.

Sequitur 588. Spiritum sanctum ex vi processionis non procedere ex amore craturarum existentium.

588. — Ibidem.

Probatur sequela. Amor creaturarum existentium est formaliter liber, ut certum est : Sed Spiritus sanctus non est ex vi processionis per Spirationem, quæ sit amor liber : Ergo Spiritus sanctus non est ex vi processionis formaliter ex amore creaturarum existentium. Et idem argumentum fieri potest de generatione Verbi.

Sequitur 589. Actus notionales non esse de nihilo, vel ex nihilo.

589. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Termini actionum quæ sunt de nihilo vel ex nihilo sunt a Deo libere facti. Sed termini actuum notionalium non sunt facti li

bere sed Filius est genitus et Spiritus sanctus est procedens : Ergo actus notionales non sunt de nihilo vel ex nihilo. *Major est evidens* quia creari est fieri : Quod autem est ex nihilo, creatur. *Minor est etiam certa, ex dictis,* quia Filius ex vi processionum recipit naturam divinam, et Spiritus sanctus recipit amorem : Sed neque naturæ divinæ neque amori competit fieri etiam ut quo : Ergo, etc.

Sequitur 590. Actus notionales esse de substantia divina.

590. — Ibidem.

Probatur sequela. Actus, quorum termini sunt consubstantiales principio, optime dici possunt de substantia : Sed termini actuum notionalium sunt consubstantiales ipsi principio, a quo procedunt : Ergo, etc. *Major patet :* quia aliquid dicitur esse de aliquo vel tanquam de principio activo, sicut filius dicitur esse de patre, vel sicut de materia sicut cultellus dicitur esse de ferro, vel sicut de principio formali subsistente sicut angelus dicitur esse de natura intellectuali : Sed per hæc omnia non denotatur nisi quædam consubstantialitas terminorum, ut patet : Ergo actus, quorum termini sunt consubstantiales, optime dici possunt de substantia.

Sequitur 591. Esse in divinis potentiam respectu actuum notionalium.

591 — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Ubi est actus, est principium actus : Sed potentia est principium actus notionalis, qui ex dictis est in Deo : Ergo est etiam in Deo potentia respectu actuum notionalium. Nota quod nomine potentiæ intelligitur vis activa.

Sequitur 592. Potentiam ad actum notionalem importare naturam divinam in recto, et relationem in obliquo.

592. — Ibid. 1. 5.

Probatur sequela. Principium, quo agens agit, importat in recto naturam, si natura sit ipsa virtus agendi : Sed potentia ad actum notionalem, est principium, quo una persona agit et producit aliam, ut patet ex dictis : Ergo in Deo, in quo virtus activa est ipsa substantia, potentia ad actum notionalem importabit substantiam : et potentia quidem ad generationem importabit naturam, ut natura est; potentia vero spirativa importabit substantiam, quatenus est ipsa voluntas. In obliquo tamen potentia generativa importabit Paternitatem, ita ut intellectus ut natura non sit potentia generativa, nisi ut connotat ipsam Paternitatem, tanquam constitutivam principii *quod* ipsius generationis, et voluntas divina non importabit potentiam spirandi, nisi ut connotat Paternitatem et Filiationem ut constitutivam duorum spirantium, qui sint nihilominus unum principium, ratione unius virtutis spirativæ, ut supra explicatum est.

Sequitur 593. Nullum actum notionalem posse terminari ad plures personas.

593. — Ibid. a. 6.

Probatur sequela. Ubi non possunt esse plures termini unius et ejusdem actus, non potest actus ille terminari ad plures terminos : Sed in divinis non possunt esse plures termini unius et ejusdem actus notionalis : Ergo, etc. *Minor probatur :* Ubi non est distinctio materialis actuum, et quilibet actus terminatur naturaliter ad omnia, ad quæ potest secundum suam rationem terminari, et terminus est infinite perfectus, non possunt esse plures termini unius et ejusdem actus notionalis : Sed in divinis non est distinctio materialis, sicut non est materia, ex dictis, et quilibet actus terminatur per modum naturæ ad omnia, ad quæ potest terminari, quia, ut diximus, quilibet actus est infinitus, sicut et terminus sive persona quælibet est infinita, ut supra probatum est : Ergo, etc.

Sequitur 594. In divinis esse æqualitatem.

594. — 1. p. q. 42. a. 1.

Probatur sequela. Ubi sunt tres personæ habentes eamdem naturam, idem esse, et eamdem operationem, est æqualitas, non quantitatis molis, sed virtutis : Atqui in Deo sunt tres personæ habentes eamdem naturam, idem esse, eamdem operationem, ut constat ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 595. Hanc æqualitatem divinarum personarum inter se, non esse aliam relationem, quam illam, qua inter se distinguntur.

Probatur sequela. Una relatio non refertur ad aliam alia relatione : Sed personæ divinæ sunt ipsæmet relationes, quibus distinguntur : Ergo personæ divinæ non referuntur alia relatione ; atque adeo relatio æqualitatis non est alia relatio a relationibus, quibus distinguntur. *Major patet* : quia alias daretur processus in infinitum : si enim una relatio referretur alia relatione, rursum ista referretur alia, et sic in infinitum.

Sequitur 596. Personas divinas esse coæternas.

596. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Personæ, quarum una procedit ab alia tanquam ab agente naturali, perfecto, æterno, non per actionem successivam, debent esse coæternæ : Sed personæ divinæ ita se habent ; nam a Patre perfecto et æterno tanquam ab agente naturali procedit Filius, et a Patre ac Filio ut uno principio perfecto et æterno ut ab agente naturali procedit Spiritus sanctus ; et neutra illarum actionum sive processionum est actio successiva, sicut nec materialis et cum motu, ut constat ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 597. In divinis esse ordinem naturæ absque prioritate.

597. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Ubi est origo, est etiam ordo naturæ, et si sit origo unius æterni ab altero coæterno, ille ordo est absque prioritate : Sed in divinis est origo unius personæ æternæ ab altera coæterna, ex dictis : Ergo est etiam ordo naturæ absque prioritate. Intellige de prioritate instantis, *in quo*.

Sequitur 598. Filium in divinis esse æqualem Patri secundum magnitud nem.

598. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Perfectio naturæ est magnitudo divina : Sed Filius est æqualis Patri in perfectione naturæ : Ergo est æqualis Patri in magnitudine. *Major patet :* quia in rebus immaterialibus non est alia magnitudo, quam ipsa perfectio ; et in Deo nulla perfectio est accidentalis, ut supra ostendimus. *Minor jam probata est*, quia in divinis Filius recipit eamdem omnino naturam cum omni ipsius perfectione.

Sequitur 599. Patrem esse in Filio et Filium in Patre, et Spiritum sanctum in utroque, et utrumque in Spiritu sancto.

599. — Ibid. a. 5.

Probatur sequela. Ubi una et eadem est essentia in pluribus sola relatione originis inter se distinctis, unus est in alio, et e contra : Sed in divinis personis est una et eadem essentia in tribus sola relatione originis inter se distinctis, ex dictis : Ergo una persona divina est in alia, *Major patet* : quia ubi est una essentia in pluribus sola relatione originis distinctis, oportet, quod quilibet sit sua essentia, atque adeo, quod quilibet sit, ubi est sua essentia : Sed essentia unius est in alio : Ergo et ipse est etiam in alio. Similiter si sola relatione originis distinguantur, oportet quod sint unus in alio ; quia in conceptu unius relationis includitur quodammodo conceptus alterius, v. g. in conceptu relationis Patris includitur conceptus Filii, et e contra. Denique origo, quæ

est per actionem immanentem, exigit, ut terminus maneat in eo, qui est principium; et sic Verbum manet in dicente; et amor in amante. Hanc mutuam unius personæ in alia existentiam Theologi vocant nomine circuminsessionis, quatenus una persona est in alia et veluti residet in illa, et e contra.

Sequitur 600. Filium in Divinis esse æqualem Patri secundum potentiam; et idem dicendum de Spiritu sancto.

600. — Ibid. a. 6.

Probatur sequela. Ubi eadem est perfectio naturæ, est etiam eadem potentia, quia potentia vel est ipsa perfectio naturæ, vel consequitur perfectionem naturæ : Sed Filius est æqualis Patri secundum perfectionem naturæ, ex dictis : Ergo Filius est æqualis Patri secundum potentiam. Et eadem ratio concludit, quod etiam Spiritus sanctus est æqualis Patri et Filio.

Sequitur 601. Eadem essentia, quæ in Patre est Paternitas et potentia generandi active, in Filio est filiatio et potentia generandi, ut sic dicamus, passive.

601. — Ibidem.

Probatur sequela. Eamdem potentiam esse in Patre ac in Filio, est eamdem essentiam esse in Patre ut in dante, et in Filio, ut in accipiente : Atqui sic est; nam eadem essentia est in tribus personis, ut dictum est; sed in Patre essentia est, ut in communicante illam Filio; in Filio autem est eadem essentia ut communicata ipsi a Patre ut generante; et similiter eadem essentia ut voluntas est in Patre et Filio, ut in uno principio communicante illam Spiritui sancto; et est in Spiritu sancto, ut communicata a Patre et Filio ut uno principio spirante : Ergo, etc.

Sequitur 602. Hanc æqualitatem, quæ reperitur in divinis, esse etiam similitudinem.

602. — Ibid. a. 1.

Probatur sequela. Æqualitas in magnitudine non molis sed virtutis, est similitudo; quia eadem quantitas virtutis facit similitudinem : Sed æqualitas, quæ est inter divinas personas, est æqualitas in magnitudine virtutis et perfectionis, ex dictis : Ergo æqualitas, quæ est in divinis, est similitudo : quia tamen similitudo non excludit excessum (possunt enim aliqua esse similia v. g. in albedine, licet unum sit magis album, quam aliud), idcirco melius explicatur divinarum personarum perfecta identitas in natura nomine æqualitatis, quæ omnem excessum excludit, quam nomine similitudinis.

Sequitur 603. Alicui personæ divinæ posse convenire missionem, sive mitti.

603. — 1. p. q. 43. a. 1.

Probatur sequela. Mitti non importat nisi duo, videlicet, habere originem ab aliquo, et novam habitudinem respectu termini, respectu cujus fit missio : Sed utrumque horum potest convenire divinæ personæ : Ergo mitti potest convenire alicui personæ divinæ. *Major declaratur :* Mitti importat habitudinem missi ab eo, a quo mittitur, et habitudinem ad terminum ad quem mittitur, ut patet ex terminis : Sed habitudo missi ad mittentem est habitudo processionis, vel ratione imperii; et sic Dominus dicitur mittere servum, quia imperat illi, ut eat; vel ratione consilii; et sic consulens quodammodo dicitur mittere illum, cui consulit, ut eat; vel denique ratione solius originis, et sic flos emittitur ab arbore, quia originem sumit ab arbore, Ergo dummodo salvetur una habitudo ex istis, salvatur ratio missionis. Quantum vero ad habitudinem ad terminum ad quem, evidens est illam includi in

missione. *Hinc etiam probatur minor:* quia habitudo originis convenit Filio et Spiritui sancto, uterque enim est ab alio : Habitudo etiam ad terminum ad quem potest convenire divinæ personæ, ut ostendemus; quia licet quælibet persona divina sit semper ubique, potest tamen esse alicubi novo modo ; ad hoc enim non requiritur mutatio ulla in divina persona, sed sufficit sola mutatio ex parte termini ad quem : Ergo, etc.

Sequitur 604. Missionem, qua parte importat originem, esse æternam ; qua vero parte importat habitudinem ad terminum ad quem, esse temporalem.

604. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Origo omnis est æterna in divinis, ut patet ex dictis : Ergo missio ex parte originis est æterna : habitudo autem ad terminum *ad quem* non potest esse nisi temporalis : quia est ratio, qua persona divina fit speciali modo præsens respectu creaturæ : Ergo, etc.

Sequitur 605. Divinam personam invisibiliter non mitti, nisi secundum gratiam sanctificantem.

605. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Divina persona non fit speciali modo præsens, nisi in anima justi per gratiam sanctificantem : Sed divina persona mittitur invisibiliter, quatenus fit præsens speciali modo respectu creaturæ : Ergo divina persona non mittitur invisibiliter, nisi quatenus in anima justi fit præsens per gratiam sanctificantem. *Minor patet ex dictis : Major probatur :* Ut divina persona sit speciali modo præsens, non debet esse tantum præsens per essentiam, præsentiam, potentiam ; hic enim modus non est specialis, sed communis, quo Deus semper est præsens in omnibus : Ergo ut sit speciali modo præsens debet esse præsens aliquo alio modo : Hic autem modus est, quando fit præsens in creatura rationali per gratiam sanctificantem ; in illa enim fit præsens ut cognitum in cognoscente, et amatum in amante.

Sequitur 606. Hunc modum specialem, quo persona divina fit præsens in anima justi per gratiam sanctificantem, esse distinctum ab eo, quo Deus præsens est in omnibus rebus per operationem.

606. — Ibidem.

Probatur sequela. Præsentia Dei in omnibus rebus per essentiam, præsentiam, et potentiam, est eadem cum præsentia per operationem ; ratione siquidem utriusque est communiter in omnibus rebus : Sed præsentia divinæ personæ in anima justi est distincta a modo, quo Deus est præsens omnibus rebus per præsentiam, essentiam et potentiam, ex dictis : Ergo præsentia illa personæ divinæ in anima justi est distincta ab illa, qua est præsens omnibus rebus per operationem.

Sequitur 607. Hanc præsentiam in anima justi esse modo proportionato ipsi animæ, quoad hoc, quod licet sit supernaturalis, convenit tamen animæ, quatenus est intellectualis.

607. — Ibidem.

Probatur sequela. Præsentia, quæ oritur in anima justi ex aliquo effectu supernaturali, est quidem supernaturalis, sed cum sit propria creaturæ intellectuali, ita ut aliis nequeat competere, convenit ipsi quatenus est intellectualis : Atqui præsentia Personæ divinæ in anima justi est propria naturæ intellectuali : Ergo convenit illi, quatenus est intellectualis.

Sequitur 608. Hanc præsentiam in anima justi esse per cognitionem et amorem.

608. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod convenit naturæ intellectuali, quatenus intellectualis est, convenit ei per cognitio

nem et amorem; quia, ut diximus, sola potentia cognoscitiva et voluntas conveniunt naturæ intellectuali ut sic : Sed præsentia hæc divinæ personæ convenit animæ justi, ut est naturæ intellectualis : Ergo convenit ipsi per cognitionem et amorem.

Sequitur 609. Hanc cognitionem et amorem, ratione cujus potest illa præsentia convenire divinæ personæ respectu animæ justi, debere esse cognitionem et amorem supernaturalem.

609. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod est in anima justi, ut justus est, debet esse supernaturale, quia, ut alias ostendemus, non est justus nisi per gratiam sanctificantim, quæ est supernaturalis : Sed præsentia illa divinæ personæ est in anima justi, ut justus est, ratione cognitionis et amoris, ex dictis : Ergo cognitio illa et amor, qui facit hanc præsentiam, est supernaturalis.

Sequitur 610. Hanc cognitionem et amorem, quibus fit præsens persona divina, esse quodammodo connaturalem animæ justi, ut justus est.

610. — Ibidem.

Probatur sequela. Per cognitionem et amorem non connaturalem justo, ut justus est, persona divina non fit præsens, quia nec justus esse potest per hujusmodi cognitionem et amorem, ut patet ex dictis : Ergo debet esse connaturalis.

Sequitur 611. Hanc connaturalitatem cognitionis et amoris in eo sitam esse, quod non solum gratia tanquam participatio naturæ divinæ est in anima justi, sed etiam dona Spiritus sancti, per quæ cognoscit et amat Deum tanquam intrinsece inhabitantem; judicat de rebus omnibus non secundum regulas prudentiæ etiam supernaturalis, sed per quamdam connaturalitatem ex præsentia ipsius Dei, et ex amore perfecto tum Dei erga animam, tum animæ erga Deum : et quia amor, ut alias diximus, facit unionem non solum affectuum, sed etiam realem, quantum potest, hinc oritur, quod cum amor amicitiæ Dei erga creaturam sit perfectissimus, et aliunde Deus possit illabi et fieri præsens ipsi animæ, Deus seipsum præsentem reddit animæ, cum qua contrahit amicitiam : et sic anima efficitur templum Dei, qui est in illa ut objectum cognitum connaturaliter, et amatum amore amicitiæ.

611. — Ibid. ei 1. 2, q. 68. a. 1. et 2.

Hæc sequela. Non alio modo probatur, nisi quia omnes alii modi, quibus hæc præsentia posset explicari, sunt insufficientes, ut patet ex dictis.

Sequitur 612. Patri æterno non posse convenire mitti.

612. — 1. p. q. 43. a. 4.

Probatur sequela. Missio importat originem ab alio, ut ostendimus : Sed Patri æterno non convenit origo ab alio : Ergo nec missio.

Sequitur 613. Filio convenire, quod mittatur invisibiliter.

613. — Ibid. a. 5.

Probatur sequela. Ad missionem invisibilem requiritur origo ab alio, et inhabitatio in anima justi, ex dictis : Sed utrumque competit Filio, qui est ab alio, scilicet Patre, et inhabitat mentem; quia, ut diximus, Deus est specialiter præsens in anima justi : Ergo Filio convenit invisibilis missio. Et eadem est ratio de Spiritu sancto.

Sequitur 614. Missionem Filii et Spiritus sancti invisibilem fieri ad omnes, qui de novo participant gratiam, vel augmentum ejus.

614. — Ibid. a. 6.

Probatur sequela. Missio invisibilis requirit originem, et quod novo modo

persona missa fiat præsens, quomodo prius non erat : Sed hoc utrumque reperitur, quando homo de novo participat gratiam vel augmentum ejus, ut patet ex dictis ; quando enim gratia semel habita non augetur, non tam est missio, quam inhabitatio permanens.

Sequitur 615. Spiritui sancto convenire ut visibiliter mittatur.

615. — Ibid. a. 7.

Probatur sequela. Ut missio Spiritus sancti invisibilis innotesceret homini, debuit visibilis fieri, ad hoc ut homo per visibilia in invisibilium notitiam deveniret : Sed conveniens fuit, ut missio Spiritus sancti invisibilis innotesceret homini : Ergo etiam conveniens fuit, ut Spiritus sanctus visibiliter mitteretur.

Sequitur 616. Etiam conveniens fuisse, ut Filius mitteretur ad designandam originem ipsius, et invisibilem ejus missionem.

616. — Ibidem.

Sed adverte quasdam inter utramque hanc missionem differentias ; *prima* est quod sicut Filius in divinis est principium Spiritus sancti, et ipse Spiritus sanctus ex vi suæ processionis est donum, et hoc ipso quod est sanctus, est donum sanctificans ; ita missio visibilis Filii debuit esse ad hoc, ut esset auctor et causa agens, et producens ipsam sanctificationem ; missio vero Spiritus sancti debuit esse tanquam indicium sanctificationis Hinc oritur *secunda* differentia, quod Filius, dum fuit missus visibiliter, debuit assumere in unitatem personæ naturam, secundum quam mitti dicebatur, quia mittebatur, ut ageret ; agere vero est subsistentium et personarum ; sed Spiritus sanctus non debebat sibi unire personaliter illas naturas secundum quas dicebatur mitti. Vide alias differentias in D. Thom, 1. p. q. 43. 3. 7. per totum.

Sequitur 617. Missionem stricte sumptam non competere, nisi personæ divinæ in ordine ad illam personam, a qua habet originem, ita, ut Filius a solo Patre, Spiritus sanctus a Patre et Filio mittatur.

617. — Ibid. a. 8.

Probatur sequela. Missio proprie et stricte importat formaliter originem, et non tantum materialiter, ut patet ex dictis : Sed ad hoc necessarium est, ut illa origo sit respectu personæ mittentis ; alias enim origo materialiter se haberet : Ergo ad missionem proprie et stricte sumptam requiritur, quod persona missa sit per originem a mittente. Atqui hinc constat quod ad missionem large dictam non requiritur, quod persona missa dicat relationem originis ad personam mittentem, sed sufficit, quod sit per originem ab alia, ut mitti dicatur : Unde Filius dicitur. Is. 48 missus a se et a Spiritu sancto. *et in Concilio Toletano ij. in confessione fidei* dicitur etiam Filius missus non solum a Patre, sed etiam a Spiritu sancto ! Quod intelligi debet de missione large dicta, ut constat.

PARS SECUNDA

DE DEO AUCTORE ET FINE CREATURARUM.

DISSERTATIO I[a]

DE DEO AUCTORE RERUM.

CAPUT I

De creatione et principio durationis rerum.

Sequitur 618. Deum esse causam efficientem omnium aliorum entium.

618. — 1. p. p. 44. a. 1.

Probatur sequela. Primum ens per se subsistens est causa efficiens omnium aliorum entium : Sed Deus est primum ens per se subsistens, ut ostensum est : Ergo Deus est causa efficiens omnium entium. *Major probatur :* quia quod est per participationem, ut sic, est ab eo, quod est per essentiam tale. Deinde quia id quod solum est ens actu, debet esse causa efficiens ejus quod non est nisi in potentia ; oportet enim illud, quod est potentia, reduci de potentia ad actum per aliquid, quod sit in actu : Sed solus Deus est ens actu secundum se, cum sit solus actus purus, ut dictum est : Ergo solus Deus potest reducere de potentia ad actum reliqua omnia, quæ sunt entia in potentia.

Sequitur 619. Deum attingere effective omnia, quæ quocumque modo habent rationem entis.

619. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod est causa omnium aliorum entium, attingit omnia, quæ habent rationem entis; Sed Deus, ex dictis, est causa efficiens omnium aliorum entium : Ergo Deus attingit effective quidquid habet rationem entis.

Sequitur 620. Deum attingere effective omnia sub aliqua ratione formali proportionata.

620. — Ibidem.

Probatur sequela. Causa attingens effective omnia, quæ habent rationem entis, debet ea attingere sub una aliqua ratione formali proportionata : Sed Deus est causa attingens effective omnia : Ergo illa attingit sub aliqua ratione formali proportionata, id est, quæ ita late pateat, sicut et ipsa causalitas et ipsa ratio causata.

Sequitur 621. Deum attingere effective omnia sub universalissima ratione entis.

621. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui attingit effective omnia sub ratione proportionata, id est, quæ æque late patet, ac ipsa causalitas et ratio causata, debet attingere sub ratione entis ; quia nulla alia ratio æque late patet ac omnia, nisi ratio entis : Sed Deus attingit effective omnia sub ratione proportionata, id est, quæ, æque, late patet ac ipsa omnia: Ergo, etc.

Sequitur 622. Materiam primam esse productam a Deo.

622. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Quidquid habet

rationem entis a Deo distincti, est productum a Deo : Sed materia prima habet rationem entis distincti ab ipso Deo : Ergo illa est producta a Deo. *Minor probatur ex dictis supra* : Quia materia prima non est omnino nihil, cum sit pars compositi ; nec potest esse Deus, propter eamdem rationem, quia, ex dictis supra, Deus non potest esse pars ullius compositi.

Sequitur 623. Deum esse causam æquivocam omnium rerum.

623. — Ibidem.

Probatur sequela. Causa omnium sub ratione entis est causa æquivoca, id est, quæ non producit sibi simile in specie, sed attingit rationem quamdam, quæ non est una perfecte : Sed Deus est causa omnium sub ratione entis, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 624. Deum esse causam universalissimam.

624. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod est causa omnium est causa universalissima : Sed Deus est causa omnium : Ergo est causa universalissima.

Sequitur 625. Deum esse etiam causam exemplarem omnium.

625. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Causa intelligens, et producens determinatam formam, debet habere aliquam rationem exemplarem, ad cujus imitationem illam formam determinatam producat, ut constat : Sed Deus est causa omnium, et est intelligens, ex dictis, et producit determinatam formam, ut constat experientia : Ergo debet habere aliquam rationem exemplarem, ad cujus imitationem illam formam determinatam producat, ut constat : Illa vero forma determinata, vel est aliquid extra Deum, vel est aliquid intra Deum, si est aliquid extra, ergo est productum a Deo, atque adeo ad illud producendum requiritur exemplar ; de quo iterum quæro, an si extra Deum, necne, et sic in infinitum. Si vero illa ratio exemplaris dicatur esse aliquid intra Deum, ergo est ipse Deus ; quia quidquid est in Deo, Deus est : Ergo Deus est ipsa causa exemplaris.

Sequitur 626. Deum esse finem rerum omnium.

626. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Quod agens intendit, et ad quod passum sive effectus ordinatur, est finis : Sed Deus producens omnia nihil aliud intendit, nisi seipsum ; nam omnia ordinat in seipsum : Ergo ipse est finis omnium. *Minor probatur :* Actus purus nihil intendit ut a se acquirendum, cum nihil possit illi de novo advenire, ut dictum est, sed intendit tantum communicare suam perfectionem, et ad hanc etiam communicationem ordinat omnia : Sed Deus est actus purus : Ergo Deus nihil aliud intendit, nisi communicare suam perfectionem. Hoc autem est ipsum esse finem omnium, ut constat : Ergo, etc. *Major patet :* quia actus purus est etiam summum bonum.

Sequitur 627. Deum posse creare, imo et de facto creasse.

627. — 1. p. q. 45. a. 2.

Probatur sequela. Quod potest producere ens ut ens, potest creare, imo si detur de facto aliquod ens productum debet illud creasse : Sed Deus producit ens ut ens, ex dictis, et de facto constat multa produxisse : Ergo potest creare, et de facto creavit. *Major patet :* Quia creare est ex nihilo producere, sive producere nullo supposito subjecto : Sed qui producit ens ut ens, producit ex nihilo, sive ex non supposito subjecto : Ergo creat. *Minor probatur ;* quia, si ille, qui producit ens ut ens, supponeret aliquod subjectum, illud subjectum vel esset ens, vel non ens : Si non esset ens, ergo esset nihil, et sic ex nihilo res esset producta. Si illud subjectum esset ens, illud ens vel esset productum, vel non : Si non esset productum, esset Deus, ut ostensum est supra, atque

adeo Deus ex seipso illud produxisset, non tanquam ex materia quia cum Deus sit actus purus, non potest esse potentia : materia autem est potentia : Ergo illud ens fuisset productum a Deo, sive, Deus illud produxisset ex seipso non tanquam ex materia, sed tanquam ex causa efficiente : Si autem illud subjectum esset productum ; ergo esset productum a Deo ex non subjecto, atque adeo ex nihilo, et consequenter esset creatum : Deus ergo illud creasset.

Sequitur 628. Creationem non esse motum vel mutationem proprie dictam.

628. — Ibid. a. 21.

Probatur sequela. Omnis motus vel mutatio proprie dicta fit præsupposito subjecto ; unde terminus motus et mutationis proprie dictæ est ex præsupposito subjecto : Sed terminus creationis non fit ex præsupposito subjecto, ex dictis . Ergo creatio non est motus vel mutatio proprie dicta. *Major patet :* quia motus et mutatio proprie dicta, cum sint accidentia, exigunt subjectum.

Sequitur 629. Creationem active sumptam importare actionem Dei, qua vult vel imperat rem fieri ex nihilo.

Probatur sequela. Actio potentiæ executivæ in Deo est, qua vult vel imperat rem aliquam fieri sive poni : Sed creatio active sumpta est actio potentiæ executivæ : Ergo est actio, qua vult vel imperat rem fieri ex nihilo : *Major patet ex dictis supra :* diximus enim potentiam executivam in Deo non distingui ab intellectu et voluntate. *Minor est etiam certa ex dictis.*

Sequitur 630 Creationem passive sumptam nihil importare nisi rem ipsam creatam, cum relatione reali sed transcendentali ad Deum creantem, et dantem de novo esse.

630. — Ibid. in 6.

Probatur sequela. Remoto motu et mutatione ab actione et passione nihil remanet in actione et passione nisi relatio : Sed a creatione passive sumpta, debet removeri motus et mutatio, ex dictis : Ergo creatio passive sumpta non est nisi entitas creata cum relatione reali. Quod autem illa sit transcendentalis, patet, quia illa relatio imbibitur in omni absoluto.

Sequitur 631. Creationem non esse quid medium inter Deum et ipsam rem creatam.

631. — Ibid. in 2.

Probatur sequela. Actio, quæ non est cum motu et mutatione, et quæ est ex parte termini ipsa res producta cum respectu ad agens, non est quid medium inter terminum productum et agens : Sed creatio est hujusmodi ex dictis : Ergo non est quid medium.

Sequitur 632. Creationem, licet non sit mutatio quantum ad rem, esse tamen mutationem quoad modum significandi tantum.

632. — 1. p. q. 45. a. 2. ad 2.

Probatur sequela. In omni mutatione proprie dicta oportet, quod idem se habeat aliter nunc ac prius : Sed hoc non contingit in creatione quantum ad rem, licet quoad modum significandi ita se habere quodammodo denotetur : Ergo licet creatio non sit mutatio quoad rem, videtur tamen mutatio quoad modum significandi. *Major patet.* in mutatione secundum quantitatem et qualitatem, in qua idem realiter manet ; in mutatione autem substantiali manet etiam idem aliquo modo, quatenus eadem materia fit sub una forma substantiali, quæ prius erat sub alia. *Minor vero probatur quoad primam partem :* quia in creatione, cum producatur totum ens, nihil potest esse idem ante creationem, ac post ipsam. *Secunda vero pars minoris patet :* quia licet nihil reipsa maneat idem ante et post creationem, intelligitur tamen quasi idem esset ante, eo ipso quod dicitur res creari : nam v. g. dum dico, angelus

creatur, prius intelligo angelum, qui est subjectum hujus propositionis, quam intelligam creationem, et post intellectam creationem intelligo angelum habere esse de novo, quod prius non habebat : unde concipio secundum modum significandi eumdem angelum manere post creationem, quem intelligebam prius ut subjectum in ea prædicatione.

Sequitur 633. Solum Deum creare principaliter.

633. — Ibid. a. 5.

Probatur sequela. Producere principaliter ens ut ens, est principaliter creare, ex dictis : Sed solus Deus producit ens ut ens principaliter, sicut probatum est, cum producat per se primo ens ut ens : Ergo solus Deus creat principaliter. Quod vero non possit dari instrumentum ad creationem, ostendemus in tertio principio.

Sequitur 634. Creare non esse proprium alicui personæ divinæ.

634. — Ibid. a. 6.

Probatur sequela. Quod convenit Deo, ut est ens per essentiam sive ipsum esse per se subsistens, est commune tribus personis divinis, et non proprium alicui personæ, ut est evidens ex dictis supra : Sed creare sive producere ens ut ens convenit Deo, ut est ens per essentiam, sive ut est ipsum esse per se subsistens ; ex hoc enim fit, quod ens per participationem debeat esse ab ipso : Ergo creare est commune omnibus personis divinis et non proprium alicui.

Sequitur 635. Deum per voluntatem suam creasse.

635. — 1. p. q. 46, a. 1.

Probatur sequela. Perfectissimus modus agendi respectu effectuum, qui non adæquant totam perfectionem causæ, est agere per voluntatem : Sed Deo debet competere perfectissimus modus agendi, ut patet ex dictis ; et aliunde nullum ens creatum adæquat ...m perfectionem Dei, ut probatum est, cum Deus sit causa æquivoca : Ergo Deo competit creare et agere ad extra per voluntatem.

Sequitur 636. Deum libere creasse.

636. — Ibidem.

Probatur sequela. Agens per voluntatem libere agit, si perfecte cognoscat effectum, et effectus non adæquet totam perfectionem causæ : Atqui Deus est agens per voluntatem, perfecte cognoscit effectum, et effectus ipsius non adæquat perfectionem Dei, ut constat ex dictis : Ergo Deus ad extra libere agit, et consequenter libere creat. *Major patet ex his*, quæ in primo principio diximus de libertate ; ostendimus enim quod quotiescumque intellectus proponit voluntati objectum indifferens, voluntas libere fertur in illud : Sed in agente per voluntatem, objectum producendum proponitur ut indifferens si perfecte cognoscatur, et effectus non habeat omnimodam perfectionem sive omnimodam rationem boni, atque adeo non adæquet totam virtutem ipsius voluntatis : Ergo agens per voluntatem libere agit, si perfecte cognoscat effectum, et effectus non adæquet totam perfectionem causæ.

Sequitur 637. Deum creasse quando, et quomodo voluit.

Probatur sequela. Qui libere agit, agit quando et quomodo vult, ut patet : Sed Deus libere egit et creavit : Ergo creavit quando et quomodo voluit.

Sequitur 638. Mundum potuisse esse ab æterno.

638. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Qui creat rem quando vult, et quomodo vult, potest illam producere, statim ut vult, præsertim si voluntas ejus sit omnipotens : Sed Deus creat mundum, quando vult, et quomodo vult, et ejus voluntas est omnipotens : Ergo potest illum creare statim ut vult : cum ergo velit ab æterno, potuit etiam creare ab

æterno. *Major constat;* quia causa agens actione sine motu non debet necessario præcedere tempore vel duratione suum effectum, sed sufficit quod præcedat natura et causalitate : Sed creatio est sine motu, ut dictum est : cum ergo non sit necessarium, quod causa creans duratione præcedat rem creatam, sed sufficiat et quod præcedat illam natura et causalitate, poterit causa creans et omnipotens statim ubi voluerit creare.

Sequitur 639. Mundum potuisse esse ab æterno quoad omnia permanentia.

639. — Ibid. ad 1. et opusc. 27.

Probatur sequela. Mundus potuit esse ab æterno : Sed permanentia constituuntur mundum : Ergo quoad permanentia potuit esse ab æterno.

Sequitur 640. Etiam successiva potuisse esse ab æterno, hoc sensu, quod nullum est designabile tempus imaginarium, ante quod non potuerit esse aliud et aliud successivum in infinitum, et si sumeretur tota collectio successivorum, illa tota infinita numero syncategorematice esset ab æterno.

640. — In 2. dist. 1. q. 1. a. 5. 5. opusc. 27. q. 3. de pot. a. 17. ad 17.

Probatur sequela. Permanentia potuerunt esse ab æterno : Sed statim ubi fuerunt permanentia, potuerunt moveri motu successivo; hoc enim non repugnat : Ergo etiam successiva potuerunt esse ab æterno.

Sequitur 641. In casu, quo mundus fuisset ab æterno, non potuisse nihilominus dari multitudinem rerum actu infinitam.

641. — 2. contr. gent. c. 38.

Probatur sequela. In casu, qui non repugnat, non potest esse, quod implicat : Sed non repugnat, mundum fuisse ab æterno : Ergo in eo casu non potuisset dari multitudo actu infinita, quæ, ut alias probatum est in primo principio, implicat.

Sequitur 642. In casu, quo mundus fuisset ab æterno, non potuisse dari generationes hominum vel creationes angelorum in singulis partibus illius durationis coæternæ ipsi æternitati.

642. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia alias daretur multitudo animarum et angelorum infinita; quod repugnat, ut diximus.

Sequitur 643. Mundum posse durare in æternum cum solo concursu ordinario Dei.

643. — Opusc. 27.

Probatur sequela. Virtus omnipotens, quæ conservat, nec finitur, nec lassatur tempore, potest in æternum præstare, quod præstat : Sed virtus Dei est omnipotens, quæ nec finitur nec lassatur tempore : Ergo potest in æternum præstare quod præstat, adeoque conservare mundum cum solo concursu ordinario si voluerit, præsertim quia nulla est ex parte rerum repugnantia, ut patet ex dictis.

Sequitur 644. Casu, quo mundus fuisset ab æterno, præsertim quoad successiva, etiam tempus potuisse esse ab æterno.

644. — Ibidem.

Probatur sequela. Statim ubi est motus successivus, est etiam tempus : Sed motus potuit esse ab æterno, ex dictis : Ergo et tempus.

Sequitur 645. Mundum incæpisse, aut finiendum esse, sola fide teneri.

645. — 1. p. q. 29. a. 4.

Probatur sequela. Quod ex sola Dei voluntate dependet, nec manifestatur clare ipso effectu, sola revelatione voluntatis divinæ, atque adeo sola fide cognoscitur : Sed quod mundus incœperit vel finiendus sit, pendet a sola Dei voluntate, cum, ut dictum est : potuerit esse ab æterno, et possit durare in æternum : Ergo hoc sola revelatione et fide cognosci potest. Et ita de fide est, mundum non esse

æternum, sed incœpisse, et finiendum esse.

Sequitur 646. Posse nihilominus adduci rationem probabilem incœptionis et desitionis mundi.

646. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia manifestius mundus ducit in cognitionem divinæ potentiæ creantis et divinæ independentiæ, si mundus non semper fuit, et aliquando debet desinere saltem quoad aliqua, nimirum, quoad mixta omnia, excepto homine.

Sequitur 647. Creationem rerum fuisse in principio temporis.

647. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Mundum fuisse creatum in principio temporis, nihil est aliud, quam tempus simul fuisse creatum cum mundo : Atqui hoc est verum : Ergo et illud. Adverte autem, quod quando dicitur tempus fuisse creatum simul cum mundo, non est sensus, quod in illo instanti creationis fuerit aliqua pars temporis, sed solum, quod in illo instanti incœpit tempus per ultimum sui non esse, quando verum fuit dicere, tempus nunc non est, immediate postea erit.

CAPUT II.

De distinctione rerum.

Sectio 1ª. — De distinctione rerum in communi.

Sequitur 648. Dictinctionem rerum in mundo a sola Dei efficientia provenire.

Probatur sequela. Quando omnes effectus, ut sunt ens, pendent a sola aliqua causa, etiam distinctio, quæ est inter effectus, pendet ab illa eadem causa : Sed totus mundus ut est ens, pendet a solo Deo creante, id est, producente totum ens sub ratione entis ad manifestandam suam bonitatem, ex dictis : Ergo distinctio effectuum universi pendet etiam a solo Deo, qui voluit per diversas res manifestare bonitatem suam; quia per unam creaturam non poterat sufficienter manifestari. *Major patet :* Quia distinctio inter effectus non potest esse, nisi per aliquam rationem entis.

Sequitur 649. Inæqualitatem rerum esse a Deo.

649. — 1. p. q. 47. a. 1.

Probatur sequela. Quod est causa omnis distinctionis rerum, est causa inæqualitatis; quia ipsa inæqualitas; est distinctio : Sed Deus est causa omnis distinctionis, ex dictis : Ergo est causa inæqualitatis.

Sequitur 650. Ordinem etiam rerum esse a Deo.

Probatur sequela. Ordo effectus est ab agente per intellectum; quia intellectus ordinat : Sed Deus est agens per intellectum : Ergo ordo universi est a Deo.

Sequitur 651. Ordinem universi esse unum.

651. — Ibid. a.2.

Probatur sequela. Ordo ad unum est unus : Sed ordo universi est ad unum, scilicet, ad ipsum Deum tanquam principium et finem : Ergo ordo iste universi est unus.

Sequitur 652. Ordinem universi manifestare mundi unitatem.

652. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Idcirco universum est unum unitate ordinis, ut manifestet ipsam unitatem Dei tanquam principii et finis, ut patet ex dictis : Sed hæc manifestatio tolleretur, si plures essent mundi, quia non esset unus ordo : Ergo hic ordo universi manifestat unitatem mundi. Adverte tamen, quod hæc ratio est tantum congruentia, et non demonstratio.

Sequitur 653. In universo debuisse esse bonum et malum.

653. — Ibidem.

Probatur sequela. Ubi est inæquali-

tas, est bonum et malum; est enim aliquid, quod non potest deficere, et aliquid quod potest deficere : Sed in mundo est inæqualitas, ut ostensum est : Ergo in mundo est bonum et malum.

Sequitur 654. Deum esse causam mali naturalis et mali pœnæ.

654. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod est causa totius entitatis et inæqualitatis, est causa mali naturalis, et mali pœnæ, sine quo malo non esset inæqualitas, sicut non esset justitia : Sed Deus est causa totius entitatis et inæqualitatis, ex dictis : Ergo est causa mali naturalis et mali pœnæ : Quod autem non sit causa mali culpæ, alias manifeste ostendemus.

Sectio 2ª. — De distinctione corporalis et spiritualis creaturæ.

Sequitur 655. Dari in universo creaturas spirituales et corporales.

555. — 1. p. q. 50. a. 1.

Probatur sequela. Quod est causa prima entitatis et inæqualitatis in universo ad manifestandam suam perfectionem, debet produxisse creaturas spirituales et corporales : Sed Deus est causa prima entitatis et inæqualitatis in universo ad manifestandam suam perfectionem : Ergo debet produxisse creaturas spirituales et corporales : *Major est evidens,* quia creaturæ corporeæ, quas constat esse creatas, non ita clare manifestant perfectionem causæ primæ, utpote, quæ agit per intellectum et voluntatem; unde ut manifestaret se ut principium intellectuale necesse erat, quod poneret in universo creaturas, quæ agerent per intellectum et voluntatem atque adeo quæ essent immateriales et spirituales.

Sequitur 656. Debere dari creaturas pure spirituales in universo.

656. — Ibidem.

Probatur sequela. Ut manifestetur perfectio et modus agendi causæ primæ, debent dari creaturæ pure spirituales : Sed Deus mundum condens ad manifestandam suam perfectionem, maxime debuit manifestare illam, quæ ipsi competit in modo agendi, quatenus est causa prima : Ergo Deus mundum condens maxime debuit efficere, ut darentur creaturæ pure spirituales. *Major patet ex dictis. Minor est evidens,* quia creaturæ corporales, aut mixtæ ex corpore et anima non manifestant illam perfectionem, quam habet causa prima in modo agendi.

Sequitur 657. Debere dari angelos.

657. — Ibidem.

Probatur sequela. Creaturæ pure spirituales sunt angeli; has enim solas intelligimus nomine angelorum : Sed debent dari creaturæ pure spirituales Ergo debent dari angeli.

Sequitur 658. Angelos debere esse in magno numero.

658. — Ibid. a. 3.

Probatur. sequela. Quod aliquid magis conducit ad perfectionem universi in ordine ad manifestandam perfectionem Dei, præsertim in ratione causæ, eo debet esse in majori excessu et virtutis et multitudinis : Sed angeli magis conducunt ad perfectionem universi in ordine ad manifestandam perfectionem Dei præsertim in ratione causæ, ut dictum est : Ergo angeli debent esse in majori excessu, non quantitatis molis, qua carent, cum careant materia, sed in virtute et multitudine. *Major patet* in corporibus cœlestibus, quæ excedunt corpora inferiora in quantitate molis et virtutis, et magis manifestant perfectionem Dei in ratione causæ.

Sequitur 659. Angelos non esse creatos ab æterno.

659. — 1. p. q. 61. a. 2.

Probatur sequela. Nulla pars universi fuit creata ab æterno, ex dictis supra : Sed angeli sunt pars uni-

versi; cum ad ejus perfectionem spectent, ut ostendimus : Ergo angeli non sunt creati ab æterno.

Sequitur 660. Angelos esse perfectiores omnibus rebus aliis corporeis.

660. — 1. p. q. 61. a. 3.

Probatur sequela. Quod est pure spirituale est perfectius corporeo, quia est magis immateriale, et magis in actu : Sed angeli sunt pure spirituales : Ergo sunt perfectiores omnibus rebus corporeis.

Sequitur 661. Angelos habere aliquem ordinem ad res corporeas, quæ sunt in universo.

661. — Ibidem.

Probatur sequela. Quæ conficiunt et componunt unum unitate ordinis, habent ordinem inter se : Sed angeli, cum sint partes universi, componunt unum mundum, qui est unus unitate ordinis, ex dictis : Ergo angeli habent aliquem ordinem ad res corporeas, quæ sunt in universo.

Sequitur 662. Angelos habere ordinem præsidentiæ supra naturam corpoream.

662. — Ibidem.

Probatur sequela. Inter ea, quæ habent aliquem ordinem, si ordo sit rectus, perfectiora præsident inferioribus et minus perfectis : Sed angeli habent aliquem ordinem in universo, et sunt perfectiores, ex dictis, et ordo ille est rectissimus, cum sit a Deo : Ergo angeli debent esse superiores, et præsidere rebus corporeis.

Sequitur 663. Angelos esse creatos in cœlo supremo, quod vocamus Empyreum.

663. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Locus supremus convenit perfectioribus, et iis qui præsident cæteris : Sed Deus in loco convenienti creavit angelos, qui, ut diximus, sunt perfectiores, et cæteris præsident : Ergo Deus eos creavit in supremo loco, qui est cœlum supremum, quod vocant Empyreum.

Sequitur 664. Creaturas corporales esse a Deo.

664. — 1. p. q. 65. a. 1.

Probatur sequela. Quæcumque habent esse per participationem, sunt ab ipso esse per essentiam, ut supra ostensum est : Sed creaturæ corporales habent esse per participationem, non enim sunt ex seipsis : Ergo creaturæ corporales sunt a Deo.

Sequitur 665. Creaturas corporales factas esse propter Dei bonitatem.

665. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Quidquid est a Deo est factum propter ejus bonitatem, quia Deus agendo nihil aliud intendit, neque ad aliud ordinat res a se factas. Sed creaturæ sunt factæ a Deo : Ergo sunt factæ propter ejus bonitatem. *Major explicatur :* quia quælibet creatura est propter suum actum, et quælibet pars ignobilior propter nobiliorem, et omnes partes propter perfectionem totius ; et totum propter finem ab agente intentum ; finis autem intentus a Deo in creatione universi, est manifestatio perfectionis et bonitatis suæ, ut diximus. Ergo, etc.

Sequitur 666. Creaturam corporalem non fuisse creatam a Deo mediantibus angelis.

666. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Ut creatura corporalis esset creata mediantibus angelis oporteret, quod angeli possent creare : Sed, ut supra dictum est, angeli non possunt creare : Ergo, etc. *Minor iterum probatur :* quia creare est producere ipsum esse : Sed angeli non possunt producere ipsum esse, eo quod esse est id, quod substernitur ad omnem productionem limitatam ; quanto autem aliquid magis substernitur debet superiori causa produci :

Ergo ipsum esse, quod est primum substratum, debet a solo Deo produci.

Sequitur 667. Formas corporales in rerum creatione non fuisse creatas ab angelis.

667. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Tum quia formæ non fiunt, sed composita; Tum quia non producunt immediate formas, sed alia agentia, ut patet experientia, angeli vero movent alia agentia ad producendas formas.

Sequitur 668. Informitatem materiæ quæ intelligitur nomine terræ in Genesi, non præcessise tempore vel duratione ejus formationem, si nomine informitatis intelligatur carentia omnis formæ substantialis; Si vero nomine informitatis intelligatur carentia formæ, id est, illius pulchritudinis et ornatus atque decoris, tunc non est inconveniens hanc informitatem præcessisse tempore vel duratione formationem.

668. — 1. p. q. 66. a. 1.

Probatur prima pars sequelæ. Quia ex dictis in primo principio materia non potest existere sine omni omnino forma substantiali : Sed per creationem materia extitit : Ergo materia non fuit creata sine omni omnino forma substantiali : Si vero ponatur, quod fuerit creata cum forma aliqua substantiali communi cui deinde aliæ formæ substantiales supervenerunt, jam sequeretur, productionem aliarum formarum substantialium non esse nisi alterationem, quia quando toti actu existenti aliquid supervenit, forma superveniens est accidentalis. Vide dicta in primo principio de forma corporum.

Secunda vero pars sequelæ patet Quia non est inconveniens, quod alicui toti actu existenti superveniat etiam post aliquod tempus ab ejus productione aliqua nova perfectio accidentalis.

Cætera, quæ de opere sex dierum dicuntur, magis ad positivam et interpretationem Scripturæ atque ad varias SS. PP. sententias conciliandas, quam ad scholasticam spectant. Ea vero quæ de homine dici possent, vel jam in primo principio explicata sunt, vel postea subjicienter.

CAPUT III.

De conservatione et gubernatione rerum.

Sectio 1ª. — De gubernatione in communi et de conservatione.

Sequitur 669. Dari gubernationem totius mundi.

669. — 1. p. q. 10. a. 1.

Probatur sequela. Quando datur causa infallibiliter producens effectum, datur etiam effectus : Sed datur Providentia divina, ut supra ostendimus, cujus effectus infallibilis est gubernatio mundi, ut etiam ostensum fuit : Ergo datur etiam gubernatio mundi.

Sequitur 670. Finem gubernationis mundi esse illum eumdem, qui est finis Providentiæ divinæ.

670. — Ibidem.

Probatur sequela. Executio Providentiæ infallibilis et immutabilis non potest habere alium finem quam quem habet ipsa Providentia : Sed gubernatio non est nisi executio Providentiæ divinæ, quæ est infallibilis et immutabilis, ut dictum est : Ergo gubernatio mundi non habet alium finem, quam illum ipsum, quem habet Providentia divina.

Sequitur 671. Finem gubernationis etiam post primam productionem mundi esse ipsam bonitatem divinam.

671. — Ibidem.

Probatur sequela. Idem est finis Providentiæ et gubernationis, ex dictis : Sed finis Providentiæ divinæ est ipsa bonitas divina, ut supra ostendimus : Ergo finis gubernationis divinæ est ipsa bonitas divina : atque adeo est

aliquid extra totam universitatem creaturarum.

Sequitur 672. Effectum gubernationis divinæ ex parte finis esse unum.

672. — Ibid. a. 3. et 4.

Probatur sequela. Quando finis gubernationis est unus, effectus ejusdem gubernationis ex parte finis est etiam unus : Sed, ex dictis, finis gubernationis est unus : Ergo etiam effectus.

Sequitur 673. Participationem et assimilationem divinæ bonitatis in rebus creatis esse effectum divinæ gubernationis ex parte finis.

673. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Id, quo ad finem gubernationis pertingitur, est effectus gubernationis ex parte finis : Sed per participationem et assimilationem rerum creatarum cum divina bonitate, ipsa divina bonitas, quæ est finis, attingitur. Ergo participatio et assimilatio rerum creatarum cum divina bonitate est effectus divinæ gubernationis : *Major est evidens,* quia per effectum gubernationis infallibilis debet attingi finis. *Minor etiam patet :* quia divina bonitas sive manifestatio divinæ bonitatis non alio modo potest attingi, quam per participationem et assimilationem ipsarum creaturarum cum divina bonitate, ut ex dictis est evidens.

Sequitur 674. Duos esse præcipuos effectus divinæ gubernationis in communi scilicet conservationem earum in esse et bono, et motionem earum ad bonum.

674. — Ibidem.

Probatur sequela. Assimilatio creaturarum cum divina bonitate in duobus consistit, *primo* ut assimilentur Deo in eo, quod ipse bonus est ; *secundo* ut assimilentur ei in eo, quod ipse est causa movens alia ad bonum : Sed effectus divinæ gubernationis est assimilatio creaturarum cum divina bonitate : Ergo effectus divinæ gubernationis est in eo, quod creaturæ maneant bonæ sicut Deus manet bonus, et quod aliquæ creaturæ moveant alias ad bonum : nam prima productio bonitatis in creaturis non ad gubernationem, sed ad creationem spectat.

Sequitur 675. Omnia omnino subdi divinæ gubernationi.

Probatur sequela. Quæ subduntur Providentiæ et ordinantur ad finem ejus, etiam subduntur gubernationi : Sed omnia omnino subduntur divinæ Providentiæ, et ordinantur ad finem ejus : Ergo omnia omnino subduntur divinæ gubernationi. *Major constat ex dictis :* Quia tantum se extendit gubernatio, quantum se extendit Providentia, præsertim infallibilis et immutabilis : Providentia vero cum sit ordinatio in finem ad omnia se extendit, ad quæ se extendit ipse finis. Adde quod qui dat esse, dat consequentia ad esse, et perfectionem, quæ est finis.

Sequitur 676. Deum omnia gubernare immediate quoad rationem Providentiæ, et quodammodo quoad executionem.

Probatur sequela. Perfectissima Providentia et gubernatio se extendit ad omnia et singula quoad rationem Providentiæ et gubernationis, hoc est, quod ratio, cur rebus sic et sic provideatur, et cur hæc et illa executioni mandentur, debet esse in eo, qui perfectissime providet et gubernat : Sed divina Providentia et gubernatio est perfectissima, utpote infinita, ex dictis : Ergo divina providentia et gubernatio ad omnia et singula se extendit.

Sequitur 677. Deum non omnia ita immediate gubernare, ut non aliquas creaturas mediantibus aliis gubernet.

677. — Ibidem.

Probatur sequela. Perfectissima Providentia et gubernatio non solum facit bona, sed etiam facit, ut aliqua sint

causa bonitatis in aliis : Sed hoc est gubernare aliquas mediantibus aliis : Ergo cum divina Providentia et gubernatio sit perfectissima, quædam gubernat mediantibus aliis : *Major patet ex dictis,* quia perfectissima gubernatio duos habet effectus, videlicet quod creaturæ assimilentur Deo in eo quod bonus est, et etiam in eo, quod aliis est causa bonitatis. *Minor est evidens :* quia una res non est alteri causa bonitatis, nisi movendo illam ad bonum : Hoc autem est gubernare unam mediante alia, ut patet.

Sequitur 678. Nihil omnino contingere præter ordinem divinæ gubernationis.

678. — Ibid. a. 7.

Probatur sequela. Quod non contingit præter ordinem divinæ Providentiæ, non contingit præter ordinem divinæ gubernationis: Sed nihil omnino contingit præter ordinem divinæ Providentiæ, ut etiam diximus, quia ipsa est causa totius entis : Ergo nihil etiam contingit præter ordinem divinæ gubernationis.

Sequitur 679. Nihil omnino posse reniti contra ordinem divinæ gubernationis, ut est a Deo gubernante.

Probatur sequela. Quod renititur contra ordinem divinæ gubernationis, exit ab illo ordine, et fit præter illum ordinem; non enim ordo divinæ gubernationis statuit, ut aliquid suæ gubernationi renitatur : quod si statueret, hoc ipsum esset ex ordine divinæ gubernationis : Sed, ex dictis, nihil fit præter ordinem divinæ gubernationis : Ergo nihil renititur contra eumdem ordinem. Adde, quod ordo divinæ gubernationis est in bonum : quidquid autem fit, intenditur propter bonum : sequitur ergo ordinem divinæ gubernationis. Denique quidquid fit ex aliqua inclinatione vel naturali vel voluntaria non renititur contra ordinem divinæ gubernationis : Sed nihil est, quod non fiat ex aliqua inclinatione naturali vel voluntaria : Ergo nihil est, quod renitatur contra ordinem divinæ gubernationis. *Minor est evidens. Major probatur, Omnis inclinatio naturalis vel voluntaria, nihil est aliud, quam quædam impressio a primo movente* et gubernante, *sicut inclinatio sagittæ nihil est aliud, quam quædam impressio a sagittante,*

Sequitur 680. Creaturas omnes indigere, ut conserventur a Deo.

680. — 1. p. q. 104. a. 1.

Probatur sequela. Omne ens per participationem indiget, ut conservetur ab ente per essentiam : Sed omnes creaturæ sunt entia per participationem, et Deus solus est ens per essentiam : Ergo omnes creaturæ indigent, ut conserventur a Deo. *Major probatur :* Omnis effectus, qui non recipit ab agente formam secundum eamdem rationem, secundum quam est in agente, indiget ut talis forma conservetur in ipso effectu ab eodem agente : Sed ens per participationem non recipit ipsum esse ab ente per essentiam secundum eamdem rationem, secundum quam est in ipso ente per essentiam : Ergo ens per participationem indiget ut conservetur in esse ab ente per essentiam. *Minor est evidens. Major declaratur* exemplo aeris illuminati, qui ex eo quod non recipiat a sole principium lucis secundum eamdem rationem, sed tantum ejus participationem, recedente sole amittit lucem : quia vero aqua recipit ab igne calorem secundum eamdem rationem aliquo modo, non indiget ut continuo conservetur, sed manet calor ad tempus : quod si calor recipiatur in aliquo subjecto secundum eamdem omnino rationem, secundum quam est in igne, tunc nullo modo indiget igne ut conservetur.

Explicatur brevius hæc ratio. Qui est causa entis ut ens est, est causa in fieri et conservari ; quia hoc ipsum quod est permanere in esse, est quædam ratio entis, atque adeo est effectus illius agentis, quod est causa entis ut ens est : Sed, ex dictis supra-

Deus est causa entis, ut ens est, in omnibus omnino rebus creatis : Ergo Deus est causa entis in fieri et conservari; ita ut etiam ipsum permanere in esse, cum sit ens, sit effectus Dei.

Sequitur 681. Deum principaliter omnia immediate conservare.

681. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Qui est causa entis ut sic principaliter omnia immediate conservat : Sed Deus est causa entis ut sic : Ergo principaliter omnia immediate conservat : Sed adverte quod immediate conservare contingit dupliciter; *primo* ita ut illa particula *immediate* excludat omnem omnino mediationem cujuscumque alterius causæ concurrentis ad conservationem; et hoc sensu non est verum, quod Deus omnia immediate conservet; certum est enim, quod aliqua conservat mediantibus aliis, tum indirecte per hoc, quod removet corrumpentia ab aliquibus mediantibus aliis; tum directe, quia Deus præstat aliquibus causis virtutem ad hoc, ut agant ad conservationem aliorum, sicut præstat causis omnibus secundis virtutem, qua dum operantur, concurrant ad rationem entis, ut alias ostendimus : Sed quia illa virtus, quam recipiunt a Deo causæ concurrentes ad conservationem, est virtus quædam creata, quæ et ipsa indiget conservari a Deo intime et immediate præsente, Deus etiam immediate concurrit ad conservationem illius virtutis, et ad effectum ejus, scilicet ad ipsam conservationem, immediate, inquam, et immediatione virtutis, quia non accipit virtutem ab alia causa superiori; et immediatione suppositi, quia Deus debet esse intime præsens ipsi supposito concurrenti ad conservationem alterius, et ipsi virtuti, per quam concurrit ad illam conservationem, et hic est *secundus* modus conservandi immediate omnia, secundum quem verum est, Deum omnia immediate conservare, qui non excludit alias causas medias, ut constat.

Sequitur 682. Deum posse aliqua, imo et omnia creata in nihilum redigere.

682. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Qui potest totius rei esse detruere, ita ut nihil ejus remaneat, potest in nihilum redigere, ut patet : Sed Deus potest totum omnium rerum esse destruere, ita ut nihil ejus remaneat : Ergo potest omnia in nihilum redigere. *Minor est evidens ex dictis,* quia totum esse cujuslibet rei creatæ pendet a Deo; qui si cesset a conservatione, hoc ipso destruit totum esse rei, non quidem quasi agendo et veluti producendo non esse, cum non esse non sit producibile, sed non agendo.

Sequitur 683. Deum nullam rem creatam de facto in nihilum redigere.

683. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Quidquid Deus facit vel non facit, totum præstat ad manifestationem suæ bonitatis, ut dictum est; ad hoc enim gubernat omnia : Sed annihilatio non conduceret ad manifestationem divinæ bonitatis; imo magis manifestatur divina potentia et bonitas in conservatione rerum, ut diximus : Ergo annihilatio non fit a Deo.

Sectio 2ª. — De motu Creaturæ a Deo.

Sequitur 684. Deum posse movere materiam ad quamcumque formam.

684. — 1. p. q. 105. a. 1.

Probatur sequela. Agens potest movere potentiam passivam ad omnem formam, quando tam potentia passiva, quam forma subduntur ipsius potentiæ activæ : Sed tam materia, quam quæcumque forma subduntur potentiæ activæ Dei, cum ejus potentia attingat ens ut ens, ex dictis : Ergo Deus potest movere materiam ad quamcumque formam.

Sequitur 685. Deum posse immediate movere quodcumque corpus.

685. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Qui potest movere materiam ad omnem formam, potest immediate movere omne corpus : Sed Deus potest movere materiam ad quamcumque formam : Ergo potest immediate movere omne corpus. *Major probatur :* Qui potest unum aliquid, ad quod aliud consequitur, potest illud, quod ex eo consequitur ; et qui potest terminum producere, potest et viam : Sed omnis motus vel est quid consequens ad formam, sicut motus gravium et levium, qui consequitur eorum formas, vel est via ad formam, sicut calefacere est via ad formam ignis : Ergo qui potest movere materiam ad omnem formam, poterit etiam quemcumque motum immediate producere, atque adeo immediate movere quodcumque corpus.

Sequitur 686. Deum posse movere quemlibet intellectum creatum ad suam operationem.

686. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Qui potest dare virtutem intellectivam, et ipsi imprimere species quibus actu intelligat, potest movere intellectum ad suam operationem : Atqui Deus utrumque potest : Ergo potest movere intellectum ad suam operationem. *Major constat :* quia ad operationem intellectus hæc duo necessaria sunt, et sufficiunt, scilicet virtus intellectiva et species : licet enim requiratur etiam concursus Dei, de illo tamen nulli dubium est, quin a Deo possit dari. *Minor vero probatur :* Primum intelligens est causa omnis virtutis intellectivæ, et cujuscumque speciei intelligibilis ; quia primum in quolibet genere est causa cæterorum illius generis : Sed Deus est primum intelligens, ut ex supra dictis est evidens : Ergo Deus est causa cujuslibet virtutis intellectivæ, et cujuslibet speciei intelligibilis. Cum ergo causa possit producere suum effectum, Deus potest producere quamlibet virtutem intellectivam, et quamlibet speciem intelligibilem.

Sequitur 687. Deum posse movere quamlibet voluntatem creatam.

687. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Quod potest et per modum objecti et ex parte potentiæ inclinare voluntatem ad aliquid volendum, potest movere voluntatem ; his enim duobus modis movetur voluntas ; scilicet ab objecto, quatenus ei proponitur bonum, quod est ejus objectum ; et ex parte potentiæ, quatenus ipsa potentia inclinatur efficienter ad aliquid volendum : Sed Deus utrumque potest : Ergo Deus potest movere voluntatem. *Minoris prima pars patet ex dictis :* Qui enim potest movere intellectum, potest movere voluntatem ex parte objecti ; voluntas quippe movetur ab intellectu proponente objectum, scilicet bonum : Sed Deus potest movere intellectum : Ergo potest Deus movere voluntatem ex parte objec i. Imo solus Deus hoc potest efficaciter : quia ut mobile efficaciter moveatur a movente, oportet, quod virtus moventis excedat vel adæquet virtutem passivam mobilis : Sed virtus passiva voluntatis se extendit ad bonum universale : Ergo ut aliquod movens ex parte objecti moveat efficaciter voluntatem, oportet, quod sit bonum universale. Cum ergo solus Deus sit bonum universale, solus Deus potest efficaciter ex parte objecti movere voluntatem. *Secunda vero pars minoris probatur,* quod scilicet Deus possit inclinare voluntatem ex parte potentiæ : Qui causat virtutem volendi, potest etiam inclinare voluntatem ex parte potentiæ : Sed Deus causat virtutem volendi : Ergo Deus potest inclinare voluntatem ex parte potentiæ : *Major probatur :* Qui dat omnem omnino inclinationem volun-

tari, et dat etiam ipsum velle, quod nihil aliud est, quam quædam inclinatio voluntatis, debet necessario movere voluntatem ex parte potentiæ; alias non posset causare ipsum velle, quod non potest causari nisi ipsa potentia moveatur et se moveat : Sed qui causat voluntatem dat omnem omnino inclinationem voluntati : Ergo qui causat omnem inclinationem voluntatis, et dat ipsum etiam velle debet movere voluntatem ex parte potentiæ. *Minor probatur.* Primum movens dat omnem omnino inclinationem voluntati : Sed qui causat voluntatem est primum movens : Ergo qui causat voluntatem dat omnem inclinatiotionem voluntati : *Major probatur :* Qui movet ad ultimum finem, causat omnem omnino inclinationem voluntatis; quia in omni inclinatione voluntatis est motus et tendentia ad ultimum finem : Sed primum movens movet ad ultimum finem sive in bonum universale : Ergo primum movens causat omnem inclinationem voluntatis. *Minor est certa :* quia agens et finis proportionantur : cum enim quodlibet agens agat propter finem, et quodlibet movens sit agens, oportet quod quodlibet agens agat propter finem sibi proportionatum et correspondentem, atque adeo, quod agens universalius intendat finem universaliorem; et primum movens moveat ad ultimum finem. Cum ergo in quolibet actu voluntatis inveniatur tendentia ad ultimum finem, necessarium est ut primum movens moveat ad quemlibet actum voluntatis, et sic primum movens ex parte potentiæ movet voluntatem.

Sequitur 688. Deum movendo voluntatem, illam non cogere.

688. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Quod movendo dat propriam inclinationem, non cogit : Sed Deus movendo voluntatem dat ei propriam inclinationem, ex dictis : Ergo Deus movendo voluntatem, illam non cogit.

Sequitur 689. Deum movendo voluntatem non imponere illi necessitatem naturalem.

Probatur sequela. Quod dat omnem inclinationem, etiam liberam, non imponit necessitatem naturalem : Sed Deus movendo voluntatem dat ei inclinationem etiam liberam : Ergo non imponit naturalem necessitatem. *Major patet :* quia inclinatio libera et necessitas naturalis opponuntur. *Minor probatur.* Quod dat omnem omnino inclinationem, dat etiam inclinationem liberam : Sed Deus movendo voluntatem dat ei omnem ejus inclinationem, ut probatum est : Ergo dat ei etiam inclinationem liberam.

Sequitur 690. Deum movendo voluntatem ex parte potentiæ movere illam physice.

690. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui movet voluntatem ex parte potentiæ ad operandum, movet illam physice : Sed Deus movet voluntatem ex parte potentiæ ad operandum, ex dictis ; quia dat voluntati actualem inclinationem : Ergo Deus movet voluntatem physice. *Major probatur :* Qui movet potentiam non tantum ex parte objecti, sed insuper alio modo, movet illam physice : Sed qui movet voluntatem ex parte potentiæ movet illam non tantum ex parte objecti, sed alio insuper modo ; cum hi duo modi movendi ex parte potentiæ et ex parte objecti differant : Ergo qui movet voluntatem ex parte potentiæ ad operandum, movet illam physice et efficienter. *Explicatur magis :* Movere ex parte objecti, est movere ostendendo et proponendo ipsum objectum, sive quoad specificationem ; movere autem ex parte potentiæ non est idem, alias frustra hi duo modi movendi distinguerentur ; sed est alius modus movendi. Unde cum non detur alius modus movendi nisi efficienter, physice, ac realiter, et quoad exercitium, quisquis movet ad

agendum ex parte potentiæ, movet efficienter, physice, ac realiter, et quoad exercitium.

Sequitur 691. Deum præmovere physice voluntatem ad volendum.

691. — Ibid. et 1. p. q. 111. a. 2. et q. 115. a. 4. 1. 2. q. 9. a. 4. et q. 80. a. 1. in 2. dist. 15. q. 1. a. 3. 2. contra gent. c. 88. 89. 91. et 92. De verit. q. 22. a. 9. et alibi sæpe.

Probatur sequela. Qui movet physice voluntatem ad volendum, præmovet illam physice : Sed Deus movet physice voluntatem ad volendum : Ergo præmovet physice. *Major probatur :* Qui prius movet, præmovet : Sed qui movet physice voluntatem ad volendum, prius movet illam physice, quam ipsa velit : Ergo præmovet physice. *Major est evidens ex terminis. Minor probatur :* Omnis via et causa est prior termino et effectu, saltem prioritate naturæ et causalitatis, ut certum est. Sed motio, qua movet voluntatem, qui illam physice movet ad volendum, est via et causa ipsius velle : Ergo motio, qua movet voluntatem, qui illam movet physice ad volendum, est prior ipso velle; atque adeo qui sic movet, movet prius. *Minor probatur :* Omnis motio et motus ad aliquid est via et causa respectu illius, ut patet ex terminis; atque adeo motio ad velle est causa ipsius velle. Præterea quod movetur physice ex parte potentiæ recipit physice in ipsa potentia aliquid, quod antea non habebat : Sed quando Deus movet physice voluntatem ex parte potentiæ, voluntas movetur physice ex parte potentiæ, ut constat : Ergo voluntas in seipsa recipit aliquid, quod non habebat antequam moveretur : Sed illud quod recipit debet esse motio dicens ordinem ad agendum sive volendum tanquam ad aliquid subsequens; ubi enim est ordo est aliquid prius et aliquid posterius : Ergo illud quod voluntas recipit est motio prior ipso agere, atque adeo est præmotio.

Sequitur 692. Deum prædeterminare physice voluntatem ad volendum.

692. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui præmovet physice, prædeterminat physice : Sed Deus præmovet physice : Ergo prædeterminat physice. *Major probatur :* Præmovere physice ad certam et determinatam actionem est prædeterminare physice : Sed qui præmovet physice, præmovet realiter ab certam et determinatam actionem : Ergo qui præmovet physice, prædeterminat physice. *Major est manifesta :* Nihil enim aliud intelligimus per prædeterminare physice, nisi præmovere ad certam et determinatam actionem. *Minor probatur :* Qui præmovet ad exercitium, præmovet ad certam et determinatam actionem : Sed qui præmovet physice, præmovet ad exercitium ex dictis : Ergo qui præmovet physice, præmovet ad certam et determinatam actionem. *Major est certissima,* quia exercitium non est, nisi sit certa et determinata actio.

Sequitur 693. Deum prædeterminando physice voluntatem non tollere libertatem.

693. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui movendo voluntatem ex parte potentiæ non tollit libertatem, illam etiam non tollit præmovendo et prædeterminando physice; cum, ex dictis, hæc sint unum et idem : Sed etiam ex dictis, Deus movendo voluntatem ex parte potentiæ non tollit libertatem : Ergo Deus præmovendo et prædeterminando physice non tollit libertatem.

Sequitur 694. Deum in omni operante operari.

694. — 1. p. q. 105. a. 5.

Probatur sequela : Principium omnis actionis in omni operante operatur : Sed Deus est principium omnis actionis : Ergo Deus in omni operante operatur. *Minor probatur :* Tria sunt

principia actionis, scilicet finis, agens et forma : Sed Deus est principium omnium actionum his tribus modis : Ergo Deus est principium omnium actionum. *Prima pars minoris probatur,* quod scilicet Deus sit principium omnium actionum per modum finis : Quidquid est bonum et finis, hoc habet a Deo nedum ut causa efficiente, et exemplari, sed etiam ut fine, quia ordinatur ad Deum ; imo ex hoc ordine habet, quod sit bonum, ut alias diximus : Sed omnis actio procedit ex aliquo bono tanquam ex fine ; cum omne agens agat propter finem, ut ostensum est. Ergo omnis actio procedit aliquo modo a Deo, ut a fine, et quidem ut fine ultimo, quippe qui est finis omnium finium particularium, quos agentia particularia intendunt. *Secunda vero pars minoris probatur;* quod videlicet Deus sit principium cujuslibet actionis per modum agentis sive causæ efficientis : Omne agens secundum, agit in virtute Dei, et applicatur efficienter a Deo, ut alias probatum est ; quia cum producat rationem entis, debet agere in virtute illius agentis, ad quod pertinet producere ens, ut ens; debet etiam applicari ad agendum, quia debet producere ipsam existentiam, quam nequit producere nisi actuetur t applicetur a Deo eo quod existeneia sit quid actualius, quam ulla pottentia aut virtus creata, quæ in ratione virtutis activæ est quid potentiale : Ergo omne agens secundum, dependet a Deo ut a principio efficiente omnis actionis. *Ultima denique pars minoris, probatur :* quia, qui producit, conservat et applicat formas et virtutes activas omnium agentium, est quodammodo per modum formæ principium actionis : Sed Deus, ex dictis, producit, conservat, et applicat formas et virtutes omnium agentium : Ergo Deus est quodammodo per modum formæ principium omnis actionis ; non quod Deus sit forma vel virtus activa cujuslibet agentis, sed quod Deus sit principium formæ.

Sequitur 695. Deum præmovere physice omnem causam secundam ad ipsius operationem.

695. Ibid. et 3. cont. gent. c. 66. et 67. et lib. 4. c. 44.

Probatur sequela. Principium, in cujus virtute agens operatur, et quod applicat ut agens aliam causam, præmovet physice : Sed Deus est principium in cujus virtute omne agens operatur, et quod ut causa efficiens applicat omne aliud agens : Ergo Deus præmovet physice omnem cansam secundam. *Major est evidens,* quia, quod in virtute alterius operatur, prius recipit virtutem, quam operetur; et agens, quod applicat efficienter aliud debet necessario illi imprimere motionem applicantem.

Sequitur 696. Deum posse facere contra ordinem causis secundis inditum.

696. — 1. p. q. 105. a 6.

Probatur sequela. Qui habet omnem causam sibi subjectam, potest facere contra ordinem harum causarum : Sed Deus habet omnem omnino causam creatam sibi subjectam ; cum quælibet causa secunda dependeat ab ipso in operando, ex dictis : Ergo Deus potest facere contra ordinem causæ cuilibet secundæ inditum.

Sequitur 697. Casu, quo Dens faciat contra ordinem causis secundis inditum, non facere contra naturam earum.

697. — Ibidem.

Probatur sequela. Is, a quo naturaliter dependet naturalis inclinatio causarum, non potest facere contra naturam earum ; quia earum inclinatio naturaliter subditur illi : Sed a Deo dependet naturaliter inclinatio naturalis causarum, eique subjecta est : Ergo non potest facere contra naturam earum, etiamsi agat contra ordinem causis inditum.

Sequitur 698. Casu, quo Deus faciat contra ordinem causis secundis inditum, fore miraculum.

698. — Ibid. a. 7.

Probatur sequela. Effectus manifestus habens causam simpliciter et omnibus occultam, est miraculum : Sed quando Deus agit contra ordinem causis secundis inditum, effectus manifestus habet causam omnino omnibus occultam in Deo : Ergo tunc est miraculum. *Major est evidens,* quia miraculum est res admiratione digna : quando autem effectus manifestus habet causam omnino et omnibus occultam, est res admiratione digna : Ergo tunc est miraculum.

Sequitur 699. Unum miraculum respectu facultatis naturæ, quatenus magis eam excedit, posse esse majus alio.

699. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Quod excedit facultatem naturæ, et est contra ordinem causis secundis inditum, tanto majus est, quanto magis excedit, et magis est contrarius ordini naturali : Sed aliqua magis excedunt facultatem naturæ; quam alia, ut est evidens : Ergo aliqua miracula sunt majora aliis.

Sequitur 700. Tria esse genera miraculorum ; primum est, quando effectus excedit facultatem naturæ quoad substantiam ; secundum, quando excedit quoad subjectum ; tertium quando excedit quoad modum.

700. — Ibidem.

Explicatur. Primum genus miraculorum est, quando effectus excedit facultatem naturæ quoad substantiam, ut quod duo corpora sint simul, quod Sol retrocedat, quod corpus humanum glorificetur ; *secundum* genus, quando effectus, qui naturaliter possibilis est, fit in subjecto naturaliter incapaci, ut vita in mortuo, visus in cæco ; *tertium* est, quando effectus in modo excedit facultatem naturæ, ut quod quis repente curetur a gravi infirmitate, vel aer serenus subito in pluvias condensetur . Atque hinc patet sequela.

Sectio 3ª. — De motu creaturæ ab angelis.

Sequitur 701. Deum gubernare creaturas inferiores mediantibus superioribus.

701. — 1. p. q. 101. a. 1.

Probatur sequela. Supposito, quod Deus gubernet aliquas creaturas mediantibus aliis, congruus ordo postulat, ut inferiores regat mediis superioribus : Sed, ex dictis, Deus gubernat aliquas creaturas mediantibus aliis : Ergo gubernat inferiores mediantibus superioribus. Hinc est quod illuminat inferiores angelos per superiores : circa quod vide dicta in primo principio.

Sequitur 702. Inter angelos debere dari superiores et inferiores.

702. — 1. p. q. 102. a. 1.

Probatur sequela. Ubi est ordo gubernationis alicujus multitudinis, debent esse superiores et inferiores : Sed inter angelos est ordo gubernationis multitudinis ; diximus enim supra angelos esse in magna multitudine, et etiam ostendimus, Deum gubernare inferiores per superiores : Ergo debent inter angelos dari superiores et inferiores.

Sequitur 703. In angelis dari Hierarchias.

703. — Ibidem.

Probatur sequela. Ubi est ordo superiorum et inferiorum in rebus sacris et divinis, sunt etiam Hierarchiæ ; est enim Hierarchia sacer principatus : Sed in angelis est ordo superiorum et inferiorum, idque in rebus sacris et divinis, nimirum in divina gubernatione : Ergo in angelis sunt Hierarchiæ.

Sequitur 704. Tres dari in angelis Hierarchias.

704. — Ibidem.

Probatur sequela. Ordo superiorum

et inferiorum in gubernatione divina respectu angelorum tripliciter se habere potest : Nam primo aliqui possunt immediate a Deo recipere ordinem et lumen ad gubernationem ; secundo alii possunt recipere non a Deo immediate, sed ab his, qui immediate recipiunt a Deo, qui se habent ut causæ universales, res in magna universalitate comprehendentes, ut diximus in primo principio ; tertio denique alii recipiunt ut magis in particulari applicent rationes acceptas ab iis, qui secundo loco numerati sunt : Atqui secundum hunc triplicem ordinem distinguntur tres Hierarchiæ : Ergo dantur tres Hierarchiæ.

Sequitur 705. In qualibet Hierarchia convenienter distingui tres Ordines.

705. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Ubi est multitudo ordinata diversimode sub uno principe, debent distingui ordines, alias esset confusa multitudo : Sed non possunt melius distingui, quam in tres, quatenus videlicet alii sunt supremi, alii infimi, alii medii : Ergo convenienter distinguntur tres ordines in qualibet Hierarchia.

Sequitur 706. In quolibet ordine esse plures angelos propriis officiis distinctos.

706. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Ordo non potest esse sine multitudine rerum ordinatarum : Sed in angelis sunt diversi ordines : Ergo in quolibet ordine sunt plures angeli, quorum officia sine dubio debent esse distincta, præsertim, cum quilibet ab alio, specie differat, ut probatum est in primo principio : Nos tamen sicut naturam ita et officium cujuslibet angeli ignoramus.

Sequitur 707. Ordines angelorum distingui dispositive secundum naturam eorum, et completive secundum dona gratiæ.

707. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Finis angelorum, id est, ad quem angeli ordinantur est vel naturalis, ad quem ex facultate naturæ possunt pertingere, vel supernaturalis, ad quem tantum ex gratia pervenire possunt ; Sed distinctio ordinum debet sumi ex fine, ut habetur ex dictis : Ergo distinctio ordinum debet aliquo modo sumi ex fine naturali, scilicet initiative et dispositive, et ex donis gratiæ completive ; quia gratia perficit et complet naturam, maxime in angelis, qui recipiunt gratiam juxta capacitatem naturalium, ut alias dicemus.

Sequitur 708. Ordines angelorum convenienter nominari et ordinari.

708. — Ibid. a. 5. et 6.

Probatur sequela. Tres dantur Hierarchiæ, ex dictis, per hoc distinctæ, quod in prima, illi spiritus immediate a Deo accipiunt lumen et ordinem ad gubernationem : In secunda, spiritus recipiunt a primis dispositionem de agendis in universali ; in tertia, determinant illas rationes universales ad speciales effectus, applicando et annunciando divina : Sed in qualibet istarum Hierarchiarum potest et debet triplex ordo inveniri ; in prima quidem Seraphim, Cherubim et Thronorum ; in secunda Dominationum, Virtutum et Potestatum : in tertia Principatuum, Archangelorum, Angelorum Ordo : Ergo, etc. *Minor probatur et declaratur ;* Ordo divinarum personarum completur in Spiritu sancto, qui, ut diximus, est amor : In illis ergo sanctis spiritibus, qui considerando ipsum finem gubernationis divinæ a Deo rationes rerum immediate percipiunt, ita ut et considerent finem, et perfectius agnoscant, et ei inhæreant, primi sunt qui excellenter amant, et hi vocantur *Seraphim,* id est, ardentes, vel incendentes, et se habent ad Deum sicut sponsa ad sponsum, comparanturque igni ob motum continuum sursum versus Deum, ob virtutem penetrativam et fervidam, et propter excellentem lucem.

In eadem Hierarchia, qui non habent excellentiam illam et excessum amoris, sed immediate a Deo rationes rerum gubernationis in ipso fine perfectius percipiunt, sunt in secundo ordine, et participant cognitionem ; et hi vocantur *Cherubim*, et se habent ad Deum sicut qui sunt a secretis Regi, et pleni sunt scientia ob visionem Dei clariorem visione omnium inferiorum, ob plenam susceptionem divini luminis revelantis secreta, ob contemplationem universi et gubernationis ejus in ipso fine, Deo videlicet, et denique ob effusionem hujus cognitionis in alios.

Denique in hac eadem Hierarchia sunt alii, qui immediate quidem rationes rerum et gubernationis in ipso fine scilicet Deo percipiunt excellentius quam illi, qui sunt in secunda Hierarchia, sed non ita excellenter, sicut Cherubim : et sunt sicut illi, qui familiariter quidem ad Regem accedunt, sed secretiora non penetrant : Hinc est quod vocantur *Throni,* quia sunt elevati supra alios inferiores, sicut throni elevantur a terra, et quia sunt firmi, Deo ipso, qui sedet in illis, eos firmante ; et quia sicut throni Regem, ita illi Deum suscipiunt.

Et sic cum tria sint circa finem, illum vehementer intendere, illum perfectius cognoscere, illum actu considerare immediate in seipso, et in eo rationes eorum, quæ sunt ad finem ; primum convenit Seraphim ; secundum, ipsis Cherubim ; tertium Thronis.

Secunda Hierarchia accipit rerum et gubernationis rationes a causis universalibus nimirum a spiritibus primæ Hierarchiæ, disponendo de agendis, et ad hoc tria requiruntur ; primum est, ordinare et disponere, ac præcipere agenda, quod pertinet ad Dominos ; secundum est, subministrare facultatem ad agendum, quod spectat ad eos, qui excellentissima virtute pollent ; tertium est, ordinare quomodo res executioni mandata sit, quod pertinet ad potestatem, quia potestas executioni proxima debet esse ordinativa de modo executionis : et sic tres sunt in ista Hierarchia ordines, *Dominationes, Virtutes, et Potestates :* Dominationes ordinant agenda, Virtutes dant vim agendi, Potestates ordinant modum exequendi.

Tertia Hierarchia determinat rationes universales gubernationis rerum ad singulares effectus, exequendo et annuntiando divina : in qua executione tria sunt ; primum est incipere, ac, ut sic loquar, principiare, sive principari in executione ; secundum est magna aliqua annunciare et exequi ; tertium minora annunciare et exequi : et sic distinguuntur tres ordines *Principatuum, archangelorum, et angelorum.*

Sciendum tamen, quod hæc ordinatio angelorum ex D. Dionysio desumpta paulo aliter a D Gregorio explicatur quantum ad duas ultimas Hierarchias, in quibus D. Gregorius sumit distinctionem ordinem ex ministeriis externis, cum D. Dyonysius sumat a rationibus ad divinam gubernationem spectantibus, secundum quod a superioribus inferiores eas accipiunt. Præterea D. Gregorius ponit Principatus quinto. loco sive in secundo ordine secundæ Hierarchiæ ; et Virtutes ponit septimo loco descendendo et in primo ordine infimæ Hierarchiæ : et in explicatione quidem Dominationum fere convenit cum Dionysio : Principatus vero vult esse, qui bonis etiam spiritibus principantur et præsident ; Potestates, qui malis spiritibus præsunt ; Virtutes, qui miracula patrant.

Sed si recte hæc considerentur parva est differentia : nam angeli secundi ordinis in secunda Hierarchia possunt dici et Virtutes, quia dant virtutem aliis inferioribus ; et possunt dici Principatus, quia dando virtutem quodammodo principantur, et veluti initium faciunt operum. Sicut etiam angeli primi ordinis in infima Hierar-

chia possunt dici Virtutes, quia nomine virtutum aliquando intelliguntur miracula ; et quia angeli hujus ordinis mittuntur ad patranda miracula, recte dici possunt Virtutes : ita etiam possunt dici Principatus, quia præcipua sive principalia Dei opera in rerum gubernatione sunt miracula.

Sequitur 709. Ordines angelorum mansuros quoad substantiam post diem judicii.

709. — 1. p. q. 108. a. 7.

Probatur sequela. Quæ sunt naturæ et gratiæ, manebunt post diem judicii : Sed, ex dictis, distinctio ordinum est naturæ inchoative, et gratiæ completive quantum ad substantiam : Ergo hæc distinctio ordinum manebit post diem judicii.

Sequitur 710. Executionem ordinum et officiorum secundum aliquid mansuram et secundum aliquid non mansuram.

Probatur sequela. Quia consecuto fine non manet perductio ad finem, sed potest manere conservatio aliquarum cognitionum et illuminationum, ut patet : Sed post diem judicii omnes, qui debent consequi beatitudinem et ultimum finem, illum consecuti erunt : Ergo cessabit tunc perductio in finem, et poterit remanere cognitio et illuminatio. Utrumque autem est executio ordinum et officiorum angelicorum : Ergo cessabit illa executio quoad aliquid, et quoad aliud remanebit.

Sequitur 711. Homines aliquos transferendos ad ordines angelorum.

711. — Ibid. a. 8.

Probatur sequela. Homines transferri ad ordines angelorum, non est habere eamdem naturam cum angelis, sed habere æqualem gloriam, et præstare virtute divina, quod ex vi sui Ordinis præstant angeli, miracula faciendo. arcendo dæmones. vel aliquid simile faciendo : Sed aliqui homines æqualem habebunt gloriam, sicut æqualem imo et majorem possunt habere gratiam, quam habeant aliqui angeli; et præterea, potest fieri, ut aliqui sancti virtute divina faciant miracula, arceant dæmones, etc. Ergo, etc *Major patet ex dictis*, quia ordines completive distinguntur ex gratia, ut dictum est.

Sequitur 712. In dæmonibus non manere ordines, quantum ad gloriam, vel quantum ad gratiam, quam actu habeant, sed solum quantum ad naturam, et quantum ad hoc, quod aliquando habuerunt gratiam.

712. — 1. p. q. 109. a. 1.

Probatur sequela. Quia in dæmonibus non est gloria, nec remanet gratia, remanet tamen natura, et verum est, quod aliquando habuerunt gratiam : Sed de hac sequela infra constabit.

Sequitur 713. In Dæmonibus esse prælationem.

713. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Quia in Dæmonibus natura remanet, atque adeo in illis una natura est perfectior alia, et consequenter actiones unius naturaliter sunt sub actionibus alterius : cui rationi si adjungas rationem divinæ sapientiæ omnia ordinantis, ut supra dictum est, clare videbis esse in illis prælationem.

Sequitur 714. Deum gubernare corporalia per angelos.

714. — 1. p. p. 110. a. 1.

Probatur sequela. Deus gubernat aliqua mediantibus aliis : Sed ordo divinæ sapientiæ exigit, quod hoc ita fiat, ut mediantibus superioribus gubernet inferiora : Ergo cum angeli sint superiores, ut dictum est, divina sapientia exigit, ut mediantibus angelis inferiora gubernentur.

Sequitur 715. Angelos posse causare motum localem in corporibus.

715. — Ibid. a. 2. et 3.

Probatur sequela. Ad gubernationem necessarium est, quod subditum possit moveri aliquo modo a gubernante saltem quoad illud, quod magis proportionatur et immediatius se habet respectu gubernantis : Sed angeli gubernant corporalia, ex dictis : Ergo cum motus localis immediatius se habeat ad angelos, utpote conveniens substantiis incorruptibilibus, ut cælis, debent corpora posse moveri ab angelis motu locali. Ex hac ratione videtur etiam inferendum, quod angeli possint producere lucem.

Sequitur 716. Quæ per motum localem produci possunt, posse ab angelis etiam produci.

716. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui potest id, quo mediante aliud fit, potest et illud aliud saltem mediate : Sed angeli possunt producere motum localem : Ergo possunt id, quod mediante motu locali postest fieri : et sic applicando activa passivis, possunt angeli varia producere, ut applicando ignem possunt producere calorem, vel alium ignem, etc.

Sequitur 787. Non posse angelos seipsis immediate producere formas substantiales in materia sublunari.

717. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia nec forma habet proprium fieri, nec materia potest disponi ab angelis; ad hoc enim requiritur agens univocum, vel agens, quod eminenter formaliter contineat omnes formas; quod soli Deo competit, ut patet ex dictis supra.

Sequitur 718. Angelos non posse verâ miracula facere, sicut nec vacuum causare, nec totam terram movere, et alia hujusmodi.

718. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Vera miracula sunt contra vim totius naturæ, et alia enumerata essent contra totum ordinem universi : Sed angeli non possunt contra vim totius naturæ, nec possunt invertere ordinem universi : Quia cum sint tantum ministri in gubernatione creaturarum, non possunt contra id, quod Deus statuit, nec necessaria est illis virtus ad hoc, imo est impossibilis, cum debeat esse virtus infinita propter modum faciendi : Ergo, etc.

Sequitur 719. Angelos posse illuminare homines.

719. — 1. p. q. 11. a. 1.

Probatur sequela. Ad hoc ut una creatura intellectualis regatur per aliam intellectualem, requiritur, quod gubernans illuminet gubernatam, ut patet ex dictis; quia intellectualis creatura non regitur nec dirigitur ad suas operationes nisi per cognitionem : Sed Deus gubernat inferiores, scilicet homines, per superiores, nimirum angelos : Ergo angeli illuminant homines.

Sequitur 720. Hanc illuminationem fieri eodem fere modo, quo fit illuminatio angelorum inter se proportionaliter.

Probatur sequela. ex dictis in primo principio. Unus angelus illuminat alium, dividendo objectum, ut sit proportionatum capacitati intellectus angeli illuminati, et proponendo ei species sui intellectus, ita ut capi possint ab inferiori : Atqui eo modo se habet angelus ad hominem, excepto quod cum homo non intelligat nisi per conversionem ad phantasmata, ut alias diximus, oportet, ut angelus illuminans moveat phantasmata, quæ sunt in imaginatione hominis, et ut proponat veritates intelligibiles sub similitudine rerum sensibilium : Ergo, etc.

Sequitur 721. Angelum non posse immutare voluntatem hominis ex parte potentiæ.

721. — Ibid. a 2.

Probatur sequela. Quod convenit Deo ratione supremi dominii, et ob rationem primæ causæ creantis animam, et dantis homini voluntatem non potest convenire angelo : Atqui immutare voluntatem ex parte potentiæ convenit Deo ob rationem supremi dominii et primæ causæ, ut patet ex his, quæ supra diximus : Ergo hoc non potest competere angelo.

Sequitur 722. Angelum posse immutare imaginationem, et sensus hominis.

722. — Ibid. a. 3. et 4.

Probatur sequela. Qui potest movere localiter corpora et humores, potest immutare imaginationem, imo et omnes potentias organis corporeis affixas : Atqui, ex dictis, angelus potest movere corpora localiter, atque adeo ipsos humores : Ergo potest immutare imaginationem, imo et omnes potentias organis corporeis affixas. *Major est evidens* quia variatis et motis humoribus, spiritus et species etiam moventur, atque alio modo se habet imaginatio, et alio modo repræsentantur objecta.

Sequitur 723. Angelos mitti in ministerium.

723. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Qui ab alio procedit et fit præsens illi loco in quo prius non erat, ut nomine ipsius et tanquam instrumentum intelligens ejus a quo procedit aliquid præstet, proprie mittitur in ministerium : Sed angelus procedit a Deo, et cum prius non sit in uno loco, fit præsens illi, ut aliquid præstet tanquam instrumentum intelligens ipsius Dei : Ergo angelus mittitur in ministerium. *Major est evidens ex dictis :* nam in primis supra ostendimus, quod ad missionem requiritur, ut is, qui mittitur, procedat a mittente, et quod fiat saltem novo modo præsens loco, ad quem mittitur : Secundo certum est, quod agens intelligens ab alio motum ad actionem, est minister ejus, a quo movetur ; est enim instrumentum intelligens, quod ministrum vocamus. *Minor etiam constat;* quia ex primo principio Angeli sunt in loco per operationem, moventur localiter, nec sunt ubique : Hoc enim est proprium Dei. Denique ostendimus ita Deum regere aliqua mediantibus aliis, ut tamen Deus tanquam causa principalis immediate gubernet omnia.

Sequitur 724. Omnes angelos aliquo modo mitti, licet improprie.

724. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui aliquo modo saltem improprie aliquid in alio operatur ut minister Dei, aliquo modo saltem improprie mittitur, ut est evidens ex dictis : Sed omnes angeli aliquid in aliis saltem improprie operantur, ut ministri Dei ; nam illuminant inferiores angelos, ex dictis ; quæ illuminatio, ut ostendimus, non fit per hoc, quod aliquid realiter producat illuminans in illuminato : Ergo omnes angeli aliquo modo mittuntur.

Sequitur 725. Non omnes angelos mitti proprie in ministerium.

725. — Ibidem.

Probatur sequela. Mitti proprie, est proprie operari operationem virtualiter transeuntem, per quam missus vere sit in loco, ad quem est missus : Atqui hoc non convenit omnibus angelis : Ergo, etc. *Major patet ex dictis Minor probatur :* quia quamvis Deus absolute possit mittere quemlibet angelum, nihilominus hoc non facit, eo quod esset superfluum et contra ordinem naturæ. Et quidem esset superfluum, quia nihil est, quod Deus non possit operari vel per seipsum, si velit, vel per inferiores angelorum ordines. Quod vero esset contra ordinem naturæ, patet, quia, ut diximus, ordo naturæ postulat, ut inferiora per ea, quæ sunt immediate supe-

riora gubernentur. Quod si ab hoc ordine quandoque recedatur, hoc fit, ut manifestetur ordo gratiæ, ut diximus fieri, quando fiunt miracula : Sed in missione superiorum angelorum ad ministeria corporalia inverteretur ordo naturæ et gratiæ, et nihil ordinis gratiæ manifestaretur : Ergo hoc et superfluum esset, et contra ordinem. *Minor patet :* quia ordines angelorum distinguuntur, ut ostendimus, initiative ex ipsorum natura et completive ex gratia. Nec ex hoc, quod angeli superiores mitterentur, posset manifestari aliquod mysterium gratiæ, quia non potest a nobis percipi, an qui mittitur sit superior, nec ratio, cur mittitnr.

Sequitur 726. Aliquos angelos esse assistentes Deo, alios ministrantes.

726. — 1. p. q. 112. a. 3. et 4.

Explicatur. Omnes angeli beati semper dici possunt assistentes Deo, quia illum semper vident præsentem, nec in hoc sensu loquimur modo de assistentibus : sed illi dicuntur assistentes, qui vel immediate a Deo percipiunt secreta ipsius, vel saltem ita percipiunt ab aliis immediate percipientibus, ut ipsi non exequantur, nec aliquam actionem circa creaturam corporalem exerceant : ministrantes vero dicuntur illi, qui circa creaturam corpoream aliquid operantur. Hoc ergo sensu.

Probatur sequela. Non omnes angeli aliquid operantur circa creaturam corpoream : Ergo non omnes sunt ministrantes. Similiter non omnes percipiunt immediate a Deo secreta, sed tantum aliqui ; et ex his, qui percipiunt non immediate, corpoream aliqui non operantur circa creaturam : Ergo illi sunt assistentes. *Consequentia* est evidens ex declaratione. *Antecedens utrumque patet ex dictis,* quia angeli primæ Hierarchiæ, et Dominationes, quæ sunt primus ordo secundæ, nihil operantur circa creaturam corpoream, sed ad summum quinque alii ordines : Ergo quatuor sunt ordines assistentium : et quinque ministrantium.

Sequitur 727. Congruum esse, ut homines a sanctis angelis custodiantur.

727. — 1. p. q. 113. a. 1.

Probatur sequela. Congruum est, ut mobilia et variabilia per immobilia et invariabilia moveantur, et regulentur : Sed homines sunt in bono mobiles et variabiles ; angeli vero sunt immobiles et invariabiles in bono : Ergo congruum est, ut homines per angelos moveantur et regulentur. *Major patet ex dictis supra :* diximus enim quod Deus inferiora per superiora gubernat. *Minor est evidens, et constabit infra.*

Sequitur 728. Omnes et singulos homines a singulis angelis custodiri.

728. — Ibid. a. 2. et 4.

Probatur sequela. Hoc exigit divinæ Providentiæ ratio, ut partes universi, quæ sunt principales et incorruptibiles, speciali modo subdantur divinæ Providentiæ et gubernentur, ut supra ostensum est, cum de Dei Providentia ageretur : Sed omnes et singuli homines sunt partes principales unversi, et incorruptibiles quantum ad animam : Ergo omnes et singuli homines speciali modo subduntur divinæ Providentiæ et gubernantur. Atqui ex hoc debent ab angelis custodiri, ut dictum est : Ergo, etc.

Sequitur 729. Hos angelos custodes esse ex infimo ordine angelorum.

729. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Nuntiare et procurare minora pertinet ad infimum ordinem angelorum, ut diximus supra : Sed salus unius hominis particularis est quid minus respectu aliorum, quæ ad totum universum spectant, ut constat : Ergo procurare salutem unius hominis particularis, pertinebit ad angelum infimi ordinis.

Sequitur 730. Angelum custodem deputari ad custodiam a nativitate.

730. — Ibid. a. 5.

Probatur sequela. Ex eo quod homo est pars principalis universi propter animæ immortalitatem, debet ei deputari angelus ad custodiam, ex dictis : Sed homo a nativitate fit pars principalis universi ; nam ante nativitatem non censebatur pars distincta ab aliis, sed censebatur unum et idem cum matre : Ergo, etc.

Sequitur 731. Angelum custodem nunquam simpliciter deserere hominem sibi commissum, sed tantum secundum quid.

731. — Ibid. a. 6.

Probatur sequela. Divina Providentia nunquam deserit simpliciter hominem, sed tantum secundum quid quatenus permittit aliquid mali culpæ vel pœnæ ei accidere : Atqui custodia angelorum eo modo se habet, quo divina Providentia, cujus est executio, ex dictis : Ergo custodia angelica sive angelus custos nunquam ex toto deserit hominem, sed tantum secundum quid, quatenus angelus custos permittit aliquid homini accidere.

Sequitur 732. Inter angelos non esse proprie pugnam, sed tantum improprie.

732. — Ibid. a. 8.

Probatur sequela. Inter exequentes ordinem divinæ Providentiæ non potest esse pugna proprie; cum omnes illam exequantur cum perfecta conformitate ad voluntatem divinam : Sed angeli custodes, sive hominum particularium, sive Regnorum, Provinciarium etc., sunt exequentes ordinem divinæ Providentiæ, ex dictis : Ergo, etc.

DISSERTATIO II[a]

DE DEO FINE CREATURARUM ET PRÆCIPUE INTELLECTUALIUM.

CAPUT I

De creatura rationali ad finem supernaturalem, in primo instanti creationis elevata.

Sectio 1[a]. — De fine supernaturali.

Diximus supra Deum esse summum bonum, atque adeo ultimum omnium rerum finem.

Hinc sequitur 733. Deum esse ultimum finem creaturarum intellectualium speciali quodam modo.

733. — 1. p. q. 3. a. 9.

Probatur sequela. Ultimus finis omnium debet esse speciali modo ultimus finis creaturarum intellectualium : Sed Deus est ultimus finis omnium : Ergo debet esse speciali modo ultimus finis cujuslibet secundum modum ejus : Sed modus creaturarum intellectualium est specialis, ut patet : Ergo, etc.

Sequitur 734. Modum illum specialem, quo Deus est ultimus finis creaturum intellectualium, consistere in hoc quod sit ultimus finis cognitus et volitus.

734. — 1. 2. q. 1. a. 2.

Probatur sequela. Modus proprius creaturarum intellectualium est, quod agant cognoscendo et volendo : Sed Deus est ultimus finis creaturarum intellectualium modo ipsis speciali et proprio : Ergo Deus est ultimus finis illarum ut cognitus et volitus.

Sequitur 735. Creaturas intellectuales tendere in Deum ut ultimum finem nedum ut in terminum sed etiam ut in præmium.

735. — In 3. d. 29. a. 3.

Probatur sequela. Finis, in quem ut cognitum et volitum, sive intentum,

quis tendit, habet rationem non solum termini, sed etiam præmii : Atqui Deus est finis, in quem creaturæ intellectuales tendunt, ut cognitum et volitum : Ergo Deus habet rationem etiam finis nedum per modum termini sed etiam præmii. *Major est evidens,* quia, ut alias probabimus, eo ipso, quod creaturæ intellectuales cognoscunt et volunt finem, volunt libere media : Ex hac autem libera volitione mediorum consequitur bonitas operis et meritum, atque adeo quod finis intentus habeat rationem præmii.

Sequitur 736. Deum nedum voluisse esse finem naturalem creaturarum intellectualium, sed etiam supernaturalem.

736. — 1. 2. q. 23. a. 1.

Probatur sequela. Ex dictis supra, cum de Visione Dei actum est : Deus ut clare visus, est quid supernaturale : Sed Deus voluit esse finis creaturarum intellectualium nedum ut cognitus quomodocumque, sed etiam ut clare visus, ita ut Deus voluerit angelos et homines tendere ad claram ipsius visionem : Ergo Deus voluit esse finis nedum naturalis, sed etiam supernaturalis.

Sequitur 737. Creaturas intellectuales appetere consecutionem et possessionem Dei.

737. — 1 2. q. 1. a. 7. et 8.

Probatur sequela. Omnis res suo modo appetit consequi suum finem : Sed finis creaturarum intellectualium est Deus : Ergo creaturæ intellectuales etiam appetunt consecutionem et possessionem Dei, appetitu quidem naturali, quatenus est finis naturalis, et appetitu supernaturali, quatenus est finis supernaturalis.

Sequitur 738. Finem naturalem angelorum et hominum non posse consistere in aliquo bono creato.

738. — 1. 2. q. 2. a. 1. 1. 2. 3. 4. et c.

Probatur sequela. Deus non est bonum creatum : Sed finis creaturarum intellectualium est Deus : Ergo non est aliquod bonum creatum. Præterea ultimus finis debet esse perfecte satiativus appetitus ejus, cujus est finis : Sed nullum bonum creatum potest esse perfecte satiativum appetitus intellectualis : Ergo nullum bonum creatum potest esse ultimus finis intellectualis. *Major patet;* quia bonum, quod appetitur propter se, et propter quod appetuntur omnia alia, debet esse perfecte satiativum appetitus : Sed finis ultimus est bonum, quod appetitur propter se, et omnia appetuntur propter ipsum, ut diximus : Ergo finis ultimus debet esse perfecte satiativus appetitus. *Minor vero probatur :* Quod non habet omnem rationem boni, non potest perfecte satiare appetitum appetentem bonum universale : Sed nullum bonum creatum habet omnimodam rationem boni, ut ex dictis constat : Ergo nullum bonum creatum potest esse perfecte satiativum appetitus intellectualis, qui, ut ostensum fuit in primo principio, appetit bonum universale tanquam proprium objectum.

Sequitur 739. Finem ultimum creaturæ intellectualis non posse consistere etiam in aggregatione omnium bonorum creatorum.

739. — Ibidem.

Probatur sequela. Nullum bonum finitum et limitatum potest esse ultimus finis : Sed aggregatum ex omnibus bonis creatis est bonum finitum et limitatum : Ergo etc. *Major patet ex dictis. Minor probatur :* quia illud aggregatum non continet omnem rationem boni.

Sequitur 740. Finem ultimum creaturæ intellectualis objectivum esse solum Deum ; formalem vero esse consecutionem Dei.

740. — 1. 2. q. 3. a. 1.

Probatur sequela. Quod continet omnem rationem boni est Deus, cujus consecutio perfecte satiat appetitum intellectualis creaturæ : Sed finis

ultimus objectivus est, quod continet omnem rationem boni; ejus vero consecutio est finis formalis : Ergo finis ultimus objectivus est Deus, et finis formalis est Dei consecutio.

Sequitur 741. Finem ultimum formalem debere esse quid creatum.

741. — Ibidem.

Probatur sequela. Consecutio, qua creatura intellectualis consequitur Deum, debet esse quid creatum : Sed finis ultimus formalis est consecutio, qua creatura intellectualis consequitur Deum : Ergo finis ultimus formalis est quid creatum. *Major patet :* quia creatura intellectualis non potest consequi Deum modo infinito.

Sequitur 742. Beatitudinem formalem non posse consistere in illapsu Dei in animam, quo videlicet Deus seipsum reddat intime præsentem ipsi substantiæ intellectuali.

742. — 1. 2. q. 3. a. 2.

Probatur sequela. Hic illapsus Dei in animam vel est ipsemet Deus, quatenus de novo se reddit præsentem animæ, vel est aliquid creatum : Neutrum dici potest : Ergo beatitudo formalis non consistit in illo illapsu. *Major patet :* quia illapsus Dei in animam nihil aliud importat, quam Deum ipsum illabentem, et novum effectum in anima, ratione cujus Deus fit de novo præsens, qui effectus, est quid creatum; Enimvero non potest Deus fieri de novo præsens alicui per sui mutationem, cum sit immutabilis, ex dictis, sed debet fieri de novo præsens per mutationem creaturæ, quæ mutatio intelligi nequit sine novo effectu producto in ipsa creatura. *Minor vero probatur, et primo quoad primam partem :* Beatitudo formalis est aliquid creatum ex dictis : ergo si ille illapsus Dei non dicit aliquid creatum, sed est solus Deus, quatenus se reddit præsentem, illapsus ille non potest esse beatitudo formalis. *Secunda autem pars minoris probatur :* Ille novus effectus, ratione cujus Deus fit præsens novo modo in creatura intellectuali, vel est naturalis, vel supernaturalis; Neutrum dici potest : Ergo, etc. *Probatur prima pars minoris,* quod ille effectus non sit naturalis, quia beatitudo formalis, atque adeo illapsus ille Dei est supernaturalis, ut dictum est : *Secunda pars minoris probatur,* quod videlicet effectus ille non sit supernaturalis; quia si esset aliquid supernaturale vel esset habitus operativus, vel gratia, vel motio aliqua : nihil ex his dici potest; nam habitus operativus non est in essentia animæ; et præterea beatitudo formalis est actualis Dei possessio; habitus autem operativus non est actualis possessio, nisi ratione suæ operationis : Gratia vero est etiam in his, qui non habent beatitudinem formalem : motio denique formaliter non constituit nisi motum : quod si constituat operantem, debet recipi in potentia, quæ est immediate operativa, non in substantia; et præterea illa motio non potest esse actualis possessio Dei : Ergo in illa non potest consistere formalis beatitudo, atque adeo nec in illo illapsu ut sic.

Sequitur 743. Beatitudinem formalem consistere in aliqua operatione.

743. — Ibidem.

Probatur sequela. Perfectio ultima creaturæ intellectualis debet esse operatio : Sed beatitudo formalis est ultima perfectio creaturæ intellectualis, ut patet ex dictis : Ergo beatitudo formalis debet esse operatio. *Major patet :* Ultimus actus est operatio; quilibet enim alius actus ante ultimum ordinatur ad operationem : Sed ultima perfectio est ultimus actus; cum unumquodque in tantum fit perfectum, in quantum est in actu : Ergo ultima perfectio est operatio.

Sequitur 744. Beatitudinem formalem non consistere in aliqua operatione sensitiva.

744. — Ibid. a 3.

Probatur sequela. Nulla operatio

sensitiva potest esse immediata consecutio et possessio Dei : Sed beatitudo formalis est immediata consecutio et possessio Dei : Ergo beatitudo formalis non potest esse aliqua operatio sensitiva. *Major patet* ex dictis in primo principio : *Minor etiam* ex modo dictis.

Sequitur 745. Beatitudinem formalem non esse actum voluntatis.

745. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Nullus actus abstrahens a possessione vel non possessione, vel supponens non possessionem, aut possessionem, potest esse ipsa possessio, ut ex terminis constat : Atqui omnis actus voluntatis vel abstrahit a possessione et non possessione, ut amor ; vel supponit non possessionem, ut desiderium, vel supponit possessionem, ut delectatio in bono possessio : Ergo nullus actus voluntatis est ipsa possessio : cum ergo beatitudo formalis sit ipsa possessio Dei, ex dictis, nullus actus voluntatis est ipsa beatitudo formalis. *Minor est evidens :* quia omnis actus voluntatis vel est amor, qui abstrahit a præsentia et possessione, et non præsentia et non possessione ; vel est desiderium, quod est de re absente et non possessa ; vel est delectatio, quæ supponit bonum possessum ; est enim quies in bono possesso, ut diximus in primo principio.

Sequitur 746. Beatitudinem formalem esse actum intellectus.

746. — Ibidem.

Probatur sequela. Omnis actus creaturæ intellectualis ut sic, est actus intellectus vel voluntatis, ut constat ex dictis in primo principio : Sed beatitudo formalis non est actus voluntatis, ex jam probatis : Ergo est actus intellectus.

Sequitur 747. Beatitudinem formalem esse de facto visionem Dei.

747. — Ibid. a. 8.

Probatur sequela. Perfectissima operatio intellectus est viso Dei : Sed beatitudo formalis est perfectissima operatio intellectus : Ergo beatitudo formalis de facto est visio Dei.

Sequitur 748. Beatitudinem formalem ordinis naturalis, si creatura intellectualis non fuisset elevata ad ordinem supernaturalem, fore eminentissimam contemplationem Dei, quanta poterat haberi in ordine naturali.

748. — Ibidem.

Probatur sequela. Perfectissima operatio intellectus intra ordinem naturalem est eminentissima contemplatio Dei, quanta haberi potest per naturam : Sed beatitudo formalis est perfectissima operatio intellectus possibilis intra ordinem naturalem : Ergo beatitudo formalis naturalis est eminentissima contemplatio Dei intra ordinem naturæ.

Sequitur 749. Beatitudinem formalem, in visione Dei sitam, esse eminenter formaliter speculativam et practicam.

749. — Ibid. a. 5.

Probatur sequela. Operatio intellectus perfectissima circa primam causam, primam veritatem, et ultimum finem, est eminenter formaliter speculativa et practica : Sed beatitudo formalis in visione Dei sita, est perfectissima operatio intellectus circa primam causam, primam veritatem, et ultimum finem : Ergo beatitudo formalis est eminenter formaliter speculativa et practica. *Major patet* ex dictis in primo principio. *Minor est evidens* ex jam probatis.

Sequitur 750. Beatitudinem formalem esse aliqua ratione magis speculativam quam practicam, quatenus per se primo terminatur ad primam veritatem.

750. — Ibidem.

Probatur sequela. Operatio intellectus per se primo terminata ad primam veritatem, est magis specula-

tiva, quam practica : Sed beatitudo formalis est operatio intellectus per se primo terminata ad primam veritatem ; quia ut patet ex dictis, per se primo est actio intellectus qua Deus possidetur, qui est veluti per se primo ipsa veritas, cum sit primum intelligere et primum intelligibile absque ulla distinctione virtuali : Ergo beatitudo formalis hac ratione est magis speculativa quam practica.

Atque hinc habes neque in cognitione scientiarum speculativarum, neque in cognitione substantiarum separatarum posse consistere habitudinem formalem creaturæ cujuscumque intellectualis.

Sequitur 751. Beatitudinem formalem non esse tantum practicam per modum dirigentis, sed per modum judicii ultimo practici.

751. — Ibidem.

Probatur sequela. Cognitio quidditativa et intuitiva summi boni non solum est practica per modum dirigentis, sed etiam per modum judicii ultimo practici : Sed beatitudo formalis, cum sit visio Dei, est cognitio quidditativa et intuitiva summi boni : Ergo est practica nedum per modum dirigentis, sed etiam per modum judicii practici et ultimo practici.

Sequitur 752. Ad beatitudinem formalem ita consequi amorem Dei, ut non possit non sequi.

752. — 1. 2. q. 4. a. 1.

Probatur sequela. Ad judicium ultimo practicum non potest non sequi actus in voluntate conformis illi judicio, ut patet ex dictis in primo principio : Sed beatitudo formalis est practica per modum judicii, ultimo practici : Ergo ad beatitudinem formalem non potest non sequi actus in voluntate conformis illi judicio dictanti, amandum esse Deum, atque adeo non potest non sequi amor Dei.

Sequitur 753. Visionem in beatitudine esse potiorem delectatione.

753. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Possessio objecti beatifici potior est in beatitudine, quam quies in bono possesso : Sed visio, ex dictis, est possessio Dei objecti beatifici : et delectatio est tantum quies in bono possesso : Ergo visio est in beatitudine potior delectatione.

Sequitur 754. Ad beatitudinem requiri comprehensionem.

754. — Ibid. a. 3.

Explicatur. Comprehensio aliquando sumitur pro cognitione rei quantum cognoscibilis est ; et hoc sensu non sumitur, cum dicimus, comprehensionem esse necessariam ad beatitudinem : alias vero comprehensio sumitur, prout opponitur spei tendenti in aliquid, et desiderio, et prout idem est comprehendere, ac rem diu speratam, et prosecutione longa quæsitam tandem tenere. Ex hoc :

Probatur sequela. Habere in potestate sua objectum ad fruitionem ejus cum securitate omnimoda, est necessarium ad beatitudinem : Atqui comprehendere nihil aliud est, quam voluntatem habere in potestate sua objectum ad fruitionem ejus cum omnimoda securitate : Ergo comprehendere necessarium est ad beatitudinem,

Sequitur 755. Hanc comprehensionem sic explicatam non esse ipsam visionem etiam ut reddit ipsum Deum præsentem.

755. — In 4. dist. 49. q. 4. a. 4.

Probatur sequela. Potestas fruendi objecto præsenti per visionem non est ipsa visio etiam ut reddit Deum præsentem : Atqui comprehensio est ipsa potestas fruendi Deo ut præsenti, ex dictis : Ergo ipsa comprehensio non est ipsa visio.

Sequitur 756. Hanc comprehensionem non esse ipsam fruitionem, prout est actus quidam consequens ad visionem.

756. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Potestas fruendi

objecto præsenti non est ipsa fruitio: Atqui comprehensio est potestas fruendi objecto præsenti : Ergo comprehensio non est ipsa fruitio.

Sequitur 757. Hanc comprehensionem esse habitudinem voluntatis, ut informata est charitate, ad ipsum Deum ut præsentem, per visionem, quatenus ipsa voluntas habet potestatem et veluti dominium cum securitate omnimoda fruendi ipso.

757. — Ibidem.

Probatur sequela. Dominium sive facultas, nihil aliud est, quam habitudo ipsius potentiæ ad rem, cujus quodammodo dicitur habere dominium : Sed comprehensio, de qua nunc agimus, est potestas sive dominium voluntatis respectu Dei præsentis cum securitate omnimoda in ordine ad fruendum Deo : Ergo comprehensio est habitudo voluntatis ad Deum ut præsentem; quam habitudinem cum non habeat voluntas ex natura sua, sed quatenus est informata charitate, comprehensio est habitudo voluntatis est informata charitate,

Sequitur 758. Hanc habitudinem non esse formaliter eamdem cum habitudine ejusdem voluntatis ad fruendum Deo.

758. — Ibidem.

Probatur sequela. Dominium sive facultas, qua objectum redditur veluti proprium cum securitate omnimoda in ordine ad fruendum, non est eadem habitudo formaliter ac ipsa habitudo fruendi : Sed comprehensio est dominium sive facultas, qua Deus redditur ipsi beato proprius cum securitate omnimoda, ut ex dictis patet : Ergo comprehensio non est eadem habitudo cum habitudine voluntatis ad fruendum. *Major constat*; quia dominium illud et facultas, qua objectum redditur proprium cum securitate omnimoda, est quid prius actione immediata fruendi; ex eo enim, quod aliquid meum est, oritur facultas fruendi aut utendi illo. Quare sicut juris consulti duas veluti partes dominii assignant, proprietatem et usumfructum, ita nos in charitate patriæ duas veluti habitudines debemus distinguere in ordine ad Deum præsentem; prima est tentionis, quatenus ipse Deus ut bonum proprium Beati, tenetur ab ipsa voluntate beati ; Secunda est fruitionis, quatenus ex eo quod Deus ut bonum proprium sic tenetur, resultat facultas fruendi ipso : prima est comprehensio ; secunda est fruitio.

Sequitur 759. Tres esse beatorum dotes, Visionem, Comprehensionem, Fruitionem.

759. — D. Th. in 4. dist. 49. q. 4. a. 2.

Explicatur. In matrimonio tria considerantur; primo ipsa essentia matrimonii; secundo ipsa dos; tertio actus matrimonii. Essentia matrimonii consistit in traditione et acceptatione juris in corpora contrahentium; Dos est id, quod datur sponso simul cum sponsa ad sublevanda onera matrimonii, et reddendum ipsum matrimonium non onerosum, sed suave ac jucundum; unde non debet conferri usque ad nuptias solemnes, quando sponsa in domum sponsi traducitur : Actus matrimonii sunt, qui ad matrimonium consequuntur. Quia ergo spirituale matrimonium contrahitur inter Deum et creaturam intellectualem per beatitudinem, ut concipitur completa, Deus tradit seipsum eidem creaturæ, per ipsam actualem visionem; et creatura seipsam tradit per amorem amicitiæ consummatum, et in hac mutua traditione consistit essentia hujus matrimonii. Dotes autem debent esse aliquid datum, non quidem sponso, cui nihil necessarium est, sed ipsi sponsæ ut jucundum sit matrimonium : unde definitur dos, ornatus animæ, vitæ sufficiens, in æterna beatitudine perseverans. Actus vero hujus matrimonii sunt ipsa visio, et delectatio sive fruitio.

Observendum autem, non requiri in istis metaphoricis locutionibus, ut ipsa res, quibus metaphoræ applicantur, sint omnino similes; visio ergo, quatenus Deus per illam se tradit creaturæ, est ipsa essentia matrimonii spiritualis : amor amicitiæ ipsius creaturæ ad Deum, quo ipsa creatura se totam tradit Deo, est ex parte creaturæ essentia matrimonii; lumen gloriæ quatenus ex ipso potest oriri visio, est dos : et similiter charitas non solum quatenus per illam creatura se tradit Deo, sed quatenus et ipsa habet quoddam dominium ad fruendum Deo ut præsente, atque, ut sic loquar, quatenus Deum jam præsentem per visionem complectitur cum securitate tenendi ipsum in æternum, est dos, quæ vocatur comprehensio, et eadem charitas est etiam dos, quatenus dat inclinationem immediatam ad fruendum Deo.

Ex hac explicatione habes tres esse dotes, non quidem omnino realiter distinctas, sed saltem formaliter, visionem videlicet, id est lumen gloriæ, et charitatem sub duplici diversa formalitate facultatis tenendi, et fruendi; unde etiam habes has tres dotes esse habitus, et non actus ipsos. Cætera satis patent ex istis.

Sequitur 760. Peccatum mortale esse omnino incompossibile cum beatitudine formali.

760. — 1. p. q. 4. a. 4.

Probatur sequela. Aversio ab ultimo fine est incompossibilis cum conversione perfecta ad ultimum finem; sicut incompossibilis est privatio cum forma : Sed peccatum mortale ut sic est aversio a Deo ut ultimo fine, ut postea ostendemus; beatitudo vero formalis, est perfecta conversio ad ultimum finem; cum sit ejus possessio, ex dictis, nec possit dari perfectior conversio ad finem, quam ejus possessio, ut est evidens : Ergo peccatum mortale est incompossibile cum beatitudine formali.

Sequitur 761. Etiam peccatum veniale esse incompossibile cum beatitudine formali.

761. — Ibidem.

Probatur sequela. Inordinatio in mediis ad ultimum finem est incompossibilis cum possessione actuali ultimi finis : Sed peccatum veniale, ut infra ostendemus, est inordinatio in mediis ad ultimum finem; Beatitudo autem formalis est actualis possessio ultimi finis, ex dictis : Ergo peccatum veniale est omnino incompossibile cum beatitudine formali. *Major est evidens,* quia qui semper actu tendit in ultimum finem, et habet circa quodlibet objectum judicium ultimo practicum ordinans omnia ad ultimum finem, nequit appetere aliquid inordinatum vel præter ordinem ad illum finem; cum voluntas non possit ferri in incognitum, nec nisi secundum judicium intellectus ordinantis.

Sequitur 762. Beatum non posse velle cessare a beatitudine formali.

762. — 1. p. q. 62. a. 8. 1. p. q. 62. a. 1. q. 22. de verit. a. 6 et q. 24. a. 8. 3. cont. gent. c. 62. et 4. c. 92.

Probatur sequela. Actus perfecte satiativus appetitus, sive qui est possessio objecti perfecte satiativi appetitus, est beatitudo formalis, ut ostensum est : Sed nullus potest velle cessare ab actu perfecte satiativo appetitus : Ergo nullus potest velle cessare a beatitudine formali. *Minor probatur :* Qui vult cessare ab aliquo actu, ex aliquo judicio præcedenti vult cessare, quo videlicet judicat, in tali actu esse aliquid nocivum, vel indifferens; ut enim supra diximus omnis libertas voluntatis provenit ex judicio indifferenti objective : Sed nullum judicium potest esse in beato, quo judicet actum, qui est beatitudo, vel objectum ejus, habere aliquid nocivum, vel indifferens; cum per ipsam formalem beatitudinem continuo judicet esse ibi omnimodam rationem

boni, sive bonum perfecte satiativum : Ergo nullus beatus potest velle cessare ab actu beatifico.

Sequitur 763. In nullo beato esse potentiam proximam peccandi.

763. — Ibidem.

Probatur sequela. In eo, in quo non est potentia proxima cessandi ab aliquo, quod est incompossibile cum omni peccato, non est potentia proxima peccandi, ut est evidens : Sed in nullo beato est potentia proxima cessandi a beatitudine formali, quæ incompossibilis est cum quocumque peccato, ex dictis : Ergo in nullo beato est potentia proxima peccandi.

Explicatur. Potentia proxima cessandi a beatitudiue, sive volendi cessare a beatitudine formali consistit in potentia proxima judicandi actum vel objectum beatificum non habere rationem boni perfecte satiativi : implicat autem, quod in beato sit talis potentia proxima ad hujusmodi judicium; quandoquidem intellectus cujuslibet beati ipsa evidentia objecti et experientia convincitur objectum habere omnimodam rationem boni, et possessionem talis objecti esse perfecte satiativam appetitus.

Sequitur 764. Nullam esse libertatem in beato respectu objecti vel actus beatifici.

764. — Ibidem.

Probatur sequela. Ubi nullum est aut esse potest judicium indifferens circa objectum et actum, nulla est etiam libertas circa eadem : Sed in beato nullum est aut esse potest judicium indifferens circa objectum et actum beatificum : Ergo in beato nulla est libertas respectu objecti vel actus beatifici. *Explicatur :* Libertas omnis oritur ex judicio indifferenti circa objectum, vel circa proprium actum; si enim objectum judicetur indifferens, est libertas etiam quoad specificationem; si actus ille ob virtualem reflexionem judicetur indifferens, est libertas quoad exercitium, ut alias ostensum fuit in primo principio. Ubi autem objectum habet et cognoscitur evidenter, habere omnimodam rationem boni, non potest judicari objectum indifferens : et ubi actus, quo objectum habens omnem rationem boni attingitur, concipitur clare, evidenter, et experientia ipsa, esse perfecte satiativus, non potest judicari actus ille ut indifferens : nulla ergo potest tunc esse libertas vel quoad specificationem, vel quoad exercitium.

Sequitur 765. Non posse fieri, ut amor Dei separetur ab actu visionis Dei.

765. — Ibidem.

Probatur sequela. Amor non potest separari ab actu judicii ultimo practice practici, quo aliquod objectum judicatur amandum hic et nunc in exercitio : Sed, ex dictis supra, visio Dei est judicium ultimo practice practicum, quo Deus ut ultimus finis judicatur hic et nunc in exercitio supra omnia diligendus : Ergo non potest fieri, quod amor Dei separetur a visione Dei. Nec dicas Deum posse, supposito tali judicio, velle denegare concursum ad amorem : hoc enim implicat; quia hoc ipso, quod Deus vult dare concursum ad judicium ultimo practicum, vult etiam dare ad actum voluntatis, qui hoc judicium concomitatur; sicut eo ipso, quod Deus vult dare concursum ad assensum præmissarum, vult etiam dare concursum ad assensum conclusionis ; alias sibi ipsi esset contrarius : quando enim actus ita sunt connexi, ut unus trahat, atque, ut sic loquar, involvat necessario et veluti essentialiter alterum, Deus volendo unum vult alterum : Quare Deus non potest velle, ut homo velit, et quod non præcedat cognitio; nec potest velle, quod homo judicet hic et nunc objectum esse amandum, et quod illud non amet : superflua siquidem esset prior voluntas.

Sequitur 766. Beatitudinem semel habitam non posse amitti.

766. — 1. 2. q. 5. a. 4.

Probatur sequela. Bonum, quod excludit omne malum, et satiat totaliter appetitum, semel habitum non potest amitti; alias non excluderet malum illud, quod est periculum amittendi, nec satiaret appetitum continuo possidendi bonum illud : Sed beatitudo est bonum excludens omne malum, et perfecte satians appetitum, ex dictis : Ergo beatitudo semel habita non potest amitti. Intellige semel habita per modum beatitudinis; si enim non sit per modum beatitudinis, sed tantum per modum transeuntis, in quo non habet rationem beatitudinis, tunc potest amitti, aut saltem non continuari, ut patet in D. Paulo.

Sequitur 767. Ad perfectam beatitudinem in homine requiri etiam corpus.

767. — 1. 2. q. 4. a. 5.

Probatur sequela. Appetitu naturali anima cupit corpus sibi uniri, cum anima sit essentialiter forma : Sed ad perfectam beatitudinem requiritur, quidquid anima cupit appetitu naturali : Ergo ad perfectam beatitudinem requiritur corpus uniri animæ. *Minor est evidens :* quia perfecta beatitudo debet esse satiativa appetitus.

Sequitur 768. Ad perfectam beatitudinem requiri, quod corpus participet de ipsa beatitudine.

768. — Ibid. a. 6.

Probatur sequela. Appetitu naturali anima appetit corpus sibi unitum se habere quam optime fieri potest juxta statum, in quo est; unde dixit D. Paulus, quod *nemo carnem suam odio habuit* (6. Ad Eph. :) Sed ad perfectam beatitudinem requiritur quidquid anima cupit appetitu naturali, imo et appetitu elicito rationali : Ergo ad perfectam beatitudinem requiritur in homine, quod corpus optime se habeat juxta statum beatitudinis, atque adeo quod corpus aliquid participet de ipsa beatitudine

Sequitur 769. Corpus in beatitudine fore totaliter subditum animæ.

769. — In 4. dist. 44. q. 2. In 4. dist. 49. q. 4. a. 5. q. 3.

Probatur sequela. Anima rationaliter cupit corpus sibi esse totaliter subditum, ut constat; quia anima est perfectiva corporis; oportet autem perfectibile totaliter subjici perfectivo : Sed ad perfectam beatitudinem requiritur, quod habeat quidquid rationabiliter cupit : Ergo ad perfectam beatitudinem requiritur, ut corpus sit totaliter subditum animæ.

Sequitur 770. Corpus in beatitudine fore impassibile.

770. — In 4. dist. 44. q. 2. a. 1.

Probatur sequela. Corpus totaliter subditum animæ beatæ est impassibile : Sed in beatitudine corpus debet esse totaliter subditum animæ beatæ : Ergo corpus debet esse impassibile : *Major constat;* quia corpus non est passibile passione, quæ sit contra naturam, nisi quia corpus subjicitur alicui agenti contra inclinationem et dominium, quod habet anima in corpus.

Sequitur 771. Hanc impassibilitatem corporum in beatis consistere in hoc quod anima perfectissime dominans supra corpus, ita temperet humores et qualitates in corpore existentes, ut nec ipsæ agant in se mutuo nisi juxta præscriptum animæ, nec recipiant ab aliquo agente qualitates extraneas, ponentes extra debitam temperiem humores et qualitates corporis.

771. — Ibidem.

Probatur sequela. Tum quia hæc omnia requirit vera impassibilitas, ut per se patet; Tum etiam quia hæc exigit perfectum dominium animæ supra corpus, ut humores ac qualita-

tes contineat ad nutum, et externa nociva sua virtute impediat.

Sequitur 772. Hanc impassibilitatem excludere omnem omnino alterationem partis vegetativæ et actionem ejus.

772. — Ibidem.

Probatur sequela. Alteratio partis vegetativæ non potest fieri sine passione contra naturam; oportet enim quod calor naturalis alterando cibum, repatiatur ut supponimus : Sed impassibilitas excludit omnem omnino passionem contra naturam, ex dictis : Ergo impassibilitas excludit omnem alterationem partis vegetativæ, atque adeo omnem actionem vegetativam.

Sequitur 773. Hanc impossibilitatem non excludere actionem partis sensitivæ.

773. — Ibidem.

Probatur sequela. Immutatio pure intentionalis non est immutatio contra naturam, atque adeo impassibilitas illam non excludit : Sed actio partis sensitivæ exigit tantum immutationem pure intentionalem : Ergo actio partis sensitivæ ut sic non est immutatio contra naturam, atque adeo impassibilitas illam non excludit. *Major patet :* quia immutatio pure intentionalis potius perficit sensum, neque necessario habet annexam immutationem physicam, ut ostendimus in primo principio : unde constat etiam minor.

Sequitur 774. In beatis omnes sensus posse esse in actu secundo, sive posse in illis esse sensationes omnium sensuum non obstante impassibilitate.

774. — In 4. dist. 44. q. 2. a. 1. q. 3.

Probatur sequela. Quæ possunt esse sine passione contra naturam cum sola immutatione intentionali, possunt esse in beatis : Sed sensationes mnium sensuu m possunt esse sine passione contra naturam cum soal immutatione intentionali : Ergo, etc. Major et minor patent ex dictis.

Sequitur 775. De facto futuros omnes sensus in actu, et omnes sensationes, ita ut beati videant corporaliter, audiant, percipiant odorem, gustent, et tangant.

775. — D. Thom. in 2. dist. 2. q. 2. a. 2. ad 5.

Probatur sequela. Quia istæ actiones possunt ibi esse, ut probatum est, et naturaliter anima in corpore existens cupit delectationes harum actionum. Quare visus erit ibi subtilissimus, nec abundantia luminis sive claritas corporis impediet, quin percipiat per species in esse intentionali, imo valde juvabit; sicut videmus, quod quo aer est magis illuminatus, eo perfectius potest recipere species : Auditus etiam ibi erit perfectissimus absque immutatione physica, cum ex aere intra corpus innato possit formari vox, imo possit etiam dici, quod poterit formari ex ipso cœlo empyreo, propter suam raritatem, ut docet D. Thom. quare sancti etiam voce corporea laudabunt Deum. Odoratus ibi etiam erit sine fumosa exhalatione, quæ, ut alias diximus, non est necessaria. Tactus similiter ibi erit sine ulla alteratione physica. De gustu magis dubitat D. Thom. sed dici potest, ut ipse ait, fore intra corpora Sanctorum humorem sapidissimum, qui faciat sensum gustus in actu. Cave tamen ne hæc omnia ad illam impietatem derives, ut velis ibi esse paradisum Mahometi.

Sequitur. 776. Corpus in beatitudine fore subtile.

776. — In 4. dist. 44. q. 2. a. 2. q. 1.

Probatur sequela. Corpus totaliter subditum animæ, debet esse subtile : Sed corpus in beatitudine erit perfecte ac totaliter subditum animæ : Ergo erit subtile. *Major statim declarabitur* ostendendo quid sit subtilitas.

Sequitur 777. Hanc subtilitatem non esse virtutem activam, qua corpus gloriosum possit esse penetrative cum alio corpore vel glorioso, vel non glorioso.

777. — Ibid. a. 3. q. 2.

Probatur sequela. Nulla virtus activa permanens potest esse in aliquo ad miracula patranda : Sed hoc, quod est duo corpora sese mutuo penetrare, est miraculum : Ergo nulla virtus activa permanens potest esse in corpore glorioso ad penetrandum aliud corpus. Vel ergo subtibilitas non est aliqua virtus activa permanens in corpore glorioso, vel subtilitas non competit permanenter corporibus gloriosis : Atqui jam probatum est, quod eis competat : Ergo dicendum est, subtilitatem non esse virtutem activam ad penetrationem. *Major probatur :* quia virtus ad patranda miracula, si esset permanens, esset omnipotentia, ut alias ostendimus. *Minor probata fuit* in primo principio.

Sequitur 778. Hanc virtutem subtilitatis consistere in hoc, quod corpus ad nutum animæ exhibebit se palpabile, vel impediet ne palpari possit.

778. — Ibid. et 4. cont. gent. c. 86.

Explicatur. Ad hoc quod corpus aliquod sit palpabile, non sufficit, quod tangi possit ; nam aerem ipsum tangimus, et per tactum sentimus, et tamen non palpamus : quare ut aliquid sit palpabile debet resistere tangenti. Corpus ergo gloriosum habet quidem qualitates tangibiles, cum sit mixtum ; sed habet illas tales, ut anima possit ad nutum impedire, ne hujusmodi qualitates immittant speciem in tactum, et similiter ne corpus resistat tangenti ; ac per hoc subtilitas est etiam ex parte corporis dispositio, ut corpus possit esse in eodem loco cum alio corpore.

Probatur sequela. Corpus perfecte ac totaliter subjectum animæ, debet ei primo subjici ut materia formæ : Atqui subtilitas oritur ex eo, quod corpus est perfecte ac totaliter subjectum animæ. Ergo oritur ex eo quod est ei subjectum ut materia formæ. Materia vero subjicitur formæ ratione qualitatum tangibilium, et ratione quantitatis ; non quasi forma possit efficere, ut hujusmodi qualitates non sint in composito, cum sint necessariæ dispositiones ; sed quatenus forma perfecte subjiciens sibi materiam, impedit, vel impedire potest, ne hujusmodi qualitates et quantitas immittant sui speciem sensibilem. Sed quia anima non potest impedire ne materia affecta quantitate immitteret speciem qualitatis illius, quam vocamus densitatem, ratione cujus impeditur aliud corpus ne subintret, hinc est, quod illa eadem subtilitas, qua potest anima impedire qualitates tangibiles ne sentiantur, etiam disponit ipsum corpus ad hoc, ut ex miraculo, quod Deus est paratus semper præstare ad nutum animæ, possit penetrative esse in eodem loco cum alio corpore.

Sequitur 779. Corpus in beatitudine debere esse agile.

779. — In 4. dist. 44. a. 3. q. 2. et 3.

Probatur sequela. Corpus perfecte subjectum animæ ut mobile motori, debet esse agile, hoc est, perfecte dispositum ad motum : Sed corpus in beatitudine erit perfecte subjectum animæ, etiam ut mobile motori : Ergo corpus in beatitudine erit agile, hoc est, perfecte dispositum ad motum. *Major patet :* quia anima non unitur corpori tantum ut forma, sed etiam ut motor : atque adeo anima perfecte sibi subjiciens corpus ac totaliter, debet habere corpus sibi subjectum ut mobile motori.

Sequitur 780. Hanc agilitatem esse qualitatem supernaturalem, quam anima beata imprimet corpori, ad hoc ut ad nutum obediat non solum ad motum localem; sed ad omnes omnino operationes partis sensitivæ, et alias, quas medio corpore anima voluerit exercere.

780. — Ibidem.

Probatur sequela. Anima unitur ut motor corpori tanquam mobili non tantum in ordine ad motum localem, sed etiam ad alias operationes sensuum, ut patet : Atqui in beatitudine, ratione agilitatis, corpus erit perfecte ac totaliter subjectum animæ ut motum motori : Ergo corpus, ratione agilitatis, erit subjectum animæ beatæ etiam in ordine ad alias operationes, et non solum ad motum localem.

Sequitur 781. Hanc agilitatem reducendam esse in actum tum per motum localem corporum beatorum, tum per alias operationes.

781. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia alias esset frustra. Cave tamen, ne hinc inferas motum localem posse fieri in instanti : hoc enim ex natura motus repugnat, ut diximus in primo principio.

Sequitur 782. Corpus informatum anima beata fore clarum et lucidum.

782. — In 4. dist. 44. a. 4. q. 3.

Probatur sequela. Quod suo modo participat claritatem et lucem, est clarum et lucidum : Sed corpus informatum anima beata participat suo modo ab ipsa claritatem et lucem : Ergo erit clarum et lucidum. *Major est evidens ex terminis. Minor probatur :* quia anima clara et illuminata lumine spirituali et supernaturali etiam ut forma, sicut ipsa est spiritualis *ut quod*, et sic recipit lumen illud spirituale tanquam subjectum *quod;* et tamen est corporalis *ut quo,* et sic ipsi corpori communicat esse corpus, illud informando ; ita ubi recepit tanquam subjectum *quod* illud lumen spirituale ac supernaturale, ipsa quatenus corporalis *ut quo* fit potens ad communicandum et producendum in corpore sibi unito claritatem et lumen etiam corporeum.

Sequitur 783. Lucem illam et claritatem corpoream esse supernaturalem ex causa, licet sit ejusdem rationis cum luce solis, et aliorum corporum.

783. — Ibidem.

Probatur sequela. Effectus, qui habet causam supernaturalem, est supernaturalis ex causa, licet in se sit ejusdem rationis cum simili effectu producto per causam naturalem, ut patet in visu restituto aliqui cæco, sicut explicatum est supra, cum de miraculis actum est : Sed claritas ista et lumen est effectus ex causa supernaturali, scilicet ex beatitudine animæ : Ergo est supernaturalis ex causa, licet sit ejusdem speciei cum luce solis, etc.

Sequitur 784. Lucem illam et claritatem eo esse majorem, quo gloria animæ erit major.

784. — Ibidem.

Probatur sequela. Causa lucis et claritatis in corporibus beatorum est lumen et gloria animæ, ex dictis ; Sed eo major est effectus, quo est major et efficacior causa : Ergo eo erit major hæc claritas, quo gloria animæ major erit.

Sequitur 785. Lucem hanc et claritatem posse videri ab oculo non glorioso.

785. — Ibidem.

Probatur sequela. Lux ejusdem speciei cum luce solis potest videri a qualibet potentia visiva ; est enim lux per seipsam visibilis, ex primo principio : Sed lux corporum beatorum est ejusdem speciei cum luce Solis, ex dictis : Ergo hæc lux poterit videri a qualibet potentia visiva, atque adeo ab oculo non glorioso.

Sequitur 786. Lucem hanc corporis gloriosi posse videri vel non videri, prout anima gloriosa voluerit.

786. — Ibidem.

Probatur sequela. Sicut enim diximus, quod ratione subtilitatis anima poterit exhibere corpus suum palpabile, impediendo, vel non impediendo, quod corpus immittat species tangibiles, eo quod corpus, et omnia corporalia perfecte ac totaliter subdentur animæ; ita etiam ob eamdem rationem dicendum est de luce, utpote derivata ab ipsa anima.

Sequitur 787. Lucem hanc et claritatem, quamvis futura sit multo major claritate solis, non offendere visum, sed potius demulcere.

787. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia agit actione animæ, hoc est, dependet ab anima, quæ illam applicare potest ut vult.

Ex his habes explicatas quatuor, quas vocant dotes corporis gloriosi. Ratio vero hujus nominis patet ex dictis de dotibus animæ.

Habes etiam has dotes esse qualitates positivas, ut docet D. Thom. 1. p. q. 97. art. 1. et locis supra citatis.

Sequitur 788. Animabus beatis esse gaudium speciale de insigni victoria quam reportarunt, juxta majorem vel minorem difficultatem in illa.

788. — In q. dist. 49. q. 5. a. 1.

Probatur sequela. Ex inclinatione naturali est, quod homo gaudeat de operibus virtutum, præsertim heroicis et difficilibus; et hoc etiam spectat ad justitiam Dei, ut det præmium speciale illis operibus : Ergo, etc. Hic agendum esset de aureolis : Sed quia hæc materia supponit quædam alia infra dicenda, supersedendum tantisper.

Sequitur 789. Ad beatitudinem illam perfectam non requiri bona externa, cujusmodi sunt divitiæ, cibi, vestes, etc.

789. — 1. 2. q. 4. a. 7.

Probatur sequela. Media et instrumenta non sunt necessaria, adepto fine; quia sunt tantum bona utilia in ordine ad acquirendum finem; unde illo adepto, cessat eorum utilitas, atque adeo bonitas, ut constat ex dictis in primo principio : Sed omnia hujusmodi bona externa sunt tantum media et instrumenta ad vitam animalem necessaria, et ad acquirendum ultimum finem utilia, ut est evidens : Ergo, etc.

Sequitur 790. Societatem amicorum, famam, honorem, gloriam, etc. non esse de necessitate beatitudinis perfectæ, quamvis etiam non desit.

790. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Quia ista omnia bona non possunt esse necessaria fruenti Deo Patre, et Filio, et Spiritu sancto, tanquam amico, et summa apud ipsum gloria, existimatione, et honore : Deus tamen ex superabundanti dabit etiam societatem angelorum, summam unius apud alios existimationem, etc.

Sequitur 791. Posse creaturam intellectualem assequi beatitudinem.

791. — 1. 2. q. 5.

Probatur sequela. Creatura capax cognoscendi bonum perfectum et universale, et appetendi illud, est capax beatitudinis; quia ex dictis beatitudo est bonum perfectum et universale : Sed creatura intellectualis est capax cognoscendi et appetendi bonum perfectum et universale, ut constat ex dictis in primo principio : Ergo, etc. Adde quod diximus supra, possibilem esse visionem Dei, in qua ostendimus consistere beatitudinem.

Sequitur 792. Unam creaturam intellectualem posse alia esse beatiorem.

792. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Visio clara Dei potest esse major et perfectior in una creatura intellectuali, quam in alia, ut diximus supra : Sed beatitudo est ipsa clara Dei visio, ut etiam ostendimus : Ergo beatitudo potest esse major in una creatura intellectuali, quam in alia.

Sequitur 793. Nullum posse esse perfecte beatum in hac vita, juxta viam ordinariam.

793. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Visio clara Dei expellens omne malum, et satians totaliter appetitum, est beatitudo, ex dictis : Sed in hac vita non potest haberi visio clara Dei expellens omne malum, et satians totaliter appetitum, ut patet etiam ex alias probatis : Ergo in hac vita non potest haberi beatitudo.

Sequitur 794. Debere dari aliquam durationem antequam creatura intellectualis perveniat ad beatitudinem ut præmium.

794. — 1. p. q. 62. a. 4. et 5.

Probatur sequela. Meritum non pot est esse simul cum præmio ; quia meritum habet rationem viæ et tendentiæ ad præmium : Sed, ex dictis supra, creatura intellectualis debet per meritum acquirere beatitudinem ut præmium, saltem ordinarie : Ergo debet dari aliqua duratio, quæ sit veluti via ad beatitudinem ut præmium.

Sectio 2ª. — De auxiliis necessariis in genere ad finem supernat. attingendum.

Sequitur 795. Creaturam intellectualem non posse viribus naturalibus assequi beatitudinem supernaturalem.

795. — 1. 2. q. 5. a. 5.

Probatur sequela. Beatitudo perfecta est visio clara Dei, ut ostensum est : Sed per vires naturales nulla creatura potest assequi visionem claram Dei, ut diximus supra : Ergo per vires naturales nulla creatura intellectualis potest assequi beatitudinem.

Sequitur 796. Beatitudinem perfectam nullius alterius creaturæ viribus ab ulla creatura acquiri posse.

796. — Ibid. a. 6.

Probatur sequela. Quod est simpliciter supernaturale, nullius omnino creaturæ viribus haberi potest, ut patet ex iis, quæ diximus supra de supernaturalitate : Atqui Beatitudo perfecta sive visio clara Dei est simpliciter supernaturalis, ut ibidem ostendimus : Ergo beatitudo perfecta nullius creaturæ viribus haberi potest.

Sequitur 797. Beatitudinem perfectam haberi non posse sine aliquo dono Dei gratuito et supernaturali.

797. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod potest haberi, nec tamen haberi potest viribus naturæ, debet haberi ex aliquo dono Dei gratuito et supernaturali : Sed, ex dictis, beatitudo potest haberi, et non ex viribus naturæ : Ergo debet haberi ex aliquo Dei gratuito et supernaturali.

Sequitur 798. Hoc donum gratuitum et supernaturale recte vocari gratiam.

798. — 1. 2. q. 110. a 1.

Probatur sequela. Quod gratis datur, et gratum facit et acceptum in ordine ad perfectam beatitudinem, recte vocatur gratia : Sed hoc donum gratuitum, quo potest haberi perfecta beatitudo, gratis a Deo datur ; et gratum facit atque acceptum ad hanc beatitudinem : Ergo recte vocatur gratia. *Major patet :* quia et ex eo, quod gratis detur, et ex eo, quod gratum faciat, recte gratia dicitur. *Minor patet ex dictis :* quia donum illud, cum sit gratuitum, et indebitum

naturæ, utpote supernaturale, debet gratis dari, et cum ratione illius ad beatitudinem quis pervenire possit, debet etiam gratum facere coram Deo auctore beatitudinis.

Sequitur 799. Hoc donum debere esse participationem formalem alicujus proprie ac formaliter existentis in Deo, quod sit proprium ipsi Deo.

Probatur sequela. Omne supernaturale simpliciter debet esse participatio formalis alicujus proprie et formaliter existentis in Deo, quod sit proprium ipsi, ut supra probatum est: Sed hoc donum est simpliciter supernaturale, ut constat ex dictis: Ergo hoc donum, quod vocamus gratiam, debet esse participatio formalis alicujus etc.

Sequitur 800. Hanc gratiam debere esse participationem formalem naturæ divinæ.

800. — 1. 2. q. 100. a. 2. præsertim ad 2.

Probatur sequela. Primum donum supernaturale, quo fit, ut creatura intellectualis connaturaliter operetur varias operationes supernaturales et diversæ quodammodo speciei, debet esse participatio formalis naturæ divinæ: Atqui gratia ista gratum faciens est primum donum supernaturale, quo fit ut creatura intellectualis connaturaliter operetur operationes supernaturales, quibus tanquam meritis perveniat ad beatitudinem, et quæ sunt diversæ quodammodo speciei: Ergo gratia ista debet esse participatio formalis naturæ divinæ. *Major patet:* quia ut aliquod agens connaturaliter operetur, debet operari conformiter ad naturam aliquam in eo existentem, alias revera non connaturaliter operaretur: natura autem supernaturalis non potest esse in ulla creatura intellectuali substantialiter, ut supra ostensum est; sed tantum accidentaliter et per participationem: Ergo quod dat esse principium connaturale operationum supernaturalium, debet esse participatio naturæ supernaturalis substantialis, quæ est sola divina natura. Ex quo fit, quod sicut operari sequitur ad esse; ita operari supernaturaliter per participationem, sequitur ad esse supernaturale, sive ad naturam supernaturalem per participationem, hoc est, ad participationem naturæ divinæ. *Minor etiam est evidens ex dictis.*

Hinc habes gratiam esse perfectissimum ens quantum ad rationem formalem, non quoad modum, quia non est substantia, nec subsistit, sed est accidens. Visio tamen beatifica est perfectior, quia magis actualis, quia est finis.

Sequitur 801. Hanc gratiam distingui a virtute operativa.

801. — 1. 2. q. 110. a. 3.

Probatur sequela. Participatio formalis naturæ divinæ distinguitur a participatione formali virtutis operativæ; quamvis enim in Deo natura et virtus sint idem, non tamen potest fieri, quod creatura participet utramque rationem per unam et eamdem rem creatam: tum quia quæ sunt unita in superioribus, sunt dispersa in inferioribus, tum et maxime, quia quæ habentur per participationem, finito et limitato modo habentur; quando vero natura et virtus immediate operativa idem sunt, non modo limitato, sed illimitato perfectio habetur, ut alias demonstratum est.

Sequitur 802. Hanc gratiam distingui a charitate.

802. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod distinguitur a virtute immediate operativa, etiam distinguitur a charitate; quia charitas est virtus: Sed gratia, ex dictis, distinguitur a virtute operativa: Ergo distinguitur a charitate.

Sequitur 803. Hanc gratiam subjectari in ipsa essentia creaturæ intellectualis.

803. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Qualitas spiritua-

lis distincta a virtute debet subjectari in essentia creaturæ intellectualis : Sed gratia est qualitas spiritualis distincta a virtute : Ergo subjectatur in essentia animæ. *Major patet :* quia in creatura intellectuali non sunt nisi essentia et potentiæ, ut patet ex dictis supra in primo principio. *Minor vero constat* ex jam dictis.

Ex dictis hucusque habes, gratiam ita esse unam specie, ut non possint dari duæ gratiæ habituales specie distinctæ : quia est participatio naturæ divinæ secundum unam et indivisibilem rationem, ut satis constat ex dictis.

Sequitur 804. Primum effectum formalem hujus gratiæ, de qua loquimur, esse constituere creaturam intellectualem gratam Deo.

804. — 1. 2. q. 110. a. 1.

Probatur sequela. Primus effectus formalis cujuslibet formæ est ille, qui ipsi per se primo correspondet, nec potest separari ab ipsa ; quia ut sæpius diximus, primus effectus formalis est ipsa forma ut communicata subjecto : Atqui constituere subjectum gratum, per se primo correspondet gratiæ, nec potest ab illa separari ; est enim ipsa gratia ut communicata subjecto : Sicut ergo constituere album, est primus effectus formalis albedinis, ita constituere gratum, est primus effectus formalis gratiæ.

Sequitur 805. Secundum effectum formalem gratiæ esse constituere subjectum filium adoptivum Dei.

805. — Ibidem.

Probatur sequela. Participatio naturæ divinæ constituit filium adoptivum Dei ; sicut enim communicatio naturæ substantialis constituit filium naturalem, ita communicatio participationis accidentalis naturæ constituit filium per participationem sive adoptivum : Atqui gratia est participatio formalis naturæ divinæ, ex dictis : Ergo gratia constituit filium adoptivum.

Adverte autem, quod licet nos explicemus et definiamus gratiam per hoc, quod sit participatio naturæ divinæ, quia per hoc innotescit melius ipsa quidditas gratiæ ; nihilominus hæc non est per se primo et formalissime ratio gratiæ, sed gratum facere. Verum tamen, quia nihil gratum potest esse Deo et connaturaliter acceptum ad fruendum ipso Deo, nisi Deus vel per essentiam vel per participationem, inde est, quod forma faciens eo modo gratum, etiam debet tribuere participationem naturæ, et ex consequenti relationem et denominationem filiationis adoptivæ, nisi illa supposito repugnet, ut alias dicemus.

Sequitur 806. Gratiam constituere etiam amicum Dei.

806. — Ibidem.

Probatur sequela. Gratia constituens gratum, constituit etiam amatum a Deo ; adjuncta vero charitate, constituit etiam amantem ipsius Dei ; charitas siquidem est amor Dei : Sed ex his duobus resultat esse amicum Dei ; amicitia siquidem, ut alias diximus, est mutuus amor cognitus : Ergo gratia una cum charitate constituit amicum Dei.

Sequitur 807. Hanc Dei amicitiam cum creatura intellectuali non posse esse sine aliqua positiva qualitate permanente, ab ipso Deo productam in illa creatura.

807. — Ibidem.

Probatur sequela ex dictis supra cum de voluntate Dei ageretur : diximus enim quod voluntas divina est causa totius bonitatis, atque adeo amor, quo Deus diligit, non supponit bonum in re amata, sed facit : Ergo dum Deus diligit creaturam intellectualem, producit in ea bonum, quo creatura fiat diligibilis et grata Deo. Sed dum Deus diligit creaturam in ordine supernaturali, non producit in ea dumtaxat bonum aliquod naturale ;

per hoc enim bonum non redderetur grata et accepta supernaturaliter, ut est evidens : Ergo producit in ea bonum aliquod supernaturale, sed non substantiale, quia, ut ostendimus, non potest dari substantia supernaturalis: Ergo producit in ea bonum supernaturale accidentale, sive quod est accidens. Sed accidens illud non est quantitas, cum sit quid spirituale ; non potest etiam esse relatio, quippe quæ non per se producitur ; nec actio aut passio, quia non est cum motu, et quia Deus non agit actione formaliter transeunte, ut alias probatum est, et multo minus potest esse aliquod aliud accidens ex quatuor ultimis prædicamentis, quia quodlibet ex illis est quid materiale, ut constat : Ergo debet esse qualitas. Non est autem potentia, quæ dimanet naturaliter ab essentia; nec passio, vel patibilis qualitas, vel figura, quia ista materialia sunt : Ergo est positiva qualitas, scilicet habitus, atque adeo aliquid permanens. *Confirmari potest :* quia quando pueri baptizantur, hæc qualitas infunditur ; alias non possent esse amici Dei, neque hæredes regni cælestis : Dicere autem, ut quidam hæretici somniant, quod usus rationis acceleretur in parvulis, quo possint actu diligere Deum, et sic salvari, est quid omnino fictitium, et fabulosum, cum ad tuendam doctrinam de aliqua re ordinaria recurrant ad miracula. Dicendum ergo est gratiam esse qualitatem permanentem in creatura intellectuali, eique inhærentem, et a Deo productam, per quam, ut diximus, sit grata Deo, et particeps naturæ divinæ : hoc enim exigit ratio amicitiæ, ut scilicet amicus communicet de bonis propriis ipsi amico, atque adeo cum bona propria Dei sint supernaturalia, ut ostendimus, amicitia Dei erga creaturas intellectuales, exigit quod eis communicet bona supernaturalia. Hoc vero ut fiat connaturaliter primum debet communicare participationem naturæ, ut dictum est. Hæc omnia voluimus uno discursu exhibere, ut melius intelligerentur.

Sequitur 808. Hanc gratiam sanctificare creaturam intellectualem.

808. — Ibidem.

Probatur sequela. Participatio formalis naturæ divinæ formaliter sanctificat subjectum, in quo est : Sed hæc gratia est participatio formalis naturæ divinæ : Ergo formaliter sanctificat creaturam intellectualem, quando in ea est. *Major est evidens :* quia natura divina est ipsa sanctitas per essentiam.

Sequitur 809. Hanc gratiam formaliter expellere peccatum, si reperiatur in subjecto, in quo ponitur.

809. — 1. 2. q. 113. a. 1.

Probatur sequela. Quod formaliter sanctificat, formaliter expellit peccatum : Atqui hæc gratia formaliter sanctificat : Ergo formaliter expellit peccatum. Major patebit infra, cum explicabimus quid sit peccatum. *Minor est certa ex dictis :* quia participatio naturæ divinæ, quæ gratum facit formaliter etiam sanctificat.

Sequitur 810. Hanc gratiam habere secum annexas plures virtutes ejusdem ordinis supernaturalis, tanquam radicem earum.

810. — 1. 2. q. 110. a. 3. etâ.

Probatur sequela. Participatio formalis naturæ divinæ debet habere secum annexas plures perfectiones et virtutes ordinis supernaturalis tanquam radix earum : Sed gratia est participatio formalis naturæ divinæ, ut diximus : Ergo debet habere secum annexas plures perfectiones et virtutes, etc. *Major constat,* quia in hoc vel maxime qualitas aliqua potest esse participatio naturæ divinæ, quod sicut natura divina est radix attributorum et perfectionum divinarum, ita qualitas illa sit radix participationis earumdem perfectionum, quæ participatio importat virtutes : præcipue vero gratia debet esse radix charita-

tis, ut contrahatur vera amicitia inter creaturam intellectualem et Deum, sicut jam explicatum est.

Sequitur 811. Hanc gratiam, debere secum trahere aliquam cognitionem supernaturalem, sive aliquem habitum quo cognoscatur Deus ut auctor et finis supernaturalis.

811. — 1. 2. q. 110. a. 4.

Probatur sequela. Quod trahit virtutem dilectivam, debet simul trahere vel supponere virtutem cognoscitivam; quia nihil volitum, quin præcognitum, ut in primo principio probatum est: Sed gratia trahit charitatem, quæ est virtus dilectiva Dei ut auctoris et finis supernaturalis: Ergo gratia debet trahere vel supponere virtutem aliquam cognoscitivam Dei ut auctoris et finis supernaturalis.

Sequitur 812. Hanc gratiam debere habere secum vel fidem vel lumen gloriæ.

812. — Ibidem.

Probatur sequela. Omnis virtus cognoscitiva Dei, ut auctoris et finis supernaturalis vel est fides, aut lumen gloriæ, vel supponit fidem aut lumen gloriæ: Sed hæc gratia debet secum habere virtutem aliquam cognoscitivam Dei ut auctoris et finis supernaturalis: Ergo vel fidem vel lumen gloriæ. *Major patet:* quia omnis virtus cognoscitiva Dei ut finis supernaturalis, vel facit claram cognitionem, vel non claram: si facit claram, est lumen gloriæ; si non claram, est fides.

Ut autem ista melius percipiantur, ex altiori principio repetenda sunt.

Diximus supra ex eo, quod Deus sit actus purus, sequi, eum esse infinitum et omnipotentem, atque adeo posse omnia facere, quæ non implicant. Unde.

Sequitur 813. Deum posse plura facere, et in Deo plura sive majora esse, quam intellectus ullus creatus vel creabilis possit comprehendere.

813. — 1. cont. gent. c. 3. et 5.

Probatur sequela. Infinitus et infinite potens plura continet et facere potest, quam quilibet intellectus finitus possit comprehendere: Sed Deus est infinitus et infinite potens; quilibet autem intellectus creatus vel creabilis est finitus: Ergo Deus plura potest continere et facere, quam quilibet intellectus creatus vel creabilis possit capere.

Sequitur 814. Omnem intellectum creatum teneri ad subjiciendum se Deo, ut primæ veritati.

814. — Ibid. 6. q. a. 8.

Probatur sequela. Omnis intellectus sciens et cognoscens, quod Deus plura contineat et possit, quam ipse valeat capere, tenetur se subjicere Deo; cum aliunde sciat, ipsum utpote primam veritatem non posse falli, vel fallere: Atqui omnis intellectus creatus hoc ipso, quod se agnoscit finitum, et Deum infinitum, scit, aut saltem scire tenetur, quod Deus plura contineat et possit, quam ipse possit capere: Ergo tenetur se subjicere Deo, ut primæ veritati.

Sequitur 815. Omnem intellectum creatum teneri ad credendum Deo revelanti obscure.

815. — Ibidem.

Probatur sequela. Intellectum subjicere se Deo ut primæ veritati, est credere, quamvis non capiat: Sed intellectus omnis tenetur se subjicere Deo ut primæ veritati: Ergo tenetur illi credere, quamvis non capiat, supposito quod Deus ipsi revelet aliquid.

Sequitur 816. Fidem esse necessariam creaturæ intellectuali, supposito quod Deus revelet illi aliquid etiam obscure, quod naturaliter non potest capere.

816. — 1 2. q. 2. a. 3.

Probatur sequela. Credere Deo ut primæ veritati obscure revelanti, est fides, nihil enim aliud intelligitur nomine fidei, juxta illud, fides est credere, quod non vides: Sed omnis intellectus creatus tenetur necessario

credere Deo ut primæ veritati etiam obscure revelanti, ex dictis : Ergo omnis intellectus creatus necessario tenetur habere fidem de revelatis obscure.

Sequitur 817. Fidem necessariam esse cuilibet creaturæ intellectuali, ut perveniat ad finem supernaturalem, ad quem a Deo ordinata est.

817. — Ibidem.

Probatur sequela. Finis supernaturalis non potest viribus naturæ cognosci a creatura intellectuali, sed ad hoc necessarium est, ut credat divinæ revelationi, ut constat ex dictis : Sed quælibet creatura intellectualis tenetur appetere, atque adeo cognoscere finem supernaturalem : Ergo quælibet creatura intellectualis tenetur credere divinæ revelationi. *Minor est evidens ex dictis :* quia creatura intellectualis tenetur tendere in finem sibi a Deo præstitum ; non potest autem tendere nisi appetendo et volendo, nec potest velle nisi cognoscat, nec cognoscere, nisi credat divinæ revelationi, et hoc credere est fides : Ergo tenetur credere, etc.

Sequitur 818. Necessariam etiam esse spem in creatura intellectuali.

818. — 2. 2. q. 19. a. 1. et 2.

Probatur sequela. Quando necessarium est appetendo tendere in bonum arduum, necessaria est Spes : Sed cuilibet creaturæ intellectuali necessarium est appetendo tendere in bonum arduum : Ergo cuilibet creaturæ intellectuali necessaria est Spes. *Major patet ex dictis* in primo principio : quia omnis appetitus boni ardui, est Spes. *Minor etiam est evidens :* quia finis supernaturalis est bonum arduum, cum superet vires naturales, et a solo Deo haberi possit : Sed necessarium est cuilibet creaturæ intellectuali tendere in bonum arduum, illud appetendo : Ergo, etc.

Sequitur 819. Quatuor ista, videlicet Gratiam, Fidem, Spem, Charitatem, necessaria esse cuilibet creaturæ intellectuali, ut connaturaliter tendat in suum finem.

819. — 1. 2. q. 62. a. 1.

Probatur sequela. Quia jam ostensum est, necessariam esse Gratiam, quæ secum trahit Charitatem ; ostensum est etiam necessariam esse Fidem et Spem : Ergo, etc.

Sequitur 820. Hæc quatuor esse qualitates omnino supernaturales.

820. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Et quidem de Gratia et Charitate jam probatum est. De Fide et Spe est etiam evidens, et sic ostenditur : Omnis cognitio et volitio objecti supernaturalis et sub ratione formali supernaturali, est supernaturalis, ut ostendemus in tertio principio : Atqui cognitio Fidei, et volitio Spei est de objecto supernaturali, et sub ratione supernaturali : Ergo cognitio Fidei et volitio Spei sunt supernaturales. *Minor de cognitione Fidei patet ex dictis* : quia per fidem cognoscitur Deus ut auctor et finis supernaturalis, et sub ratione supernaturali, nimirum sub divina revelatione, quæ sine dubio supernaturalis est. De volitione, quæ habetur per Spem patet, quia per illam appetitur Deus ut finis supernaturalis sub Deo ipso supernaturaliter auxiliante, ut infra etiam ostendemus : Ergo, etc.

Sequitur 821. Has quatuor qualitates haberi non posse nisi a Deo infundantur.

821. — 1. 2. q. 63. a. 3.

Probatur sequela. Qualitates omnino supernaturales haberi non possunt virtute cujuscumque creaturæ, ut patet ex dictis : Sed hæ quatuor qualitates sunt omnino supernaturales : Ergo haberi non possunt virtute cujuscumque creaturæ, sed

solius Dei : atque adeo haberi non possunt, nisi a Deo infundantur.

Sectio 3ª. — De dotibus qui statum justitiæ originalis consequebantur.

Sequitur 822. Supposito, quod Deus vellet angelum et Hominem creare, ut tendentes in finem supernaturalem, debuisset illis infundere Gratiam, Fidem, Spem et Charitatem.

822. — 1. p. q. 62. a. 1. 2. 3. q. 5. a. 1.

Probatur sequela. Supposito quod quis velit aliquid, debet dare, quæ ab ipso solo pendent necessaria ad illud, si aliunde nihil obstet ; qui enim vult finem, debet velle media necessaria ad finem, maxime quæ ab illo pendent : Sed Gratia, Fides, Spes, Charitas sunt necessariæ ut angelus et Homo tendant in finem supernaturalem, ex dictis : Ergo supposito quod Deus velit creare angelum et hominem, ut tendentes in finem, debuit illis infundere Gratiam, Fidem, Spem, Charitatem.

Sequitur 823. Deum de facto non creasse angelum et Hominem beatos beatitudine perfecta et supernaturali.

823. — 1. p. q. 62. a. 1. et q. 95. a. 1.

Probatur sequela. Quod quis debet assequi per meritum tanquam præmium, non potest haberi in ipsa creatione : Sed angelus et homo debuerunt habere beatitudinem tanquam præmium, atque adeo per meritum : Ergo non debuerunt illam habere in ipsa creatione. *Major patet ex dictis suprà;* quia inter meritum et præmium debet esse prioritas durationis *Minor etiam jam probata est.*

Sequitur 824. Deum de facto creasse angelum et Hominem ut tendentes in finem supernaturalem.

824. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui producit effectum perfectum ordinando illum in finem, ad quem libere tendat, producit illum ut tendentem in eum finem; alias enim non esset perfectus in ordine ad illum finem : Sed Deus creavit angelum et Hominem perfectos, ordinando illos in finem supernaturalem, ad quem libere tenderent, etiam in illo ipso instanti creationis : Ergo creavit eos tendentes in finem supernaturalem. *Minor probatur :* tum quia Dei perfecta sunt opera : tum quia illa ordinatio angeli et Hominis in finem supernaturalem fuit etiam in instanti creationis, eò vel maxime quod cum intellectio et volitio angelica, imo et humana, sint actiones instantaneæ, simul potuerunt esse cum ipsa creatione; unde oportuit eos in illo eodem instanti incipere viam et tendentiam in finem illum sibi præstitutum.

Sequitur 825. Angelum et Hominem fuisse creatos in Gratia.

825. — 1. p. q. 62. a. 3. et q. 85. a. 1.

Probatur sequela. Supposito quod angelus et Homo sint creati ut tendentes in gloriam, debuerunt creari in gratia, ex dictis : Sed fuerunt creati ut tendentes in gloriam, ut ostensum est : Ergo fuerunt creati in gratia.

Sequitur 826. Angelum et Hominem in primo instanti creationis meruisse gloriam.

826. — 1. p. q. 62. a 4. et q. 95. a. 1. et 4.

Probatur sequela. Quia habuerunt omnia requisita ad meritum. Adde quod gratia sanctificans, ut est in infundi, habet rationem auxilii moventis ad actus, ut alias ostendemus. Denique perfectius est habere gratiam ex propria dispositione et cum consensu, quam sine dispositione propria et sine consensu : illa autem dispositio, licet non esset meritoria gratiæ, quæ est principium meriti potest, imo de facto est meritoria gloriæ.

Sequitur 827. Angelum post unum actum meriti beatitudinem consecutum esse.

827. — 1. p. q. 62. a. 5.

Probatur sequela. Gratia perficit

naturam secundum modum naturæ : Sed modus naturæ angelicæ est, ut non per discursum assequatur propriam perfectionem, sed per unum actum illam habeat : Ergo congruum est, ut gratia ita perfecerit naturam, ut non per plures actus veluti discurrendo, sed per unicum angelus adeptus sit gloriam.

Sequitur 828. Supposito quod Deus angelum et Hominem noluisset ordinare ad finem supernaturalem, debuisse tamen illos creasse saltem in statu perfecto, et conversos ad finem ultimum naturalem, sive ordinis naturalis.

828. — 1. p. q. 62. a. 3.

Probatur sequela ex eadem ratione : Quia in hujusmodi casu debuisset illos creare vel ut habentes beatitudinem, vel ut tendentes in ipsam : Atqui non possent esse tendentes sine conversione : Ergo, etc. Ratio autem horum omnium est, quia Deus quamvis absolute non teneatur facere aliquid ad extra ; nihilominus supposito, quod velit producere aliquid ad extra, debet illud velle ordinatum, v. g. debet velle partes in ordine ad totum, et accidentia in ordine ad subjectum, et quamlibet rem in ordine ad suum finem ; hæc autem tertia ordinatio non potest esse in creatura intellectuali nisi sit conversa ad suum finem.

Sequitur 829. Angelum et Homines esse peccabiles.

829. — 1. p. q. 63. a. 1.

Probatur sequela. Sola voluntas, quæ vel est suus finis, vel semper actu conjuncta cum suo fine, est impeccabilis : Atqui sola voluntas divina est suus finis ; et nulla voluntas creata est infallibiliter conjuncta cum suo fine, ut patet ex dictis : Ergo sola voluntas divina, non autem ulla voluntas creata est impeccabilis. *Major est evidens :* quia peccare est aliquo modo deficere a fine, agendo vel contra vel præter ordinem ad finem : Atqui sola voluntas quæ vel est suus finis, vel est semper actu conjuncta cum fine, hoc habet, quod nunquam possit agere vel contra vel præter finem : Ergo sola illa voluntas non potest peccare. *Minor constat :* quia intellectus, ad quem consequitur voluntas, quæ est suus finis, vel quæ est semper conjuncta cum suo fine, non potest dictare voluntati, quod agat contra vel præter finem ; alias dictaret illi, ut ageret, et non ageret circa suum objectum, quod est finis.

Explicatur. Peccatum potest contingere dupliciter, videlicet vel ex eo quod accipitur ut finis, quod non est finis ; vel ex eo quod aliquid eligitur, præter ordinem ad finem, id est, non ordinabile vel non ordinatum in finem verum. Quando autem voluntas est suus finis vel est semper conjuncta cum illo, fieri non potest, ut intellectus dictet voluntati, quod feratur in aliquid contra seipsam, quia non potest illi dictare nisi ut feratur in bonum, hoc est conveniens ; quod autem est contra ipsam, non est ipsi conveniens. Ex hoc ergo capite non potest peccare : Voluntas vero quæ non est semper actu conjuncta cum suo fine, non habet hunc obicem, ne peccet : Similiter si voluntas sit actu semper conjuncta cum suo fine, semper actu conversa in suum finem, non potest intellectus illi dictare, ut agat contra illum ; quia cum finis sit objectum adæquatum voluntatis hoc sensu, quod quidquid vult, vel est finis vel propter finem, si intellectus dictaret voluntati, quod ageret contra finem, etiam dictaret quod ageret ultra et contra suum objectum adæquatum, quod implicat ; unde etiam constat, quod voluntas actu intendens finem non potest eligere media nisi in ordine ad illum. Voluntas vero quæ non est semper conjuncta cum suo fine, potest vel ex inconsideratione, vel ex errore intellectus deficere ab ipso ordine ad finem, vel eligere media non in ordine ad finem, et sic peccare.

Sequitur 830. Angelum et Hominem non potuisse peccare in instanti suæ creationis.

830. — 1. p. q. 63. a. 5.

Probatur sequela. Primo quia cum peccatum sit semper cum aversione aliqua a fine, si angelus et Homo debuerunt creari cum ordine et conversione ad finem, non potuerunt averti ullo modo a fine : unde sic arguitur : Qui est actu conversus in finem, pro illo instanti, quo est conversus, non potest esse aversus : Sed angelus et Homo debuerunt in instanti creationis esse actu conversi in suum finem : Ergo angelus et Homo in instanti creationis non potuerunt esse aversi a suo fine : *Secundo* quia motus, qui incipit cum esse rei, est ab agente, quod det esse tanquam a causa illius motus, eo quod consequitur ipsam formam : Sed peccatum non potest esse a Deo tanquam a causa : Ergo peccatum non potuit incipere cum esse ipsius angeli vel hominis per creationem dato. *Tertio probatur et explicatur utraque prior ratio :* Primus actus voluntatis non potest esse nisi circa finem ; quia voluntas non potest velle media nisi propter finem, nec potest habere actum neutrum, qui neque sit circa finem, neque circa media, ut ostendimus in primo principio : Atqui primus actus voluntatis circa finem non est liber quoad specificationem, ut etiam ibidem probavimus : Ergo fieri non potest, quod ille actus sit malus ; ut enim esset peccaminosus, cum certum sit potuisse etiam esse bonum, jam esset liber quoad specificationem. Adde quod cum voluntas seipsam non moveat ad finem ex præcedenti aliqua deliberatione, ut probatum est in primo principio, oportet quod ad finem moveatur ab aliquo agente extrinseco : Atqui in primo instanti creationis, non movetur nisi ab ipso Deo creante : Ergo necessarium est, ut in prima volitione finis moveatur a Deo, et consequenter prima illa volitio finis non potest esse peccaminosa.

Sequitur 831. Deum potuisse creare angelum et Hominem sine gratia.

831. — 1. 2. q. 111. a. 1. et 4. et q. 112 a. 1. et q. 114. a. 2. et 5. 3. p. q. 2. a. 12.

Probatur sequela. Gratia non est debita angelo vel Homini, alias non esset gratia, ut patet ex dictis : Sed Deus potuit creare angelum et Hominem sine eo, quod non est eis debitum : Ergo Deus potuit creare Hominem et angelum sine gratia. *Minor est etiam certa.*

Adverte autem quod ea, quæ dicuntur debita creaturæ secundum ordinem sapientiæ et voluntatis divinæ, non sunt ita debita, ut nequeat Deus oppositum facere ; quia si oppositum faceret, etiam tunc ageret secundum ordinem sapientiæ et voluntatis suæ ; eo quod ipse est sibi regula, et quod ipse vult, semper est juxta ordinem sapientiæ ipsius : unde si voluisset angelum et Hominem non ordinare in finem supernaturalem, hoc etiam fuisset conforme sapientiæ illius ; quia voluntas divina est altissima causa et prima, ex cujus nutu pendet omnis regula sapientiæ respectu rerum creatarum. Unde colliges allucinatum esse recentiorem quemdam, quando dixit, non potuisse Deum creare Hominem sine gratia juxta regulas sapientiæ suæ.

Sequitur 832. Deum potuisse creare angelum in puris naturalibus.

832. — Locis estatis.

Probatur sequela. Creare sine gratia et sine peccato, est creare in puris naturalibus : Sed Deus potuit creare angelum sine gratia, ex dictis, et non potuit creare cum peccato, ut etiam ostendimus : Ergo potuit Deus creare angelum in puris naturalibus, non ordinando ipsum ad finem supernaturalem.

Sequitur 833. Potuisse Deum creare etiam hominem in natura pura, hoc est sine gratia et peccato.

833. — 1. 2. q. 109. a. 3.

Patet sequela. Quia eadem est ratio quoad hoc de Homino ac de angelo, ut constat : Atqui potuit angelum creare sine gratia, et sine peccato : Ergo et hominem.

Sequitur 834. In eo casu, quo Deus creasset angelum et Hominem in natura pura, non propterea creaturum eos, nisi conversos ad suum ultimum finem naturalem etiam moraliter.

834. — 1. p. q. 94. a. 3.

Probatur sequela. In eo casu Deus creasset hominem et angelum, ut agentia moralia suo modo in eo genere perfecta : et hæc est ratio, quare debuit creare hominem in ætate virili, ut esset agens perfectum, tum quoad corpus, ut posset alios homines generare, quorum caput et principium constitutus erat ; tum quoad animam ; unde debuit habere scientiam omnium convenientium illi statui, ut posset alios instruere : Ergo etiam debuit creari homo perfectus, in ratione agentis moralis : Atqui non fuisset perfectus, ut agens morale, nisi habuisset conversionem ad suum ultimum finem etiam moraliter : Ergo debuit Deus illum creare sic conversum. Subsumptum patet : quia tota moralitas incipit ab ipsa intentione finis.

Sequitur 835. Debuisse Deum, congruo modo ad suam Providentiam operando, creare Hominem in statu naturæ integræ, hoc est in statu, in quo anima perfecte dominaretur corpori, et ratio appetitui.

835. — 4. contra gent. c. 52.

Probatur sequela. Deus uniens perfectivum perfectibili, debet congruo modo ad suam Providentiam operando, efficere, ne perfectibile impediat suum perfectivum, quin ipsi communicet suam perfectionem : Atqui Deus creando hominem uniebat animam corpori tanquam perfectivum perfectibili : Ergo debuit efficere ne corpus impediret, quin anima suam ipsi communicaret perfectionem ; impedisset autem, nisi anima perfecte dominata fuisset corpori, et ratio appetitui : Ergo debuit Deus id efficere *Major patet ex dictis :* quia Deus debuit creare hominem suo modo perfectum.

Sequitur 836. Deum debuisse creare Hominem in statu justitiæ originalis, supposito quod illum ordinasset ad finem supernaturalem.

836. — 1. p. q. 5. a. 1.

Probatur sequela. Status justitiæ originalis nihil aliud est, quam status, in quo anima perfecte subjecta Deo ut fini supernaturali, etiam perfecte dominatur corpori, et ratio appetitui : Atqui supposito quod Deus ordinasset hominem in finem supernaturalem, congruum omnino erat, ut Deus efficeret, quod ex dono gratiæ et charitatis, qua perfecte subdebatur anima Deo ut fini supernaturali, oriretur dominium animæ supra corpus, et rationis supra appetitum ; hoc enim exigebat ratio subordinationis : Ergo supposito quod Deus ordinasset hominem in finem supernaturalem, congruum erat, quod eum crearet in statu justitiæ originalis. *Minor patet ex dictis :* sicut enim congruum erat, quod Deus crearet hominem in statu naturæ integræ, supposito quod illum non ordinasset in finem supernaturalem, ut diximus ; ita supposito quod illum ordinasset in eum finem, omnino congruum erat, et aliquo modo necessarium, hujusmodi ordinationem ita esse perfectam, ut ex vi subjectionis perfectæ, quam homo haberet ad Deum ut finem ultimum, oriretur etiam perfectum dominium animæ in corpus, et rationis in appetitum.

Sequitur 837. Donum istud justitiæ originalis fuisse datum primo Homini, non quatenus fuit singularis quædam persona, sed quatenus fuit primus Homo, et veluti principium naturæ humanæ, sive fuisse donum toti naturæ collatum in persona primi Hominis.

837. — 1. p. q. 100. a. 1.

Probatur sequela. Donum collatum Homini ad congruam unionem animæ cum corpore, est donum collatum non personæ, sed naturæ : Atqui hoc donum justitiæ originalis fuit collatum Homini ad congruam unionem animæ cum corpore, ex dictis : Ergo donum istud fuit donum collatum naturæ non personæ. *Major patet :* quia sicut unio animæ cum corpore quodammodo antecedit subsistentiam, quæ constituit personam, ut infra dicturi sumus, ita quæ requiruntur ad congruam unionem animæ cum corpore aliquatenus concipiuntur antecedere personam, et consequenter intelliguntur esse donata potius naturæ, quam personæ.

Sequitur 838. Donum istud justitiæ originalis fuisse aliquid supernaturale.

838. — Ibid. ad 1.

Probatur sequela. Id quod oritur ex ordine ad Deum ut finem supernaturalem est supernaturale, ut est evidens : Sed donum justitiæ originalis oriebatur ex ordine sive subjectione Hominis ad Deum ut finem supernaturalem, ex dictis : Ergo donum istud fuit supernaturale.

Sequitur 839. Donum istud justitiæ originalis prout de facto fuit in primo Homine inclusisse donum integritatis naturæ formaliter eminenter, et aliquid amplius superadidisse.

839. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod facit perfectam subjectionem partis inferioris ad superiorem, et superioris ad Deum ut finem tum naturalem, tum supernaturalem, addit aliquid supra illud, quod facit eamdem subjectionem ad Deum ut finem dumtaxat naturalem ; ut est evidens : Atqui donum justitiæ originalis faciebat perfectam subjectionem partis inferioris ad superiorem, et superioris ad Deum ut finem tum naturalem, tum supernaturalem : donum autem integritatis naturæ fecisset dumtaxat hanc subjectionem in ordine ad Deum ut finem naturalem : Ergo donum justitiæ originalis addidit aliquid supra donum integritatis naturæ. *Minor est evidens ex dictis,* præsertim si addideris. quod sicut gratia non destruit sed supponit et perficit naturam juxta modum naturæ, ita ordo ad Deum ut finem supernaturalem, qui fit per gratiam, non destruit, sed supponit et perficit ordinem ipsius naturæ ad Deum ut finem naturalem, hoc sensu, quod Deus elevando hominem ad finem supernaturalem, efficit ut inclinatio ipsius ad Deum ut finem naturalem sit perfecte satiata, et præterea sit elevata ad aliquid, quod eminenter formaliter continet rationem finis naturalis, quod tamen sit supernaturale.

Sequitur 840. Perfectam illam subjectionem tam partis inferioris ad superiorem, quam superioris ad Deum ut finem supernaturalem, quam tribuebat justitia originalis, non fuisse, nec dici perfectam vel totalem, sicut est perfecta et totalis illa, quam habet homo, dum possidet Deum ut finem ultimum supernaturalem.

840. — 1. p. q. 97. a 2.

Probatur sequela. Perfectio viæ et meriti non potest esse æqualis perfectioni, quæ est in patria, et quæ est præmium ; hæc enim est ultima perfectio, illa vero non ultima : Atqui perfecta subjectio, quam præstabat justitia originalis, erat perfectio viæ et meriti ; perfecta vero subjectio patriæ, quæ est præmium, est perfectio ultima : Ergo non sunt æquales perfectiones.

Sequitur 841. Differentiam, quæ est inter utramque hanc perfectionem debere peti ex diversa ratione status.

841. — Ibidem.

Patet sequela. Quia perfectio status viæ, et perfectio status patriæ debet peti ex ipsa ratione status.

Explicatur ergo breviter ex dictis supra utraque hæc perfectio. Diximus in beatitudine ita satiari totum appetitum creaturæ intellectualis, ut ex vi illius visionis, qua possidet Deum, non possit ullo modo judicare, quod in Deo, vel in illa possessione Dei, sit aliqua ratio mali, vel boni indifferentis ; sed necessario debeat judicare ex evidentia ipsa objecti, esse ibi omnimodam rationem boni, ex quo consequenter fit, ut nequeat creatura intellectualis velle cessare ab hac Dei visione et possessione, in qua suum summum bonum esse situm ipsa experientia convincitur · Et sic creatura intellectualis in beatitudine ita adhæret et subjicitur Deo clare viso, tanquam ultimo fini, ut nullo modo possit non adhærere et non subjici illi. Quia vero in statu viæ creatura intellectualis, quantumcumque perfectam habeat Dei cognitionem, et elevatissimam contemplationem, nunquam tamen pertingit ad claram ipsius visionem, nec habet perfectissimam illam adhæsionem et subjectionem respectu Dei tanquam finis, ut videat clare in illo, et in cognitione atque amore ipsius esse omnimodam rationem boni, inde fit, quod potest velle cessare ab hujusmodi cognitione et amore; atque adeo manet semper peccabilis et defectibilis. Ex hac vero differentia, quoad primam illam perfectionem ac subjectionem ad Deum ut ultimum finem, inter statum viæ et patriæ, oritur alia in homine : sicut enim homo in statu viæ non perfecte omnimoda illa perfectione adhæret Deo, vel subjicitur illi ut fini ultimo ; ita nec anima perfectissime dominatur corpori aut appetitui. Ut enim supra diximus, in beatitudine anima ita dominatur corpori, ut reddat illud impassibile, subtile, agile, clarum aut luminosum : In statu autem viæ non sic, sed dominatur ei dominio tantum inferiori et minus perfecto, ut statim patebit.

Sequitur 842. Perfectam illam subjectionem animæ ad Deum ut finem ultimum in statu innocentiæ fuisse sitam in hoc, quod semper, quamdiu volebat, Deum ut finem ultimum contemplabatur, nec ab ejus contemplatione et actuali consideratione poterat averti, nisi volens.

842. — 1. p. q. 100. a. 2.

Probatur sequela. Illa perfecta subjectio animæ ad Deum erat minor ea, quæ habetur per beatitudinem, et major illa, ad quam possit homo in statu, in quo nunc est, de via ordinaria pervenire : Atqui ad hoc necessarium est, ut non sit omnino necessaria cognitio et consideratio Dei ; quia non est clara ipsius visio ; et nihilominus oportet, quod sit cognitio aliqua, per quam fiat, ut perfecte adhæreat et subjiciatur Deo, ut patet ex dictis : Ergo oportet, quod sit cognitio non omnino necessaria, sed libera; atque adeo oportet, ut, si nolit, non avertatur et distrahatur ab hujusmodi cognitione ultimi finis, sed ut semper, quamdiu volet, in ea persistat.

Sequitur 843. Illam perfectam subjectionem animæ ad Deum ut finem ultimum, quæ fuit in statu innocentiæ, importasse præterea actualem voluntatis tendentiam in ordine ad Deum.

843. — 1. p. q. 65. a. 1. ad 5.

Probatur sequela, ex dictis in primo principio : Voluntas eo modo fertur in bonum, quomodo ei proponitur ab intellectu : Sed in statu innocentiæ intellectus continuo, quamdiu vellet homo, proponebat voluntati Deum ut ultimum finem, non quidem ut clare visum, sed ut actu consideratum ;

Ergo etiam voluntas continuo debebat in eum tendere, nisi ex aliquo motivo libere vellet a consideratione, et consequenter ab illa actuali tendentia et relatione in Deum ut finem ultimum cessare.

Sequitur 844. Illam perfectam subjectionem corporis ad animam in statu illo innocentiæ sitam fuisse in eo, quod corpus nullis animæ functionibus repugnabat.

844. — 1. p. q. 97. a. 1.

Probatur sequela. Quia ad statum viatoris moraliter perfectum requiritur, quod corpus non repugnet animæ, et præsertim quando status est hujusmodi, ut illi statui datum sit donum aliquod, quo fiat, ut corpus tanquam perfectibile non repugnet animæ ut perfectivo : Atqui, ex dictis, in statu innocentiæ corpus non debebat repugnare animæ ut perfectivo ipsius : Ergo corpus nullis animæ functionibus congruentibus illi statui repugnabat, et in eo sita erat corporis ad animam subjectio.

Sequitur 845. Etiam appetitum inferiorem non debuisse repugnare rationi.

845. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Quia si appetitus inferior repugnasset, corpus etiam repugnasset; cum, ut diximus in primo principio, appetitus inferior sit potentia affixa organo corporeo.

Sequitur 846. Donum justitiæ originalis includere Gratiam, Charitatem, Spem fidem, et ceteras omnes virtutes infusas.

846. — 1. p. p. 95. a. 3.

Probatur sequela. Perfecta subjectio animæ ad Deum, ut finem supernaturalem et partis inferioris ad superiorem, includit necessario has omnes virtutes, ut patet ex dictis : Sed donum justitiæ originalis illam perfectam subjectionem importabat : Ergo, etc.

Sequitur 847. Donum justitiæ originalis includere præterea aliquid aliud.

Probatur sequela. Gratia, Charitas et aliæ virtutes infusæ, ut sic præcise et secundum suam essentiam, non præstant perfectam subjectionem animæ ad Deum, et partis inferioris ad superiorem, ut constat in homine post peccatum justificato : Sed donum justitiæ originalis præstabat illam utramque perfectam subjectionem, ut ostensum est : Ergo donum justitiæ originalis aliquid aliud includebat.

Sequitur 848. Illud, quod domum justitiæ originalis includebat, non fuisse majorem illorum habituum intensionem.

848. — Ibidem.

Probatur sequela. Habitus illi quantumcumque intensi non præstant utramque illam perfectam subjectionem ; certum est enim aliquos Sanctos habuisse habitus illos intensiores Adamo in statu innocentiæ, nec tamen habuisse justitiam originalem : Ergo donum justitiæ originalis non importabat majorem illam horum habituum intensionem.

Sequitur 849. Donum justitiæ originalis importare vel habitum quemdam distinctum, vel modos quosdam in habitu Gratiæ, Charitatis, Fidei.

849. — Ex eodem loco.

Probatur sequela. Quod non importat solos habitus Gratiæ, Charitatis, neque intentionem eorumdem, sed aliquid aliud, vel debet importare alium quempiam habitum, vel modos quosdam eorumdem habituum : Atqui donum innocentiæ et justitiæ originalis non importabat solos habitus Gratiæ, Charitatis etc. vel intensionem eorumdem habituum, ex dictis : Ergo debuit importare vel distinctum quemdam habitum, vel modos quosdam eorumdem habituum.

Sequitur 850. Multo probabilius esse, quod donam justitiæ originalis importabat modos quosdam illorum habituum Gratiæ, Charitatis, Fidei etc. quam quod importaret distinctum habitum.

850. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod intrinsece importat plures habitus, nec potest concipi fieri per unum solum, sed per diversos, non quomodocumque, sed cum aliqua perfectione consideratos, non potest importare distinctum ab illis habitum, sed solum novum modum in quolibet habitu concurrente ad præstandum effectum, qui per illos præstatur : Atqui sic est, quod justitia originalis intrinsece importat plures habitus cum aliqua perfectione. Ergo justitia originalis debet importare hujusmodi habitus cum quodam modo in quolibet. *Minor probatur.* Justitia originalis importat illam utramque perfectam subjectionem, ut diximus : Sed prima subjectio non potest præstari sine habitu Gratiæ et Charitatis, etc. nec secunda præstari potest sine virtutibus moralibus infusis : Ergo justitia originalis debet importare hos habitus, non utcumque, quia, ut vidimus, hi habitus hoc non præstant utcumque : Ergo cum aliqua alia perfectione sive modo perfectionis. *Minor probatur.* Subjectio animæ ad Deum ut ultimum finem, est prima subjectio, quam importat justitia originalis : sed hæc haberi non potest sine habitu Charitatis; impossibile siquidem est, quod anima subjiciatur et adhæreat Deo ut fini supernaturali sine Charitate, nec Charitas connaturaliter esse potest sine Gratia, ut alias ostendimus : Ergo prima illa subjectio non potuit esse sine Charitate et Gratia. Secunda vero subjectio est subjectio partis inferioris ad superiorem : hæc autem intelligi non potest sine virtutibus moralibus infusis : Ergo non potuit justitia originalis præstare hanc subjectionem sine illis virtutibus. Quare vel dicendum foret justitiam originalem fuisse unum habitum in pluribus potentiis existentem, et alios habitus Charitatis et virtutum tanquam superfluos excludentem, quod dici nequit, ut constat; vel dicendum est, justitiam originalem includere omnes illos habitus cum quodam modo perfectionis : Hic vero modus explicandus est.

Sequitur 851. Modum illum perfectionis, quem addit justitia originalis, supra habitus Fidei, Charitatis, et Donorum Spiritus sancti ad intellectum pertinentium, fuisse quamdam participationem luminis gloriæ quoad hoc, quod teneret intellectum continuo vigilantem, et attendentem ad Deum ut ultimum finem supernaturalem.

851. — Colligitur ex iisdem locis.

Probatur et explicatur sequela. Modus essentialis, quo fides illuminat intellectum, est participatio certitudinis, qua ipse Deus certissime cognoscit omnia; potest autem adjungi huic certitudinis modus quidam et vigor, quo fiat, ut intellectus viatoris, licet non videat clare Deum, sit nihilominus semper attentus ad ea, quæ agenda sunt, et ad motus omnes appetitus inferioris regendos; sicut et in voluntate potest addi modus et vigor, quo voluntas velit omnia in ordine ad Deum; similiter ex parte virtutum, quæ sunt in appetitu potest addi modus, quo virtutes sic cohibeant appetitum, ut nihil appetat nisi sub dictamine rationis : Et in his virtutibus una cum variis illis modis consistit justitia originalis : addit tamen quatenus dicitur originalis connotationem causæ, quia videlicet hujusmodi virtutes sic modificatæ debebant infundi homini statim ubi anima rationalis informabat corpus. Ex his manet explicata et probata sequela : quia non potest alio modo explicari justitia originalis, ut patet ex dictis.

Sequitur 852. Primum hominem fuisse creatum cum scientia omnium, quæ illum scire erat necessarium ut posset alios sufficienter instruere.

852. — 1. p. q. 94. a. 3.

Probatur sequela. Qui constituitur caput ad gubernandos et instruendos alios, debet habere scientiam omnium ad gubernationem et instructionem necessariorum, et si illam non potest habere ex se, debet illi dari hujusmodi scientia ab illo, qui eum ita constituit gubernatorem et instructorem, si eam dare possit : Atqui primus homo constitutus est a Deo in sua creatione caput humani generis ad gubernandos et instruendos alios homines ; sicut enim ipse debebat corporaliter esse Pater omnium per generationem, ita debebat esse caput omnium per gubernationem et instructionem : Ergo sicut in ipso instanti creationis habuit potentiam generativam perfectam, ut filios procrearet ; ita debuit habere scientiam omnium necessariorum, ut illos et gubernaret et instrueret.

Sequitur 853. Adamum habuisse scientiam omnium, quæ virtualiter in primis principiis per se notis continentur, et quæ naturaliter homines cognoscere possunt.

853. — Ibidem.

Probatur sequela. Scientia omnium, quæ naturaliter sciri possunt, et quæ virtualiter in primis principiis continentur, est necessaria ad gubernationem et instructionem aliorum : Sed Adam habuit scientiam omnem necessariam ad gubernationem et instructionem : Ergo habuit scientiam omnium naturaliter scibilium et in primis principiis contentorum.

Sequitur 854. Adamum habuisse cognitionem omnium supernaturalium, quæ ad gubernationem sui et aliorum debebant necessario sciri.

854. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia habuit, ut diximus, cognitionem omnium necessariorum ad gubernationem et instructionem aliorum. Unde per fidem cognovit mysterium Trinitatis, beatitudinem supernaturalem, etc.

Sequitur 855. Has naturales cognitiones Adamum habuisse per infusionem.

855. — Ibid. a. 1.

Probatur sequela. Quia non potuit alio modo habere, ut constat.

Sequitur 856. Has scientias fuisse Adamo infusas per accidens, sed per se fuisse scientias acquisibiles, et ejusdem rationis cum acquisitis.

Probatur sequela. Quia quæ sunt naturaliter acquisibilia, si dentur per infusionem, aut modo quodam extraordinario, non propterea sunt diversæ rationis, ab iis, quæ naturaliter habentur, ut patet in visu restituto per miraculum alicui cæco ; illa siquidem potentia visiva est ejusdem rationis cum illa, quæ naturaliter habetur.

Sequitur 857. Adamum non cognovisse cogitationes cordium, futura contingentia, et quædam alia similia.

857. — Ibidem.

Probatur sequela. Tum quia hæc non sunt cognoscibilia nisi a solo Deo, ut alias ostendimus ; tum quia horum cognitio non est necessaria ad gubernationem et instructionem aliorum.

Sequitur 858. Hominem in statu innocentiæ non potuisse decipi, judicando tanquam verum, quod falsum erat.

858. — 1. p. q. 94. a. 4.

Probatur sequela. Omne judicium falsum provenit vel ex phantasia, vel ex aliquo alio impediente judicium verum, et faciente, ut homo non recte judicet, discussis rationibus : Atqui nullum horum potuit esse, manente statu innocentiæ ; quia et phantasia, et omnia alia perfecte subjecta erant rationi, nec homo temere judicabat manente statu ; licet deficiente

statu potuerit ex inconsideratione deficere, ut postea dicemus : Ergo, etc.

Sequitur 859. Virtutes omnes, quæ non important aliquam imperfectionem repugnantem statui innocentiæ, fuisse in primo homine tam secundum habitum, quam secundum actum; quæ vero repugnant illi statui fuisse in eo tantum secundum habitum, et non secundum actum.

859. — 1. p q. 95. a. 3.

Probatur sequela. Quæ repugnant statui, non possunt esse in illo secundum actum, quamvis possint esse secundum habitum, quatenus potest esse electio actus sub conditione : nam v. g. verecundia non potest esse in homine studioso secundum actum; potest tamen esse secundum habitum, quatenus homo sic est effectus, quod si turpe aliquid committeret, verecundaretur; Sed statui innocentiæ repugnant aliquæ virtutes secundum actum, puta pœnitentia; non tamen secundum habitum; quia status innocentiæ non potest esse cum peccato actuali, circa quod est pœnitentia, potest tamen homo innocens esse sic affectus, quod vellet pœnitentiam agere si peccaret, et similiter misericordia etc. Ergo, etc.

Sequitur 860. Hominem in statu innocentiæ habuisse dominium supra omnia animalia, imo et aliquo modo supra omnem creaturam, id est, supra plantas, et alia inanimata.

860. — 1. p. q. 95. a. 1. et 2.

Probatur sequela. Animalia, plantæ, et alia inanimata sunt naturaliter subjecta homini, sive quoad imperium, quando sunt capacia; sive saltem quoad usum; quia in rebus, imperfectiora sunt propter perfecta : Sed ante peccatum homo dominabatur supra omnia naturaliter subjecta; inobedientia enim eorum subsecuta est ad inobedientiam ejus erga Deum : Ergo in statu innocentiæ, in quo nullum erat peccatum, homo dominabatur animalibus per imperium, plantis et aliis inanimatis quoad usum.

Sequitur 861. Hominem in statu innocentiæ non habuisse dominium supra alterum ut servum.

861. — 1. p. q. 97. a. 4.

Probatur sequela. In statu innocentiæ nulla fuisset pœna : Sed omnis servitus est pœna : Ergo nulla servitus fuisset in statu innocentiæ, nec consequenter dominium : quod correspondet servituti. *Major est evidens ex dictis. Minor patet*, quia servus non est causa sui, sed quod est, est alterius, scilicet, dominantis : hoc autem non potest non esse pœna, ut qui liber est, atque adeo causa sui, sit alterius.

Sequitur 862. Dominium hominis in hominem per modum gubernationis et directionis potuisse esse in statu innocentiæ.

862. — Ibid. a. 3. et 4.

Probatur sequela ex dictis. Quia Adam debebat gubernare et instruere alios, et quia homo est naturaliter animal sociale : in omni autem societate necesse est, ut sit aliquis supereminens in scientia et justitia, qui aliis præsideat. Potuisse autem tunc esse inæqualitatem in scientia et justitia in statu innocentiæ patet; quia fuisset diversitas sexuum, et ætatum, et alii aliis pro libertate magis profecissent in scientia et justitia.

Sequitur 863. Hominem in statu innocentiæ ex dono gratiæ fuisse immortalem.

863. — 1. p. q. 97. a. 1.

Probatur sequela. Anima habens perfectum dominium supra corpus, potest illud conservare; in hoc enim saltem ex parte consistit illud dominium, quod contineat corpus et conservet : Sed anima in statu innocentiæ ex dono gratiæ habebat perfectum dominium supra corpus, ex dictis : Ergo poterat illud conservare, atque adeo reddere immortale.

Sequitur 864. Hominem in statu innocentiæ fuisse impassibilem passione, quæ ipsum a sua naturali dispositione removeret.

864. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Quando corpus perfecte subditur animæ est impassibile passione, quæ ipsum a naturali dispositione removeat; potest enim anima omnem hujusmodi passionem impedire; et divina Providentia conformiter ad illum statum sic debebat hominem regere ac tueri, ut nihil ex improviso superveniret, quod ipsum læderet : Atqui in statu innocentiæ corpus erat perfecte subditum animæ, ut ostendimus : Ergo corpus erat hoc sensu impassibile.

Sequitur 865. Hominem in statu innocentiæ indiguisse alimentis.

865. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Ubi est vita vegetativa et animalis, nondum elevata ad aliquod esse omnino supernaturale vel spirituale, est vera nutritio, sicut et augmentatio, et generatio : Sed in statu innocentiæ fuisset vita vegetativa et animalis in homine, nondum elevata ad aliquod esse omnino supernaturale, vel spirituale, quale futurum est per resurrectionem, ut patet ex dictis supra : Ergo in statu innocentiæ fuisset vera nutritio, augmentatio, generatio, et aliæ hujusmodi actiones, quæ ad ista sunt necessariæ, vel ad illas necessario consequuntur, ut superfluitatum secretio sine indecentia. Nec tamen per nutritionem fuisset alteratio nutriti, sed cibi, quem homo tenebatur sumere, alias peccasset non sumendo.

Sequitur 866. In statu innocentiæ futuram humidi radicalis ex actione caloris naturalis deperditionem.

866. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Indigentia alimenti provenit a deperditione humidi radicalis ob actionem caloris naturalis : Sed in statu innocentiæ fuisset indigentia alimenti, ex dictis : Ergo fuisset deperditio humidi radicalis ob actionem caloris naturalis.

Sequitur 867. In statu innocentiæ reparationem humidi radicalis deperditi ex actione caloris naturalis non fuisse perfectam per cibum, ita ut semper id quod assumpto cibo reparabatur pertingeret ad perfectam illam virtutem, quæ inerat humido radicali primitivo.

867. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Quia licet anima dominaretur proprio corpori, et etiam aliis rebus, ut diximus, non tamen ita perfecte dominabatur, ut tantam virtutem posset vel corpori tribuere, vel etiam cibis, quos sumeret, ut quod in substantiam corporis de cibo converteretur, adæquaret perfectionem humidi radicalis primitivi; alias immortalitas fuisset ex hujusmodi virtute existente ab anima in corpore, quod falsum esse ostendimus : Ergo illud humidum reparatum per cibum non poterat pertingere ad perfectionem humidi radicalis primitivi, sed paulatim ac pedetentim illa perfectio decrevisset : Atque adeo senectus et dissolutio corporis tandem consecuta esset, nisi aliunde subventum fuisset.

Sequitur 868. Convenienter Deum homini providisse de ligno vitæ, cujus fructus in proprium habebat, ut repararet, atque ita perficeret humidum radicale ex cibis adventitium, ut adæquaret primitivum.

868. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia, ut diximus, homo in statu innocentiæ ex dono gratiæ erat immortalis : Atqui non posset esse immortalis, nisi succurreretur ei contra defectum humidi radicalis per cibum reparati, quod paulatim decrescens tandem et senectutem et mortem induxisset : Ergo convenienter Deus homini providerat de ligno vitæ, cujus fructus id haberet proprium, ut reparando et perficiendo humidum radicale adventitium et restituendo illud in perfectionem

primitivi, impediret senium et mortem. Quia tamen cujuslibet agentis finiti actio et virtus finita est, virtus illius fructus semel sumpti non impediebat senium et mortem nisi ad determinatum tempus, quo transacto vel iterum sumendum erat de illo fructu, vel homo absque morte translatus fuisset in statum gloriæ : quod contigisset, quando homo habuisset illum cumulum meritorum, qui corresponderet gradui gloriæ, ad quem Deus hominem elegisset.

Sequitur 869. In statu innocentiæ futuram generationem ad multiplicationem humani generis.

869. — 1. p. q. 98. a. 1.

Probatur sequela. Quia multiplicatio individuorum intra eamdem speciem competit omnibus animalibus perfectis, maxime vero ipsi homini, in cujus specie multiplicatio individuorum est per se intenta a Deo propter immortalitatem animæ : Sed generatio fuit necessaria ad multiplicationem individuorum etiam in statu innocentiæ, ut patet ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 870. In statu innocentiæ futuram generationem per coitum absque pruritu immoderatæ concupiscentiæ.

870. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Ubi est distinctio maris et fœminæ, et distinctio membrorum ad generationem deservientium, est etiam generatio per coitum; alias frustra esset hujusmodi distinctio, quæ nulli omnino usui foret : Sed, ut constat ex Scriptura, in statu innocentiæ fuit distinctio sexuum et membrorum ad generationem deservientium : Ergo, etc. Non fuisset tamen generatio sine ulla delectatione; imo cum majori; sed talis delectatio fuisset per rationem moderata, et cum tranquillitate animæ et corporis : quia, ut diximus, in statu innocentiæ anima perfecte dominabatur corpori, et ratio appetitui.

Sequitur 871. In statu innocentiæ futuras esse fœminas, imo probabile est tot futuras fœminas, quot mares.

871. — 1. p. q. 99. a. 2.

Probatur sequela. Quia distinctio sexuum est ad perfectionem et propagationem humanæ naturæ, ut diximus. Nec generatio fœminarum provenit ex sola debilitate virtutis, sed ex aliis etiam causis, et maxime ex impressione animæ in phantasiam, quæ impressio in statu innocentiæ tanto poterat esse efficacior, quanto anima tunc corpori perfectius dominabatur, ut dictum est. Quare etiam probabile est in statu innocentiæ omnes homines genituros, atque adeo quod tot futuræ essent fœminæ, quot mares.

Sequitur 872. Omnes homines in statu innocentiæ nascituros in originali justitia.

872. — Ibid. a. 1. et q. 100. a. 1.

Probatur sequela. Quodlibet animal generat sibi simile in natura specifica, et in accidentibus naturæ specificæ, licet non in accidentibus personæ vel suppositi : Atqui in statu innocentiæ justitia originalis erat accidens naturæ specificæ, et non personæ, ut diximus supra : Ergo in statu innocentiæ homo generasset sibi similem in justitia originali; non quasi transfusa ex vi seminis, sicut nec ipsa anima rationalis transfunditur ex vi seminis, sed collata et infusa a Deo in anima, dum ipsa anima creata fuisset et unita corpori.

Sequitur 873. Quod licet Adamus permansisset in justitia originali, quando tentatus est, non propterea statim fuisset confirmatus in gratia.

873. — Ibid. et q. 100. a. 2.

Probatur sequela. Quia confirmatio in gratia de via ordinaria non fit nisi per claram Dei visionem : Sed, ex dictis, Adam non statim post victam

illam priorem tentationem fuisset translatus in gloriam. Utrum vero ex speciali privilegio Adam et posteri ejus fuissent saltem aliqui confirmati in gratia, res est, quæ ex sola Dei voluntare dependet ; atque adeo, cum nihil circa hoc ex Scripturis habeatur, vix potest aliquid definiri.

Sequitur 874. Non omnes homines nascituros in statu innocentiæ impeccabiles et confirmatos in gratia.

874. — Ibidem.

Probatur sequela. Homines, qui nascerentur in statu innocentiæ, non habuissent majus privilegium, quam ipse Adamus : Sed, ex jam dictis, Adam non fuit confirmatus in gratia ex eo quod creatus est in justitia originali : Ergo nec ejus posteri confirmati fuissent in gratia ex eo quod geniti fuissent in justitia originali.

Sequitur 875. Posteros Adæ, si perseverasset in justitia originali, non nascituros perfectos in scientia.

875. — 3. p. q. 101. a. 1.

Probatur sequela. Sola accidentia toti naturæ specificæ propria, eique concessa, fuissent per generationem transfusa in posteros, non autem accidentia personalia, ut dictum est : Sed perfectio scientiæ non fuit accidens toti naturæ proprium, sed personale Adami ; quia debebat esse gubernator et instructor aliorum, ut ostendimus : Ergo perfectio scientiæ non fuisset per generationem transfusa in posteros, sed illam de facili et sine ullo labore, brevi tempore acquisivissent.

Sequitur 876. Posteros Adæ, etiamsi perseverasset, non habituros a principio nativitatis perfectum usum membrorum corporis, sed solum illum, qui potest competere illi ætati, multo tamen perfectiorem, quam nunc habeant.

876. — 1. p. q. 99. a. 1.

Probatur sequela. Quia non fuissent geniti in ea quantitate et statura, quæ necessaria est ad perfectum usum membrorum ; et propter abundantiam humiditatis cerebri, nervi, qui sunt instrumenta ad motum localem, non potuissent ita expedite movere membra sicut postea quando cerebrum non futurum fuisset ita humidum : Aliunde vero solum erat necessarium ad perfectionem illi statui convenientem, quod corpus esset subditum animæ juxta ætatem, et alias circumstantias.

Sequitur 877. Pueros in statu innocentiæ natos non habituros perfectum usum rationis.

877. — 1. p. q. 101. a. 2.

Probatur sequela. Perfectus usus rationis pendet ex viribus sensitivis, præsertim phantasia ; quia, ut diximus in primo principio, homo intelligit per conversionem ad phantasmata, et phantasia ligata non rationatur, ut patet in dormientibus : Atqui in pueris statim natis etiam in statu innocentiæ actus virium sensitivarum etiam phantasiæ non fuissent perfecti propter nimiam cerebri humiditatem, impedientem organa illarum virium : Ergo non fuisset etiam perfectus usus rationis.

Sequitur 878. Hominem in statu justitiæ originalis debuisse collocari in loco non solum temperato, sed etiam delectabile.

878. — 1. p. q. 103. a. 1.

Probatur sequela. Locus debet correspondere locato, cum debeat esse conservativus illius : Sed locus temperatus et delectabilis correspondebat homini in statu innocentiæ ; cum, ut diximus, homo esset perfectus quoad corpus et animam : Ergo locus temperatus et delectabilis debebatur homini existenti in justitia originali.

Sequitur 879. Hunc locum recte vocari Paradisum.

879. — Ibidem.

Probatur sequela. Locus temperatus

et delectabilis recte vocatur Paradisus : Sed locus hominis innocentis debuit esse temperatus et delectabilis : Ergo recte vocatus est Paradisus.

Sequitur 880. Hunc locum fuisse vere locum corporeum, et non tantum spiritualiter intelligendum.

880. — Ibidem.

Probatur sequela. Locus rei corporeæ debet esse corporeus : Sed Paradisus fuit locus hominis, qui est corporeus : Ergo fuit corporeus.

Sequitur 881. Hunc locum fuisse in Oriente.

881. — Ibidem.

Probatur sequela. Nobilissimus locus corporis perfectissimi inter sublunaria debuit esse in nobilissima parte Terræ : Sed Paradisus fuit locus nobilissimus corporis perfectissimi inter sublunaria, scilicet, hominis in statu innocentiæ : Ergo debuit esse in nobilissima parte totius terræ, quæ est orientalis, et veluti dextera mundi.

Sequitur 882. Paradisum non pertingere usque ad lunarem circulum.

882. — Ibid. a. 1.

Probatur sequela. Quia neque lunaris globus, neque suprema vel media pars aeris possunt esse congrua humani corporis habitatio.

Utrum vero Paradisus adhuc extet nedum quantum ad locum materialem, sed etiam in ea pulchritudine et amænitate, in qua primo fuit conditus, dubitant nonnulli : Sed sine dubio dicendum est extare, neque aquis diluvii dirutum esse, coercente eas Deo sic enim docent fere omnes Patres, et communiter dicitur, Enoch et Eliam ibi etiamnum habitare.

CAPUT II.

De creatura rationali lapsa.

Sectio 1ª. — De peccato naturæ angelicæ et de ejus consequentiis.

Sequitur 883. Primum peccatum angeli vel hominis in statu innocentiæ existentis non potuisse esse peccatum veniale.

883. — 1. 2. q. 89. a. 3. et 4.

Probatur sequela. Omne peccatum veniale, ut postea dicemus, vel est ex subreptione propter imperfectam deliberationem, aut propter motum appetitus sensitivi prævenientem usum rationis, vel est quia ex perfecta deliberatione eligitur aliquod medium præter ordinem finis : Sed nullum horum potuit esse in angelo aut in homine existente in statu innocentiæ, ex dictis supra : Ergo non potuit etiam in eis esse peccatum veniale. *Minor patet :* quia in angelis non est appetitus sensitivus, ut diximus ; in angelis etiam non potest esse imperfecta deliberatio, cum sint pure intellectuales substantiæ, quæ non discurrunt, sed in ipsis principiis vident conclusiones, et in fine cognoscunt et volunt media ; unde nec possunt velle media præter ordinem finis : Similiter in homine innocente nullus poterat esse motus appetitus sensitivi prævenientis rationem ; cum pars inferior perfecte subderetur superiori, ut diximus ; non potuit etiam esse imperfecta deliberatio, quia ipsa executio actus rationis perfecte subdebatur tum ipsi rationi semper vigilanti, tum ipsi fini, quem semper actu considerabat nisi sponte desisteret ab actuali ejus consideratione : unde etiam sequebatur, ut nihil posset velle nisi sub ordine finis, atque adeo non præter ordinem, nisi libere desisteret ab actuali finis consideratione : Ergo, etc.

Sequitur 884. In angelis non potuisse esse peccatum aliquod immediate circa objecta sensibilia ut sic.

884. — Ibid. a. 4. et 1. p. q. 63. a. 2.

Probatur sequela. Ubi non est sensus et appetitus sensitivus, non potest esse aliquis motus immediate circa sensibilia ut sic : Sed, ex dictis in primo principio, in angelis non est sensus vel appetitus sensitivus : Ergo nec motus immediate circa sensibile ut sic. *Major patet :* quia ubi non est potentia, non est etiam actus : Sed motus immediate terminatus ad sensibilia ut sic, est actus sensus et appetitus sensitivi : Ergo ubi non est potentia sensitiva, non est motus immediate terminatus ad sensibilia ut sic.

Sequitur 885. In angelis primum peccatum non potuisse esse luxuriæ, avaritiæ, gulæ, acidiæ, aut iræ.

885. — Ibidem.

Probatur sequela. Ubi non est actus immediate circa objectum sensibile ut sic, non est luxuria, avaritia, gula, acidia aut ira proprie : Sed in angelis non potest esse actus immediate terminatus ad objectum sensibile ut sic : Ergo, etc. *Major patet :* quia luxuria, avaritia, gula manifeste sunt circa bona sensibilia, scilicet venerea, divitias, cibos ; acidia vero est fuga sive tarditas circa actus spirituales propter laborem corporeum, qui nequit esse in angelis ; ira denique est passio appetitus, si proprie sumatur : Ergo, etc.

Sequitur 886. In angelis non potuisse esse nisi peccatum superbiæ et invidiæ.

886. — Ibidem.

Probatur sequela. Ubi non potest esse peccatum veniale, nec peccatum mortale luxuriæ, avaritiæ, gulæ, acidiæ, et iræ, non potest esse nisi peccatum superbiæ et invidiæ, quæ possunt esse pure spiritualia : Sed in angelis non potuit esse peccatum veniale, neque peccatum luxuriæ, etc. ex dictis : Ergo in angelis non potuit esse nisi peccatum superbiæ et invidiæ.

Sequitur 887. Primum peccatum angelorum non potuisse esse peccatum invidiæ, sed debuisse esse peccatum superbiæ.

887. — Ibidem.

Probatur sequela. Peccatum invidiæ præsupponit aliud peccatum : Sed in angelis non potuit esse aliud peccatum, nisi superbiæ, ex dictis : Ergo in angelis primum peccatum non potuit esse, nisi peccatum superbiæ. *Major patet :* quia dolor sive tristitia de bono alterius, quatenus est impeditivum proprii, præsupponit amorem proprii boni, et dolor inordinatus de bono alterius præsupponit amorem inordinatum proprii boni ; hoc enim ipso, quod amor proprii boni talis est, quod causat tristitiam boni alterius, ipse amor est inordinatus, ut patet.

Sequitur 888. Primum peccatum angeli fuisse, quia appetiit finalem beatitudinem per suam virtutem.

888. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Peccatum superbiæ circa ultimum finem non potest esse nisi appetitus beatitudinis finalis per propriam virtutem : Sed, ex dictis, primum peccatum angeli fuit peccatum superbiæ, non circa media, sed circa finem ultimum ; quia, ut supra ostensum est, non potuit angelus appetere media nisi sub ordine ad finem, in quo appetitu nullum potest esse peccatum ; atque adeo primum peccatum debebat esse circa ipsum ultimum finem : Ergo primum peccatum angeli non potuit esse nisi appetitus finalis beatitudinis per propriam virtutem. *Major est evidens :* Nulla enim potest esse deordinatio in appetitu ultimi finis, nisi per hoc quod

indebite appetitur : Non potest autem indebite appeti quando simpliciter appetitur, vel quando appetitur ex auxilio Dei, ut est evidens : Ergo solum indebite appetitur, quando appetitur ex propria virtute. Et hoc modo peccavit primo angelus, vel quia appetiit ut finem ultimum, illud, ad quod virtute suæ naturæ poterat pervenire, vel quia appetiit beatitudinem supernaturalem ut viribus naturæ sibi possibilem et acquirendam.

Sequitur 889. Hunc appetitum finalis beatitudinis, tanquam proprie excellentiæ viribus naturæ acquirendæ, non fuisse in angelis ex aliquo judicio erroneo, vel ex ignorantia.

889. — Ibidem.

Probatur sequela. Omne peccatum ex errore vel ignorantia procedens, est vel ex passione, vel ex habitu malo inclinante et causante errorem aut ignorantiam in particulari eligibili : Sed in angelis nulla potuit esse passio, ex dictis ; nullus etiam malus habitus ante primum peccatum ; alias ille malus habitus fuisset infusus a Deo, non acquisitus propriis actibus, quod est impossibile : Ergo in angelis nullum potuit esse peccatum ex ignorantia vel errore.

Explicatur. Omne peccatum procedens ex errore vel ignorantia, est ex errore et ignorantia circa aliquod objectum vel in communi, vel in particulari : Sed in proposito non potuit esse peccatum ex ignorantia vel errore circa aliquod objectum in communi ; ut enim diximus, angeli vere per proprium intellectum, vel per fidem noverant omnia necessaria ad suam beatitudinem consequendam : Ergo debuit esse error vel ignorantia solum in aliquo particulari eligibili, ita ut scirent quidem in communi appetendam esse beatitudinem ex auxilio Dei, et non propria virtute ; sed hic et nunc hoc ipsum ignorarent, vel circa hoc errarent. Hoc vero etiam esse non potuit ; quia quando quis scit in communi aliquid faciendum, vel vitandum, non potest in particulari hoc ignorare, vel circa hoc errare, nisi ob vehementem passionem aut habitum, inclinantes et obscurantes intellectum, ne illud ipsum, quod scit in communi, sciat actu in particulari, sed potius ignoret aut erret circa illud particulare : sicut, qui committit adulterium, scit in communi, non esse adulterandum, sed in particulari dicit, hic et nunc esse adulterandum ; quia passio vel habitus corrumpunt judicium, et existimationem, et causant ignorantiam vel errorem circa illud particulare eligibile. *Hinc ergo patet major :* nam qui scit in communi aliquid faciendum vel vitandum, non peccat ex errore vel ignorantia in communi ; sed si peccat ex errore vel ignorantia, ille error et ignorantia debet esse circa particulare eligibile hic et nunc : Sed error ille et ignorantia circa particulare eligibile non potest esse, nisi ex passione vel habitu impediente, ne quod scit in communi, sciat in particulari, imo faciente ut ignoret vel erret circa particulare, ut patet ex explicatione : Ergo qui scit in communi, non ignorat nec errat in particulari, nisi ex passione vel habitu.

Sequitur 890. Peccatum primum angelorum fuisse ex inconsideratione.

890. — Ibidem.

Probatur sequela. Omne peccatum in voluntate existens supponit aliquem defectum in intellectu ; quia omnis peccans est ignorans, et nihil vólitum quin præcognitum : Sed primum peccatum angelorum non supponebat ignorantiam aut errorem, ex dictis : Ergo supponebat inconsiderationem. *Consequentia est evidens :* quia omnis defectus, qui potest esse in intellectu, vel est error, quo positive judicatur aliquid esse, quod revera non est, vel est ignorantia, quia videlicet intellectus omnino nescit

etiam habitualiter, vel est inconsideratio, quia, cum sciat, non tamen actu considerat.

Sequitur 891. Hanc inconsiderationem fuisse virtualiter volitam.

891. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui scit in communi, et ex vehementia actus liberi voluntatis, non considerat, quod considerare deberet, vult virtualiter inconsiderationem, ut patet : Sed angeli sciebant in communi non esse appetendam beatitudinem quasi virtute propria acquirendam ; et hoc non considerarunt in particulari, ut constat ex dictis : Ergo virtualiter voluerunt hanc inconsiderationem.

Sequitur 892. Hanc inconsiderationem fuisse priorem et posteriorem in diverso genere.

892. — Ibidem.

Probatur sequela. Cognitio movens voluntatem quoad specificationem, et quæ est a voluntate quoad exercitium, est prior et posterior in diverso genere, ut patet : Sed inconsideratio illa, ex qua peccarunt primo angeli, fuit cognitio quædam cum defectu considerationis, movens voluntatem quoad specificationem, et quæ erat a voluntate quoad exercitium : Ergo inconsideratio illa fuit prior et posterior in diverso genere.

Explicatur : Cognitio, quæ aliquo modo præcessit primum peccatum angeli, fuit dictamen intellectus proponentis diligendam esse beatitudinem finalem, tanquam propriam perfectionem et excellentiam ; sed in hac cognitione fuit defectus actualis considerationis, quod nimirum diligenda esset cum subordinatione ad Deum tanquam ad causam finalem et efficientem, cujus virtute acquiri debebat beatitudo. Porro illa cognitio movit voluntatem angelorum quoad specificationem ; et ipsa eadem cum defectu illo considerationis illius circumstantiæ, fuit a voluntate quoad exercitium ; fuit enim cognitio libera, qua nimirum ex affectu voluntatis ad suam illam excellentiam angelus voluit ipsam cognoscere et considerare non considerando subordinationem ad Deum : non quasi illa non consideratio fuerit directe ac formaliter volita ; directe enim ac formaliter angelus voluit tantum considerare suam illam excellentiam, et ex modo considerandi indirecte ac virtualiter voluit non considerare circumstantiam subordinationis ad Deum, quam tenebatur considerare, sicut et velle. Ut autem hoc intelligas, recole quæ diximus in primo principio, quod nimirum actus intellectus et voluntatis sunt virtualiter reflexivi supra seipsos, ita ut intellectus intelligens objectum, ad quod directe terminatur intellectio, etiam virtualiter reflectatur et intelligat se intelligere, et voluntas volens objectum aliquod, virtualiter reflectatur et velit se velle ; atque adeo intellectus intelligendo objectum etiam virtualiter intelligit modum, quo cognoscit, et voluntas vult virtualiter actum suum et modum actus. Et sic angelus virtualiter volebat ipsam volitionem beatitudinis, et modum ejusdem volitionis, qui modus erat, quod volitio illa esset sine relatione et subordinatione ad Deum : et sic volendo virtualiter illum modum, etiam virtualiter volebat modum cognitionis, qui erat defectus considerationis. Volebat autem suam illam cognitionem beatitudinis virtualiter quoad exercitium, quatenus ipsa voluntas volebat ut intellectus cognosceret suam illam excellentiam. Ut enim alias diximus, actus intellectus et voluntatis se mutuo determinant, et quod est formaliter in actu intellectus, virtualiter reperitur in voluntate, ut patet quando voluntas eligit medium ordinatum ad finem per ipsum intellectum ; et intellectus intelligit et considerat medium ex intentione finis : Et in ipsa volitione finis involvitur ejusdem cognitio, et in cognitione sive considera-

tione finis, quatenus est libera quoad exercitium, involvitur ipsa volitio. Neque hoc est peculiare in angelis, vel in primo peccato angelorum; hoc enim accidit in omni volitione et cognitione libera finis, ut nimirum cognitio moveat voluntatem quoad specificationem, et voluntas moveat intellectum quoad exercitium, non solum formaliter et per actus distinctos, sed etiam virtualiter : non enim solum intellectus primo cognoscit finem cognitione omnino necessaria, deinde voluntas vult finem et applicat intellectum, ut melius percipiat finem per actum distinctum a priori cognitione; sed etiam per eumdem actum, ita ut per actum necessarium quoad specificationem intellectus necessario eadem necessitate moveat voluntatem, et voluntas moveat intellectum ad eumdem actum ut liberum quoad exercitium.

Sequitur 893. Angelum appetiisse esse ut Deum.

893. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui appetit suam finalem beatitudinem ut propriis viribus habendam, appetit esse ut Deus; hoc enim est proprium Dei habere finalem suam beatitudinem propriis viribus : Atqui angelus appetiit suam finalem beatitudinem ut propriis viribus habendam, ex modo saltem, quo appetiit, ut dictum est; Ergo angelus appetiit esse ut Deus.

Sequitur 894. Angelum consequenter appetiisse aliquem principatum sive aliquam excellentiam habere.

Probatur sequela. Quia qui appetit, quod est per se causa alterius, appetit etiam illud, cujus illud est per se causa : Sed angelus appetiit esse ut Deus, ex dictis; et hoc est per se causa cujusdam principatus et excellentiæ supra alia : Ex hoc enim quod quis ex propriis habeat finalem beatitudinem, et in hac sit ut Deus, fit per se, quod habeat principatum super alia, ut est evidens : Ergo angelus consequenter appetiit hujusmodi principatum.

Sequitur 895. Ex hoc peccato superbiæ, consecutum esse peccatum invidiæ, quò Dæmon Homini excellentiam singularem invidit.

Probatur sequela. Quia peccatum invidiæ consequitur ad peccatum superbiæ.

Sequitur 896. Ex eo peccato consecutam esse pœnam debitam.

Probatur sequela. Quia omni peccato debetur pœna ex divina justitia, ut superius diximus.

Sequitur 897. Dæmones in pœnam peccati, privatos esse omni cognitione supernaturali.

897. — 1. p. q. 63. a. 1.

Probatur sequela. Qui privatur omni omnino gratia, privatur etiam cognitione omni supernaturali : Sed angeli per peccatum meruerunt privari omni omnino gratia; aliunde vero jam sunt in termino, ut statim dicemus : Ergo de facto privati sunt omni cognitione supernaturali.

Sequitur 898. In dæmonibus non mansisse fidem, quæ sit habitus supernaturalis.

898. — 2. 2. q. 5. a. 2.

Probatur sequela. Cognitio fidei theologicæ etiam informis est supernaturalis : Sed dæmones privati sunt omni cognitione supernaturali : Ergo et fide.

Sequitur 899. In dæmonibus mansisse cognitionem naturalem etiam sine diminutione.

899. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Quia manente natura pure intellectuali, manet cognitio naturalis; non enim potest tolli hæc cognitio vel minui in natura pure intellectuali, quia hæc cognitio est veluti proprietas naturæ : Atqui angeli omnes sunt naturæ pure spirituales ut alias diximus : Ergo, etc.

Sequitur 900. In dæmonibus obstinatam esse voluntatem in malo.

900. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Angeli, cui adhærent post plenam deliberationem, immobiliter adhærent : Sed dæmones per peccatum adhæserunt malo post plenam deliberationem, ex dictis : Ergo illi immobiliter adhærent, quod est eos esse obstinatos in malo. *Major probatur ex dictis in primo principio :* Qui enim non per discursum sed per simplicem apprehensionem cognoscit, etiam immobiliter adhæret objecto post plenam deliberationem, eo quod voluntas et appetitus proportionantur cognitioni : sicut ergo cognitio angelorum est omnino immobilis, ita et voluntas.

Sequitur 901. In dæmonibus esse dolorem, non prout est passio, sed ut est renisus voluntatis.

901. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Ubi est pœna est dolor sive renisus voluntatis : Sed in dæmonibus est pœna peccati, ex dictis : Ergo et renisus voluntatis. *Major patet :* quia de ratione pœnæ est, quod voluntati repugnet.

Sequitur 902. Dæmones torqueri igne inferni.

902. Ibid. a. 4.

Suppono dæmones jam esse damnatos, ut fides Catholica docet, in pœnam peccati.

Probatur ergo sequela. Omnes damnati torquentur igne inferni : Sed dæmones sunt damnati in pœnam peccati : Ergo torquentur igne inferni.

Sequitur 903. Hanc pœnam non posse esse per veram et physicam ignis combustionem, hoc sensu, quod ignis ille torqueat dæmones comburendo illos.

903. — Ibid. ad 1. et in 4. d. 44. q. 3. a. 3. q. 3.

Probatur sequela. Nulla substantia pure spiritualis potest comburi : Sed dæmones sunt substantiæ pure spirituales, ex dictis : Ergo non possunt comburi. *Major est evidens :* quia nulla substantia pure spiritualis potest recipere permanenter qualitatem pure materialem, propter disproportionem subjecti. Nec dici potest, quod Deus reddat subjectum spirituale capax recipiendi qualitatem corpoream permanentem per aliquam priorem qualitatem : de hac enim qualitate rursum inquireretur, an esset spiritualis vel corporea : Neutrum esse posset ; non quidem spiritualis, quia qualitas spiritualis non potest esse dispositio ad recipiendam qualitatem corpoream ; non etiam corporea et materialis, quia repugnat subjectum pure spirituale recipere qualitatem corpoream.

Sequitur 904. Dæmones non torqueri per ignem inferni, per hoc quod ignis immitat in illos speciem sui.

904. — Ibidem.

Probatur sequela. Nulla qualitas materialis potest recipi in subjecto pure spirituali : Sed species illa immissa ab igne est qualitas materialis, ut ostensum est in primo principio, ubi etiam ostendimus angelos non recipere species a rebus, sed habere illas infusas et innatas fere ut proprietates, quatenus sunt partes hujus universi : Ergo, etc. Præterea nulla species intelligibilis potest esse cruciativa, imo potius est perfectiva : Sed id, quod immittit ignis in dæmones debet esse cruciativum et non perfectivum ; ut enim diximus, hoc immittitur in pœnam : Ergo non potest esse species intelligibilis. Nec dicas illam speciem divinitus in illis productam per ignem tanquam per instrumentum, repræsentare illis ignem ut nocivum : si enim ignis non alio modo torquet, quam immittendo speciem intelligibilem, quæ repræsentet illum ignem ut nocivum, cum revera non sit, jam illa species falsum repræsentaret ; imo cum sit a Deo ut causa

principali, non posset illum ut nocivum repræsentare.

Sequitur 905. Ignem inferni non torquere dæmones per hoc, quod illum apprehendant ut nocivum.

905. — Ibidem.

Probatur sequela. Pœna, quam infert ignis inferni dæmonibus, est vera et realis, et non phantastica et imaginaria, alias non esset vera pœna : Sed hoc, quod est apprehendere ignem ut nocivum, non est pœna vera et realis, sed solum phantastica et imaginaria ; quia cum ignis reipsa non sit nocivus, illum apprehendunt ut nocivum : Ergo hoc quod est dæmones apprehendere ignem ut nocivum, non potest esse pœna, quam ignis infert dæmonibus. Præterea dæmones, ut diximus, non amiserunt cognitionem naturalem : Sed omnes angeli habent cognitionem naturalem comprehensivam omnium rerum corporalium, atque adeo cognoscunt ignem non posse esse ipsis nocivum : Ergo non possunt illum apprehendere ut nocivum, nisi revera sit nocivus : Oportet ergo explicare, quomodo sit nocivus.

Sequitur 906. Ignem inferni non cruciare dæmones per hoc, quod ignis producat in illis, ipsis invitis et renitentibus, actum aliquem intellectus, aut voluntatis ipsorum.

906. — Ibidem.

Probatur sequela ex dictis in primo principio. Quia nullum vitale et voluntarium potest esse a principio extrinseco, agente voluntario renitente et non conferente vim ; quia ut ostendimus, hoc est contra intrinsecam rationem voluntarii, quod sit coactum et violentum : Sed omnis actus intellectus et voluntatis est actus voluntarius ; est enim a principio intrinseco cum cognitione, ut patet ex dictis ibidem : Ergo nullus actus intellectus aut voluntatis potest esse ab igne in dæmonibus, ipsis invitis et renitentibus. Hinc habes, ignem inferni non cruciare dæmones causando in illis tristitiam et dolorem, quia sunt actus vitales ; et multo minus causando tristitiam et dolorem ejusdem rationis cum ea tristitia et dolore, quem anima conjuncta corpori sentit, quando corpus comburitur : hic enim dolor, cum sit passio appetitus sensitivi, non potest esse in dæmonibus ejusdem rationis cum eo, quem sentit anima unita corpori.

Sequitur 907. Ignem inferni non torquere dæmones immittendo in illos qualitatem fædantem et veluti deturpantem illos, ac dolorem causantem.

907. — Ibidem.

Probatur sequela. Omnis qualitas fœdans, deturpans, vel dolorifera, expellit a subjecto formaliter aliquam pulchritudinem, decorem, vel bonum aliquod : Atqui qualitas producta in dæmonibus per ignem inferni non expellit formaliter a subjecto, id est, a dæmonibus, aliquam pulchritudinem, decorem, vel bonum aliquod : Ergo, etc. *Major est evidens :* qualitas enim dicitur fœdans etc. a suo effectu formali, quia fœdat, deturpat, causat dolorem, sive infert malum, quod est privatio alicujus boni. *Minor probatur ex dictis :* Omnis pulchritudo, decor, vel bonum, quod potest esse in angelis, vel est gratiæ vel naturæ : Sed qualitas illa fædans etc. non aufert a dæmonibus bonum gratiæ, hoc enim privati sunt per peccatum, quod, ut alias ostendemus, formaliter expellit gratiam ; peccatum autem in dæmonibus fuit prius pœna peccati ; nec illa qualitas fœdans aufert etiam a dæmonibus pulchritudinem naturalem, quia hæc pulchritudo naturalis manet in dæmonibus ; est enim cognitio veritatum naturalium : Ergo, etc. Nec valet si dicas qualitatem fœdantem tollere ab illis amorem Dei ut auctoris et finis naturalis, et ponere in illis odium Dei. Non valet, inquam, quia illa qualitas fœdans etc. non potest tollere amorem Dei, nisi

ponendo odium : Atqui non potest ponere odium, cum odium sit actus vitalis et voluntarius, qui non potest esse a causa omnino extrinseca, ut dictum est, et præterea illa qualitas fœdans est ab igne ut instrumento Dei et a Deo ut causa principali ; odium autem Dei non potest esse a Deo ut causa principali : Ergo, etc.

Sequitur 908. Ignem inferni torquere dæmones per alligationem.

908. — 1. p. q. 64. a. 4.

Explicatur. Angeli possunt esse in loco corporeo diffinitive, id est, ita esse in uno loco, quod non sint in alio per contactum virtutis, hoc est, per actionem ipsorum angelorum formaliter immanentem et virtualiter transeuntem, ut diximus in primo principio : Sunt ergo angeli omnes locabiles in loco etiam diffinitive ut habent virtutem operandi operatione virtualiter transeunte : Deus autem per absolutam potentiam potest impedire, ne illorum operatio formaliter immanens, transeat virtualiter in externam materiam, nisi in unam solam et determinatam, ita ut, si velint ad extra operari, teneantur circa illam determinate operari, et non circa aliam. Non est etiam dubium, quin Deus possit ad hoc impedimentum illis præstandum uti aliquo vel spirituali vel corporeo, tanquam instrumento, modo infra explicando ; quo casu Deus mediante illo instrumento nihil aliud producet in dæmonibus, nisi detentionem passivam, qua sic alligabuntur illi loco, ut si velint operari ad extra, debeant in illo operari, nec possint alibi, nisi permittente specialiter Deo, et semper cum ordine ad illum locum, cui alligati sunt, et in quo detinentur a Deo. Hoc ergo est, quod vocamus alligationem et detentionem passivam, quam Deus producit in dæmonibus mediante igne inferni. Esse autem hunc verum modum, quo pœna dæmonum explicetur, patet, quia ita explicant SS. PP. præsertim Aug. XXI, de Civitate Dei cap. x, et D. Gregorius IV, Dialogorum cap. XIX, et alii : ita etiam colligitur ex Scriptura, quæ pœnam dæmonum explicat per modum carceris, alligationis, etc.

Probatur ergo sequela. Quia alligatio illa sic explicata est possibilis, et est maxima pœna : cum ergo pœna dæmonum sit maxima, debet in illa alligatione consistere ; præsertim quia alii modi explicandi, sunt impossibiles, ut patet ex dictis.

Sequitur 909. Angelos omnes post unum actum meriti vel demeriti perfecte liberum, statim fuisse in termino viæ.

909. — 1. p. q. 62. a. 5.

Probatur sequela. Qui talis naturæ est, ut post unum actum perfecte liberum immobiliter adhæreat objecto, quod semel elegit, debet etiam post unum actum perfecte liberum esse in termino viæ ; quia cessat omnis motus, quando subjectum redditur immobile, et tunc etiam terminatur via et motus : Sed, ex dictis, angelus post unum actum perfecte liberum immobiliter adhæret objecto semel electo : Ergo angelus post unum actum meriti vel demeriti perfecte liberum debet esse in termino viæ.

Sectio 2ª. — De peccato originali Hominis et ejus consequentiis.

Sequitur 910. Non esse idem de homine, quod scilicet post unum actum meriti vel demeriti sit in termino viæ.

910. — Ibidem.

Probatur sequela. Tum experientia ; tum etiam quia idcirco angelus post unum actum meriti vel demeriti est in termino viæ, quia post perfectam deliberationem immobiliter adhæret, et hoc provenit, quia non cognoscit discurrendo, sed per simplicem apprehensionem : Atqui opposita ratio valet in homine, qui, cum cognoscat per discursum, non adhæret immobiliter etiam post perfectam deliberationem : Ergo homo post unum actum

meriti vel demeriti etiam perfecte liberum non est in termino viæ.

Sequitur 911. Primum peccatum hominis non potuisse esse aliquem actum ordinatum circa bona sensibilia.

911. — 2. 2. q. 163. a. 1.

Probatur sequela. Ubi non potest esse primo deordinatio in appetitu sensitivo, quin prius sit deordinatio in appetitu rationali, non potest primum peccatum esse actus circa bona sensibilia : Sed in homine, qui erat in statu innocentiæ, non potuit esse deordinatio in appetitu sensitivo, nisi prius esset deordinatio in appetitu rationali : Ergo in homine, qui erat in statu innocentiæ, non potuit, primum peccatum esse actus circa bona sensibilia. *Minor patet ex dictis,* quia in hoc consistebat status innocentiæ, ut quamdiu homo maneret perfecte subditus Deo ut ultimo fini, appetitus inferior maneret perfecte subjectus parti superiori. *Major vero probatur :* quia peccatum circa bona sensibilia est actus appetitus sensitivi, ex quo deinde oritur deordinatio in appetitu rationali, sequente deordinationem appetitus sensitivi circa bona sensibilia : Atqui ubi non potest esse primo deordinatio appetitus sensitivi, non potest esse primo peccatum, ex quo sequatur deordinatio in appetitu sensitivo : Ergo non potest esse primo peccatum circa bona sensibilia.

Sequitur 912. Primum hominis peccatum fuisse circa bonum spirituale.

912. — Ibidem.

Probatur sequela. Omne peccatum est circa bonum vel sensibile, vel spirituale : Sed primum hominis peccatum non potuit esse circa bonum sensibile : Ergo fuit circa bonum spirituale.

Sequitur 913. Peccatum primi hominis primo fuisse circa bonum spirituale, appetendo illud non secundum modum et mensuram debitam.

913. — Ibidem.

Probatur sequela. Volitio boni spiritualis, si sit secundum modum et mensuram debitam, non est deordinata, ut ex terminis constat : Sed primum peccatum hominis fuit volitio boni spiritualis : Ergo non fuit peccatum, si fuit secundum modum et mensuram debitam, atque adeo fuit volitio boni spiritualis non secundum modum et mensuram debitam.

Sequitur 914. Primum peccatum hominis fuisse superbiam.

914. — Ibidem.

Probatur sequela. Volitio boni spiritualis non secundum modum et mensuram debitam est superbia : Sed primum peccatum hominis fuit volitio boni spiritualis non secundum modum et mensuram debitam : Ergo fuit superbia. *Major probabitur alias.*

Sequitur 915. Primum peccatum hominis non potuisse esse circa bonum aliquod spirituale, quod jam haberet.

915. — Ibid. a 2.

Probatur sequela. Appetitus sive desiderium est rei non habitæ : Sed primum peccatum hominis fuit appetitus sive desiderium ; unde dixit primis parentibus serpens, *Eritis sicut dii scientes bonum et malum : (Gen. 2).* Ergo primum peccatum non fuit appetitus boni spiritualis, quod homo haberet.

Sequitur 916. Primum peccatum hominis fuisse appetitum scientiæ, quæ talis esset, ut per seipsum sciret, quid esset sibi bonum et malum.

916. — Ibidem.

Probatur sequela. Tum quia hoc aperte colligitur ex illo loco Genesis II. jam citato; Tum etiam quia,

licet homo haberet perfectam scientiam, quantum poterat competere illi statui, nondum tamen habebat absolute perfectam ut determinaret sibi per virtutem propriæ naturæ, quid esset bonum et malum ad agendum, vel quid sibi boni vel mali esset futurum, atque adeo potuit hoc appetere : Sed ille appetitus est peccatum, quia est inordinatus, ut constat : Potuit ergo primo peccare per hoc. Sed ex consequenti appetiit etiam potestatem operandi, ut scilicet virtute propriæ naturæ operaretur ad beatitudinem consequendam. Hoc autem sic explicandum est conformiter ad Scripturam : Tentavit Diabolus mulierem de comedendo fructu scientiæ boni et mali prohibito : proposuit, quod comedendo de illo fructu forent sicut dii scientes bonum et malum. Ex hac promissione mulier primo interius elata est considerando perfectionem suam attentius, et appetendo scientiam illam boni et mali, consequenter potestatem operandi circa beatitudinem, quasi propriis viribus ad utramque posset pertingere, atque ubi consensit, accepit pomum, obtulitque viro, qui simul tentatus est ex illa promissa excellentia, et ex complacentia et benevolentia amicabili erga suam uxorem, consensitque appetendo tum scientiam illam, tum potestatem, acceptumque fructum contra Dei præceptum comedit. Unde apparet in hoc primo peccato hominis multa virtualiter saltem peccata fuisse, ac primo quidem superbiam sive appetitum propriæ excellentiæ, complacentiam nimiam erga propriam uxorem, et gulam.

Sequitur 917. Primum peccatum hominis fuisse, quod appetierit similitudinem Dei.

917. — Ibidem.

Probatur sequela. Habere propria virtute scientiam boni et mali, et potestatem operandi ad suam beatitudinem est proprium Dei, atque adeo qui hæc appetit, appetit similitudinem cum Deo : Sed primus homo hæc appetendo primo peccavit ex dictis : Ergo primo peccavit appetendo similitudinem Dei.

Sequitur 918. Hoc primum peccatum in homine non ex errore vel ignorantia, sed ex inconsideratione provenisse.

918. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Quia ante primum peccatum in statu innocentiæ nullus potuit esse error, nulla ignorantia de agendis ; alias status ille fuisset omnino imperfectus, et in eo fuisset defectus ipsi statui contrarius. Vide dicta supra de peccato angelorum, quomodo fuerit ex inconsideratione.

Sequitur 919. Hoc primum peccatum fuisse omnium humanorum gravissimum, non simpliciter sed secundum quid.

919. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia, ut alias dicemus, gravitas peccatorum simpliciter desumitur ex objecto et ratione formali, gravitas vero secundum quid ex circumstantiis præsertim personæ peccantis : Sed hoc primum peccatum non fuit gravissimum ex objecto sive ratione formali ; bene autem ex circumstantia personæ : Ergo, etc. *Minor patet ex dictis :* quia objectum hujus peccati fuit similitudo Dei in scientia et potestate ; quod objectum etiam inordinate volitum non facit tantam gravitatem in peccato, sicut facit odium vel negatio Dei, vel blasphemia. Quod vero ex circumstantia fuerit gravissimum patet : quia quo persona est in statu perfectiori, et facilius potest vitare peccatum, eo peccatum est gravius : Sed primus homo fuit in statu perfectissimo et facillime poterat vitare peccatum. Ergo, etc.

Sequitur 920. Peccatum Adami et Evæ fuisse æque grave quoad speciem; Adami fuisse gravius ex conditione personæ; simpliciter ex omnibus circumstantiis peccatum Evæ fuisse gravius.

920. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Quia utriusque peccatum fuit superbiæ : ergo quoad speciem fuit æquale. Persona Adæ ob sexum virilem erat perfectior : Ergo ex parte personæ peccatum Adami fuit gravius. Eva ex elatione credidit se posse consequi scientiam et potestatem contra Dei voluntatem : Adam non credidit : Eva persuasit Adamo; ac demum Adam ex quadam amicabili benevolentia peccavit : Ergo peccatum Evæ gravius fuit. Hinc videas mulieres et elatiores, et curiosiores, et ad dominandum magis proclives : e contra vero videas homines ex amore erga mulieres frequentius peccantes.

Sequitur 921. Hoc peccatum primi hominis meruisse pœnas juxta gravitatem.

921. — 2. 2. q. 164. a. 1.

Probatur sequela. Omne peccatum meretur pœnas juxta ipsius gravitatem; quia cum Deus justus sit, ut diximus, debet punire peccata.

Sequitur 922. Pœnam debitam huic peccato fuisse privationem Gratiæ, Charitatis, et aliarum virtutum moralium infusarum ac donorum, sicut et justitiæ originalis.

922. — Ibidem.

Probatur sequela. Privatio omnium, quæ opponuntur peccato, in quantum est aversio a Deo ut fine ultimo, justa est ac debita pœna peccati : Sed Gratia, Charitas et aliæ virtutes infusæ, maxime vero justitia originalis opponuntur huic peccato, ut est evidens ex dictis : Ergo privatio horum omnium fuit justa pœna debita huic peccato : *Minor probatur:* quia ut diximus, justitia originalis includebat Gratiam, Charitatem etc. et præterea modum, ratione cujus pars superior perfecte subjiciebatur Deo ut fini ultimo, et pars inferior superiori : Sed huic peccato opponebatur Gratia, Charitas et modus ille; cum per hoc peccatum homo noluerit submitti Deo ut fini ultimo, imo ab illo aversus est, et appetiit modo indebito scientiam et beatitudinem, ut dictum est : Ergo huic peccato opponebatur justitia atque adeo Gratia, etc. Addendum, juste Adamum fuisse privatum conversione in Deum etiam ut finem naturalem, quia peccavit etiam contra Deum ut auctorem et finem ultimum naturalem.

Sequitur 923. Mortem corporis fuisse etiam pœnam illius peccati.

923. — Ibidem.

Probatur sequela. Sublata causa tollitur effectus : Sed in pœnam peccati sublata est causa, quæ efficiebat, ut corpus non subderetur morti; causa enim hujus erat, ut diximus, perfecta subjectio corporis ad animam, hoc est, justitia originalis : Ergo sublata justitia originali privilegium sive beneficium non moriendi, debuit auferri et subsequi mors.

Sequitur 924. Ipsas etiam ægritudines et corporales defectus fuisse pœnas peccati.

924. — Ibidem.

Probatur sequela. Quæ consequuntur ex rebellione sive non perfecta subjectione corporis ad animam, sunt pœna peccati : Sed ægritudines et alii hujusmodi corporales defectus consequuntur ex non perfecta subjectione corporis ad animam, sicut ex perfecta subjectione consequebatur exemptio ab illis omnibus defectibus, ut diximus : Ergo ægritudines et alii defectus corporales sunt justa pœna peccati.

Sequitur 925. Exclusionem a Paradiso, impedimentum arcens a ligno vitæ, fuisse etiam pœnas debitas huic peccato.

925. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Quia ista pertinebant ad beneficium status amissi per peccatum.

Sequitur 926. Etiam speciales pœnas decretas fuisse mulieri in iis, quæ propria illi sunt, tædia in portando fœtu, et dolores in partu, et subjectionem ad virum non solum regiminis, sed etiam cujusdam veluti servitutis contra propriam voluntatem; viro autem, ad quem spectat procurare vitæ necessaria, decreta est pœna, sterilatas terræ, labor in ea colenda, impedimentum cultus et fructus per spinas et tribulos.

926. — Ibidem.

Patent hæc omnia ex textu Genesis II. Justitia vero harum pœnarum etiam evidens est, quia mulier suaserat viro peccatum, et vir etiam et ipse peccaverat.

Sequitur 927. Juste etiam punitos esse ambos per erubescentiam nuditatis ortam ex rebellione carnis, per increpationem culpæ, et per commemorationem mortis, tum verbis facta, *Pulvis es et in pulverem reverteris,* tum signis, ex eo quod datæ sunt eis tunicæ pelliceæ ex animantibus mortuis.

Patet sequela ex textu Scripturæ, et ex iis quæ dicta sunt. Vide in D. Th. 2ª 2 q. 164. a. 2.

Sequitur 928. Hoc peccatum Adami non fuisse dumtaxat peccatum personale, sed peccatum totius naturæ.

928. — 1. 2. q. 84. a. 1.

Probatur sequela. Peccatum capitis, ut caput est, non solum est peccatum speciale ipsius, sed et totius corporis, cujus est caput : Sed peccatum Adami fuit peccatum capitis totius naturæ humanæ, quatenus erat caput illius. Ergo nedum fuit peccatum speciale personæ Adami, sed fuit peccatum totius naturæ. *Major constat* ipsa experientia tam in capite physico, quam in capite morali et politico, quod si peccet, tota communitas, cujus est caput, dicitur peccare. *Minor probatur :* Voluntaria amissio doni toti naturæ collati est peccatum totius naturæ : Sed peccatum Adami fuit voluntaria amissio justitiæ originalis, quam supra ostendimus fuisse donum toti naturæ humanæ collatum : Ergo voluntaria amissio justitiæ originalis fuit peccatum totius naturæ.

Sequitur 929. Dari peccatum originale, id est, privationem justitiæ originalis voluntariam voluntate primi parentis.

929. — Ibidem.

Probatur sequela. Peccatum totius naturæ est peccatum originale, id est, quod per originem transfunditur in posteros una cum transfusione naturæ : Sed voluntaria privatio justitiæ originalis, est peccatum totius naturæ : Ergo est peccatum originale.

Sequitur 930. Alia peccata post primum commissa sive ab Adamo, sive ab aliis parentibus non transfundi in posteros.

930. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Peccata, quæ non sunt naturæ sed personæ, non transfunduntur in posteros : Sed alia peccata sunt tantum personæ, et non naturæ; quia non sunt voluntaria privatio doni alicujus collati naturæ; cum omnia alia peccata, excepto primo, supponant hanc privationem, ut patet : Ergo alia peccata non transfunduntur in posteros.

Sequitur 931. Peccatum originale transfundi in omnes homines ex Adamo carnaliter propagatos, eo sensu, quo D. Paulus dicit : *Omnes in Adam peccaverunt.*

931. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Omnes, qui recipiunt naturam privatam voluntarie (voluntate in Adamo) justitia originali, contrahunt peccatum originale, quod in illos a parentibus transfunditur : Sed omnes homines ex Adamo carnaliter propagati recipiunt naturam privatam voluntarie (voluntate in Adamo) justitia originali : Ergo omnes homines ex Adamo carnaliter propagati contrahunt peccatum originale. De Beatissima Virgine nihil dicimus, servantes prohibitiones a Sancta Sede emanatas.

Sequitur 932. Quod si homo aliquis ex humana carne formaretur non via ordinaria, sed per miraculum, puta si ex costa hominis formaretur homo, ille non contraheret peccatum originale.

932. — 1. 2. q. 81. a. 4.

Probatur sequela. Peccatum originale non transfunditur, nisi ratione carnalis propagationis, quatenus per illam accipit ab alio naturam privatam justitia originali : Sed in hoc casu non esset ulla carnalis propagatio, ut constat : Ergo in hoc casu non transfunderetur.

Sequitur 933. Adamo non peccante, etiamsi Eva peccasset, posteros non contracturos peccatum originale.

933. — Ibid. a. 5.

Probatur sequela. Peccatum originale non contrahitur, nisi quatenus privatio justitiæ originalis est voluntaria voluntate capitis totius naturæ, ut diximus : Sed Eva non erat constituta caput totius naturæ, sed solus Adam, qui aliquo modo erat caput uxoris suæ : Ergo Eva peccante, et non Adamo, non contraherent posteri voluntariam illam privationem, nec, consequenter peccatum originale.

Sequitur 934. Peccatum originale de formali esse privationem Gratiæ et Charitatis, quatenus habebant adjunctum modum illum, ratione cujus constituebant justitiam originalem, ut dictum est.

934. — 1. 2. q. 82. a. 1.

Probatur sequela. Justitia originalis et peccatum originale opponuntur, ut ex terminis constat : Sed non opponuntur contrarie vel relative : Ergo opponuntur ut forma et privatio formæ. *Minor patet ex dictis,* quia peccatum originale et justitia originalis non opponuntur per modum duplicis formæ positivæ, neque per modum relationis et termini.

Sequitur 935. Ex hac privatione justitiæ originalis consequi in homine deordinationem omnium potentiarum, tam superiorum, quam inferiorum.

935. — Ibidem.

Probatur sequela. Ex privatione subordinationis perfectæ rationis et voluntatis ad ultimum finem, sequitur necessario deordinatio ejusdem rationis et voluntatis circa media, et deordinatio sive rebellio corporis et appetitus adversus animam et rationem, ut patet ex dictis : Sed hæc privatio, in quo consistit peccatum originale, est privatio gratiæ et charitatis, quatenus præstabant subordinationem perfectam rationis et voluntatis ad ultimum finem, ut diximus : Ergo ex hac privatione consequitur deordinatio rationis et voluntatis circa media, et appetitus rebellio contra rationem.

Sequitur 936. Hanc deordinationem, quæ consequitur, esse dispositionem permanentem.

936. — Ibidem.

Probatur sequela. Deordinatio ex causa permanente, est dispositio per-

manens : Sed hæc deordinatio est ex causa permanente, nimirum ex illa privatione gratiæ et charitatis ut perfecte subjicientis partem superiorem Deo tanquam ultimo fini, quæ quodammodo versa est in naturam : Ergo hæc deordinatio est dispositio permanens. Et adverte quod dispositio aliquando sumitur pro qualitate facile mobili, aliquando vero sumitur pro multarum partium inter se ordinatione ; quæ si recta fuerit, simpliciter dicitur dispositio ; si prava, potius dicitur indispositio.

Sequitur 937. Hanc deordinationem esse habitualem.

937. — Ibidem.

Probatur sequela. Dispositio permanens, sive ex causa permanente, est habitualis : Sed hæc deordinatio est dispositio permanens : Ergo est habitualis.

Sequitur 938. Hanc deordinationem dici posse habitum, non quod sit qualitas permanens determinata ad certum actum, sed quod sit indispositio partium male ordinatarum permanens, eo modo, quo ægritudo ex causa permanente, dicitur morbus per modum habitus.

938. — Ibidem.

Probatur sequela. Dispositio ex causa permanente et veluti in naturam conversa, dici potest habitus : Sed hæc deordinatio est ex causa permanente et veluti in naturam conversa : Ergo dici potest habitus.

Sequitur 939. Hanc deordinationem includere pronitatem quamdam voluntatis ad convertendum se ad bonum commutabile.

939. — Ibidem.

Probatur sequela. Ex non perfecta subjectione ad Deum ut finem ultimum oritur quædam pronitas voluntatis ad convertendum se ad bonum commutabile : Sed hæc deordinatio est ex non perfecta subjectione ad Deum ut ultimum finem, ex dictis : Ergo hæc deordinatio includit pronitatem quamdam voluntatis ad convertendum se ad bonum commutabile.

Explicatur. Naturaliter homo amat seipsum : sed, cum natura bene ordinata est, homo amat se et bonum suum, sicuti est ; est autem bonum dependens et subordinatum Deo ut ultimo fini : Ergo cum natura hominis bene ordinata fuerit, amat se ut bonum dependens ac subordinatum Deo. E contra vero, cum natura fuerit deordinata, homo amat se, et amor ille ut sic naturalis est, sed amat se sine ordine et relatione ad Deum, et hic amor sui non est malus, ut amor est, sed est pravus, quatenus est sine ordine : amare autem se sine ordine ad aliud, est virtualiter et interpretative amare se ut finem, atque adeo est se convertere ad bonum commutabile. Non dicimus ergo, quod amor suipsius includatur in deordinatione peccati originalis præcise quatenus est amor suipsius, sed quatenus est sine ordine, et sine relatione ad Deum : pronitas ergo ad convertendum se ad bonum commutabile, si sumatur præcise pro amore suipsius, non est illud, quod includitur in peccato originali ; sed si sumatur pro amore suipsius sine relatione ad Deum, formaliter ut est sine tali relatione, oritur ex peccato originali.

Sequitur 940. Peccatum originale, sive deordinationem illam potentiarum includere de materiali concupiscentiam.

940. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Amor suipsius, qui est conversio ad bonum commutabile, quatenus est sine ordine et relatione ad Deum ut ultimum finem, et quatenus etiam trahit affectum appetitus sensitivi ad bonum sensibile, recte dici potest concupiscentia : Sed peccatum originale de materiali includit amorem suipsius, quatenus est sine ordine ad Deum, ex dictis : Ergo

peccatum originale de materiali includit concupiscentiam, præsertim quia trahit etiam affectum appetitus sensitivi ad bonum sensibile, qui affectus proprie concupiscentia dicitur, ut ostendimus in primo principio.

Sequitur 941. Peccatum originale esse æquale in omnibus.

941. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Privatio originalis justitiæ cum ordine ad Adamum ut primum generationis humanæ principium, est æqualis in omnibus ; quia nec privatio nec relatio suscipiunt magis aut minus : Sed peccatum originale est privatio justitiæ originalis cum relatione ad Adamum ut primum generationis humanæ principium : Ergo peccatum originale est æquale in omnibus. Quod vero in aliquibus videatur major pronitas ad peccandum in certo genere peccati, provenit ex complexione.

Sequitur 942. Peccatum originale de formali consistere in aliquo privativo, quamvis de materiali et tanquam subjectum importet aliquid positivum.

942. — Ibidem.

Probatur sequela. Privatio justitiæ originalis, quæ deordinat potentias in ordine ad actus suos, de formali importat aliquid privativum, ut patet, quamvis de materiali importet ipsas potentias et inclinationem illarum ad actus et objecta : Sed peccatum originale, ex dictis, est privatio justitiæ originalis, quæ deordinat ipsas potentias, et inclinationem earum ad actus et objecta : Ergo de formali est aliquid privativum, et de materiali aliquid positivum.

Sequitur 943. Peccatum originale magis proprie esse in anima et non in carne tanquam in subjecto, sed tantum ut in causa instrumentali.

943. — 1 2. q. 83. a. 1.

Probatur sequela. Quidquid habet rationem peccati proprie est in anima, et non in corpore, nisi quatenus movetur ab anima et voluntate : Sed peccatum originale habet proprie rationem peccati, ut dictum est, et docet fides : Ergo peccatum originale est in anima ut in subjecto; in carne autem ut instrumento, quatenus semen est instrumentum, quo ipsa anima inficitur : quia enim anima unitur carni, quæ ex semine corrupto producitur, hoc est, quæ producitur per libidinem sine fræno rationis, sive sine perfecta subjectione ad rationem, ideo anima contrahit peccatum originale.

Sequitur 944. Subjectum primarium peccati originalis esse ipsam essentiam animæ.

944. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Privatio justitiæ originalis ex vi generationis ab Adamo via ordinaria factæ, est primario in anima tanquam in subjecto : Sed peccatum originale est privatio justitiæ originalis ex vi generationis ab Adamo via ordinaria factæ : Ergo peccatum originale est primario in anima tanquam in subjecto : *Minor patet ex dictis. Major etiam probatur :* Privatio gratiæ est primo in essentia animæ tanquam in subjecto : Sed privatio justitiæ originalis est privatio gratiæ et modi illius, quo anima perfecte sibi subjiciebat corpus, ut dictum est : Ergo privatio justitiæ originalis est primo in essentia animæ tanquam in subjecto. *Major est evidens*, quia in eo subjecto debet esse primo privatio, in quo et forma, cujus est privatio : Sed, ut diximus supra, gratia est primo in ipsa essentia animæ : Ergo et privatio gratiæ. Atque ex hoc sumitur alia ratio : Primarius terminus, quem attingit generatio est anima ut forma corporis et ut unita illi : Sed peccatum originale est in termino primario, quem attingit generatio : Ergo est primario in anima ut forma corporis, et ut est illi unita. *Major explicatur et declaratur :* Non enim sensus est, quod anima sit terminus

per generationem productus; hoc namque ostendimus in primo principio falsum esse, cum anima rationalis sit spiritualis : sed sensus est, quod anima immediate a Deo creata uniatur dispositive per genérationem cum corpore, ex quo fit, quod quæcumque competunt ex vi hujus unionis, quatenus est dispositive per generationem, competant vel corpori vel animæ, atque adeo si sint aliqua ex vi hujus unionis convenientia homini, quæ non possint esse in corpore, necessario debent esse in anima : Sed peccatum originale competit ex vi unionis animæ et corporis, quatenus fit dispositive per generationem ab Adamo procedentem, nec potest competere corpori, ut dictum est. Ergo debet competere animæ tanquam subjecto. *Minor principalis patet etiam ex dictis :* Sicut enim ostendimus supra, justitia originalis competebat animæ ut unitæ ipsi corpori; debebatur enim justitia originalis, ut anima tanquam proprium perfectivum uniretur corpori ut perfectibili, ne corpus impediret communicationem perfectionis, quam ipsi debebat præstare anima : cum ergo privatio debeat esse in eo subjecto, in quo et forma, cujus est privatio, peccatum originale primario debet esse in anima. in qua primario erat justitia originalis.

Sequitur 945. Post essentiam animæ peccatum originale primo inficere voluntatem.

945. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Voluntas est potentia, qua primo anima subjicitur Deo tanquam ultimo fini, et qua primo inclinatur sive ad convertendum se ad ipsum ut finem ultimum, sive ad avertendum se ab illo ut fine ultimo ; voluntati enim primo convenit respicere finem : Sed peccatum originale post essentiam animæ primo inficit illam potentiam, qua anima primo subjicitur Deo ut ultimo fini et inclinatur ad convertendum se ad Deum ut ultimum finem vel avertendum se ab illo : Ergo peccatum originale primo inficit voluntatem, post essentiam animæ : *Minor est evidens ex dictis,* quia privatio justitiæ originalis modo dicto est peccatum originale : privatio autem justitiæ originalis primo deordinat partem superiorem circa finem, avertendo voluntatem a Deo ut fine ultimo tum supernaturali, tum naturali, ut supra probatum est; et ex hac deordinatione consequitur deordinatio in appetitu sensitivo et in omnibus aliis potentiis.

Sequitur 946. Potentiam generativam, vim concupiscibilem, et potentiam sensitivam tactus maxime infectas fuisse per peccatum originale.

946. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Illæ potentiæ, quæ proxime deserviunt ad traductionem peccati originalis, maxime dicuntur infectæ per illud : Sed potentia generativa, vis concupiscibilis, et potentia sensitiva tactus sunt illæ, quæ proxime deserviunt ad traductionem peccati; traducitur enim per generationem, quæ est actus potentiæ generativæ ex concupiscentia delectationum tactus proveniens : Ergo illæ potentiæ maxime dicuntur infectæ per peccatum originale. *Major patet :* quia infici vel infectio dicitur illa corruptio, quæ nata est in aliud transferri.

Sequitur 947. Per peccatum originale totaliter ablatum esse bonum originalis justitiæ, quæ dicitur bonum naturæ, quatenus erat a Deo toti naturæ concessum, quamvis esset supernaturale.

947. — 1. 2. q. 85. a. 1. et 2.

Probatur sequela. Per privationem totaliter aufertur forma, cujus est privatio : Sed peccatum originale est privatio justitiæ originalis, ex dictis : Ergo per peccatum originale totaliter ablatum est bonum originalis justitiæ.

Sequitur 948. Per peccatum originale non esse ablatum vel diminutum bonum naturæ, quod est ipsa essentia hominis, et ejus proprietates.

948. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia quod non destruit subjectum, non tollit nec minuit ejus essentiam et proprietates : Sed peccatum originale non destruit hominem alias destrueret seipsum : Ergo peccatum originale non destruit vel minuit naturam hominis, et ejus proprietates. *Major patet :* quia essentia sive substantia et proprietates non recipiunt magis aut minus.

Sequitur 949. Peccatum originale diminuere bonum naturæ, quod est inclinatio ad virtutem.

949. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod avertit ab ultimo fine, etiam naturali, diminuit inclinationem ad virtutem : Sed peccatum originale avertit ab ultimo fine etiam naturali : Ergo diminuit inclinationem ad virtutem. *Major patet :* quia ut alias dicemus, ex eo, quod homo sit rationalis habet quidem veluti radicalem inclinationem ad virtutem, sed hæc inclinatio non est perfecta, nisi ex intentione ultimi finis veri, ex qua intentione voluntas eligit honeste vivere in omnibus, et in hac electione efficaci perficitur inclinatio ad virtutem, quæ consequenter fit major vel minor juxta perfectiorem vel minus perfectam et intensam intentionem finis : Ergo quod avertit voluntatem ab ultimo fine vero, etiam naturali, minuit inclinationem ad virtutem.

Sequitur 950. Liberum arbitrium non fuisse sublatum per peccatum originale.

950. — Ibidem.

Probatur sequela. Nulla proprietas animæ rationalis est ablata per peccatum originale, ex dictis : Sed liberum arbitrium est proprietas animæ rationalis, ut jam diximus : Ergo, etc.

Sequitur 951. Liberum arbitrium esse viribus attenuatum et inclinatum per peccatum originale.

951. — Ibidem.

Probatur sequela. Inclinatio ad virtutem modo explicato est diminuta sive attenuata, et ejus perfectio ablata per peccatum originale : Sed vires liberi arbitrii nihil aliud sunt quam inclinatio ad virtutem, orta ex intentione ultimi finis veri, dante vires ipsi libero arbitrio ad prosequendam virtutem, ut dictum est : Ergo vires liberi arbitrii sunt imminutæ et inclinatæ per peccatum originale.

Sequitur 952. Inclinationem hominis ad bonum rationi conforme, licet sit diminuta, non esse totaliter ablatam per peccatum.

952. — Ibidem.

Probatur sequela. Voluntas etiam ut libera non est ablata per peccatum, ut probatum est : Sed inclinatio in bonum rationi conforme est ipsa voluntas, quæ, ut diximus in primo principio, est appetitus rationalis : Ergo inclinatio in bonum rationi conforme non est totaliter ablata per peccatum originale.

Sequitur 953. Etiam ipsum intellectum fuisse aliquo modo obscuratum saltem in agendis per peccatum originale.

953. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Inclinatio ad virtutem prudentiæ est etiam in intellectu diminuta per peccatum originale ; alias enim nec in voluntate foret diminuta inclinatio ad alias virtutes ; cum sint connexæ, ut alias dicemus : Sed hæc diminutio non est aliquid aliud, quam obscuritas intellectus in agendis, ut est evidens : Ergo per peccatum originale, consecuta est obscuritas saltem in agendis.

Sequitur 954. In appetitu sensitivo concupiscibili ortam esse concupiscentiam effrænem, et in irascibili infirmitatem.

954. — Ibidem.

Probatur sequela. Deordinatio appetitus concupiscibilis consistit in concupiscendis bonis sensibilibus non conformiter ad rectam rationem ; et deordinatio irascibilis in non prosequendis objectis virtutum propter laborem corporalem, ut patet : Sed ad peccatum originale consecuta est deordinatio appetitus et concupiscibilis irrascibilis, ut constat ex dictis : Ergo ad peccatum originale consecuta est concupiscentia et infirmitas.

Sequitur 955. Recte assignari quatuor vulnera ex peccato originali inflicta, scilicet, malitiam, ignorantiam, concupiscentiam et infirmitatem.

955. — Ibidem.

Probatur sequela. Ex dictis hæc quatuor consecuta sunt ex peccato originali : Sed recte hæc vocantur vulnera ; quia per hæc quatuor dissolvitur continuitas et subordinatio animæ ad Deum, et potentiarum animæ inter se, sicut per vulnera dissolvitur continuitas partium corporis : Ergo, etc.

Sequitur 956. Hominem in statu naturæ lapsæ non habere easdem vires, quas habiturus esset in statu naturæ puræ, si in ea fuisset conditus a Deo.

956. — Ibid. a. 1. et 1. 2. q. 109. a. 2.

Explicatur. Quando quæritur utrum homo habeat easdem vires in statu naturæ lapsæ ac in alio statu, non inquiritur de viribus physicis ; ut enim constat ex dictis vires physicæ, quæ sunt potentiæ ac proprietates animæ, sunt eædem in omni statu ; vires vero physicæ supernaturales, nullæ remanent in statu naturæ lapsæ quoad gratiam et virtutes, quæ per peccatum omnino amissæ sunt. Solum ergo quæstio est de viribus moralibus, atque adeo sermo est de homine, ut est agens morale : Constituitur autem homo in ordine agentis moralis per intentionem finis ultimi : Ex quo :

Probatur sequela. Non conversus ad finem ultimum verum non habet easdem vires in ordine ad eligenda media ac conversus in illum, ut patet ex dictis de diminutione inclinationis ad virtutem : Sed homo in statu naturæ lapsæ est non conversus ad suum ultimum finem verum, Deum videlicet ; et homo in puris naturalibus est conversus ad suum ultimum finem verum ; Ergo homo in statu naturæ lapsæ non habet easdem vires, ac habuisset in puris naturalibus. *Minor quoad utramque partem patet ex dictis :* ut enim supra diximus, homo in statu naturæ lapsæ est aversus a Deo etiam ut fine naturali ; homo vero in puris naturalibus non potuit creari nisi conversus in suum finem naturalem, qui est Deus.

Sequitur 957. Multo minus hominem in statu naturæ lapsæ posse habere easdem vires, quas homo habuisset in statu naturæ integræ.

957. — Ibidem.

Probatur sequela. Homo in statu naturæ integræ habuisset nedum conversionem ad Deum ut finem ultimum naturalem, sed etiam vigorem quemdam ordinis naturalis, quo cohibuisset appetitum inferiorem, ne rebellaret adversus rationem : Atqui homo in statu naturæ lapsæ neutrum habet ex dictis : Ergo non habet easdem vires in statu naturæ lapsæ, ac in statu naturæ integræ. Quare in statu naturæ puræ, potuisset acquirere omnes virtutes cum concursu Dei, sed cum maxima difficultate ; in statu naturæ integræ multo facilius id potuisset ; in statu vero naturæ lapsæ, licet possit aliquando aliquod bonum leve, non potest tamen vera opera virtutum, ut postea dicemus.

Sequitur 958. Hominem in statu naturæ lapsæ non posse ex suis viribus acquirere veras virtutes etiam morales.

958. — Ibid. et 1. 2. q. 65. a. 2.

Probatur sequela. Ut possint acquiri veræ virtutes etiam morales, requiritur efficax intentio finis ultimi veri, saltem naturalis, ut postea probabimus : Sed homo in statu naturæ lapsæ non potest suis viribus habere efficacem intentionem ultimi finis veri, ex dictis : Ergo homo in statu naturæ lapsæ non potest acquirere veras virtutes, etiam morales.

Sequitur 959. Hominem in statu naturæ lapsæ non posse suis viribus elicere opera veræ virtutis etiam moralis.

959. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui potest elicere opera veræ virtutis moralis, potest acquirere veras virtutes : Sed homo in statu naturæ lapsæ non potest propriis viribus acquirere veras virtutes morales : Ergo homo in statu naturæ lapsæ non potest propriis viribus elicere opera veræ virtutis etiam moralis.

Sequitur 960. Rationem a priori horum omnium esse, quia ad virtutes acquirendas et ad opera veræ virtutis requiritur intentio efficax finis simpliciter.

960. — Ibidem,

Patet sequela ex dictis, et amplius probatur. Quia, ut in primo principio diximus, electio efficax mediorum supponit efficacem intentionem finis : Sed vera virtus et veræ virtutis opus est electio efficax mediorum ad vitam beatam : Ergo supponit intentionem efficacem vitæ beatæ. *Minor probatur:* quia bene vivere ordinatur essentialiter ad hoc quod est beate vivere, ut etiam Aug. ait, (Aug. tract. 43 in Joann.) : unde qui non habet intentionem beate vivendi, non potest bene vivere, hoc est, virtutis opera exercere, quæ sint veræ virtutis opera.

Sequitur. 961. Hominem in natura lapsa posse opera aliqua levia bona elicere.

961. — 1. 2. q. 109. a. 2.

Probatur sequela. Quando inclinatio ad bonum non est totaliter extincta, potest homo aliqua bona opera levia ex hujusmodi inclinatione elicere : Atqui, ex dictis, in natura lapsa inclinatio ad bonum non est totaliter extincta; Ergo potest aliqua bona opera elicere saltem levia. *Major patet :* quia ad opera levia bona non requiritur efficax intentio finis veri, sed sufficit aliqua intentio inefficax finis sive boni honesti in communi, quæ intentio non sufficit ad opera virtutis. Ratio vero disparitatis est, quia opera virtutis veræ cum sint difficilia, tum ex motivo, tum quia omnes sunt connexæ, ut dicemus, requirunt intentionem efficacem finis; quæ intentio non habetur circa bonum ut sic in communi, eo quod rationes istæ abstractæ, qualis est ratio boni in communi, non movent efficaciter voluntatem quoad exercitium, nisi determinentur, ita ut ratio boni ut sic, constituatur in aliquo objecto, quod habeat totam rationem boni ; et tunc voluntas movetur ad efficaciter intendendum illud bonum, ex qua intentione potest vincere difficultates in mediis prosequendis occurrentes. At vero ut homo eliciat aliqua levia opera non indiget tanta deliberatione, nec tam constanti et firma voluntate, qualis requiritur ad virtutem, quæ, ut dicemus, est constans voluntas.

Sequitur 962. Non omnia opera infidelium fuisse peccata.

962. — 2. 2. q. 109. a. 2.

Probatur sequela. Infideles sunt quidem in natura lapsa, nec consequenter possunt opera veræ virtutis etiam moralis elicere, ut frequenter docet Augustinus, cui hic unus scopus est maxime contra Julianum : Sed homo in natura lapsa potest aliqua bona levia elicere, ut diximus : Ergo

id poterunt etiam infideles : quamvis sæpius et ut plurimum sua illa opera, præsertim, quæ videbantur paulo difficiliora, malo motivo vitiarent.

Sequitur 963. Hominem in natura lapsa non propriis viribus cognoscere omnia, quæ ad vitam prudenter transigendam necessaria sunt.

963. — 1. 2. q. 109. a. 1.

Probatur sequela. Qui non potest veras virtutes acquirere, non potest etiam omnia cognoscere, quæ ad vitam prudenter transigendam necessaria sunt; si enim posset ista cognoscere, posset et prudentiam acquirere, in qua omnes virtutes connectuntur ut alias ostendemus : Atqui homo in natura lapsa nequit veras virtutes acquirere : Ergo nec quæ ad vitam prudenter transigendam necessaria sunt, cognoscere. Et in hoc maxime consistit vulnus ignorantiæ; quamvis et aliquo modo se extendat ad cognitionem etiam veritatum speculativarum, quas homo lapsus non potest cognoscere nisi cum plurium errorum admixtione, tum ob phantasmatum confusionem, tum ob passionum perturbationem, et alia hujus vitæ impedimenta.

Sequitur 964. Hominem in statu naturæ lapsæ non posse suis viribus diligere Deum super omnia, etiam ut finem ultimum naturalem.

964. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Aversus a fine ultimo non potest suis viribus se ad illum convertere, sive diligere illum finem ultimum verum, a quo est aversus : Sed homo in statu naturæ lapsæ est aversus a fine ultimo vero, scilicet Deo, ut dictum est : Ergo non potest solis suis viribus convertere se in Deum ut finem ultimum, diligendo illum super omnia. *Major probatur :* quia, ut diximus in primo principio, prima intentio finis ut sic, non subditur libertati saltem quoad specificationem; et quoad exercitium, ut homo aversus a fine ultimo sese ad illum converteret, necessarium foret, ut deliberaret : Atqui non potest deliberare; quia non habet principium totius deliberationis, quod est intentio finis : Ergo homo aversus a fine ultimo non potest libere sese ad illum convertere. Adde quod, cum, ut diximus, in hoc consistat peccatum originale, quod homo sit deordinatus circa Deum ut finem ultimum simpliciter, ita ut seipsum jam diligat sine ordine ac relatione ad Deum, consequenter homo a peccato originali propriis viribus resurgeret, si Deum ut finem ultimum supra omnia propria virtute diligeret. Denique, qui non potest opera virtutum elicere, non potest Deum ut finem ultimum diligere supra omnia; cum hoc opus sit vel maxime opus virtutis et difficillimum : Sed, ex dictis, homo non potest in natura lapsa opera veræ virtutis elicere : Ergo nec potest Deum etiam ut finem ultimum naturalem diligere super omnia propriis viribus. Et sane hoc posito jam et omnes virtutes acquireret, iisque acquisitis omnes ejus potentiæ ad debitum naturalem ordinem essent reductæ, ac, ut sic loquar, perfecte rectificatæ, atque adeo homo ille justus esset justitia naturali : esset ergo justificatus et liberatus a peccato originali, et nihilominus esset aversus a Deo ut fine ultimo supernaturali, et sic simul et semel esset conversus ad Deum ut finem ultimum naturalem, et aversus ab illo ut fine ultimo supernaturali; et moriens in hoc statu, esset beatus beatitudine naturali, et esset miser ac privatus beatitudine supernaturali, ita ut hæc privatio haberet veram rationem pœnæ, sicut et peccatum originale habet veram et propriam rationem peccati : Quæ omnia implicare satis constat.

Sequitur 965. Hominem in natura lapsa non posse propriis et naturalibus viribus omnia legis præcepta servare etiam naturalia.

965. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Servare omnia

legis præcepta etiam naturalia, est actus virtutum exercere : Sed homo in natura lapsa non potest actus virtutum exercere, ex dictis : Ergo nec potest omnia legis etiam naturalis præcepta servare.

Sequitur 966. Hominem in natura lapsa posse aliqua legis naturalis præcepta levia servare.

966. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui potest levia quædam opera bona elicere, potest etiam levia quædam legis naturalis præcepta servare, ut est evidens : Sed, ex dictis, homo in natura lapsa potest levia quædam opera bona elicere : Ergo potest etiam levia quædam legis naturalis præcepta servare.

Sequitur 967. Hominem in natura lapsa non posse propriis viribus sese disponere ad gratiam habitualem.

967. — Ibid. a. 6.

Probatur sequela. Qui nihil potest supernaturale, non potest sese disponere ad gratiam habitualem : Sed homo in natura lapsa non potest propriis viribus aliquid supernaturale ; quia, ut ostendimus, est privatus omni dono supernaturali, atque adeo omni principio, quo possit opus supernaturale vel minimum elicere : Ergo non potest sese disponere ad gratiam habitualem. *Major est evidens :* Omnis enim dispositio ad aliquam formam est ejusdem ordinis cum forma : Sed gratia habitualis, ut diximus, est ordinis supernaturalis : Ergo et dispositio ad gratiam habitualem. *Major probatur*, quia esse ejusdem ordinis nihil aliud est, quam dicere aliquem ordinem sive aliquem respectum ad illud, cum quo dicitur esse ejusdem ordinis : Atqui omnis dispositio ad aliquam formam, eo ipso quod est dispositio, dicit ordinem ad formam, ad quam est dispositio ; implicat enim etiam intelligere dispositionem ad aliquam formam sine ordine et respectu ad illam : Ergo omnis dispositio ad aliquam formam est ejusdem ordinis cum illa. Nec dicas quod dispositio ad formam substantialem est accidens, atque adeo non est ejusdem ordinis : Nam ista instantia ostendit quidem, quod dispositio non debeat esse ejusdem generis sive ejusdem prædicamenti cum forma ; non tamen ostendit, quin debeat esse ejusdem ordinis ; quia ad hoc ut aliquid sit ejusdem ordinis sufficit, quod dicat aliquem respectum ad aliud ; ut autem sit ejusdem generis requiritur, ut participet aliquod prædicatum essentiale idem cum alio.

Sequitur 968. Hominem in statu naturæ lapsæ non posse sese disponere ad gratiam habitualem etiam dispositione remota.

968. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia omnis omnino dispositio debet esse ejusdem ordinis, etiam quantumcumque remota, si habeat veram rationem dispositionis, ut probatum est.

Sequitur 969. Hominem in statu naturæ lapsæ non posse proprie loquendo sese disponere dispositione negativa ad gratiam habitualem propriis viribus.

969. — Ibidem.

Probatur sequela. Sese disponere dispositione negativa (si proprie loquamur) est non ponere obicem, non absolute, sed eo intuitu, et ea intentione, ut habeatur forma : Sed homo in natura lapsa non potest propriis viribus non ponere obicem eo intuitu et ea intentione, ut habeat gratiam habitualem : Ergo homo in natura lapsa non potest propriis viribus sese disponere etiam negative ad gratiam habitualem. *Major probatur :* quia hoc, quod est non ponere obicem præcise et ut sic, non est sese disponere negative ; alias dormiens et nihil de forma cogitans, si nullum impedimentum respectu formæ apponeret, sese negative disponeret, quod est absurdum : Oportet ergo ad hoc, ut

non ponere obicem dicatur dispositio negativa, quod is, qui non ponit obicem, ideo illum non ponat, ut formam consequatur, itaut abstineat libere ab illo obice ponendo ea intentione ut saltem sit minus indispositus ad formam illam. Hinc jam *patet minor :* quia illa intentio, qua quis vult libere non ponere obicem ad gratiam habitualem, est actus supernaturalis : Ergo non potest homo in natura lapsa propriis viribus illam intentionem elicere. Hoc vero amplius constabit ex sequenti conclusione.

Sequitur 970. Hominem in natura lapsa non posse propriis viribus diu stare, quin incidat in aliquod peccatum mortale.

970. — Ibid. a. 8.

Probatur sequela. Qui non intendit efficaciter finem ultimum verum, sed est aversus ab illo, non potest propriis viribus diu stare, quin agat juxta illam aversionem, præcipue si sit conversus ad alium finem ultimum non verum : Atqui homo in natura lapsa non solum est aversus a Deo vero fine ultimo, verum etiam est conversus ad creaturam tanquam finem ultimum, quem ipse sibi præstituit : Ergo non potest propriis viribus diu stare, quin incidat in aliquod peccatum mortale. *Major est evidens :* quia homo agit, præsertim in repentinis, conformiter ad finem, quem sibi præstituit, et quando non habet intentionem alicujus finis, in casibus occurrentibus sæpius agit contra illum finem, quem non intendit. *Minor quoad primam partem patet ex dictis :* peccatum enim originale, ut diximus, importat aversionem a Deo ut fine ultimo etiam ordinis naturalis. *Secunda vero pars minoris probatur :* quia, ut alias dicemus, homo adultus non potest esse in solo peccato originali, eo quod tenetur in primo instanti morali usus rationis convertere se in Deum ; quod si faciat, justificabitur ; sin minus, peccabit mortaliter, atque adeo homo adultus non potest esse solum aversus a Deo ut fine ultimo per peccatum originale, quin sit conversus ad creaturam ut finem ultimum per peccatum mortale actuale.

Sequitur 971. Hominem in natura lapsa non posse resurgere a peccato propriis viribus.

971. — Ibid. a. 9.

Probatur sequela. Resurgere a peccato tria includit, videlicet recuperare gratiam habitualem, convertere se ad Deum ut finem ultimum, et satisfacere pro peccato, ut est offensa Dei : Atqui homo in natura lapsa nihil ex his tribus potest propriis viribus : Ergo homo in natura lapsa non potest propriis viribus resurgere a peccato. *Major patet,* quia resurgere a peccato est reparare damnum illatum per peccatum : Sed damnum illud est triplex, scilicet *privatio gratiæ,* quæ non reparatur nisi per adeptionem gratiæ ; *aversio a Deo* ut fine ultimo naturali, quæ non reparatur nisi per conversionem ; et demum *offensa Dei,* quæ non reparatur nisi per satisfactionem : Ergo resurgere a peccato includit illa tria. *Minor vero etiam probatur ex dictis ;* nam homo in natura lapsa non potest sese disponere ad gratiam, nec se convertere in Deum ut finem ultimum etiam naturalem. Quod autem non possit satisfacere pro offensa Deo illata mox probabitur.

Sequitur 972. Hominem in natura lapsa non posse satisfacere pro peccato, ut est offensa Dei.

972. — Ibid. et 3. p. q. 1. a. 2.

Probatur sequela. Omnis satisfactio vel fundatur in justitia ; vel in amicitia : Sed neutra potest esse in homine in natura lapsa erga Deum : Ergo non potest dari in homine naturæ lapsæ aliqua satisfactio. *Major probabitur alias. Minor etiam quoad primam partem paulo post ostendetur ; quoad secundam vero partem patet ex dictis,* quia homo in natura lapsa non habet

gratiam, nec consequenter amicitiam cum Deo.

Sequitur 973. Homini in natura lapsa gratiam esse omnino indebitam.

Probatur sequela. Omne donum supernaturale est indebitum naturæ præsertim existenti in peccato : Sed homo in natura lapsa est in peccato saltem originali : Ergo omne donum supernaturale est indebitum homini in natura lapsa, et consequenter gratia est illi indebita.

CAPUT III.

De gratia

Sectio 1ª. — De necessitate gratiæ.

Sequitur 974. Hominem in natura lapsa nihil posse illorum, quæ diximus, nisi ex dono gratuito et indebito.

974. — Locis citatis.

Probatur sequela. Quod homo non potest suis viribus, et aliunde potest, debet illud posse ex dono gratuito et indebito : Sed homo potest ea, quæ diximus; videlicet acquirere virtutes, præparare se ad gratiam, etc. Ergo cum hoc non possit suis viribus, ut probatum est, debet illud posse ex dono gratuito et indebito.

Sequitur 975. Illud sine quo homo in natura lapsa non potest prædicta, esse Gratiam vel habitualem, vel actualem.

975. — Ibidem.

Probatur sequela. Omne donum gratuitum proprie, est Gratia; et omnis Gratia est vel habitualis vel actualis : Sed, ex dictis, homo in natura lapsa indiget dono gratuito, et indebito proprie sive omnino : Ergo homo in natura lapsa indiget Gratia vel habituali vel actuali, ut possit prædicta omnia.

Sequitur 976. Omne illud, quod homo in natura lapsa non potest, quia exigit, vel involvit, vel præsupponit conversionem ad Deum ut ultimum finem, connaturaliter et ordinarie, esse non posse sine Gratia habituali et Charitate.

976. — Ibid. locis.

Probatur sequela. Nullus actus Charitatis connaturaliter esse potest sine Gratia et Charitate : Sed conversio ad Deum ut finem ultimum est actus Charitatis; est enim dilectio Dei ut finis ultimi, atque adeo super omnia, ut patet ex dictis : Ergo conversio ad Deum ut finem ultimum, et ea, quæ illam exigunt, involvunt, vel præsupponunt, esse non possunt connaturaliter sine Gratia et Charitate. *Major constat :* quia actus proprietatis non potest esse sine natura et ejus proprietate connaturaliter; præsertim quando actus ille est vitalis, qui exigit principium radicale conjunctum, ut diximus in primo principio : Sed actus Charitatis est amor, atque adeo actus vitalis procedens a voluntate ut elevata per ipsam Charitatem, quæ, ut supra diximus, est proprietas Gratiæ : Ergo nullus actus charitatis potest esse connaturaliter sine habitu Charitatis vel sine Gratia.

Sequitur 977. Conversionem ipsam in Deum ut finem ultimum esse non posse in natura lapsa sine Charitate et Gratia habituali.

977. — 1. 2. q. 109. a. 3.

Probatur sequela. Nullum illorum, quæ exigunt conversionem in Deum ut finem ultimum, potest connaturaliter esse in natura lapsa sine Charitate et Gratia habituali, ex dictis : Sed ipsa conversio in Deum ut finem ultimum maxime exigit eamdem conversionem, ut ex terminis identicis est evidens : Ergo conversio in Deum ut finem ultimum esse non potest sine Gratia et Charitate habituali.

Sequitur 978. Hominem non posse in natura lapsa diligere Deum super omnia, conteri de peccatis propter Deum summe dilectum, acquirere virtutes, satisfacere Deo pro offensis, sine Gratia et Charitate habituali.

978. — Ibidem.

Probatur sequela. Quæ exigunt vel involvunt conversionem in Deum ut finem ultimum, non possunt esse sine Gratia et Charitate habituali, ex dictis : Sed ista omnia exigunt vel involvunt conversionem in Deum ut finem ultimum, ut ostendimus : Ergo ista omnia esse non possunt sine Gratia et Charitate habituali.

Sequitur 979. Dispositiones proximas et concomitantes ad gratiam habitualem exigere ipsam gratiam habitualem tanquam principium effectivum et aliquo modo formale illarum dispositionum.

979. — 1. 2. q. 13. a. 7.

Probatur sequela. Actus Charitatis et Contritionis non possunt esse sine Gratia habituali, ex dictis : Sed dispositiones proximæ et concomitantes ad Gratiam habitualem sunt actus Charitatis et Contritionis : Ergo dispositiones proximæ et concomitantes ad Gratiam habitualem exigunt ipsam Gratiam habitualem tanquam principium effectivum et aliquo modo formale; quia nimirum ipsa Gratia et Charitas et Pœnitentia ut est in infundi est causa illorum actuum, et nihilominus hi actus præparant subjectum ad recipiendam eamdem Gratiam, Charitatem et Pœnitentiam, ut sunt habitus. Vide dicta in primo principio, ubi ostendimus, quomodo hi actus sint priores et posteriores in diverso genere causæ. Quod vero Gratia sit principium quodammodo formale eorumdem actuum, patebit infra, quando dicemus Gratiam esse quodammodo principium formale omnis actus meritorii, in quantum Gratia debet informare et reddere subjectum gratum ad hoc ut mereatur.

Sequitur 980. Hominem in natura pura (si in ea fuisset conditus) non indiguisse gratia proprie dicta, ut se converteret in Deum, quamdiu in eo statu mansisset.

980. — 1. 2. q. 109. a. 3.

Probatur sequela. Homo in natura pura non habuisset Gratiam vel peccatum, ut constat ex his, quæ diximus, imo in tali statu non potuisset habere : Ergo illa non indigebat. Indiguisset tamen in eo statu auxilio quodam ordinis naturalis, majori vel minori juxta majorem vel minorem difficultatem actus, quem debuisset elicere. Quod si semel homo ab eo statu decidisset per peccatum mortale, non potuisset ab illo resurgere sine dono quodam gratuito, quod probabilius est, futurum esse donum Gratiæ. Sed de hoc vix quidquam devinare possumus, quia vel talis status non potuisset diu permanere, vel Deus aliquod donum naturale illi tribuisset, quo expelleretur peccatum. Modo vero, quia ut supra diximus, homo per extrinsecam Dei ordinationem est ordinatus ad finem supernaturalem, fieri non potest, ut se convertat in Deum ut finem ultimum naturalem, quin simul se convertat in Deum ut finem ultimum supernaturalem.

Sequitur 981. Hominem in statu naturæ integræ omnia potuisse, quæ sunt ordinis naturalis, sine ullo dono gratiæ supernaturalis.

981. — Ibid. a. 2. 3..4. et 6.

Probatur sequela. Qui non est ordinatus nisi in finem naturalem, et est perfecte conversus ad illum, et habet appetitum inferiorem perfecte subjectum, non indiget dono aliquo supernaturali : cum non debeat operari supernaturaliter, ut patet ex dictis : Sed homo in statu naturæ integræ non fuisset ordinatus in finem nisi naturalem, et fuisset perfecte conver-

sus ad illum, habuissetque appetitum perfecte subjectum, ut diximus : Ergo in tali statu non indiguisset dono aliquo supernaturali.

Sequitur 982. Hominem in statu naturæ integræ potuisse cognoscere omnes veritates speculativas et practicas ordinis naturalis, cognoscibiles per sensibilia.

882. — 1. 2. q. 109. a 1.

Probatur sequela. Qui habet intellectum nullo modo obscuratum, sed potius habentem vim naturalem et acumen expeditum, potest cognoscere omnes veritates speculativas et practicas ex principiis primis et sensibilibus cognoscibiles, quæ non superant captum ipsius intellectus : Atqui homo in statu naturæ integræ habuisset intellectum nullo modo obscuratum, sed optime dispositum et expeditum, ut constat satis ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 983. Hominem in statu naturæ integræ potuisse servare omnia legis naturalis mandata, diligere Deum super omnia ut finem ultimum naturalem, et omne aliud bonum opus ordinis naturalis facere et operari.

983. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Quia sufficientes habuisset vires, et nihil obstitisset, ut patet ex dictis.

Sequitur 984. Hominem in statu innocentiæ potuisse omnia illa, quæ supra diximus de Adamo et posteris, si Adam permansisset in eo statu.

984. — Vide dicta supra seq. 829. et seq.

Patet sequela ex dictis supra.

Sequitur 985. Hominem in quolibet statu indiguisse concursu Dei ad quemlibet actum, qui concursus esset ipsi actui proportionatus.

985. — 1. 2. q. 109. per totam.

Probatur sequela. Omnis causa secunda indiget concursu divino illius ordinis, cujus est actio elicienda : Sed homo in quocumque statu ponatur, est causa secunda : Ergo indiget in quolibet statu concursu divino actibus eliciendis proportionato. Hunc vero concursum debere esse prævium, imo et prædeterminantem, jam superius probatum est in primo principio.

Sequitur 986. Hominem in natura lapsa indigere auxilio supernaturali ad plures actus, ad quos illo non indiguisset, si fuisset in statu naturæ puræ vel integræ.

986. — Ibidem.

Probatur sequela. Omnis causa indiget concursu et auxilio proportionato actibus eliciendis : Sed plures actus eliciendi ab homine in natura lapsa debent esse supernaturales, quos viribus naturæ homo in natura pura vel integra poterat elicere : Ergo homo in natura lapsa indiget auxilio proportionato, id est, supernaturali ad actus, ad quos in natura pura vel integra illo non indiguisset. *Major jam probata est. Minor etiam constat ex dictis :* nam homo in natura pura vel integra poterat diligere Deum super omnia solis naturæ viribus, non autem in natura lapsa, ut ostendimus ; et idem dicendum de aliis actibus, quos supra diximus hominem non posse elicere in natura lapsa ex viribus naturæ ; quos tamen ostendimus potuisse in natura pura et integra, si in iis statibus conditus esset.

Sequitur 987. Hominem in natura lapsa indigere Gratia per seipsam efficaci, aliter tamen seu efficaciori, quam indiguisset in statu justitiæ originalis.

987. — 1. 2. q. 109. a. 9.

Probatur sequela. Liberum arbitrium attenuatum et inclinatum perfectiori Gratia indiget, quam liberum arbitrium sanum et validum, ut patet : Atqui homo in statu naturæ lapsæ habet liberum arbitrium viri-

bus attenuatum et inclinatum, ut superius probatum est; et in statu justitiæ originalis habebat sanum et validum, ut vidimus : Ergo homo in statu naturæ lapsæ indiget perfectiori auxilio Gratiæ. quam in statu justitiæ originalis indiguisset.

Sequitur 988. Hanc majorem perfectionem auxilii Gratiæ non consistere in hoc, quod in statu justitiæ originalis illud auxilium subderetur nutui liberi arbitrii, ita ut illud redderet efficax vel inefficax; in statu vero naturæ lapsæ illud auxilium sit ex natura sua efficax.

988. — Ibidem.

Probatur sequela. In omni statu, Gratiæ auxilium debet esse ex seipso efficax, ut homo per illud de facto operetur; neque potest in aliquo statu dari auxilium, quod subdatur nutui liberi arbitrii, ita ut illud reddat efficax vel inefficax. Atqui hoc posito, non potest discrimen inter auxilium Gratiæ status innocentiæ et status naturæ lapsæ distingui ex eo capite, ut est evidens : Ergo major efficacia auxilii gratiæ in statu naturæ lapsæ non potest consistere in hoc, quod in statu innocentiæ redderetur efficax vel inefficax ex nutu liberi arbitrii; in statu vero naturæ lapsæ sit ex natura sua efficax : *Major constat ex dictis supra*, cum de Prædestinatione ageretur, et potest sic probari : Omne auxilium habens infallibilem causalitatem respectu actus est per seipsum efficax : Atqui in omni statu auxilium divinæ Gratiæ, quod Deus dat, ut homo de facto operetur, habet infallibilem causalitatem respectu actus : Ergo in omni statu auxilium datum a Deo ea intentione, ut homo de facto operetur, est per seipsum efficax. *Major patet ex terminis :* nihil enim aliud intelligimus nomine auxilii per seipsum efficacis, nisi auxilium, quod habet infallibilem causalitatem respectu actus, ad quem datur. *Minor vero probatur*: Virtus executiva intentionis et voluntatis divinæ debet habere infallibilem causalitatem juxta intentionem Dei : Sed auxilium Gratiæ, quod Deus dat ea intentione, ut homo operetur, est virtus executiva intentionis et voluntatis divinæ : Ergo auxilium Gratiæ, quod Deus dat ea intentione, ut homo operetur, habet infallibilem causalitatem respectu actus. *Major hujus ultimi* argumenti negari non potest : quando enim Deus mediante aliqua virtute vult infallibiliter causare et efficere aliquid, illa virtus debet eo modo in executione præstare, quod voluntas divina intendit : Sed infallibilis causalitas competit voluntati divinæ respectu omnium, quæ Deus vult, ut superius demonstratum es et ipsa fides docet; *Omnia,* enim, *quæcumque voluit, fecit,* et facit *in cœlo et in terra ;* et nihil est nisi per voluntatem Dei tanquam per causam : *Quomodo,* namque, *posset aliquid permanere, nisi tu voluisses,* ait Sapiens *Sap.* 15 : Ergo virtus executiva intentionis et voluntatis divinæ, debet habere infallibilem causalitatem : *Minor vero* illius postremi argumenti est etiam certa ex terminis: Quando enim Deus dat aliqucd auxilium, quo vult hominem operari, illud auxilium est virtus executiva voluntatis divinæ.

Nec valet, si quis dicat, divinam voluntatem habere causalitatem infallibilem infallibilitate præscientiæ. Non valet, inquam, quia Voluntati divinæ in ratione causæ debet convenire omnis perfectio simpliciter simplex non veluti extrinseca, sed propria et ad propriam rationem pertinens, sicut Sapientiæ divinæ debet competere omnis perfectio simpliciter simplex pertinens ad rationem sapientiæ, et cuilibet alteri attributo debet competere omnis pefectio simpliciter simplex pertinens ad rationem illius attributi : Atqui infallibilitas in causando est perfectio simpliciter simplex causæ ut causa est; Hæc enim infallibilitas nihil aliud est, quam perfectissima virtus causæ; potens omnia

impedimenta removere, omnes dispositiones ponere, atque attingere ipsum suum effectum : Ergo infallibilitas in causando debet competere voluntati divinæ, non veluti extrinseca, quæ scilicet petatur ex præscientia, sed intrinseca, quæ conveniat ipsi in ratione causæ. Cum ergo auxilium, quo Deus intendit hominem movere ad operandum, habeat eamdem infallibilem causalitatem, quatenus est virtus executiva decreti divini, dicendum est, quod auxilium illud, est ex natura sua efficax in quocumque tandem statu : atque adeo differentia inter majorem efficaciam auxilii, quæ debet esse in natura lapsa, non petitur in eo, quod in natura lapsa sit auxilium de se efficax, et in statu innocentiæ sit a voluntate determinabile, sed aliunde peti debet.

Sequitur 989. Hanc majorem efficaciam auxilii consistere in hoc, quod auxilium in natura lapsa debet sanare, et dare vires, et applicare ; auxilium vero in statu innocentiæ debebat tantum applicare.

989. — Ibidem.

Probatur sequela. Auxilium efficax non supponens vires, ut faciat agere, debet illas dare, et præterea applicare ; auxilium vero efficax supponens vires, debet solum applicare ad hoc ut faciat agere : Atqui auxilium efficax, quod datur homini in natura lapsa, non supponit vires. Et auxilium efficax datum homini in statu innocentiæ supponebat vires : Ergo auxilium efficax in natura lapsa dat vires, et applicat ; auxilium vero efficax in statu innocentiæ solum applicabat.

Sequitur 990. Auxilium efficax in natura lapsa in eo tribuere vires, quod per modum transeuntis, et quoad unum actum perfecte subjicit partem superiorem Deo, et inferiorem superiori.

990. — Ibidem.

Probatur sequela. Defectus virium in natura lapsa consistit in hoc, quod pars superior non est perfecte subjecta Deo ut fini ultimo, nec pars inferior superiori, ex dictis supra : Sed auxilium efficax in natura lapsa supplet defectum virium in uno actu, cum det vires, ut jam ostendimus : Ergo auxilium efficax in natura lapsa subdit perfecte partem superiorem Deo, et partem inferiorem superiori.

Sequitur 991. Auxilium efficax in natura lapsa præstare per modum transeuntis, quod præstabat justitia originalis per modum permanentis.

991. — Ex eodem loco.

Probatur sequela. Justitia originalis præstabat per modum permanentis, quod pars superior esset perfecte subjecta Deo, et pars inferior esset perfecte subjecta superiori, ut diximus : Sed auxilium efficax in natura lapsa idem præstat per modum transeuntis et ad unum actum, ut diximus : Ergo auxilium efficax idem præstat per modum transeuntis, quod præstabat justitia originalis per modum permanentis. Sed addenda est alia differentia, quia justitia originalis id omnino præstans per modum permanentis, subjiciebat partem superiorem Deo, et inferiorem superiori absque ulla difficultate, quia erat permanens et veluti connaturalis : At vero auxilium efficax in natura lapsa idem præstat non permanenter, nec connaturaliter, sed cum aliqua difficultate, quam tamen vincit ; et ideo congrue vocatur *Victrix delectatio,* non quia solum vincit motus appetitus inferioris, sed etiam quia vincit difficultatem, quam habet etiam pars superior ratione peccati ad subdendum se perfecte Deo.

Sequitur 992. Auxilium efficax necessarium esse homini in natura lapsa etiam reparata per Gratiam habitualem, Charitatem, et virtutes infusas.

992. — Ibidem.

Probatur sequela. Idcirco auxilium

efficax in natura lapsa necessarium est, ut det vires, quas non habet homo in hoc statu, hoc est, ut diximus, perfecte subjiciat partem superiorem Deo ut fini ultimo, et partem inferiorem superiori : Atqui hæc necessitas est etiam in natura reparata per Gratiam et virtutes infusas ; quia Gratia et virtutes infusæ sanant quidem hominem quantum ad mentem, non tamen quantum ad carnem, nec tollunt omnem ignorantiæ obscuritatem ex parte intellectus : Ergo in natura lapsa sed reparata per Gratiam et virtutes infusas necessarium est auxilium efficax : *Minor probatur infra, sed interim explicatur :* Gratia et Charitas sanant quidem mentem, quatenus faciunt ut homo respiciat Deum ut finem ultimum, et ad ipsum se suaque omnia saltem habitualiter referat : Sed hæc habitualis relatio non reddit rationem hominis semper actu vigilantem, et attentam, ut in omnibus se suaque omnia referat in Deum, quod tamen necessarium esset ad perfectam sanitatem, et ad perfectam subjectionem partis superioris ad Deum ut finem ultimum. Sic etiam virtutes infusæ, in appetitu sensitivo existentes, non præstant, ut appetitus ille perfecte subjiciatur rationi ; unde requiritur, quod gratia efficax utrumquæ præstet.

Nec dicas. Si justitia originalis præstabat homini ut actu omnia referret in Deum, et actu semper consideraret finem ultimum, sequitur non fuisse necessarium in illo statu ullum auxilium efficax. Nam contra est, quia cum hoc ipsum, quod est actu referre, et actu considerare, esset homini innocenti liberum, ad hoc debebat dari auxilium efficax, ut homo vellet libere semper actu considerare, et actu referre, nec tollebat hoc ab homine rationem causæ secundæ in quolibet actu dependentis a prima, cum nec beatitudo id illi conferat : Erat ergo solum justitia originalis vis et vigor quidam, quo posset homo semper actu considerare finem, et referre se suaque omnia in illum ; ad quod tamen indigebat auxilio efficaci et applicante. In statu autem naturæ lapsæ etiam reparatæ per Gratiam et virtutes, non est hæc vis et vigor : unde requiritur, quod illi detur transeunter per auxilium Gratiæ per seipsam efficacis.

Sequitur 993. Hominem in statu naturæ lapsæ reparatæ per Gratiam et virtutes, indigere auxilio Gratiæ ad bonum operandum, et malum vitandum.

993. — Ibidem.

Probatur sequela. Homo in statu naturæ lapsæ raparatæ non potest operari bonum, et vitare malum, nisi habeat vires ad hoc, ut est evidens : Atqui per Gratiam habitualem et virtutes sine auxilio Gratiæ non habet vires, ut patet ex dictis : Ergo indiget auxilio Gratiæ, quod tribuit vires, ut dictum est. Quare homo in natura lapsa reparata non solum indiget auxilio Gratiæ propter rationem generalem, quia nimirum omnis causa secunda indiget concursu prævio et applicante, ut in primo principio ostensum est, sed etiam speciali ratione ob defectum virium, ut jam supra diximus.

Sequitur 994. Hominem in statu naturæ lapsæ reparatæ indigere auxilio Gratiæ ad singulos actus, quibus bonum operatur, vel libere vitat malum.

994. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui indiget viribus ad omne bonum, et non habet illas permanentes, sed tantum pro quolibet actu transeuntes, indiget auxilio, quod dat hujusmodi vires ad singulos actus, ut ex terminis constat : Sed, ex dictis, homo in statu naturæ lapsæ reparatæ indiget viribus, nec illas habet permanentes per Gratiam habitualem, et per auxilium Gratiæ non habet illas, nisi transeuntes pro quolibet actu : Ergo indiget auxilio dante has vires ad singulos

actus. Intellige hoc juxta dicenda inferius.

Sequitur 995. Juxta majorem vel minorem difficultatem operis, hominem in natura lapsa reparata indigere majori vel minori auxilio.

995. — Ex eodem loco.

Probatur sequela. Qui indiget viribus, indiget illis majoribus vel minoribus juxta majorem vel minorem difficultatem operis, ut est evidens : Atqui homo indiget viribus in statu naturæ lapsæ reparatæ, et hæ vires tribuuntur per auxilium Gratiæ : Ergo sicut indiget majoribus vel minoribus viribus juxta difficultatem operis, ita indiget majori vel minori auxilio juxta difficultatem operis.

Sequitur 996. Hominem in natura lapsa reparata indigere auxilio gratiæ ad tentationes vincendas.

996. — In 3. dist. 11. q. 1. a. 3.

Probatur sequela. Qui indiget auxilio Gratiæ ad omne bonum agendum, et malum vitandum, indiget eodem ad tentationes vincendas : Sed, ex dictis, homo in natura lapsa etiam reparata indiget auxilio Gratiæ ad bonum operandum, et malum vitandum : Ergo indiget auxilio Gratiæ ad vincendas tentationes : Victoria enim tentationum est aliquod bonum, et succumbere tentationi est aliquod malum. Hoc tamen intelligitur de victoria tentationum, quæ non sunt leves omnino : si enim homo in natura lapsa, etiam non reparata, potest aliquod bonum leve, ut probavimus, a fortiori hoc poterit homo in natura lapsa reparata, cum majores habeat vires : Sed hinc colliges hominem in natura lapsa non reparata indigere multo magis auxilio Dei ad vincendas tentationes.

Sequitur 697. Hominem in natura lapsa reparata indigere auxilio Gratiæ ad omnia opera virtutum etiam moralium acquisitarum.

997. — 1. 2. q. 109. a. 9.

Probatur sequela. Qui indiget auxilio Gratiæ ad omne bonum non leve, indiget illo ad omnem actum virtutis etiam moralis acquisitæ ; quia bonum istud est non leve, sed difficile saltem ex motivo, ut alias dicemus : Sed homo in natura lapsa reparata indiget auxilio ad omne bonum non leve, ut jam ostensum est : Ergo indiget auxilio Gratiæ ad actus virtutum etiam moralium acquisitarum.

Sequitur 998. Hominem in natura lapsa reparata indigere speciali auxilio Gratiæ ad perseverandum.

998. — Ibid. a. 10.

Probatur sequela. Juxta majorem vel minorem difficultatem operis homo in natura lapsa etiam reparata indiget majori et specialiori, vel minori et minus speciali auxilio divinæ Gratiæ, ex dictis : Sed actu perseverare usque ad finem vitæ, ac vincere tentationes, quæ in fine vitæ præsertim occurrunt, et elicere actus necessarios ad continuationem illam, est opus maxime difficile, ut patet ipsa experientia ; multi enim vincunt unam vel alteram tentationem bis aut ter insurgentem, sed tædio et importunitate tentationis sæpius pulsantis tandem succumbunt ; item multi unum aut alterum actum virtutis eliciunt, sed si sæpius occurrat eliciendus, ipsa continuationis difficultate vincuntur, maxime sub finem vitæ : Ergo ad actu perseverandum, requiritur auxilium Gratiæ speciale. Neque vero hoc donum speciale consistit in sola protectione et providentia extrinseca, nisi forte in pueris ante adultam ætatem morientibus ; sed in auxilio intrinseco, quod datur ad actum ultimum Charitatis, quem eliciunt, qui saltem ut plurimum habet majorem difficultatem.

Hinc vero habes fuisse necessarium aliquod auxilium naturale etiam speciale in statu naturæ puræ, in quo fuisset difficultas in perseverando. Sed adverte, quod quamvis ex difficultate vincendi tentationes colligamus necessitatem doni perseverantiæ,

non intelligimus tamen de difficultate orta ob rebellionem carnis, sed ex ipsa difficultate continuationis; unde, cum hæc difficultas esset in statu innocentiæ, etiam in illo, homo indigebat auxilio speciali non tamen ita speciali sicut in statu naturæ lapsæ.

Sequitur ergo 999. Hominem in statu innocentiæ indiguisse auxilio Gratiæ ad perseverandum.

999. — Ibid. ad 3.

Probatur sequela. Ubi est difficultas perseverantiæ, ibi est indigentia auxilii Gratiæ ad perseverandum : Sed etiam in statu innocentiæ fuisset difficultas perseverantiæ; quia ista non oritur, ut ostensum est, ex rebellione appetitus, sed ex ipsa continuatione, et ex victoria externarum tentationum, quas Deus vult permittere ad exercitium virtutis : Ergo homo indiguit speciali auxilio.

Sequitur 1000. Deum contulisse Adamo auxilium Gratiæ, quo posset perseverare.

1000. — Ibid. ad 3.

Probatur sequela. Non potuit Deus homini imputare ad culpam, si homini sine culpa præcedente deesset aliquid necessarium, quo posset elicere actum, cujus omissio est peccatum : Sed Adamo imputatus est ad culpam actus, quo non perseveravit : Ergo non defuit illi auxilium necessarium, quo posset perseverare, et sine quo non poterat.

Sequitur 1001. Illud auxilium collatum Adamo ad perseverandum, non fuisse ex natura sua efficax.

1001. — Ibidem.

Probatur sequela. Auxilium efficax semper infert infallibiliter actum, ad quem datur, ut dictum est : Sed auxilium datum Adamo non intulit infallibiliter actum perseverantiæ, cum peccarit, ut ostendimus : Ergo auxilium datum Adamo non fuit auxilium efficax.

Sequitur 1002. Illud auxilium collatum Adamo fuisse auxilium non *quo*, sed *sine quo*, sive sufficiens.

1002. — Ibidem.

Probatur sequela. Omne auxilium divinæ Gratiæ vel est auxilium *quo* fit, et efficax, vel auxilium *sine quo*, vel sufficiens; est enim hæc distinctio data per membra quodammodo contradictoria; quia auxilium *quo* est illud, quo infallibiliter fit actus, ad quem datur; auxilium vero *sine quo*, est illud, quo non fit infallibiliter actus ad quem datur : Sed auxilium collatum Adamo non fuit auxilium *quo*, ut patet ex dictis : Ergo fuit auxilium *sine quo*, sive sufficiens.

Sectio 2ª. — De divisione gratiæ.

Sequitur 1003. Ultra auxilium *quo* sive efficax, dari auxilium *sine quo* sive sufficiens.

1003. — Ibidem.

Probatur sequela. Auxilium collatum Adamo fuit auxilium sufficiens : Ergo datur, aut saltem aliquando datum fuit auxilium *sine quo* distinctum ab efficaci.

Sequitur 1004. Eadem ratione dicendum esse, dari de facto in natura lapsa auxilium *sine quo*.

1004. — Ibidem.

Probatur sequela. Auxilium, quod non infert infallibiliter actum in ordine ad quem datur, est auxilium sufficiens : Sed in natura lapsa datur auxilium, quod non infert infallibiliter actum, in ordine ad quem datur, ut constat experientia; dantur enim plures inspirationes, illustrationes, boni motus voluntatis indeliberati, quibus tamen homo non assentitur : Ergo datur in natura lapsa auxilium sufficiens. Quare mihi semper mirum visum fuit, quod aliqui Theologi asseruerint, non dari auxilium sufficiens in natura lapsa, et quod nihilominus constituerint auxilium efficax, in ins-

piratione et bono motu indeliberato voluntatis consistens : cum enim experientia ipsa constet, non omnes illas inspirationes, nec omnes bonos motus indeliberatos voluntatis esse hujusmodi, ut infallibiliter inferant actus deliberatos, ad quos ordinantur, mirum plane est, quod negent auxilia sufficientia in natura lapsa, eaque tanquam ridicula rejiciant.

Sequitur 1005. Recte dividi auxilium in auxilium efficax, et auxilium sufficiens

1005. — Ibidem.

Probatur sequela. Quando duo membra dantur distincta per oppositionem contradictoriam recta est divisio : Sed, ex dictis, datur auxilium efficax et sufficiens, quæ distinguuntur per habere vel non habere effectum infallibiliter, ut ostendimus : Ergo recta est hæc divisio. Verum quia jam sufficienter exposuimus, quid sit auxilium efficax, superest explicandum, quid sit auxilium sufficiens.

Sequitur 1006. Hanc divisionem auxilii in sufficiens et efficax non esse divisionem primam Gratiæ in communi.

1006 — 1. 2. q. 111.

Probatur sequela. Prima divisio Gratiæ in communi est divisio in Gratiam gratum facientem, et Gratiam gratis datam ; subdiviso Gratiæ gratum facientis est in Gratiam habitualem et actualem, ut satis patet ex dictis : Sed divisio auxilii in auxilium sufficiens et efficax, non est divisio Gratiæ in habitualem et actualem, ut est evidens : Ergo divisio auxilii in auxilium efficax et sufficiens non est prima.

Sequitur 1007. Divisum in ea divisione auxilii in auxilium efficax et sufficiens, esse ipsam Gratiam actualem.

1007. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia auxilium proprie non est nisi Gratia actualis, et quia prima divisio est Gratiæ in habitualem et actualem : nec divisio ista auxilii est eadem, ex dictis : Est ergo diversa.

Sequitur 1008. Nullum auxilium actuale esse actum indeliberatum.

1008. — 1 2. q. 11. a. 2. ad 2.

Probatur sequela. Auxilium ordinatum ad actum producendum non est actus etiam indeliberatus : Sed omnis Gratia actualis est ordinata ad actum. Ergo nulla Gratia actualis est actus etiam indeliberatus. Quare cum dicimus inspirationes, vocationes, illustrationés, excitationes et similia esse Gratias actuales, nihil aliud dicimus, nisi quod principium, quo Deus producit in nobis hujusmodi actus indeliberatos intellectus et voluntatis, est Gratia : Sed quia non habemus nomina, quibus exprimamus hujusmodi principia, nisi quæ sint æquivoca respectu hujusmodi principiorum, et respectu aliorum vocamus hæc principia nominibus suorum effectuum utpote notiorum ; neque hoc novum, cum sæpe causa denominetur nomine sui effectus. Sic ergo, cum Deus infundit intellectui lumen, quo intellectus movetur ad aliquam sanctam cogitationem subitam, vocamus illud lumen, sanctam cogitationem, inspirationem, illuminationem, etc. Et cum infundit voluntati impulsum quemdam, quo eam movet ad volitionem quamdam indeliberatam, vocamus illum impulsum excitationem, pium affectum, etc. Et ratione illius principii, hoc est, luminis moventis intellectum, et motionis excitantis affectum, ipsi actus cogitationis et affectus vocantur Gratia. In qua tamen duo distinguenda sunt ; *primum est,* quod Deus moveat intellectum per lumen, et voluntatem per motionem ; et hæc motio realis est, per illam enim realiter Deus causat et efficit illos actus indeliberatos, atque adeo lumen illud et motio causæ sunt reales et physicæ horum actuum ; et

consequenter habent eam prioritatem naturæ, respectu actus indeliberati, quam omnis causa debet habere respectu sui effectus : *Secundum est*, quod ipsa cogitatio, quæ est effectus luminis, repræsentet et objiciat ipsi voluntati objectum, de quo est cogitatio ; et quod ipsa excitatio voluntatis indeliberata provocet ipsam voluntatem ad applicandum intellectum, ut deliberate cogitet de illo eodem objecto. Et hoc secundum, sive hic modus movendi est tantum moralis, quia per repræsentationem boni et objecti, voluntas non movetur nisi moraliter, et voluntas pio affectu excitata non provocatur nisi moraliter ad applicandum intellectum ad deliberandum. Ratio autem a priori horum omnium est, quia nullus actus vitalis ut sic potest produci immediate nisi a principio vitali intrinseco, et ab eo, quod inhæret realiter ipsi principio vitali, et quod est ei ratio agendi : Sed actus indeliberatus est actus vitalis. Ergo non potest produci immediate nisi a potentia vitali, vel ab habitu aut qualitate aliqua inhærente ipsi potentiæ vitali ; subindeque non potest produci a Deo immediate, sed debet produci a Deo mediante aliqua qualitate vel motione recepta et inhærente in ipsa potentia vitali. Hinc sequitur evidenter nullum auxilium actualis Gratiæ esse actum indeliberatum. *Probatur* quia omne auxilium supernaturale est immediate a solo Deo, et non a causa quacumque naturali : Sed nullus actus indeliberatus est immediate a solo Deo sed omnes sunt a potentia vitali naturali : Ergo nullus actus indeliberatus est auxilium supernaturale. *Minor constat* ex primo principio. *Major est etiam evidens :* quia auxilium supernaturale non potest produci nisi ab agente supernaturali ; et cum tota entitas auxilii sit supernaturalis, impossibile est, quod agens ullum mere naturale vel totaliter vel partialiter influat in entitatem auxilii ; atque adeo cum omnis potentia vitalis, antequam sit elevata ad ordinem supernaturalem, sit agens mere naturale, antequam sit elevata non potest quidquam influere in entitatem auxilii supernaturalis.

Sequitur 1009. Auxilium sufficiens esse motionem, qua Deus movet intellectum vel voluntatem ad aliquos actus.

1009. — Ex eodem loco.

Probatur sequela. Omnis Gratia actualis, ut distinguitur ab habituali, est motio vel qualitas per modum transeuntis, quod idem est quoad præsens : Sed omne auxilium sufficiens est Gratia actualis, ut distinguitur ab habituali : Ergo omne auxilium sufficiens est motio. *Major patet :* quia Gratia actualis per hoc distinguitur ab habituali, quod habitualis est per modum permanentis ; actualis vero est per modum transeuntis. *Minor est etiam certa ex dictis :* quia membrum dividens debet participare naturam divisi ; atque adeo, cum auxilium sufficiens sit membrum dividens Gratiam actualem, ut diximus, debet esse Gratia actualis.

Sequitur 1010. Omne auxilium sufficiens receptum in potentia aliqua, illam movere ad actum.

1010. — Ex 1. 2. q. 109. per totam.

Probatur sequela. Omnis motio a movente recepta in mobili illud movet ad terminum, ut ex terminis ipsis est manifestum : Sed omne auxilium sufficiens est motio a Deo solo ut movente recepta in potentia intellectuali : Ergo omne auxilium sufficiens movet illam potentiam ad actum.

Sequitur 1011. Omne auxilium sufficiens habere semper adjunctum aliquem actum ipsius potentiæ motæ per tale auxilium.

1011. — Ex iisdem locis.

Probatur sequela. Omne motum motu instantaneo, quando movetur semper habet aliquem terminum conjunctum cum ipso motu : Sed poten-

tia mota per auxilium sufficiens est mota motu instantaneo ad actum tanquam ad terminum : Ergo potentia mota per auxilium sufficiens semper habet conjunctum aliquem actum. *Major est certa :* per hoc enim differt motus instantaneus a successivo, quod in motu successivo terminus non est simul cum motu ; in motu autem instantaneo terminus est simul cum motu : quin etiam in motu successivo, quamvis non sit ultimus terminus simul cum motu, cum succedat, aliquis tamen terminus est in quolibet instanti motus. *Minor probatur ex dictis :* Actus omnis intellectus et voluntatis est motus instantaneus, sicut et mutatio illa, qua intellectus aut voluntas mutatur, dum recipit auxilium, quo movetur ad actum : Sed potentia mota per auxilium sufficiens non movetur nisi per receptionem auxilii et per ipsum actum, quem elicit : Ergo potentia mota per auxilium sufficiens non movetur nisi motu instantaneo.

Nec valet si dicas, quod potentia mota per auxilium sufficiens habet quidem semper adjunctum motum illum sive mutationem, qua mutatur, recipiendo ipsum auxilium sufficiens ; sed non movetur illo motu, quo eliciat de facto aliquem actum.

Non valet, inquam ; quia quando aliquid movetur motu instantaneo, non solum debet mutari mutatione, quam motus ipse receptus in mobili importat, sed debet mutari et moveri ipsa receptione termini motus vel mutationis : Sed quando potentia movetur per auxilium sufficiens movetur motu instantaneo ad actum tanquam ad terminum : Ergo quando potentia movetur per auxilium sufficiens non solum debet moveri ac mutari per receptionem motionis, in qua consistit auxilium sufficiens, sed debet moveri vel mutari per receptionem termini ; Hic autem terminus est actus ipsius potentiæ, qui non potest in ea recipi, nisi etiam ab ipsa eliciatur, cum sit actus immanens : Ergo potentia mota per auxilium sufficiens debet recipere et elicere aliquem actum.

Sequitur 1012. Auxilium efficax et sufficiens non posse distingui per hoc, quod est habere vel non habere aliquem actum (utcumque) infallibiliter conjunctum.

1012. — Ex 3. cont. gent. c. 159.

Explicatur. Non negamus, quin auxilium efficax et sufficiens distinguantur per hoc, quod efficax habeat actum, ad quem datur, semper et infallibiliter conjunctum ; sufficiens vero non habeat actum, ad quem ordinatur, semper et infallibiliter conjunctum ; sed solum dicimus, quod non distinguuntur per hoc, quod est habere vel non habere actum aliquem infallibiliter conjunctum.

Probatur sequela. Quando duo aliqua conveniunt in aliqua ratione communi, conveniunt etiam in eo, quod est essentialiter annexum illi rationi communi, nec per hoc distinguuntur : Sed auxilium efficax et sufficiens conveniunt in ratione communi Gratiæ et motionis actualis : Ergo convenient etiam in hoc, quod est habere aliquem actum conjunctum, cum, ut jam probatum est, hoc sit de intrinseca et essentiali ratione Gratiæ et motionis actualis, atque adeo per hoc non distinguentur.

Sequitur 1013. Auxilium efficax et suficiens distingui per hoc, quod auxilium efficax habet conjunctum actum perfectum, ad quem ex intentione Dei datur ; auxilium vero sufficiens, licet habeat conjunctum actum imperfectum, ad quem proxime et immediate ex intentione absoluta Dei datur, non habet tamen conjunctum actum perfectum, ad quem et ex natura sua et ex intentione Dei non absoluta ordinatur.

1013. — Ibidem.

Explicatur. Duplex est actus voluntatis ; alter, qui est *perfectus*, et di-

citur velle sive volitio absoluta; alter, qui est *imperfectus*, et dicitur potius velleitas, quam velle vel volitio: v. g. dilectio Dei potest esse volitio quædam constans et firma, qua Deum ut finem ultimum amamus; et potest esse velleitas quædam, qua inefficaciter Deum ut finem intendimus: Prior illa dilectio dicitur actus perfectus, non quod habeat omnem perfectionem dilectionis, sed quod in genere actus voluntatis non sit velleitas, sed constans et firma voluntas. Auxilium ergo efficax est semper infallibiliter conjunctum cum firma et constanti voluntate; Auxilium vero sufficiens habet quidem conjunctam aliquam velleitatem perfectiorem vel minus perfectam, prout magis vel minus appropinquat ad firmam et constantem voluntatem, sed nunquam habet conjunctam voluntatem illam perfectam, quamvis et ex natura rei ordinetur ad illam, quia omne imperfectum in aliquo genere ex natura sua ordinatur ad perfectum, et ex voluntate Dei antecedente ordinetur ad volitionem perfectam, non tamen ex voluntate Dei consequente, ex qua datur tantum ad imperfectam.

Probatur ergo sequela. Quod habet conjunctum aliquem actum, non potest per hoc distingui ab alio, quod similiter habet conjunctum actum aliquem, nisi sit differentia ex parte ipsius actus, ut patet: Atqui auxilium sufficiens habet conjunctum aliquem actum, ut diximus; auxilium efficax similiter: Ergo non possunt distingui, nisi penes diversum actum perfectum et imperfectum. Cum autem hæc diversitas actus non possit non esse volita a Deo, eo quod voluntas Dei est causa omnium entium etiam ut diversa sunt, ut supra ostendimus; consequens est, ut auxilium, quod est vis executiva voluntatis divinæ, illam etiam diversitatem causet; atque adeo auxilium efficax causabit actum perfectum, auxilium autem sufficiens causabit imperfectum.

Sequitur 1014. Auxilium sufficiens non esse inutile.

1014. — 1. 2. q. 112. a. 3. ad 2.

Probatur sequela. Quod dat actum aliquem licet imperfectum non est inutile; inutile enim est, quod ad nihil omnino deservit: Sed auxilium sufficiens dat actum imperfectum: Ergo non est inutile.

Sequitur 1015. Auxilium sufficiens in voluntate receptum involvere etiam auxilium aliquod in intellectu ad cognoscendum objectum.

1015. — 3. contra gent. c. 159. et 160.

Probatur sequela. Quod dat actum aliquem voluntatis. dat et involvit cognitionem ex parte intellectus: quia nihil volitum quin præcognitum, ut alias diximus: Sed auxilium sufficiens dat actum aliquem voluntatis: Ergo dat vel involvit auxilium dans cognitionem ex parte intellectus; itaut ex duobus illis auxiliis unum auxilium integretur, nec unum sine altero dici posset auxilium.

Sequitur 1016. Auxilium sufficiens dare vires aliquas voluntati ad actum etiam perfectum.

1016. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod dat cognitionem objecti, dat vires aliquas voluntati in ordine ad illud objectum: Sed auxilium sufficiens dat cognitionem objecti, circa quod est actus perfectus: Ergo auxilium sufficiens dat vires aliquas voluntati. *Major probatur,* tum quia quamvis cognitio sit tantum conditio, nihilominus cognitio applicans per modum conditionis ipsam virtutem sive bonitatem objecti, dat voluntati aliquas vires saltem morales: tum etiam quia auxilium sufficiens elevat vere potentiam, ut actu agat circa illud objectum, quod est dare voluntati vires aliquas physicas et reales ad agendum actu in ordine supernaturali: Quod si vires illæ, quas dat, non attingant objectum modo perfecto, hoc oritur ex ipso renisu voluntatis tanquam ex

causa dispositiva et materiali : unde licet det vires physicas et reales ad actum perfectum, non tamen applicat infallibiter voluntatem ad illum actum ; et hinc est, quod est tantum sufficiens.

Sequitur 1017. Auxilium sufficiens dare potentiam proximam ad actum perfectum, licet non actu applicet ad illum.

1017. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod dat cognitionem objecti et vires ad actum perfectum circa illud, dat potentiam proximam, licet actu non applicet ad illum actum : Atqui auxilium sufficiens dat cognitionem objecti, et vires ad actum perfectum circa illud : Ergo dat potentiam proximam ad illum, licet non applicet ad illum.

Sequitur 1018. Auxilium sufficiens non dare potentiam completissimam ad actum perfectum.

1018. — Ibidem.

Probatur sequela. Potentia completissima est illa, quæ est conjuncta cum actu, et redacta ad actum secundum : Sed auxilium sufficiens non dat potentiam conjunctam cum actu secundo perfecto, sive potentiam redactam ad actum secundum perfectum : Ergo auxilium sufficiens non dat potentiam completissimam.

Sequitur 1019. Auxilium sufficiens non incongrue vocari sufficiens.

1019. — Ex 3. p. q. 79. a. 7. ad 2.

Probatur sequela. Potentia completa, quamvis non redacta ad actum secundum, recte potest vocari sufficiens : Atqui auxilium dat potentiam completam, quamvis non redactam ad actum secundum perfectum : Ergo recte potest vocari sufficiens. *Major constat,* quia plura etiam in communi usu loquendi vocamus sufficientia, quamvis non sint redacta ad actum secundum : Sic dicimus ignem aliquem esse sufficientem ad comburendam sylvam, quamvis de facto illam non comburat : Sic dicimus divitem esse sufficientem, sive habere pecunias sufficientes ad emendum aliquod prædium, quamvis de facto illud non emat : Sic dicimus doctum aliquem virum esse sufficientem ad docendum, quamvis de facto non doceat : Imo vero ut plurimum in communi usu loquendi, quando dicimus aliquem habere virtutem sufficientem ad aliquid, intelligimus eum de facto illud non præstare, quamvis ad illud completam potentiam habeat. Unde mirum omnino, quod aliqui hoc nomine irrideant auxilium sufficiens, vocando illud sufficiens insufficiens.

Sequitur 1020. Auxilium sufficiens dari omnibus, saltem fidelibus non obstinatis, vel excœcatis.

1020. — 3. cont. gent. c. 160.

Probatur sequela. Deus non deficit in necessariis nisi ob peccatum aliquod præcedens, quod meretur, ut etiam necessaria substrahantur in pœnam ; hoc enim exigit ejus infinita bonitas : Sed auxilium sufficiens, cum det posse, est necessarium : Ergo illud Deus non denegat, nisi propter peccatum, quod illam denegationem demereatur.

Sequitur 1021. Valde probabile esse, quod Deus denegat auxilium sufficiens obstinatis et induratis.

1021. — In c.. 9. ad Rom. lect. 3.

Probatur sequela. Quia Deus dicitur indurare et excœcare in Scriptura, non impertiendo malitiam, sed subtrahendo Gratiam : Atqui hoc non intelligitur de Gratia habituali, vel de actuali efficaci : Ergo intelligitur de sufficiente. *Consequentia patet ex dictis,* quia non datur nisi triplex hæc Gratia, habitualis, actualis efficax, et actualis sufficiens. *Minor vero probatur :* quia substractio Gratiæ habitualis et efficacis invenitur in pluribus, in quibus non est obduratio vel excœcatio ; alias omnes justi, qui peccarent mortaliter, hoc ipso essent obcœcati et indurati ; quod patet esse

falsum : Ergo substractio gratiæ habitualis vel efficacis non est illa, quæ reddit hominem induratum.

Sequitur 1022. Non ita intelligendum hoc, ut omnes indurati careant semper auxilio sufficiente.

1022. — Ibid. 2. 2. q. 2. a. 5. ad 1. et q. 10. a. 1.

Probatur sequela. Quia bonitas Dei est infinita, ut diximus supra ; et ejus justitia semper punit citra condignum : Ergo quamvis justitia exigeret, ut peccatoribus præsertim inveteratis Deus denegaret omnem omnino Gratiam ; ejus tamen bonitas facit, ut aliquando det illis nedum Gratiam sufficientem, sed etiam efficacem, ut patet in pluribus.

Sequitur 1023. Auxilium sufficiens, quod sit vera Gratia immediate ad credendum, sperandum, et diligendum Deum necessaria, non dari infidelibus negative.

1023. — Ibidem.

Probatur sequela. Omnis Gratia data immediate ad volendum credere, ad sperandum, et diligendum Deum super omnia, supponit vel involvit cognitionem supernaturalem ex parte intellectus, sicut universaliter omne volitum debet esse præcognitum : Sed infideles negative nullam habent vel habuerunt cognitionem supernaturalem, alias non essent infideles negative, sed vel fideles, si illi cognitioni supernaturali assensum præbuissent, vel infideles privative, si illam cognitionem repulissent : Ergo infideles negative nullam habent gratiam immediate ad volendum credere, ad sperandum, etc.

Sequitur 1024. Auxilium sufficiens intrinsecum non dari pueris.

Probatur sequela. Quia nullam habent cognitionem de rebus supernaturalibus.

Sequitur 1025. In infidelibus etiam negative posse dari aliqua auxilia gratuita, quæ ex modo sint supernaturalia.

1025. — Ibidem.

Explicatur. Motio aliqua dupliciter potest dici supernaturalis ; *primo* quidem ex objecto formali, ad quem datur ; v. g. motio, quam Deus dat sacramentis ad producendam Gratiam, debet esse supernaturalis, quia datur ad actum, qui habet objectum seu effectum omnino supernaturalem, nimirum ad ipsam gratiam ; *secundo* potest motio esse supernaturalis ex modo, quo actus attingit objectum naturale, v. g. motio, quam Deus daret alicui Sancto ad restituendum visum cœco nato ; visus enim est quid naturale, imo dare visum est actio naturalis, sed dare illum tali modo, scilicet ex privatione, est actio supernaturalis ex modo, quæ proinde exigit etiam principium aliquod supernaturale ex modo ; et cum principium illud non possit esse permanens, ut alias dicemus, debet esse motio. Addendum insuper, quod quamvis in natura lapsa homo possit multas veritates de Deo speculative cognoscere, puta, quod est summum bonum, atque adeo supra ompia diligendum ; nihilominus non potest viribus naturæ habere judicium ultimo practice practicum, quo judicet, hic et nunc Deum esse supra omnia diligendum : Si enim haberet hoc judicium viribus naturæ, iisdem posset diligere Deum super omnia ; cum hoc judicium ultimo practice practicum sit semper conjunctum cum actuali Dei dilectione : Si ergo posset homo habere hujusmodi judicium, posset et diligere Deum super omnia, et se convertere in illum ut finem ultimum naturalem, imo et resurgere a peccato viribus naturæ ; quod esse falsum supra ostendimus, et sine dubio hoc postremum est hæreticum ex Trid. sess. 6, cap. 1. Ratio vero a priori est, quia homo in natura lapsa est magis vulneratus in voluntate et in intellectu practico,

quam in speculativo, et magis in judicio prudentiali, quam in aliis, ut supra ostendimus. Ad hoc ergo quod homo habeat hoc judicium prudentiale, indiget gratuito aliquo auxilio, quod sit supernaturale; non quidem ex objecto (supponimus enim quod non cognoscit Deum ut finem et auctorem supernaturalem, quia est infidelis negative) sed ex modo; quia homo infirmus et vulneratus in naturalibus non potest propriis viribus elicere hic et nunc hoc judicium prudentiale : Deus est diligendus super omnia, nec consequenter potest viribus naturalibus Deum diligere super omnia. Ut ergo possit Deum diligere, debet posse judicium illud elicere, non ex viribus naturalibus sed ex aliqua motione divina gratuita et supernaturali; supernaturali, inquam, non ex objecto, cum objectum, quod cognoscit, sit Deus ut auctor solum et finis naturalis; sed ex modo, quo illud objectum naturale attingit, quia cum sit infirmus, non potest etiam illud objectum naturale sic attingere. Si ergo Deus velit, hominem infidelem negative, convertere efficaciter, tunc dabit illi motionem et auxilium efficax supernaturale non solum ex modo, sed etiam ex objecto, illuminando intellectum ipsius etiam de iis, quæ sunt fidei, et instruendo hominem de illis, vel per seipsum immediate, vel per angelum, vel per alium hominem. Si autem nolit illum infidelem negative convertere, tunc dabit illi auxilium supernaturale ex modo, quo aliqualiter judicet Deum ut auctorem naturalem esse super omnia diligendum, habeatque aliquam velleitatem diligendi illum; et in hoc consistet auxilium sufficiens, quod infidelis ille habebit ad diligendum Deum ut auctorem naturalem. Et quod dicimus de hoc auxilio ad diligendum Deum, idem dicendum de auxilio ad quodlibet opus, quod non potest homo in natura lapsa elicere viribus naturalibus. Quamvis ergo Deus absolute loquendo possit denegare omne omnino auxilium Gratiæ cuilibet infideli etiam negative, tum quia non est debitum naturæ, tum et maxime in pœnam peccati originalis : nihilominus non est improbabile, imo videtur valde consonum bonitati divinæ, quod det infidelibus negative quædam auxilia saltem sufficientia etiam supernaturalia ex modo, ut explicatum est : quibus auxiliis ubi infidelis negative pluries restitit, jam sit induratus, sicut et fideles peccatores indurantur substractione auxilii sufficientis, modo jam dicto. Quoad infideles privative, qui videlicet restiterunt fidei, potest sine dubio Deus in pœnam illius resistentiæ permittere, ut cadant in varia peccata, et denegare illis auxilia etiam sufficientia : quia vel una resistentia post propositam sufficienter credibilitatem mysteriorum fidei meretur excœcationem; a fortiori si pluries restiterint.

Quod ergo dicimus in præsenti conclusione, illud est, posse dari in infidelibus saltem negative aliqua auxilia ex modo supernaturalia.

Probatur sequela. Potest Deus dare infideli negative vires, ut ipse possit v. g. judicare aliqualiter Deum hic et nunc esse diligendum, et quibus possit Deum ut auctorem naturalem diligere; hoc enim non solum non repugnat, sed videtur valde congruum suavi Dei Providentiæ, ut ex dictis colligitur; et ita de facto Deum id præstitisse, videtur haberi ex D. Paulo ad Rom. 1. Atqui hujusmodi vires non possunt esse nisi auxilia supernaturalia ex modo, sicut explicatum est : Ergo possunt dari hujusmodi auxilia saltem in infidelibus negative.

Sequitur 1026. Deum posse denegare auxilium efficax cuilibet homini in statu naturæ lapsæ absque ulla injustitia.

1026. — 1. p. q. 23. a. 3. ad 3. 3. cont. gent. c. 61.

Probatur sequela. Omne indebitum potest ex sola illius voluntate, qui gratis dat, denegari non merenti, sed

potius demerenti : Atqui, ex dictis supra, omne auxilium Gratiæ, maxime vero efficax est indebitum ; et quilibet homo in natura lapsa non solum non meretur, sed potius demeretur illud, tum ob peccatum originale, tum ob peccata actualia : Ergo potest Deus illud denegare absque ulla injustitia.

Sequitur 1027. Deum potuisse denegare Adamo auxilium efficax ad non succumbendum tentationi, absque ulla prorsus injustitia.

1027. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia quamvis Adamus non demeruisset illam subtractionem, nihilominus auxilium illud non erat debitum, cum esset Gratia.

Sequitur 1028. In his, qui peccant, denegationem auxilii efficacis ut beneficii indebiti esse absolute priorem actu peccaminoso, etiam ut importat negationem actus boni.

Probatur sequela. Negatio, quæ se tenet ex parte causæ efficientis, est absolute prior, quam quæ se tenet ex parte effectus et subjecti : Sed denegatio auxilii efficacis ut beneficii indebiti se tenet ex parte causæ efficientis : Ergo absolute est prior negatione actus, quæ se tenet ex parte effectus et subjecti. *Minor patet ex dictis*, quia denegatio auxilii efficacis ut beneficii indebiti se tenet ex parte Dei, quandoquidem, ut diximus, penes ipsum est dare illud vel non dare.

Sequitur 1029. Denegationem auxilii efficacis ut est privatio ejusdem auxilii esse posteriorem ipso peccato in genere causæ materialis, imo et simpliciter.

1029. — D. Thom. 1. 2. q. 112. a. 3. ad 2.

Probatur sequela. Quod ita se tenet ex parte causæ materialis, ut illam omnino involvat, est posterius in genere causæ materialis, imo et simpliciter, quia semper involvit causam materialem ; ea enim, quæ se tenent ex parte causæ materialis sunt simpliciter posteriora, ut alias dictum est : Sed denegatio auxilii efficacis, ut est privatio ita se tenet ex parte causæ materialis, ut illam involvat : Ergo hæc denegatio ut est privatio auxilii efficacis est posterior in genere causæ materialis, imo et simpliciter. *Minor probatur :* Omnis privatio est carentia formæ debitæ inesse subjecto : Sed non est debitum inesse homini auxilium efficax ut se tenet ex parte Dei, qui illud nulli debet ; sed solum est debitum ex parte hominis in quantum debet operari, sive potius quatenus applicat se ad operandum ; unde eo ipso, quod operatur peccaminose et vult operari, vult etiam privationem auxilii efficacis, et ideo hæc carentia habet rationem privationis etiam volitæ : Ergo denegatio auxilii efficacis ut est privatio, se tenet ex parte ipsius hominis, qui est causa materialis sive subjectum.

Sequitur 1030. Peccatum non esse causam demeritoriam denegationis auxilii efficacis, etiam ut est privatio.

1030. — Ibidem.

Probatur sequela. Nulla res potest esse prior et posterior in eodem genere causæ, etiam secundum diversas rationes, præsertim in genere causæ efficientis, quæ supponit existentiam : Sed denegatio auxilii efficacis est prior in genere causæ veluti efficientis ipsa negatione actus, cujus defectu committitur peccatum ; aliunde vero causa demeritoria est in genere causæ efficientis, ut infra constabit : Ergo denegatio auxilii efficacis non potest esse prior et posterior, ita ut quatenus est negatio sit prior in genere veluti causæ efficientis, et ut est privatio sit in eodem genere posterior. Quare sicut actus charitatis et contritionis, ut supra diximus, sunt dispositiones ad gratiam habitualem, atque adeo priores in genere causæ materialis ; nullo autem modo possunt dici priores ipsa Gratia habituali in genere

causæ efficientis, quia procedunt ab ipsa ut supplet munus auxilii, quatenus est in infundi ; et præcedunt illam, quatenus est habitus, solum ut dispositiones, et non ut merita ipsius Gratiæ : ita denegatio auxilii efficacis potest quidem esse prior actu peccaminoso, ut est privatio in genere causæ materialis, non potest tamen esse prior, in genere causæ demeritoriæ, alias in eodem genere esset prior et posterior, quod implicat. Neque id potest colligi ex eo, quod D. Aug. et D. Thomas dicunt, Deum juste denegare auxilium efficax : tum quia loquuntur de denegatione auxilii ad unum actum propter peccatum præcedens, ut patet legenti ; tum etiam quia etsi loquerentur respectu ejusdem peccati, id deberet intelligi juxta id, quod docet idem D. Thomas de justitia, qua Deus reddit rei cuilibet id, quod ejus sapientia et voluntas habet et ordinat, et quod Dei bonitatem manifestat ; ad quod debitum justitiæ reducitur omne aliud, ratione cujus Deus dicitur juste agere. Vide D. Thomam I, p. quæst. 21, art. 1.

Sequitur 1031. Gratiam actualem esse vel motionem virtuosam, vel qualitatem per modum transeuntis.

1031. — 1. 2. q. 110. a. 1.

Probatur sequela. Omnis motio dans vires et virtutem, est motio virtuosa, vel qualitas per modum transeuntis : Sed Gratia actualis est motio dans vires et virtutem, ex dictis : Ergo Gratia actualis est motio virtuosa, vel qualitas per modum transeuntis. *Major patet,* quia motio, quæ movet formaliter et dat virtutem, recte dicitur motio virtuosa, ex eo enim quod movet, dicitur motio ; et ex eo, quod dat virtutem, dicitur virtuosa ; et sicut passio, quæ est in tertia specie qualitatis, licet sit transiens, v. g. rubor ex verecundia, est nihilominus qualitas ; ita virtus per modum transeuntis potest esse, et est de facto qualitas : quia tamen nomen qualitatis absolute positum significat proprie accidens aliquod permanens, idcirco Gratia actualis non dicitur absolute qualitas, sed additur quod est qualitas per modum transeuntis.

Sequitur 1032. Gratiam actualem recte dividi in operantem et cooperantem.

1032. — 1. 2. q. 111. a. 2.

Probatur sequela. Motio, ad actum, respectu cujus mens nostra se habet ut mota et non seipsam movens, recte dicitur operans ; et motio ad actum, respectu cujus mens nostra etiam seipsam movet, recte dicitur cooperans : Atqui omnis Gratia actualis est motio ad actum ex dictis ; et duplex tantum est actus voluntatis ; alter respectu cujus mens nostra se habet ut mota et non ut seipsam movens proprie ; alter, respectu cujus mens nostra se habet ut seipsam movens : Ergo omnis Gratia actualis vel erit operans, vel cooperans. *Major est evidens :* quia in illo actu, in quo mens nostra se habet ut mota, et non ut seipsam movens, operatio attribuitur Deo, qui mediante illa motione, sive per illam operatur in mente : unde merito illa motio vocatur operans ; in illo autem actu respectu cujus mens nostra et movetur a Deo, et movet seipsam, operatio attribuitur et Deo, et animæ ; unde cum ambo simul operentur, recte dicuntur cooperari ; et motio, qua Deus movet animam, recte dicitur cooperans. *Minoris prima pars jam probata est ;* ostendimus enim, quod Gratia est motio ad actum. Secunda vero pars, quod scilicet duplex sit actus, alter interior, qui est intentio finis, ad quam mens nostra non movet seipsam ex præcedenti deliberatione, sed movetur specialiter a Deo ; alter exterior, id est, electio mediorum, ad quam mens nostra et movetur a Deo, et seipsam movet deliberate, patet ex dictis in primo principio : diximus enim intentionem finis ut sic non esse liberam ; electionem vero mediorum esse liberam : atque adeo ad inten-

tionem finis, voluntas non se movet deliberate; bene autem ad electionem : Ergo respectu intentionis finis, voluntas se habet ut mota, et non ut seipsam movens, et similiter intellectus respectu primæ cognitionis finis; respectu vero electionis, voluntas se habet ut mota, seipsam movens; et similiter intellectus respectu cognitionis mediorum.

Cur vero D. Thomas primam cognitionem et intentionem finis vocet actum interiorem, et cognitionem atque electionem mediorum vocet actum exteriorem, ratio est, quia volitio finis ut sic est magis intima animæ, quæ si posset velle finem sine mediis, non curaret de illis, quæ proinde sunt veluti extrinseca.

Sequitur 1033. Recte etiam dividi Gratiam actualem in Gratiam prævenientem et subsequentem.

1033. — 1. 2. q. 111. a. 3.

Probatur sequela. Motio ad actum priorem alio, potest dici præveniens, et motio ad actum posteriorem potest dici subsequens : Sed Gratia actualis est motio ad quoscumque actus : Ergo Gratia actualis ad unum actum priorem recte dicetur præveniens, et Gratia ad actum posteriorem recte dicetur subsequens. Unde cum omnis Gratia detur ad aliquem actum vel priorem vel posteriorem, omnis Gratia actualis erit vel præveniens, vel subsequens.

Adverte D. Thomam non loqui de Gratia præveniente et concomitante respectu unius et ejusdem actus; quia intendebat solum explicare loca Scripturæ, in quibus tantum fit mentio de Gratia præveniente et subsequente.

Sequitur 1034. Quod, si velimus loqui respectu unius et ejusdem actus, potest dividi Gratia in prævenientem et concomitantem.

1034. — Ibidem.

Probatur sequela. Quælibet motio divina ad aliquem actum, præsertim liberum, et est præveniens, et est concomitans : Sed Gratia actualis est motio divina ad actum etiam liberum, ex dictis : Ergo gratia actualis est et præveniens et concomitans. *Minor patet ex dictis. Major probatur* ex his, quæ diximus in primo principio et supra : ostendimus enim quod omnis motio, qua mobile movetur, est prior termino etiam in motibus instantaneis, non quidem prioritate instantis *in quo,* sed prioritate instantis *a quo :* Si ergo consideremus motionem divinam ut priorem prioritate causalitatis et naturæ secundum instans *a quo,* dicitur illa motio præveniens; si autem consideretur illa motio quatenus non est prior prioritate temporis vel instantis *in quo,* sed potius est simul, illa motio dicitur concomitans.

Sequitur 1035. Recte etiam dividi Gratiam actualem in excitantem et adjuvantem.

1035. — In 2. dist. 26. a. 5.

Probatur sequela. Primo quia omnis motio, quæ est præveniens, est etiam excitans; et omnis motio, quæ est concomitans, potest etiam dici adjuvans : Sed Gratia actualis est motio præveniens et concomitans modo explicato : Ergo Gratia actualis potest recte dividi in excitantem et adjuvantem. Quia tamen juxta usum, quem videtur confirmare Tridentinum sess. VI, cap. V, Gratia excitans sumitur pro illa, quæ intellectum illuminando, voluntatem moraliter et ex parte objecti movet, ut supra explicavimus, et Gratia adjuvans sumitur pro illa, quæ realiter ac physice et ex parte potentiæ intellectum et voluntatem movet ad suos actus, idcirco non ea tantum ratione Gratia dicitur excitans, quia est prævenions, nec adjuvans, quia est concomitans; sed ex modo movendi : unde in hoc sensu utraque gratia excitans et adjuvans est prævenions. Et hoc modo recte dividi gratiam actualem in excitantem et adjuvantem, *Probatur secundo :* Motio ad actum liberum recte dividitur in eam, quæ moraliter et

ex parte objecti movet, et in eam, quæ movet physice atque ex parte potentiæ atque adeo recte dividitur in motionem excitantem et adjuvantem, ut patet ex dictis : Sed gratia actualis est motio, quæ utroque hoc modo movet, ut constat : Ergo Gratia actualis recte dividitur in excitantem et adjuvantem.

Sequitur 1036. Gratiam habitualem posse etiam dividi in operantem et cooperantem.

1036. — 1. 2. q. 111. a. 2.

Probatur sequela. Omnis forma duo præstat ; videlicet, esse, et operari : Sed Gratia est forma. Ergo præstat esse, nimirum supernaturale, et operari etiam supernaturaliter et meritorie. Sed quatenus præstat esse supernaturale, sola veluti operatur, eo modo, quo formæ dicuntur operari præstando suos effectus formales ; et quatenus non per seipsam immediate, sed per suas proprietates præstat proprie operari, dicitur cooperari ; quia Gratia non sola agit, et elicit actum supernaturalem et meritorium, sed una cum voluntate. Ergo Gratia potest dici operans et cooperans.

Sequitur 1037. Gratiam habitualem posse etiam dividi in Gratiam prævenientem et subsequentem, ratione suorum effectuum.

1037. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Quia Gratia habitualis habet plures effectus, quorum unus subsequitur ad alium : nam *primo* sanat mentem ; *secundo* facit, ut bonum velit ; *tertio* ut illud bonum volitum efficaciter exequatur ; *quarto* ut perseveret ; *quinto* ut gloriam consequatur : Ergo quatenus tribuit unum effectum priorem poterit dici prævenies ; et quatenus tribuit effectum posteriorem poterit eadem Gratia dici subsequens. Adde quod, gratia habitualis ut est in infundi habet, ut diximus, rationem auxilii efficacis moventis ad operationem : eodem ergo modo, quo auxilium efficax potest dividi in prævenies et concomitans, ut diximus de Gratia actuali, ita poterit etiam Gratia habitualis dividi in prævenientem et concomitantem : imo et in excitantem et adjuvantem, si excitans et adjuvans sumantur pro eodem, pro quo sumitur prævenies et concomitans ; non tamen, si sumatur secundum usum pro moraliter et physice movente : Gratia enim habitualis etiam ut est in infundi non movet moraliter, sed physice.

Sectio 3ª. — De causa gratiæ.

Sequitur 1038. Solum Deum posse esse causam principalem Gratiæ, præsertim habitualis.

1038. — 1. 2. q. 112. a. 1.

Probatur sequela. Nullum supernaturale potest produci ab aliqua causa naturali tanquam causa principali, sed solum ab eo, qui est ipsum esse supernaturale per essentiam : Sed omnis Gratia est quid supernaturale, præsertim vero Gratia habitualis : Ergo Gratia non potest produci ab ulla causa naturali ut principali, sed a solo Deo, qui est ipsum esse supernaturale per essentiam. *Minor patet ex jam dictis. Major vero etiam supra probata est :* quia cum nullus effectus possit excedere virtutem causæ principalis, non potest natura producere aliquod esse supernaturale ; Omnis autem causa creata est natura. Sed præterea *probatur :* Participatio non pot est esse principaliter, nisi ab eo, cujus est participatio : Sed omnis Gratia est participatio naturæ vel proprietatis alicujus divinæ, ut supra ostensum est : Ergo nulla Gratia potest esse principaliter nisi a Deo. Denique de Gratia habituali hoc sic probat D. Thomas : Nulla creatura, sed solus Deus potest deificare : Atqui per Gratiam habitualem homo deificatur : Ergo Gratiam habitualem nulla creatura sed solus Deus potest principaliter producere.

Sequitur 1039. Posse aliquam creaturam assumi ut instrumentum etiam physicum ad producendam Gratiam.

1039. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Quia tunc cessant omnes rationes jam dictæ. Hæc sequela melius patebit in tertio principio, cum agemus de causis.

Sequitur 1040. Dari causam materialem gratiæ.

1040. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Omne accidens habet causam materialem sive subjectum, ut patet ex primo principio. Sed omnis Gratia creata est accidens, ut patet ex dictis ; ostendimus enim nullam substantiam posse esse supernaturalem : Ergo omnis Gratia creata habet causam materialem sive subjectum.

Sequitur 1041. Gratiam produci a Deo dependenter a subjecto.

1041. — Ibidem.

Probatur sequela. Omne accidens connaturaliter producitur in subjecto et dependenter a subjecto : Sed omnis Gratia est accidens : Ergo omnis Gratia producitur in subjecto et dependenter a subjecto.

Sequitur 1042. Gratiam educi ex subjecto non secundum potentiam naturalem, sed tantum secundum potentiam obedientialem.

1042. — 2. de un. virt. a. 1. et ad 13.

Probatur sequela. Educi ex subjecto non est formam præexistere, quasi prius latitaret intra subjectum, eo modo, quo aliquis existens et latitans intra domum, inde educitur ; sed solum est, formam produci dependenter a subjecto tanquam a causa materiale et receptiva in qua continetur, secundum quod habet potentiam receptivam et in qua recipitur per se cum transmutatione subjecti : Sed gratia producitur dependenter a subjecto, non ratione alicujus potentiæ receptivæ veluti naturalis, sed tantum obedientialis, et recipitur in illo cum transmutatione per se loquendo : Ergo Gratia educitur a subjecto secundum potentiam obedientialem. *Minoris prima pars jam probata est,* quod scilicet Gratia producatur dependenter a subjecto. *Secunda vero pars est evidens :* potentia enim naturalis receptiva dicitur illa, quæ continet et respicit formam ut producibilem a causa aliqua naturali ; potentia vero obedientialis respicit formam ut producibilem a causa omnipotente et supernaturaliter operante : Atqui Gratia est tantum producibilis a causa supernaturaliter operante, non autem ab ulla causa naturali, ut probatum est : Ergo subjectum non potest respicere Gratiam ut producibilem a causa naturali, nec consequenter illam recipere per potentiam naturalem, sed tantum per obedientialem, idque cum transmutatione.

Sequitur 1043. Ad Gratiam habitualem prærequiri in adultis aliquam præparationem et dispositionem ex parte subjecti.

1043.— 1. 2. q. 112. a. 2.

Probatur sequela. Nulla forma permanens recipitur nisi in materia disposita, atque adeo prærequiritur præparatio et dispositio ex parte materiæ, præsertim quando forma illa est quid ultimum et perfectum, ut probabitur in tertio principio : Atqui Gratia habitualis est forma permanens et quid ultimum et perfectum ; cum sit participatio divinæ naturæ, ut diximus : Ergo Gratia habitualis non recipitur nisi in materia disposita, et ad eam prærequiritur dispositio et præparatio. Diximus in adultis, quia in pueris, non requiruntur ullæ dispositiones.

Sequitur 1044. Ad Gratiam actualem non prærequiri aliquam dispositionem.

1044. — Ibidem.

Probatur sequela. Ad causam omnis dispositionis non potest prærequir'

aliqua dispositio; alias daretur dispositio, quæ non esset ab illa causa, et sic non esset causa omnis dispositionis : Sed Gratia actualis est causa omnis dispositionis supernaturalis ; nihil enim naturale potest esse dispositio ad Gratiam supernaturalem, ut diximus supra : Ergo ad Gratiam actualem non potest prærequiri aliqua dispositio.

Sequitur 1045. Ad Gratiam habitualem, aliquas dari dispositiones imperfectas sive remotas, et alias perfectas sive concomitantes.

1045. — Ibidem.

Probatur sequela. Ad omnem formam ultimam dantur aliquæ dispositiones imperfectæ sive remotæ, et aliæ perfectæ et concomitantes, ut patet inductive in omnibus formis sive substantialibus, sive accidentalibus, quæ sunt ultimæ : Atqui Gratia habitualis est forma perfecta et ultima ex dictis : Ergo ad Gratiam habitualem dantur aliquæ dispositiones imperfectæ et remotæ; aliquæ vero perfectæ et concomitantes.

Sequitur 1046. Has dispositiones non requiri ex parte ipsius causæ efficientis, quasi causa efficiens Gratiæ non possit producere Gratiam habitualem non productis prius dispositionibus.

1046. — Ibidem.

Probatur sequela. Agens infinitæ virtutis non requirit dispositiones, ut agat et producat formam, quasi non possit illam producere nisi productis prius dispositionibus, ut patet : Atqui Deus est agens infinitæ virtutis, ut supra diximus, et ipse solus est causa Gratiæ : Ergo non requirit dispositiones ut agat et producat Gratiam, sed potest absolute illam producere non productis dispositionibus.

Sequitur 1047. Has dispositiones requiri ex parte subjecti.

1047. — Ibidem.

Probatur sequela. Dispositiones requisitæ, et non ex parte causæ efficientis, requiruntur tantum ex parte subjecti : Sed dispositiones ad Gratiam sunt requisitæ, et non ex parte causæ efficientis, ut diximus : Ergo sunt tantum requisitæ ex parte subjecti.

Sequitur 1048. Quod quando subjectum est incapax dispositionum, possit Deus Gratiam habitualem, si velit, producere sine dispositionibus.

1048. — Ibidem.

Probatur sequela. Dispositiones requisitæ ex parte subjecti tantum, ad formam, quam agens potest producere sine dispositionibus, non sunt necessariæ, nec possunt poni, quando subjectum est incapax hujusmodi dispositionum : Sed dispositiones ad gratiam habitualem sunt necessariæ tantum ex parte subjecti, et Deus potest gratiam illam producere absque dispositionibus : Ergo hæ dispositiones non possunt poni in subjecto incapaci, sed Deus potest gratiam in tali subjecto ponere sine illis dispositionibus.

Sequitur 1049. Deum posse producere Gratiam habitualem in pueris sine ullis actibus liberis.

1049. — Ibidem.

Probatur sequela. Actus liberi supernaturales sunt dispositiones ad gratiam habitualem, ut statim ostendemus : Sed pueri sunt incapaces eliciendi actus liberos, cum non habeant usum rationis : Ergo cum Deus possit ponere Gratiam sine dispositionibus, quando subjectum est incapax illarum, ut diximus, Deus poterit ponere Gratiam in pueris sine illis actibus liberis.

Sequitur 1050. Has dispositiones ad gratiam habitualem esse actus liberos supernaturales.

1050. —Ibidem.

Probatur sequela. Hæ dispositiones non possunt esse aliquæ formæ super-

naturales permanentes, alias ad illas requirerentur aliæ dispositiones, et ad istas aliæ, et sic in infinitum; atque adeo debent esse aliquid transiens : Sed omne transiens vel est actus quidam vel motio : Ergo hæ dispositiones vel sunt actus quidam vel motiones : Sed si sint motiones supernaturales, debent etiam esse actus liberi ; quia Deus unumquemque movet secundum modum ejus, atque adeo hominem adultum et liberum Deus movet libere, ita ut ipse homo libere operetur. Si autem hæ dispositiones sint ipsi actus, illi non possunt esse a solo Deo, cum sint actus vitales, qui esse non possunt a solo Deo, ut diximus. Neque possunt esse actus omnino necessarii, quia, exceptis actibus et motibus primo primis, non dantur in hac vita actus voluntatis omnino necessarii. Aliunde vero congruum est, ut homo libere concurrat ad Gratiæ receptionem, sicut libere concurrit ad peccatum : debent ergo hujusmodi dispositiones esse actus liberi ; non naturales, quia isti non sunt ejusdem ordinis ; dispositiones autem debent esse ejusdem ordinis cum forma, ad quam sunt dispositiones : Ergo debent esse actus liberi et supernaturales.

Sequitur 1051. Has dispositiones esse non solum morales, sed etiam physicas.

1051. — Ibidem.

Probatur sequela. Dispositiones, quæ non solum moraliter sed etiam physice ac realiter disponunt subjectum, sunt reales et physicæ et non tantum morales : Sed actus nostri supernaturales realiter et physice disponunt animam ad receptionem Gratiæ habitualis : Ergo sunt dispositiones physicæ ad Gratiam. *Minor probatur :* Actus vere ac realiter supernaturales, vere ac realiter disponunt ad formam ultimam ordinis supernaturalis, præsertim quando hi actus tollunt vere, realiter ac physice formam oppositam : Sed actus nostri eliciti ex Gratia actuali sunt vere realiter et physice supernaturales, et aliquando vere ac physice tollunt (dispositive tamen) peccatum : Ergo, etc. *Minoris prima pars patet ex dictis,* quia actus procedentes ex principio vero, reali, et physico ac physice influente, si sit supernaturale, etiam sunt et ipsi supernaturales : *Secunda pars minoris etiam patet :* quia actus v. g. conversionis in Deum ut finem ultimum est vere ac realiter oppositus habituali aversioni a Deo ut fine ultimo, non quidem tanquam forma privationi, sed tanquam actus formæ ipsi privationi, ut constat. Nec propterea, qui ponit hos actus, est causa efficiens Gratiæ ; quia, ut statim dicemus, Gratia non sequitur infallibiliter ad istos actus ut sunt a voluntate, sed ut sunt a Deo movente voluntatem : et sicut in humanis generans effective attingit et producit dispositiones physicas ad unionem animæ cum corpore, nec tamen effective producit animam : ita in proposito.

Sequitur 1052. Ad has dispositiones remotas consequi Gratiam habitualem, juxta intentionem Dei moventis hominem ad illos actus eliciendos, id est, quod si ex intentione Dei moventis ad hos actus, sit quod homo Gratiam consequatur, infallibiliter ipsam consequitur.

1052. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Ad dispositiones, quas ponit agens liberum infinitæ virtutis, consequitur infallibiliter forma juxta intentionem ipsius agentis : Sed hæ dispositiones ponuntur a Deo movente animam, et Deus est agens liberum infinitæ virtutis : Ergo ad has dispositiones consequitur infallibiliter Gratia juxta intentionem Dei. *Minor patet ex dictis : Major est etiam evidens ;* quia agens liberum infinitæ virtutis agit infallibiliter quidquid vult, et secundum quod vult.

Sequitur 1053. Ad has dispositiones prout sunt actus ipsius hominis præcise non consequi infallibiliter Gratiam.

1053. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Ad ea, quæ non habent ex se ullam connexionem cum formâ, non consequitur illa forma infallibiliter, ut ex terminis constat : Sed actus hominis ut præcise sunt ab homine nullam habent connexionem cum Gratia, quia ex se non sunt ejusdem ordinis, sed tantum quatenus sunt supernaturales, quod non habent nisi a motione Dei, ut dictum est : Ergo ad actus hominis, ut sunt præcise ab homine, non consequitur infallibiliter ipsa Gratia.

Sequitur 1054. Verum esse, faciati quod in se est, Deum non denegare Gratiam, si intelligatur de faciente, quod in se est ex Gratia, non autem ex viribus naturalibus.

1054. — Ibidem.

Probatur sequela ex dictis : Quia Gratia solum sequitur infallibiliter ex dispositione juxta intentionem Dei moventis hominem per Gratiam actualem ; non autem ex dispositione, ut procedit a libero arbitrio præcise : Ergo, etc.

Sequitur 1055. Gratiam posse esse majorem in uno, quam in alio.

1055. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Forma, quæ magis vel minus participatur a subjecto, secundum majorem vel minorem dispositionem subjecti, et secundum perfectiorem vel minus perfectam causam hujus dispositionis, potest esse major in uno, quam in alio : Sed Gratia participatur magis vel minus a subjecto secundum dispositionem ipsius, et secundum causam hujus dispositionis, quæ est ipsum auxilium Dei movens : Ergo Gratia potest esse major in uno, quam in alio. *Minor probatur ex dictis :* quia Gratia ordinat hominem ad gloriam et visionem beatificam ; gloria autem et visio beatifica potest esse major vel minor, ut diximus supra : Ergo et Gratia debet esse forma magis vel minus participabilis a subjecto, secundum varias subjecti dispositiones, quas diximus pendere a majori vel minori auxilio.

Sectio 4ª. — De effectibus gratiæ, et primo de justificatione.

Sequitur 1056. Implicare quod aliquis habeat Gratiam, et non sit gratus Deo.

1056. — 1. 2. q. 110. a. 1.

Probatur sequela. Implicat formam esse in subjecto, et subjectum non habere effectum formalem illius formæ : Sed, ex dictis supra, effectus formalis Gratiæ est esse gratum Deo : Ergo implicat quod aliquis habeat Gratiam, et non sit gratus Deo.

Sequitur 1057. Implicare quod aliquis sit simpliciter gratus Deo, et non habeat Gratiam habitualem et sanctificantem.

Probatur sequela. Implicat effectum formalem esse, et formam non esse in subjecto : Sed effectus formalis Gratiæ est esse gratum Deo simpliciter : Ergo implicat, quod aliquis sit gratus Deo simpliciter, et non habeat Gratiam. Ratio autem a priori hujus utriusque conclusionis est, quia effectus formalis nihil aliud est, quam ipsa forma communicata subjecto. Quare si homo conditus fuisset vel in natura pura, vel in natura integra sine ordine ad finem supernaturalem, non fuisset simpliciter gratus Deo, sed solum secundum quid, videlicet, in ordine ad finem ultimum naturalem : unde nec fuisset vera amicitia inter Deum et hominem ; quia non interfuisset communicatio in bonis propriis. Sicut ergo finis ultimus simpliciter hominis est visio clara Dei, quæ, ut diximus supra, est supernaturalis ; ita gratum esse Deo simpliciter, est esse acceptum ad

participationem ultimi finis simpliciter, quod esse nequit sine forma supernaturali.

Sequitur 1058. Supposita intrinseca ordinatione hominis in finem supernaturalem non posse hominem esse justum sine Gratia habituali.

1058. — Ibidem.

Probatur sequela. Sine ordine ad finem ultimum, simpliciter non potest esse vera justitia, secundum quod justitia dicit rectitudinem totius hominis, sive rectam dispositionem totius hominis quantum ad animam : Atqui sine Gratia habituali non potest esse ordo ad ultimum finem simpliciter, supposita ordinatione extrinseca hominis in finem supernaturalem : Ergo hac ordinatione supposita, non potest in homine esse vera justitia, nec consequenter homo potest dici justus sine Gratia habituali. *Major est evidens:* quia prima rectitudo hominis est in ordine ad finem ultimum simpliciter, et ex hac rectitudine dependet essentialiter omnis alia rectitudo, utpote cum sit rectitudo circa media, quæ dependet essentialiter ex rectitudine circa finem. *Minor etiam constat :* quia sine Gratia habituali homo non potest habere ordinem ad finem ultimum simpliciter ; cum finis ultimus simpliciter supposita extrinseca ordinatione hominis ad finem supernaturalem, sit finis supernaturalis, ut patet : Atqui sine Gratia habituali non potest homo recte ordinari in finem supernaturalem, ut supra probatum est : Ergo sine Gratia habituali non potest homo recte ordinari ad finem ultimum simpliciter.

Sequitur 1059. Non posse hominem de injusto fieri justum sine Gratia habituali supposito statu, in quo nunc sumus.

1059. — 1. 2. q. 110. a. 1.

Probatur sequela. Sine illo, sine quo homo non potest esse justus, non potest ex injusto fieri justus ; non enim potest esse motus ab uno termino in alium nisi relicto termino a quo et acquisito termino ad quem : Sed sine Gratia habituali homo non potest esse justus, ut dictum est : Ergo sine Gratia habituali homo non potest de injusto fieri justus.

Sequitur 1060. Hominem sine Gratia habituali non posse vere justificari.

1060. — Ibid. a. 1.

Probatur sequela. Vere justificari, non est tantum declarari justum, sed vere fieri justum ; sicut calefieri est fieri calidum : Atqui sine Gratia homo non potest vere fieri justus, ex dictis : Ergo sine Gratia habituali non potest homo vere justificari.

Sequitur 1061. Nullum hominem, vel conceptum in peccato, vel qui commisit peccatum, posse justificari sine remissione peccati.

1061. — Ibidem.

Probatur sequela. Transitus ab injustitia ad justitiam non potest fieri sine remissione peccati : Sed justificari est transitus ab injustitia ad justitiam, supposito, quod homo prius esset in peccato : Ergo justificari non potest aliquis sine remissione peccati. *Major probatur :* Omne peccatum præsertim originale vel mortale est injustitia, quia est aversio a Deo ut fine ultimo simpliciter, ut de peccato originali diximus supra : Sed non potest fieri transitus ab injustitia ad justitiam sine remissione sive ablatione injustitiæ ; cum in motu non possit fieri transitus a termino a quo ad terminum ad quem, nisi relicto termino a quo, quando est contrarius termino ad quem, sicut est injustitia justitiæ : Ergo non potest fieri transitus ad injustitiam nisi remisso et ablato peccato.

Sequitur 1062. Remissionem peccati non posse fieri sine transitu ab injustitia ad justitiam.

1062. — Ibidem.

Probatur sequela. Quando duo sunt

opposita, quorum unum importat essentialiter privationem alterius, non potest tolli terminus a quo, nisi ponatur terminus ad quem : Sed remissio peccati est ablatio termini a quo, nimirum peccati et injustitiæ, quæ opponitur justitiæ, ita ut unum importet privationem alterius : Ergo ablatio sive remissio peccati fieri non potest, nisi ponatur justitia.

Dices : remissio peccati non est ablatio injustitiæ ut injustitia est, sed est condonatio offensæ, quæ condonatio potest fieri a Deo absque eo quod Deus ponat aliquid in anima : si enim homo potest alteri offensam condonare absque eo quod ponat aliquid in eo, cui condonat offensam, cur Deus id non poterit ?

Sed contra hoc est : Quia non potest intelligi, quod Deus nobis remittat offensam, nisi quatenus nobis pacatur : Atqui sine infusione justitiæ et Gratiæ non potest Deus nobis pacari : Ergo sine infusione justitiæ et Gratiæ non potest intelligi, quod Deus nobis remittat offensam. *Major est evidens :* remittere enim offensam est pacari ipsi offendenti, vel ei, qui offendit. *Minor vero probatur :* quia Deus non pacatur nobis per mutationem sui, cum sit immutabilis, sed pacatur nobis diligendo nos dilectione æterna et immutabili : Ergo pacatur nobis mutatione facta in nobis, et effectu aliquo producto in nobis per illam dilectionem : Nam dilectio Dei per hoc distinguitur a dilectione creata quod dilectio Dei est non solum affectiva, sed etiam effectiva, id est, ponit in nobis aliquem effectum. dilectio autem creata est tantum affectiva, nec aliquid ponit in nobis intrinsecum. Unde non imputare nobis peccatum, est dilectio Dei importans necessario effectum aliquem gratuitum, quo grati reddimur Deo, cum prius essemus ingrati et invisi : Donum autem gratuitum reddens nos Deo gratos est Gratia, ut patet ex dictis supra.

Sequitur 1063. Ad justificationem impii adulti requiri motum liberi arbitrii.

1063. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Ad receptionem Gratiæ in adulto requiritur motus liberi arbitrii, tanquam dispositio, ex dictis supra : Sed justificatio impii adulti est receptio Gratiæ, ut ostensum est : Ergo ad justificationem impii adulti requiritur motus liberi arbitrii.

Sequitur 1064. Ad justificationem impii adulti requiri motum liberi arbitrii convertentis se in Deum ut finem supernaturalem.

1064. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Ad receptionem liberam Gratiæ requiritur in homine adulto cenversio in Deum ut finem supernaturalem ; justum est enim, ut qui se libere avertit a Deo, dum resipit, se libere convertat in Deum : Sed justificatio impii adulti est libera receptio Gratiæ, ut jam probatum est : Ergo ad justificationem impii adulti requiritur conversio in Deum ut finem supernaturalem.

Sequitur 1065. Ad justificationem impii adulti requiri actum fidei.

1065. — Ibidem.

Probatur sequela. Cognitio Dei, ut finis supernaturalis non habetur in hac vita nisi per actum fidei, ut patet ex dictis supra, et amplius infra probabitur : Sed ad justificationem impii adulti requiritur cognitio Dei ut finis supernaturalis in hac vita ; quia nihil volitum quin præcognitum, et extra hanc vitam non datur justificatio impii : Ergo ad justificationem impii requiritur actus fidei.

Sequitur 1066. Ad justificationem impii requiri actum charitatis.

1066. — Ibidem.

Probatur sequela. Conversio in Deum ut finem ultimum supernaturalem est actus charitatis ; converti enim in finem est diligere finem propter ipsum :

Sed ad justificationem impii requiritur conversio in Deum ut finem ultimum : Ergo ad justificationem impii requiritur actus charitatis.

Sequitur. 1067. Ad justificationem impii requiri actum timoris et actum humilitatis.

1067. — Ibid. a 5.

Probatur sequela. Subjectio, qua quis se subjicit Deo, est actus timoris et humilitatis : Sed ad justificationem impii requiritur subjectio, qua quis se subjiciat Deo : Ergo ad justificationem impii requiritur actus timoris et humilitatis. *Minor probatur :* In conversione ad Deum ut finem ultimum includitur subjectio ad Deum ; omnis enim, qui respicit finem ultimum, subjicit se illi, præsertim quando finis est etiam supremus Dominus et subsistens, ut in proposito, ubi Deus ipse est ultimus finis.

Sequitur 1068. Ad justificationem impii requiri detestationem peccati.

1068. — Ibidem.

Probatur sequela. Recessus voluntarius a peccato est detestatio peccati : Sed ad justificationem impii requiritur recessus voluntarius a peccato : Ergo ad justificationem impii requiritur detestatio peccati. *Major est evidens :* quia sicut accessus animæ ad bonum est desiderium, ita recessus a malo est fuga vel detestatio, ut patet ex dictis in primo principio. *Minor vero probatur :* In omni motu requiritur recessus a termino *a quo*, et accessus ad terminum *ad quem :* Sed justificatio, ut diximus, est motus a peccato sive potius a statu peccati ad statum justitiæ ; unde peccatum habet rationem termini *a quo,* sicut justitia habet rationem termini *ad quem;* Ergo in justificatione requiritur recessus a peccato, qui debet esse voluntarius et liber, ut dictum est.

Sequitur 1069. Ad justificationem impii requiri remissionem peccati.

1069. — Ibid. a. 6.

Probatur sequela. In omni motu, quo aliquid movetur tria requiruntur ; *primo* motio moventis ; *secundo* motus mobilis, qui importat recessum a termino *a quo,* et accessum ad terminum *ad quem ;* et *tertio* perventio ad finem : Sed justificatio impii est motus a statu peccati ad statum justitiæ : Ergo tria ad justificationem requiruntur, scilicet motio Dei, quæ est ipsa Gratiæ infusio ; recessus a termino *a quo,* qui est detestatio peccati ; accessus *ad quem,* qui est conversio in Deum ; et perventio ad finem, quæ est ipsa remissio peccati : quamvis enim remissio peccati veluti habitualiter considerata sit idem realiter cum infusione Gratiæ habitualis, nihilominus differunt ratione, et ad statum Gratiæ habitualis, hoc est ut homo sit vere in statu Gratiæ habitualis, præexigitur remissio culpæ ; et idcirco remissio peccati numeratur inter requisita ad justificationem.

Ut autem hæc intelligas, adverte, justificationem non esse utcumque motum a peccato ad justitiam, sed esse motum a statu peccati ad statum justitiæ : quæ duo multum differunt ; nam motus a peccato in justitiam potest intelligi a peccato utcumque, sive sit per modum status, sive non, ad justitiam actualem, sive ad actum justitiæ ; et hic motus non est proprie justificatio : motus vero a statu peccati ad statum justitiæ, est motus a peccato habituali ad habitum justitiæ, sive Gratiam habitualem ; et ad hunc motum requiritur Gratiæ et charitatis infusio, quæ ut sunt in infundi habent vim, et supplent vices motionis et auxilii divini : requiritur etiam motus liberi arbitrii in peccatum per detestationem, et in Deum per amorem, et tandem requiritur remissio peccati, hoc est, expulsio peccati habitualis, quæ expulsio fit quidem per habitum justitiæ sive Gratiæ et charitatis, nihilominus præintelligitur in genere causæ materialis prius quam intelligatur ipsa Gratia habitualis.

Sequitur 1070. Actum charitatis non esse formam justificantem proprie.

1070. — Ibidem.

Probatur sequela. Forma justificans proprie debet esse habitualis : Atqui actus charitatis non est habitualis : Ergo actus charitatis non est forma justificans. *Minor est evidens. Major probatur :* Forma proprie justificans debet constituere statum justitiæ ; ut enim diximus, et advertit S. Thomas sæpius, et definitum est a Tridentino sess. VI, C. IV., Justificatio proprie est translatio a statu peccati ad statum justitiæ : Sed sola forma habitualis potest constituere statum justitiæ ; status enim importat aliquid firmum, stabile et permanens : Ergo sola forma habitualis potest esse justificans. Quare licet actus charitatis expellat peccatum dispositive, non expellit tamen peccatum habituale formaliter.

Sequitur 1071. Justificationem posse fieri in instanti.

1071. — Ibid. a. 7.

Probatur sequela. Ad justificationem hæc quatuor requiruntur, videlicet infusio Gratiæ, motus detestationis in peccatum, et charitatis erga Deum, et remissio peccati : Sed hæc quatuor possunt esse in instanti : Ergo et justificatio. *Major probata est. Minor probatur :* Agens infinitæ virtutis potest simul et semel in unico instanti ponere dispositiones, quæ non exigunt successionem, sed formam indivisibilem : Atqui Deus est agens infinitæ virtutis, ut dictum est ; dispositiones ad Gratiam sunt actus intellectus et voluntatis, qui non exigunt successionem ; Gratia vero non est forma materialis et divisibilis, ut constat ex dictis : Ergo Deus potest simul et semel infundere Gratiam, et in eodem instanti ponere dispositiones, et remittere peccata.

Sequitur 1072. Aliquando aliquas dispositiones ad Gratiam præcedere tempore ipsam Gratiam.

1072. — Ibidem.

Probatur sequela. Dispositiones non perfectæ possunt præcedere tempore ipsam formam : Sed ad Gratiam dantur quandoque dispositiones non perfectæ, v. g. actus attritionis extra sacramentum, ut infra dicemus : Ergo tunc hujusmodi dispositiones præcedunt tempore.

Sequitur 1073. Peccatum habituale desinere esse in anima per instans extrinsecum, quando verum est dicere, *Nunc peccatum non est, sed immediate antea fuit :* et tunc etiam verum est dicere. *Nunc Gratia est, et immediate antea non erat.*

1073. — Ibidem.

Explicatur. Gratia per se non mensuratur tempore, sed æternitate participata ; ratione tamen subjecti, scilicet hominis, mensuratur tempore : unde in eodem instanti nostri temporis in quo Gratia infunditur, peccatum desinit esse per instans extrinsecum, atque adeo verum est dicere, *Peccatum nunc non est, sed fuit immediate antea, et Gratia nunc est, et non erat immediate antea.* Vide dicta in primo principio.

Sequitur 1074. In genere causæ efficientis, atque adeo simpliciter, priorem esse prioritate naturæ, infusionem Gratiæ ; deinde motum liberi arbitrii in Deum ; tertio motum liberi arbitrii in peccatum ; ac demum remissionem peccati.

1074. — Ibid. a. 8.

Probatur sequela. In his, quæ sunt in eodem instanti, illa, quæ se tenent ex parte causæ efficientis, sunt prioritate naturæ priora simpliciter : Sed ex parte Dei tanquam causæ efficientis prior est Gratiæ infusio, qua mediante movet ad actum charitatis, et mediante actu charitatis movet ad detestationem peccati ; movet enim

ad hoc odium et detestationem propter Deum summe dilectum; ac demum movet ad odium peccati, ut sequatur remissio peccati habitualis : Ergo hoc pacto simpliciter hæc quatuor ordinantur.

Sequitur 1075. In genere causæ materialis priorem esse remissionem peccati et motum detestationis peccati, quam sit motus in Deum et infusio Gratiæ.

1075. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia ordo causæ materialis est oppositus ordini causæ efficientis : quare prius est ordine naturæ in ratione dispositionis materialis, quod remittatur peccatum; deinde quod homo detestetur illud; tertio quod voluntas convertatur in Deum; ac demum quod anima recipiat Gratiam.

Sequitur 1076. Justificationem impii ex parte modi agendi non esse maximum opus Dei.

1076. — Ibid. a. 9.

Probatur sequela. Eductio formæ etiam supernaturalis ex potentia obedientiali subjecti non est tantum opus ex parte modi agendi, quam productio rerum ex nihilo : Sed justificatio non est nisi eductio Gratiæ ex potentia obedientiali subjecti; creatio vero est productio rerum ex nihilo : Ergo justificatio non est tantum opus ac creatio ex parte modi agendi.

Sequitur 1077. Ex parte rei productæ justificationem esse majus opus, quam creationem universi.

1077. — Ibidem.

Probatur sequela. Productio rei alicujus supernaturalis, præsertim participationis naturæ divinæ, est majus opus, quam productio cujuscumque rei naturalis ex parte rei productæ, quia res producta cum sit supernaturalis, est quid majus omni re naturali : Sed productio Gratiæ est productio rei supernaturalis et participationis naturæ divinæ, ex dictis, productio autem universi est productio rei naturalis, ut constat : Ergo productio Gratiæ est opus majus, quam productio universi.

Sequitur 1078. Justificationem impii est majus opus glorificatione justi, si attendatur proportio inter utrumque.

1078. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia major est proportio inter Gratiam et gloriam inter se, quam sit inter statum peccati et statum Gratiæ : Absolute tamen glorificatio est opus majus.

Sequitur 1079. Justificationem non semper esse miraculosam; aliquando tamen esse.

1079. — Ibid. a. 10.

Probatur sequela. Quia quandoque justificatio fit secundum modum ordinarium et usitatum, ut quando homo convertitur ad Deum primo conversione imperfecta, et deinde perfecta : aliquando vero fit præter communem cursum, ut quando subito fit perfecta, sicut contigit in conversione D. Pauli.

Sequitur 1080. Causam principalem justificationis esse solum Deum.

1080. — 1. 2. q. 112. a 1.

Probatur sequela. Eadem est causa justificationis et Gratiæ : Sed solus Deus est causa Gratiæ, ex dictis : Ergo et justificationis.

Sequitur 1081. Neminem posse esse certum per scientiam a priori se esse justificatum.

1081. — Ibid. a. 9.

Probatur sequela. Effectus, cujus causa est occulta, non potest cognosci certo per scientiam a priori : Sed Gratia est effectus, cujus causa est occulta, Deus nimirum : Ergo Gratia non potest cognosci certo per scientiam a priori, et multo minus potest cognosci certo existentia Gratiæ in hoc vel illo subjecto.

Sequitur 1082. Absolute neminem posse esse certum de sua Gratia, certitudine, cui non possit subesse falsum.

1082. — Ibidem.

Probatur sequela. Omnis certitudo vel est certitudo habita per scientiam a priori, vel a posteriori, vel per scientiam experimentalem, vel per fidem divinam : Sed nemo potest habere certitudinem de sua Gratia per scientiam a priori, ut dictum est, nec per scientiam a posteriori vel experimentalem, vel per fidem : Ergo nullam potest habere. De scientia a posteriori *probatur :* Omnis effectus æque producibilis ab una causa vel sub una ratione ac sub alia, non potest certo deducere in cognitionem causæ determinatæ : Sed omnis actus voluntatis, vel externus, qui a Gratia potest producere, prout a nobis cognoscitur, æque potest produci a voluntate sola, vel sub alia ratione, ac sub ratione ac motivo supernaturali, secundum quod nos deduceret in cognitionem charitatis et Gratiæ in nobis existentis : Ergo non potest certo deducere in cognitionem ipsius charitatis et Gratiæ, tanquam causæ determinatæ. *Major est evidens* ex dictis in primo principio, quia effectus non deducit in cognitionem causæ, nisi ratione connexionis cum certa et determinata causa : quando ergo effectus non habet connexionem cum causa certa et determinata, non potest nos deducere in cognitionem causæ certæ et determinatæ. *Minor etiam patet :* quia motivum supernaturale, sub quo actus aliquis nos deduceret in cognitionem Gratiæ et charitatis, non potest cognosci certo, quamdiu causa illius motivi nos latet : causa vero illius motivi, cum sit supernaturale, est ipse Deus, qui ut auctor supernaturalis nos latet : Ergo motivum illud etiam nos latet, nec potest, certo cognosci, an elicuerimus actum sub illo motivo, nec consequenter potest certo cognosci actus ille quatenus a Gratia et charitate dimanat determinate potius quam ab alia causa. Atque hinc habes etiam non posse nos habere scientiam experimentalem : quia nulla experientia potest nobis dare certam cognitionem motivi. De fide demum probatur : quia in nullo principio revelato continetur formaliter vel virtualiter, quod v. g. homo aliquis adultus sit in Gratia : atque adeo per fidem non potest haberi certitudo, quod aliquis sit in Gratia.

Nec valet, si dicas nos posse cognoscere, quod habemus fidem ; atque adeo posse certo cognoscere motivum supernaturale. Respondetur enim fidem elevando intellectum reflexivum supra seipsum, elevare etiam illum ad cognoscendam ipsam fidem certo, præsertim adjuncta regula extrinseca et sensibili ipsius fidei, quæ est Ecclesia, cujus fidem cum certo credere debeamus, etiam nostram, quæ conjuncta imo et una est cum fide Ecclesiæ, certo tenemur credere : Non est autem simile de Gratia et charitate, cujus, cum sit in voluntate, quæ non est reflexiva per modum cognitionis, non possumus motivum certo cognoscere, præsertim quia non habemus regulam quamdam extrinsecam et sensibilem, qua possimus illam certo attingere. Sed de hoc alias.

Sectio 5ª. — De altero effectu gratiæ, scilicet de merito.

Sequitur 1083. Hominem sine Gratia non posse mereri erga Deum.

1083. — 1. 2. q. 114. a. 1.

Probatur sequela. Omne meritum correspondens mercedi, fundatur vel in justitia commutativa, vel in amicitia : Sed meritum hominis apud Deum non potest fundari in justitia commutativa ; quia nec in Deo datur justitia commutativa respectu cujuscumque rei creatæ, ut diximus supra, et constabit magis infra ; nec in homine potest dari justitia commutativa ad Deum ob inæqualitatem dominii divini supra humanum : Ergo omne

meritum hominis ad Deum debet fundari in amicitia ; quæ, cum haberi non possit sine Gratia et charitate, etiam meritum hominis ad Deum debet fundari in Gratia et charitate.

Sequitur 1084. Multo minus posse peccatorem mereri bonum aliquod apud Deum, sine Gratia.

1084. — Ibid. a. 5.

Probatur sequela. Qui meretur pœnam, non meretur bonum aliquod apud Deum : Sed peccator, quamdiu est sine Gratia meretur pœnam : Ergo non meretur bonum aliquod apud Deum, nisi prius consecutus fuerit Gratiam.

Sequitur 1085. Neminem posse mereri vitam æternam sine Gratia.

1085. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Inter meritum et mercedem debet esse proportio, imo et æqualitas si sumatur meritum simpliciter : Sed nulla actio hominis sine Gratia habet proportionem ad vitam æternam, sive visionem beatificam, quam supra diximus excedere cognitionem, desiderium, et virtutem totius naturæ : Ergo nulla actio hominis sine Gratia potest mereri vitam æternam.

Sequitur 1086. Ad meritum erga Deum requiri statum Gratiæ.

1086. — Ibid. a. 1.

Probatur sequela. Amicitia inter Deum et hominem exigit statum Gratiæ : Sed, ex dictis, meritum requirit amicitiam inter Deum et hominem : Ergo requirit statum gratiæ.

Sequitur 1087. Ad meritum hominis erga Deum requiri divinam ordinationem.

1087. — Ibidem.

Probatur sequela. Amicitia inter Deum et hominem non potest esse sine divina ordinatione ; oportet enim quod Deus det homini Gratiam et charitatem, quibus ipse homo ordinatur ad vitam æternam, et ad media, quæ deserviunt, ad ipsam consequendam : Sed ad meritum requiritur amicitia inter Deum et hominem : Ergo ad meritum requiritur ordinatio divina.

Sequitur 1088. Hanc ordinationem divinam non esse omnino extrinsecam, et distinctam ab illa, qua Deus vult homini conferre Gratiam et charitatem in ordine ad vitam æternam

1088. — Ibidem.

Probatur sequela. Eo ipso, quod Deus vult hominem adultum operari et consequi vitam æternam, vult ut consequatur vitam æternam ut præmium : Sed eo ipso, quod Deus vult dare Gratiam et charitatem, vult hominem adultum operari et consequi vitam æternam, ut constat ex dictis : Ergo eo ipso, quod vult dare homini adulto Gratiam et charitatem, vult ei dare vitam æternam ut præmium sine alia extrinseca ordinatione. *Major patet :* quia modus humanus, id est, quo homo consequi debet suum ultimum finem, est ut libere agens illum consequatur, atque adeo ut bene ac supernaturaliter operando illum consequatur non solum ut finem, sed etiam ut præmium, sicut supra dictum est : Sed eo ipso sine alia extrinseca promissione vel ordinatione, quod Deus vult hominem adultum operari et consequi vitam æternam, ut finem, vult quod illam consequatur modo humano : Ergo vult, quod illam consequatur ut præmium.

Sequitur 1089. Requiri quidem divinam promissionem ad hoc, ut homo mereatur, sed illam involvi de facto in ipsa ordinatione, qua Deus vult dare homini Gratiam et charitatem in ordine ad vitam æternam, ut modo humano, libero, atque adeo meritorio consequendam.

1089. — Ibidem.

Probatur sequela. Voluntas, qua

Deus vult, quod homo consequatur vitam æternam ut præmium, est divina promissio; non enim potest velle, quod homo illam consequatur, ut præmium, nisi eo ipso promittat illam ut præmium : Sed ad meritum requiritur voluntas Dei, qua vult, hominem consequi vitam æternam ut præmium, ex dictis : Ergo ad meritum requiritur promissio Dei; quæ nihilominus involvitur in illa voluntate, qua vult dare Gratiam et charitatem in ordine ad vitam æternam modo humano et libero, atque adeo per meritum acquirendam. Quare poterat quidem Deus absolute loquendo velle dare homini Gratiam et charitatem cum ordine ad vitam æternam ut hæreditatem adipiscendam; sed si hoc pacto ordinasset, noluisset ut homo modo humano consequeretur vitam æternam. Supposito autem quod ordinarit, ut illam consequeretur modo humano, non poterat velle, quod illam non consequeretur libere, hoc est, per operationem liberam; nec poterat velle, quod illam consequeretur per operationem liberam naturalem, quia nulla est proportio inter operationem liberam naturalem et vitam æternam : debebat ergo velle, quod illam consequeretur per operationem liberam bonam bonitate supernaturali : et hoc posito volebat necessario, quod illa operatio esset proportionata vitæ æternæ, atque adeo volebat quod esset meritoria; quia meritum ex natura rei resultat ex operatione libera et bona bonitate supernaturali in ordine ad finem totius ordinis supernaturalis, qui finis est vita æterna.

Sequitur 1090. Ad meritum requiri operationem bonam, et liberam, et supernaturalem.

1090. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia de intrinseca ratione cujuscumque meriti, ut dicemus infra, est quod actio sit libera et bona, non quomodocumque sed cedens aliquo modo in bonum ejus, a quo debet esse merces. Quod vero debeat esse supernaturalis, jam probatum est : quia etsi non debeat nec possit respectu Dei habere omnimodam æqualitatem, sicut requireretur ad meritum simpliciter, debet tamen habere aliquam proportionem : Atqui non potest habere ullam proportionem ad præmium supernaturale, nisi ad minus sit ejusdem ordinis : Ergo debet esse operatio supernaturalis.

Sequitur 1091. Ad meritum erga Deum requiri, quod actio illa referatur in Deum saltem relatione virtuali.

1091. — Ibid. a. 4.

Explicatur. Ut actio aliqua habeat rationem meriti erga aliquem, debet fieri in bonum ejus, a quo expectatur merces; neque sufficit, quod utcumque cedat in bonum ipsius, sed requiritur quod fiat ea intentione; alias si per accidens tantum cederet in bonum, non esset meritoria : et quamvis inter homines sufficiat, quod actio illa sit in bonum præmiantis, etiamsi promerens habeat alium finem, puta proprium bonum; hoc tamen locum habere non potest erga Deum, qui præcipue respicit intentionem et motivum, propter quod fit actio : unde ut actio sit meritoria apud Deum, debet fieri ex intentione gloriæ Dei : Hæc autem intentio est relatio in Deum : Ergo requiritur relatio in Deum. Relatio autem in Deum potest esse triplex, habitualis, actualis, et virtualis : Relatio *habitualis* est illa, quæ fit ratione habitus, quem operans habet, et per quem se suaque omnia habitualiter refert in Deum : *Actualis* est illa, qua de facto et in actu exercito actio refertur in Deum; denique *virtualis* est, quæ ex virtute prioris alicujus intentionis in ipso actu relinquitur, quando videlicet actio fit ex vi prioris actualis relationis. Quod ergo dicimus, est non sufficere relationem habitualem; quia tunc reipsa nullo modo fit in bonum

alterius ex intentione operantis, sed requiri virtualem ad minus.

Probatur ergo sequela. Ad omne meritum requiritur intentio promerentis, ex qua fiat actio in bonum præmiantis : Sed ad hanc intentionem sola relatio habitualis non sufficit; nec requiritur etiam necessario relatio actualis; alias vix esset ulla actio meritoria ; neque hæc est necessaria, ut volita sit actio in bonum ipsius præmiantis ex vi intentionis : Ergo requiritur et sufficit quod sit virtualis relatio.

Sequitur 1092. Ad meritum requiri statum viæ.

1092. — Ibidem.

Probatur sequela. Omnis tendentia in finem habet rationem viæ respectu termini : Sed meritum est tendentia in finem ; oportet enim, ut diximus, quod operatio fiat ex intentione finis atque adeo quod operans intendat, sive quod tendat in finem aliquem : Ergo ad meritum requiritur status viæ : Sed adverte tendentiam in finem, quam exigit meritum, pendere ex ordinatione divina, ita ut juxta quod Deus ordinat, illa tendentia constituat statum viæ : Unde ad statum viæ in hominibus requiritur unio animæ cum corpore mortali, et idcirco animæ, quæ sunt in Purgatorio, licet tendant ad finem vitæ æternæ non merentur, quia non uniuntur corpori mortali ; in Angelis vero hæc unio non erat requisita, quia non sunt formæ corporum : In Christo etiam non fuit tendentia in finem vitæ æternæ, cum a primo instanti fuerit beatus, ut postea dicemus, et tamen Christus fuit viator, quia aliquo modo tendebat in finem, hoc est, ad gloriam corporis, et ad perfectam satisfactionem Patri æterno exhibendam. Status ergo viæ dicit quidem aliquam tendentiam in aliquem finem, sed absolute pendet ex ordinatione divina : Unde etiam Elias et Enoch in paradiso terrestri viventes, dicuntur esse extra statum viæ, quamvis sint in corpore mortali, et nondum consecuti sint vitam æternam.

Sequitur 1093. Hominem posse mereri de condigno vitam æternam.

1093. — 1. 2. q. 114. a. 3.

Explicatur. Terminus ille *de condigno* dupliciter potest intelligi ; *primo* ut idem sit ac ex perfecta æqualitate; et hoc modo certum est ex dictis nullum hominem purum posse mereri *de condigno,* id est, ex perfecta æqualitate vitam æternam ; et hoc sensu loquitur Apostolus dum ait ; *Non sunt condignæ passiones hujus temporis, etc.* (Ad Rom. 8.) *Secundo* potest intelligi *condigno* ut idem sit ac cum proportione et ordine, hoc est, quod meritum sit ejusdem ordinis cum præmio ; et hoc sensu loquuntur Theologi juxta illud Scripturæ, *Et invenit illos dignos se.* Hoc ergo posito.

Probatur sequela. Ad meritum de condigno non requiritur perfecta æqualitas operis cum præmio, sed sufficit proportio ordinis : Atqui homo in Gratia constitutus potest elicere actus, qui habeant hujusmodi proportionem ordinis cum vita æterna, hoc est, qui sint supernaturales : Ergo potest mereri de condigno vitam æternam.

Sequitur 1094. Opus hominis posse etiam esse meritorium vitæ æternæ de condigno, id est, ex perfecta æqualitate, non prout est ab ipso homine præcise, sed si attendatur ipsum principium operis quodammodo intrinsecum homini.

1094. — Ibidem.

Explicatur. Opus meritorium potest considerari dupliciter ; *primo* ut est ab homine etiam in Gratia constituto ; et hoc modo non est æquale vitæ æternæ, nisi æqualitate proportionis et ordinis; *secundo* potest considerari opus meritorium, ut est a Spiritu sancto inhabitante animam

ratione Gratiæ habitualis, modo supra explicato, et movente illam ad illud opus per Gratiam actualem; et hoc modo sumendo opus meritorium ex dignitate Spiritus sancti ut principii habet æqualitatem, ita ut opus meritorium, correspondeat visioni beatificæ, ut est beatitudo formalis; et principium operis correspondeat ipsi objecto beatificanti, quod est ipsemet Deus. Præterea si consideretur opus meritorium quatenus est ab homine ut peculiari et privata persona per Gratiam habitualem sanctificata, non habet omnimodam æqualitatem; sed si consideretur idem opus ut est ab homine sanctificato tanquam membro Christi, habet omnimodam æqualitatem; quia meritum Christi est infinitum, ut infra ostendemus, cum de merito Christi agemus.

Sequitur 1095. Opus procedens a Gratia principalius esse meritorium vitæ æternæ per charitatem, quam per alias virtutes.

1095. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Omnis illa ratio, quæ oritur ex ordinatione ad vitam æternam, oritur principaliter ex charitate, ad quam, ut diximus, pertinet ordinare ad Deum ut finem ultimum : Sed ratio meriti oritur ex ordinatione operis ad vitam æternam, ut patet ex dictis : Ergo ratio meriti in operibus nostris oritur ex charitate principaliter. *Præterea :* Quo aliquid est magis voluntarium, est etiam magis meritorium : Sed quod fit ex amore et charitate, est magis voluntarium : Ergo quod fit ex charitate est magis meritorium. Charitas ergo magis facit ad meritum, quam reliquæ virtutes supernaturales et infusæ.

Sequitur 1096. Opera aliarum virtutum, quatenus a charitate ordinantur in finem, posse esse meritoria.

1096. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia habent omnes conditiones requisitas ad meritum; sunt enim actiones liberæ, bonæ moraliter, ab homine in statu viæ et Gratiæ elicitæ in ordine ad Deum : Hæc autem sicut requiruntur, ita sufficiunt ad meritum, ut ex dictis constat : Ergo hujusmodi actiones sunt meritoriæ.

Sequitur 1097. Actus hujusmodi virtutum præcise et semota ordinatione charitatis, si sic possent elici, non fore meritorias saltem præmii essentialis de condigno.

1097. — Ibidem.

Probatur sequela. Ad meritum, ex dictis, requiritur saltem virtualis relatio in Deum ut finem ultimum : Sed seclusa ordinatione charitatis non haberent illam relationem in Deum : Ergo seclusa illa ordinatione charitatis non mererentur de condigno præmium essentiale.

Sequitur 1098. Hujusmodi actibus virtutum, præcisa vel abstracta ordinatione illa charitatis, posse correspondere aliquod præmium accidentale etiam de condigno.

1098. — Ibidem.

Explicatur : Non intendimus, quod hujusmodi actus virtutum moralium infusarum possint fieri sine relatione et ordinatione virtuali charitatis ; quia cum hujusmodi virtutes illarumque actus sint ex motivo supernaturali, ut nunc supponimus, et infra probabitur, et cum illæ virtutes sint proprietates gratiæ mediante charitate tanquam prima proprietate, omnino impossibile judicamus, elici actus harum virtutum, sicut nec ipsas virtutes augeri, sine relatione charitatis. Quod ergo dicimus est, quod si per intellectum absstahamus illam ordinationem charitatis, cum qua semper eliciuntur hi actus, et consideremus illos actus virtutum præcise ut sunt ab illis virtutibus, supposita nihilominus et non exclusa hujusmodi ordinatione, tunc illis actibus virtutum ut sic, correspondet præmium accidentale : Sed sicut

præmium accidentale supponit essentialiter ipsum præmium essentiale, ita hi actus virtutum præsupponunt essentialiter ordinationem charitatis.

Probatur ergo sequela. Hujusmodi actus virtutum ut præcise correspondent ipsis virtutibus habent omnia necessaria ad meritum alicujus præmii : Sed non præmii essentialis præcise ut sic : Ergo præmii accidentalis : *Major est evidens ex dictis :* nam habent ipsam ordinationem charitatis, cui ordinationi correspondet præmium essentiale : sed ut præcise considerantur quatenus sunt a virtutibus particularibus habent etiam suam bonitatem supernaturalem : Ergo illis debet etiam correspondere aliquod præmium. Quod vero illud præmium non sit essentiale, est evidens ; quia illud soli charitati correspondet : unde pro majori, vel minori charitate est majus vel minus. Hinc fit, quod aliquis beatus potest habere minorem beatitudinem essentialem, et habere nihilominus aliquod præmium accidentale, quod magis beatus non habet, puta aureolam virginitatis, martyrii, vel doctoratus.

Sequitur 1099. In statu naturæ puræ vel integræ non futurum meritum hominis ad Deum, saltem perfectum, quale potest esse.

1099. — Ibidem.

Probatur sequela. Ubi non est amicitia inter Deum et hominem, non est etiam meritum, et eo modo est meritum, quo est amicitia ; quia, ut diximus, meritum hominis erga Deum fundatur in amicitia, et non in justitia : Sed in statu naturæ puræ vel integræ non fuisset vera ratio amicitiæ inter Deum et hominem, nisi valde imperfecte, ita ut fuisset potius quædam benevolentia, quam vera amicitia, sicut non fuisset vera communicatio in bonis propriis Dei, quæ sunt sola supernaturalia, ut alias explicatum est : Ergo non fuisset vera et perfecta ratio meriti etiam secundum quid, quomodo dumtaxat potest esse meritum hominis ad Deum.

Sequitur 1100 Hominem non posse mereri primam Gratiam actualem.

1100. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Primum principium meriti non potest esse ex merito. Sed prima Gratia actualis est primum principium meriti : Ergo prima Gratia actualis non potest esse ex merito. *Major probatur :* Quod est ex merito est terminus operis meritorii : Sed implicat, quod primum principium operis sit illius terminus : Ergo implicat, quod primum principium operis sit ex merito. Adde quod, id, quod præcedit primam Gratiam est opus tantum naturale, atque adeo improportionatum ipsi Gratiæ. Denique hoc est contra rationem Gratiæ, quæ si sit ex operibus, jam non est Gratia.

Sequitur 1101. Hominem non posse mereri primam Gratiam habitualem.

1101. — Ibidem.

Probatur sequela. Gratia habitualis præsupponitur ad omne meritum : Sed homo non potest mereri, quod præsupponitur ad omne meritum : Ergo homo non potest mereri primam Gratiam habitualem. *Major probatur ex dictis :* Status amicitiæ inter Deum et hominem præsupponitur ad omne meritum : Sed sine Gratia habituali non est status amicitiæ inter Deum et hominem : Ergo Gratia habitualis præsupponitur ad omne meritum. *Minor etiam est certa* ex dictis.

Nec valet si dicas ; Deus potest per Gratiam actualem et efficacem movere voluntatem hominis ad actum charitatis : Sed per illum actum charitatis homo mereretur Gratiam habitualem ; haberet enim ille actus omnia requisita ad meritum : Ergo, etc.

Non valet, inquam, quia dato e

non concesso, quod homo primo moveretur ad actum charitatis antequam haberet Gratiam habitualem, nihilominus hujusmodi actus non esset meritorius; quia omne meritum, ut diximus, fundatur in amicitia inter Deum et hominem, ille autem actus charitatis, elicitus sine Gratia habituali saltem in eodem instanti infusa, non posset constituere amicitiam inter Deum et hominem; quia amicitia includit, quod amicus sit gratus amico, homo autem ex solo actu charitatis non esset gratus Deo, cum hoc quod est esse gratum Deo sit effectus formalis Gratiæ, ut jam diximus.

Sequitur 1102. Hominem posse quidem mereri primam gloriam, non tamen primam Gratiam correspondentem primæ gloriæ.

1102. — Ibidem.

Probatur sequela. Homo in instanti, quo infunditur Gratia, potest operari opus meritorium, quod sit dispositio ad primam Gratiam, ut superius dictum est : Sed in hoc casu meretur primam gloriam, ut constat, quandoquidem in eodem instanti operatur et disponit se ad Gratiam : Ergo meretur primam gloriam, et non primam Gratiam. Ratio vero hujus rei est, quia prima gloria non prærequiritur ad meritum sicut prima Gratia.

Nec valet, si dicas, quod illi primæ Gratiæ correspondet aliquis gradus gloriæ; ille autem gradus non potest esse alius quam primus. Non valet, inquam, quia primus gradus gloriæ correspondet primæ Gratiæ tantum ut hæreditas, non autem ut præmium, nisi quatenus illa eadem prima Gratia est principium operis meritorii.

Sequitur 1103. Hominem non posse mereri alteri primam Gratiam de condigno.

1103. — Ibid. a. 6.

Probatur sequela. Ad meritum de condigno requiritur proportio ex natura rei inter meritum et præmium, quæ oritur ex Gratia habituali et motione Dei, ut diximus supra : Sed hæc proportio non reperitur in operibus hominis in ordine ad Gratiam alterius : Ergo in illis operibus non potest esse meritum de condigno in ordine ad Gratiam alterius. *Major patet ex dictis supra. Minor probatur* : omnis proportio est quidam ordo : Sed Gratia habitualis unius hominis et motio Dei, qua movet illum ad opus ex natura sua non dicunt ordinem ad alterum : Ergo gratia habitualis unius hominis, et motio Dei, qua movet illum ad opus, non dicunt ex natura sua proportionem ad alterum, nec consequenter ad bonum alterius. *Minor probatur :* Nulla Gratia aut motio limitata ad aliquod subjectum, dicit ordinem ad aliud ; eo enim ipso, quod est limitata ad aliquod subjectum, etiam in ratione virtutis activæ, non respicit nisi ipsum subjectum, quando est virtus activa solum respectu actionum immanentium : Sed Gratia et motio Dei recepta in aliquo subjecto finito et limitato limitatur etiam in ratione virtutis activæ ad actiones immanentes illius subjecti ; Ergo non respicit ex natura sua, nisi quæ sunt illius subjecti, non autem quæ sunt alterius. Atque hinc habes, cur Gratia Christi potuerit extendi ad alios, sive ad merendum aliis, quia non erat limitata ex persona, in qua erat ratione humanæ naturæ, quin potius ratione personæ utpote infinitæ habebat infinitatem; Quare licet secundum esse physicum esset finita et determinata per animam Christi tanquam per subjectum ; in esse tamen morali non erat limitata ratione suppositi, imo potius erat infinita ; unde dignitas moralis illius Gratiæ non sequebatur limitationem physicam factam ex eo, quod reciperetur in anima Christi ut in subjecto physice finito ; sed potius sequebatur dignitas illa moralis ipsam personæ infinitatem. Cum enim condignitas operis oriatur radicaliter ex condigni-

tate personæ operantis, quando condignitas personæ est limitata, etiam condignitas Gratiæ et operis ex hujusmodi Gratia promanantis limitata est : condignitas autem personæ est limitata, quando ipsa persona totam condignitatem habet ex Gratia physice ac realiter recepta in illa persona ; tunc enim per talem receptionem limitatur ipsa Gratia, tum in esse physico, tum in esse morali ; quia persona non dignificatur nisi per ipsam physicam receptionem Gratiæ : quando vero persona dignificat ipsam Gratiam, et persona est infinita, tunc condignitas operis dimanantis a Gratia oritur tum in ipsa Gratia, tum in opere, a dignitate infinita personæ, quæ proinde, quatenus infinita, potest se extendere ad alios. Gratia ergo in persona finita non potest esse principium meriti de condigno respectu aliorum, sed tantum respectu personæ, cujus opus dignificatur a sola Gratia ; quia Deus movet illam ad opus, secundum quod ipsa nata est moveri.

Sequitur 1104. Neminem posse mereri reparationem post lapsum.

1104. — Ibid. a. 7.

Probatur sequela. Nulla causa producit effectum suum, quando impeditur ejus causalitas tam ex parte causalitatis, quam ex parte subjecti : Sed meritum est aliquo modo causa, saltem moralis, ipsius præmii : Ergo meritum non potest producere effectum suum, quando ejus causalitas impeditur, tam ex parte ipsius causalitatis, quam ex parte subjecti. Atqui per peccatum subsequens ad meritum impeditur causalitas meriti utroque modo : Ergo post peccatum subsequens non potest meritum ullum producere effectum. Totum primum argumentum est evidens. *Subsumptum vero probatur :* quia tota causalitas meriti est ex motione divinæ Gratiæ, et ex parte passi subjectum non habens Gratiam sed peccatum, impeditur a receptione præmii propter indignitatem peccati, quod reddit illud dignum pœna, non præmio : Atqui motio divinæ Gratiæ interrumpitur et impeditur per sequens peccatum, sicut et subjectum in peccato existens redditur incapax præmii : Ergo per peccatum sequens impeditur causalitas meriti, et dispositio subjecti.

Sequitur 1105. Hominem in Gratia constitutum posse augmentum Gratiæ mereri de condigno.

1105. — Ibid. a. 8.

Probatur sequela. Quidquid est aliquomodo terminus motionis Gratiæ potest homo mereri de condigno : Sed augmentum Gratiæ est terminus motionis Gratiæ : Ergo potest homo mereri etiam de condigno, augmentum Gratiæ. *Minor est evidens :* quia licet augmentum Gratiæ non sit terminus ultimus illius motus, quo quis tendit in vitam æternam ; est tamen terminus intermedius : non potest autem mobile pertingere ad terminum ultimum nisi transeat per intermedium, quando intermedius reperitur : atque adeo non potest homo merito suo pertingere ad vitam æternam, nisi possit pertingere illo eodem merito ad augmentum Gratiæ.

Sequitur 1106. Per quemlibet actum meritorium post primam justificationem posse hominem mereri augmentum Gratiæ, sicut et gloriæ.

1106. — Ibidem.

Probatur sequela. Quilibet actus bonus, liber, in Deum virtualiter relatus potest esse meritorius vitæ æternæ, et augmenti Gratiæ, ut patet ex dictis : Sed quilibet actus post primam justificationem elicitus potest esse actus liber, bonus, in Deum virtualiter relatus : Ergo quilibet actus post primam justificationem potest esse meritorius vitæ æternæ, et augmenti Gratiæ.

Sequitur 1107. Quemlibet actum etiam remissum, si habeat alias conditiones requisitas ad meritum, esse meritorium augmenti Gratiæ.

1107. — Ibidem.

Probatur sequela. Quilibet actus quantumcumque remissus habet omnes conditiones ad hoc ut sit meritorius : Atqui nihil aliud requiritur ut sit meritorius etiam augmenti Gratiæ ; cum enim sit meritorius vitæ æternæ, imo majoris gloriæ, quam correspondeat primæ justificationi, debet etiam esse meritorius augmenti Gratiæ : Ergo sic est.

Sequitur 1108. Actum illum remissum non esse dispositionem physicam ad augmentum Gratiæ, et tamen esse meritorium.

1108. — Ibidem.

Supponimus, quod jam supra probatum est, actus charitatis, contritionis, et alios, qui eliciuntur in instanti justificationis, esse dispositiones physicas ad ipsam Gratiam : unde consequens est, quod actus, qui post primam justificationem eliciuntur intentiores ipso habitu præexistente, sunt etiam dispositiones physicæ ad augmentum Gratiæ ; quia sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita se habet secundum quid ad secundum quid, atque adeo sicut actus charitatis et contritionis sunt dispositiones physicæ ad Gratiam simpliciter : ita iidem actus post justificationem eliciti erunt etiam dispositiones ad Gratiam secundum quid, id est, ad augmentum Gratiæ. Hoc ergo supposito.

Probatur sequela. Dispositio physica et realis tam intensa debet esse, quam sit intensa forma, ad quam disponit, si illa etiam possit intendi : Sed actus remissus non est ita intensus ac habitus etiam præexistens, et multo minus quam habitus per augmentum intendendus : Ergo actus remissus non est dispositio physica et realis ad augmentum habitus. *Major est evidens ;* quia debet esse proportio etiam (ut sic loquar) gradualis inter dispositionem et formam, *Minor patet ex dictis.* His ergo si adjungamus quæ jam diximus, quod nimirum actus remissus est meritorius augmenti Gratiæ, constat, quod actus remissus est quidem meritorius, sed non est dispositio physica ad augmentum Gratiæ.

Sequitur 1109. Augmentum Gratiæ et charitatis non fieri de facto, nisi quando ponitur actus intensior habitu præexistente.

1109. — Ibidem.

Probatur sequela. Habitus cum augmento est intensior quam ante augmentum : Sed actus, qui est dispositio physice ad augmentum, debet esse æque incensus ac ipse habitus cum argumento : Ergo debet esse intentior habitu ante augmentum præexistente. *Major est evidens. Minor patet ex dictis ; et confirmatur :* quia argumentum habituum infusorum debet fieri per actus eo proportionaliter modo, quo fit augmentum habituum acquisitorum per actus, excepta sola efficientia actuum respectu horum habituum ; hoc enim solum debet excipi, ut salvetur ratio habitus infusi : Sed augmentum habituum acquisitorum non fit nisi per actus intensiores ipsis habitibus ; quia a proportione minoris æqualitatis non datur actio : Ergo etiam augmentum habituum infusorum non fit per actus nisi intensiores.

Sequitur 1110. Augmentum Gratiæ et charitatis non conferri de facto statim quando positus est actus remissus meritorius augmenti.

1110. — Ibidem.

Probatur sequela. Quando ponitur actus remissior aut non intensior habitu, non ponitur de facto augmentum habitus ex dictis : Sed actus remissior aut non intensior habitu est meritorius augmenti, ut dictum est :

Ergo quando ponitur actus meritorius augmenti, non continuo ponitur et ipsum augmentum.

Sequitur 1111. Nunquam quamdiu homo est in statu viæ, posse poni augmentum correspondens merito actuum remissorum, quos homo elicuit.

1111. — Colligitur ex eodem loco.

Probatur sequela. Actus intensior, qui ut dispositio physica debet correspondere merito actuum remissorum, nunquam haberi potest quamdiu homo est in statu viæ : Sed ad hoc, ut de facto ponatur augmentum correspondens merito actuum remissorum, debet poni actus intensior, qui ut dispositio physica illi merito correspondeat : Ergo nunquam ponetur augmentum Gratiæ et charitatis correspondens merito actuum remissorum in hac vita.

Sequitur 1112. Augmentum Gratiæ et charitatis correspondens merito actuum remissorum, conferri postquam anima exiit de corpore.

1112. — Ibidem.

Probatur sequela. Quamdiu anima est in corpore, homo est in statu viæ : Sed augmentum Gratiæ et charitatis correspondens merito actuum remissorum non potest conferri in statu viæ : Ergo non potest conferri quamdiu anima est in corpore. *Major est evidens. Minor probatur ex dictis;* Actus, qui ex se est meritorius, non potest esse dispositio physica ad recipiendum augmentum Gratiæ correspondens merito aliorum actuum remissorum : Sed omnis actus in statu viæ est meritorius : Ergo nullus actus in statu viæ elicitus potest esse dispositio physica ad augmentum actuum remissorum; cum ergo ex dictis non conferatur augmentum correspondens merito actuum remissorum, nisi quando ponitur actus intensior, qui sit dispositio physica, non poterit conferri augmentum correspondens merito actuum remissorum, quicumque tandem ponatur actus in statu viæ. *Major hujus prosyllogismi probatur :* Actus meritorius, qui simul est intensior et dispositio physica non potest esse minus meritorius quam sit intensus, atque adeo totum quod potest præstare in ratione dispositionis physicæ est disponere subjectum ad recipiendum augmentum correspondens merito ejusdem actus intensioris. Ergo non potest esse dispositio physica ad recipiendum augmentum correspondens merito actuum remissorum : Igitur necessarium est ut inveniamus aliquem actum, qui possit esse dispositio physica, qui tamen non sit meritorius. Actus patriæ non potest esse dispositio, quia sequitur Gratiam consummatam : actus viæ est meritorius : Ergo debet dari aliquis actus in aliquo statu, in quo sit dispositio et non sit meritum. Hoc autem fit in instanti, quo anima separatur a corpore, in quo instanti Deus intuitu meriti actuum remissorum dat animæ auxilium, quo eliciat actum ita intensum, ut in ratione dispositionis physicæ correspondeat toti augmento Gratiæ et charitatis, quod homo per actus remissos promeruit.

Sequitur 1113. Recte dici posse, quod per actus remissos augetur Gratia in esse Gratiæ, non in esse qualitatis.

1113. — Ibidem.

Explicatur : Gratia dicitur et quia gratis datur, et quia reddit hominem gratum et acceptum ad vitam æternam : hoc autem simpliciter et absolute fieri nequit sine aliqua reali immutatione hominis, quæ illum vel a statu peccati vel ab esse naturali ad statum justitiæ supernaturalis transferat; sed ubi semel homo gratus est Deo, et per Gratiam operans meretur augmentum ejusdem Gratiæ, cum hoc augmentum sit præmium, nec necesse sit statim conferri, ut diximus, manet prima Gratia modificata per opus

illud meritorium, cui debetur augmentum, et ratione hujus modificationis, exigentiæ, et debiti homo præditus Gratia manet acceptus ad majorem Gratiam et gloriam, et sic dicitur ipsa Gratia augeri in esse Gratiæ, et meritum illud manere in acceptatione divina. Porro quia hoc augmentum non fit realiter et physice, quoad usque actus intensior tanquam dispositio physica ponatur in homine, ut diximus, idcirco dicitur Gratia non augeri in esse qualitatis. Ex his igitur.

Probatur sequela. Gratiam augeri in esse Gratiæ, nihil aliud est, quam acceptari a Deo ratione operis alicujus ad majorem gloriam; augeri vero in esse qualitatis, est realiter et physice intendi : Hoc enim solum intelligimus isto modo loquendi : Atqui sic est, quod Gratia per opus meritorium acceptatur a Deo ad majorem gloriam, et intenditur physice ac realiter, quando ponitur actus intensior tanquam dispositio physica, ut patet ex dictis : Ergo potest optime dici, quod Gratia augetur in esse Gratiæ, et non in esse qualitatis, quando per actus remissos homo meretur augmentum gratiæ, et non ponit actum intensiorem. *Major constat,* et confirmatur exemplo Gratiæ Christi, quæ, ut dicemus paulo post, est infinita in esse Gratiæ ratione infinitæ dignitatis suppositi, cum tamen sit finita in esse qualitatis.

Sequitur 1114. Ad meritum de congruo requiri conditiones necessarias ad communem rationem meriti hominis erga Deum, non tamen requiri illam, quæ specialiter constituit meritum de condigno, quatenus est de condigno.

1114. — Ibid. a. 6.

Probatur sequela. Quidquid requiritur ad rationem communem et quasi genericam, requiritur ad rationem specificam et particularem, non tamen requiritur differentia specialis, ut constat ex dictis in primo principio : Sed ratio meriti de condigno et de congruo conveniunt in ratione meriti, tanquam in ratione communi, et differunt per aliquam rationem specialem : Ergo quidquid requiritur ad rationem meriti ut sic, requiritur ad rationem meriti de congruo, non autem id, quod requiritur ad rationem meriti de condigno, quatenus est de condigno. Quamvis enim ratio meriti ut sic non sit proprie generica, est tamen ratio quædam communis, quæ deinde dividitur in meritum de condigno et de congruo.

Sequitur 1115. Ad meritum de congruo requiri actum liberum bonum in statu viæ et in statu Gratiæ elicitum.

1115. — Ibidem.

Probatur sequela. Quidquid requiritur ad rationem communem meriti, requiritur etiam ad meritum de congruo, excepta illa differentia, quæ facit illud esse de condigno, ex dictis : Sed ad rationem meriti ut sic requiritur actus liber, bonus, in statu viæ, et in statu Gratiæ elicitus : Ergo illud idem requiritur ad meritum de congruo. *Minor patet ex dictis :* nam cum ad rationem meriti requiratur bonitas moralis, quæ absque libertate esse nequit, sicut nec libertas actualis sine actu, certum est ad meritum de congruo requiri actum *liberum et bonum.* Quod autem ad rationem meriti ut sic requiratur bonitas moralis patet; quia meritum est quid morale; unde ad meritum requiritur moralitas; moralitas autem adæquate dividitur in bonitatem et malitiam, ut dicemus alias : Ergo, cum malitia nequeat esse ratio moralis fundans meritum, sed potius fundet demeritum, requiritur bonitas moralis ad meritum, atque adeo libertas; non potentialis, sed actualis; quam non posse esse sine aliquo actu, infrà ostendemus, et patet etiam ex dictis in primo principio, dum ostendimus non posse dari voluntarium sine aliquo actu. Quod vero ad meritum requiratur status

viæ, patet ex dictis de merito : quia meritum est tendentia juxta ordinationem divinam. Denique requiri statum Gratiæ ad rationem meriti patet : quia omne meritum hominis ad Deum fundatur in amicitia, quæ nequit esse sine Gratia habituali, ut supra ostensum est.

Sequitur 1116. In merito de congruo non posse reperiri condignitatem operis meritorii respectu præmii.

1116. — Ibidem.

Probatur sequela. In altero ex membris dividentibus aliquod totum, non debet reperiri differentia distinctiva alterius membri ; alias non distinguerentur : Sed hoc, quod est opus habere condignitatem respectu præmii est differentia distinctiva meriti de condigno a merito de congruo : Ergo in merito de congruo non potest reperiri condignitas operis respectu præmii.

Sequitur 1117. Defectum hunc condignitatis in opere meritorio de congruo respectu præmii posse provenire ex duobus, nimirum, vel quia opus non est referibile ad præmium, vel quia de facto non refertur.

1117. — Ibidem.

Probatur sequela. Tota ratio condignitatis in opere meritorio respectu præmii est, quia opus ex ordinatione Dei moventis hominem ad illud est referibile, et de facto refertur relatione saltem virtuali ad præmium, ut supra diximus : Sed in opere meritorio de congruo non reperitur condignitas, ex dictis : Ergo nec reperitur in illa ratio condignitatis, id est, non reperitur quod sit referibile ad præmium, vel quod ad illud de facto referatur.

Eplicatur. Opus est meritorium præmii de condigno, quando procedit ex Gratia, quæ natura sua respicit illud præmium, et de facto operans refert opus ad illud ex motione Spiritus sancti : hinc enim, ut supra ostendimus, provenit condignitas operis : quando nimirum Gratia habitualis in homine existens potest respicere præmium ex natura sua quatenus limitatur ad hoc subjectum, et aliunde de facto illud idem præmium respicit ex motione et Gratia actuali ; nam tunc ipsa Gratia habitualis dignificans animam confert dignitatem operi respectu præmii : cessante igitur altera ex his duabus rationibus, cessabit illa dignitas operis ; et sic non erit opus meritorium de condigno.

Sequitur 1118. Positivam, ut sic loquamur, differentiam meriti de congruo a merito de condigno nihil aliud importare, nisi quamdam aptitudinem ex parte operis, ut elicitur ab homine, qui est gratus Deo, ad hoc ut Deus intuitu illius operis det homini præmium, ad quod natura sua non est referibile, vel de facto non refertur relatione sufficiente ad faciendam condignitatem.

1118. — Ibidem.

Probatur sequela. Hæc congruitas non debet se tenere ex parte solius Dei ; alias, cum quidquid Deus facit, sit congruum ex parte ipsius, quando Deus homini existenti in peccato mortali daret Gratiam sanctificantem, posset dici quod peccator mereretur illam Gratiam de congruo ; quod tamen est falsum, cum Gratia mere gratis detur : Ergo hæc congruitas debet se tenere aliquo modo ex parte ipsius operis. Sed hoc supposito, hæc congruitas nihil aliud potest esse, quam aptitudo illa operis eliciti ab homine in Gratia constituto, ad hoc ut Deus intuitu illius operis det homini per modum præmii id, ad quod natura sua opus non erat referibile vel de facto non referebatur : Ergo in ea aptitudine consistit illa congruitas.

Sequitur 1119. Hominem non posse mereri sibi de congruo primam Gratiam.

1119. — 1. 2. q. 114. a. 5.

Probatur sequela. Aptitudo jam explicata constituit opus meritorium de congruo : Sed nullum opus ante primam gratiam elicitum habet aptitudinem ad hoc, ut Deus det homini primam gratiam per modum præmii : Ergo nullum opus ante primam Gratiam elicitum est meritorium primæ Gratiæ etiam de congruo. *Probatur Minor :* quia prima Gratia est principium meriti etiam de congruo ; illa enim est, quæ dat operi hanc aptitudinem.

Sequitur 1120. Hominem non posse sibi mereri de congruo reparationem post lapsum.

1120. — Ibid. a. 6.

Probatur sequela. Cessante omni aptitudine cujuscumque operis ad quodcumque præmium, cessat etiam efficacia meriti de congruo : Sed per peccatum mortale cessat omnis aptitudo cujuscumque operis ad quodcumque præmium, cum per peccatum mortale extinguatur ejus omnis efficacia, quamdiu manet : Ergo non poterit homo mereri etiam de congruo reparationem post lapsum, imo ratione lapsus potius meretur pœnam, quam Gratiam.

Sequitur 1121. Hominem etiam in Gratia constitutum non posse sibi mereri perseverantiam absolute et simpliciter de condigno, quatenus perseverantia dicit conservationem Gratiæ.

1121. — Ibid. a. 9.

Explicatur. Donum perseverantiæ duo importat ; *unum* principaliter et universaliter in omnibus, in quibus est hujusmodi donum ; *alterum* minus principaliter et peculiariter in quibusdam. Primum est conservatio Gratiæ habitualis usque in finem vitæ ; alterum est auxilia efficacia necessaria ad actus, quibus homo quandoque perseverat usque ad finem vitæ. Primum est principale et universale in omnibus, qui perseverant. Secundum est minus principale et peculiare in adultis, qui per varios actus usque ad finem vitæ observantes præcepta, et resistentes tentationibus perseverant. Primum nullo merito potest obtineri ; secundum licet non possit merito condigni obtineri bene tamen merito congrui. Primum in hac sequela asserimus.

Probatur sequela. Primam Gratiam habitualem non potest homo mereri sive de condigno sive de congruo, ex dictis : Sed perseverantia, ut dicit conservationem Gratiæ habitualis usque ad finem vitæ, est ipsamet Gratia habitualis : Ergo perseverantiam, ut dicit conservationem Gratiæ usque ad finem vitæ, homo non potest mereri sive de condigno sive de congruo. *Minor probatur :* Conservatio Gratiæ habitualis usque ad finem vitæ nihil dicit nisi vel actum ipsum Dei, quo vult dare ac conservare Gratiam habitualem, vel ipsam Gratiam habitualem ut datam et conservatam : Sed actum Dei, quo vult dare et conservare Gratiam habitualem, nemo potest mereri, ut est evidens ; ipsa vero Gratia habitualis ut data et conservata non distinguitur a seipsa, ut constat : Ergo, cum nullus possit mereri Gratiam habitualem, ut diximus, nullus etiam poterit mereri perseverantiam ut dicit conservationem Gratiæ habitualis. Quare sicut ipsemet Christus non potuit mereri ipsam continuationem unionis hypostaticæ ; ita nec homo justus potest sibi mereri Gratiæ conservationem.

Sequitur 1122. Perseverantiam, ut dicit auxilia efficacia non posse obtineri per meritum de condigno.

Probatur sequela. Ad meritum de condigno, ut diximus, requiritur, quod gratia ut operans ex natura sua, vel ex ordinatione Dei moventis dicat ordinem condignitatis et proportionis

ad id, quod se habet ut præmium : Sed Gratia habitualis neque ex se neque ex ordinatione divina ut operans per unum actum dicit ordinem condignitatis et proportionis ad auxilium efficax, quo operetur alium actum, ut est evidens ; alias nunquam terminarentur actus, ubi semel quis operatus esset ; nam primum auxilium efficax operaretur actum, quo homo mereretur de condigno secundum ; et per secundum homo promereretur tertium, et sic in infinitum : Ergo Gratia habitualis non potest esse principium meriti respectu auxilii efficacis, nec consequenter perseverantiæ, quatenus dicit auxilia efficacia.

Sequitur 1123. Hominem posse mereri de congruo auxilia efficacia, atque adeo perseverantiam prout importat hæc auxilia.

Probatur sequela. Quia licet Gratia non det homini condignitatem ad ista auxilia, ut probatum est, dat tamen operibus hominis quamdam aptitudinem ad hoc, ut Deus intuitu horum operum det illi auxilia efficacia tanquam præmia, ita ut congruitas non se teneat tantum ex parte Dei, cui congruum est bene facere, sed etiam ex parte operum, quibus congruit, ut hæc auxilia dentur homini aliquatenus ut præmium : Hoc autem sufficit ad meritum de congruo, ut patet ex dictis.

Sequitur 1124. Magnam esse differentiam inter meritum etiam de congruo, et impetrationem.

1124. — Ibid a. 6. ad 2.

Probatur sequela. Meritum de congruo hebet aptitudinem, ut aliquo modo licet imperfecto faciat sibi debitum id, respectu cujus est meritum non quidem stricto debito, sed amicabili, ex dictis ; impetratio vero non assequitur id, quod impetrat, tanquam ullo modo etiam imperfectissime debitum, sed tanquam omnino ex mera Dei Gratia dandum : unde et peccatores aliquid impetrare possunt, qui tamen nihil omnino apud Deum mereri possunt ; Atqui inter hæc duo est magna differentia, ut per se constat : Ergo magna est etiam differentia inter impetrationem et meritum de congruo. Fatendum tamen est aliquando impetrationem, præsertim ex oratione hominis justi, vocari meritum de congruo.

Sequitur 1125. Hominem in Gratia constitutum posse alteri mereri primam Gratiam de congruo.

1125. — Ibid. a. 1.

Probatur sequela. Quia quamvis Gratia habitualis non dignificet suppositum, nec opus ejus, ut aliquid alteri de condigno mereatur, eo quod ex natura sua aut ex ordinatione Dei moventis consequatur aliquid non pertinens ad propriam salutem tanquam præmium ; nihilominus illa eadem Gratia dat operi aptitudinem ad hoc, ut Deus intuitu illius operis alteri largiatur primam Gratiam tanquam præmium ; præsertim cum homo in Gratia constitutus illud opus elicit ea intentione, ut alteri prima Gratia conferatur : Atqui hoc sufficit ad meritum de congruo, ex dictis : Ergo homo in Gratia constitutus potest alteri mereri de congruo primam Gratiam. *Major est evidens* ; quia opus illud est bonum, imo et supernaturale, atque adeo aliquo modo meritorium illius, ad quod tale opus ex intentione operantis ordinatur.

Sequitur 1126. Hominem in Gratia constitutum operando opera bona cum relatione interpretativa ad Deum, sibi mereri de congruo augmentum Gratiæ et gloriæ.

1126 — Ibid. a. 8.

Explicatur. Relatio interpretativa per hoc distinguitur a virtuali, quod virtualis est, quæ oritur ex vi prioris actus, ut supra explicatum est ; relatio autem interpretativa ea est, quæ quidem non oritur ex vi prioris alicujus actus, neque etiam est dumtaxat habitualis, sed tamen est hujus-

modi, ut licet opus sit de genere bonorum et referibile in finem charitatis; ex humana tamen infirmitate et inconsideratione neque actu neque virtualiter referatur in finem illum, sed solum ex dispositione interna operantis.

Probatur ergo sequela. Huic operi taliter elicito nihil deest, ut sit meritorium de condigno respectu augmenti Gratiæ, nisi sola relatio virtualis, remanet tamen aptitudo, ut referatur ad hujusmodi augmentum: Atqui hæc aptitudo sufficit ad meritum de congruo, modo superius explicato: Ergo, etc.

Sequitur 1127. Hominem in Gratia constitutum per opera virtutum moralium acquisitarum, sine actuali vel virtuali relatione charitatis, posse mereri de congruo augmentum Gratiæ et charitatis.

1127. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia hæc opera sunt bona, et possunt fieri ex intentione et relatione interpretativa charitatis; et licet non sint supernaturalia formaliter, sunt tamen radicaliter, ratione intentionis finis, sine qua intentione non possent elici, sicut nec virtutes illæ haberi, ex dictis et probatis alibi: Ergo, etc.

Sequitur 1128. Bona temporalia, quatenus deserviunt ad opera virtutum, quibus homo perveniat ad vitam æternam, directe ac simpliciter cadere sub meritum hominis bene operantis.

1128. — Ibid. a. 10.

Probatur sequela. Quidquid est hujusmodi, ut per hoc homo adjuvetur ad perveniendum in finem vitæ æternæ, si aliunde non desint aliæ conditiones, potest cadere sub meritum vel de condigno, vel de congruo, juxta conditiones superius traditas: Sed bona temporalia possunt esse hujusmodi, ut constat: Ergo possunt secundum hanc rationem cadere sub meritum.

Sequitur 1129. Bona temporalia secundum se non cadere sub meritum simpliciter, sed secundum quid.

1129. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia præmium debet esse bonum aliquo modo excellentius merito simpliciter dicto: Sed bona temporalia secundum se non sunt bona simpliciter meliora merito, ut est evidens: Ergo bona temporalia secundum se non possunt esse præmium meriti simpliciter: Sunt tamen præmia meriti secundum quid et impropriissime dicti, quatenus sicut homo ex motione divinæ Gratiæ meretur augmentum Gratiæ, et vitam æternam, ita ex motione Dei faventis consequitur hujusmodi bona: Hoc vero est meritum valde improprie, cum possit reperiri etiam in malis.

Sequitur 1130. Quod quidquid per se auget bonitatem, libertatem, et ordinationem, sive relationem in Deum auget etiam meritum.

1130. — Ibid. tota q. 114.

Probatur sequela. Quidquid auget conditiones per se et essentialiter requisitas ad aliquid, quod potest recipere magis et minus, auget etiam illud; hoc enim ipso auget ejus essentiam, quæ consistit in hujusmodi conditionibus, aut ex eis consurgit: Sed bonitas, libertas, et relatio in Deum sunt conditiones per se et essentialiter requisitæ ad meritum, ex dictis: Ergo quidquid auget bonitatem, libertatem, et relationem sive ordinationem in Deum, auget etiam meretur.

Sequitur 1131. E contrario quod quidquid minuit vel tollit libertatem, bonitatem, et ordinationem in Deum, minuit aut tollit meritum.

1131. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia quod tollit conditiones essentialiter requisitas, vel illas minuit, tollit etiam aut mi-

nuit id, quod in illis consistit, vel ad illas consequitur : Ergo, etc.

Sequitur 1132. Difficultatem operis ex parte operis sive objecti augere meritum.

1132. — Ibid. a. 4. ad 2.

Probatur sequela. Quod auget per se bonitatem et ordinationem operis in Deum, auget etiam per se meritum, ex dictis : Atqui difficultas ex parte operis et objecti auget per se bonitatem et ordinationem operis in Deum : Ergo et meritum : *Minor patet :* quia actus eo est melior bonitate morali, quo objectum est difficilius, ut alias dicemus; et quia quo medium est difficilius, eo requiritur major intentio finis ; intentio enim finis dat vires ad vincendam difficultatem, quæ reperitur in mediis, ut patet ex dictis in primo principio.

Sequitur 1133. Difficultatem ortam ex parte operantis non augere meritum.

1133. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia non auget per se bonitatem vel ordinationem in Deum, sed tantum per accidens.

Explicatur. Difficultas in opere potest ex duplici capite provenire; *primo* ex ipso objecto, sicut v. g. difficilius est mortem subire pro fide, quam dare eleemosynam ; et difficilius est dare ingentem eleemosynam, quam levem, etc. *Secundo* potest provenire difficultas ex ipso operante, v. g. homini non exercitato in praxi virtutum difficilius est vel minimum virtutis actum elicere, quam homini in illis exercitato sit difficile actum multo excellentiorem præstare. Prima illa difficultas auget meritum, quia per se auget bonitatem ; secunda autem difficultas non auget meritum, quia non nisi per accidens confert ad aliquam rationem bonitatis ; alias enim exercitatus in virtutibus esset deterioris conditionis, quam qui de novo conversus experiretur majores difficultates, ob non domitas passiones, et habitus vitiorum in eo existentes

PARS TERTIA

DE DEO-HOMINE

DISSERTATIO Ia

DE INCARNATIONE.

CAPUT I

De necessitate et convenientia Incarnationis.

Sectio 1a. — De necessitate Incarnationis.

Sequitur 1134. Magnam esse differentiam inter meritum et satisfactionem pro peccato.

1134. — Ibid. et 3. p. q. 86. a. 4.

Probatur sequela. Meritum non augetur ex difficultate operantis : Sed satisfactio pro peccato augetur ex parte operantis : Ergo magna est inter hæc duo differentia. *Major patet ex dictis. Minor probatur* : Satisfactio eo est major, quo est pœnalior : Sed eo est pœnalior, quo est difficilior ex parte operantis; quia in eo consistit pœna, quod sit contra inclinationem patientis : Ergo, etc.

Sequitur 1135. Quod sicut non potest dari meritum ad æqualitatem in homine ad Deum, ita non potest dari satisfactio ad æqualitatem.

1135. — Ibidem.

Probatur sequela. Satisfactio ad æqualitatem æque exigit æqualitatem, et æque est actus justitiæ commutativæ, ac meritum ad æqualitatem : Sed ex defectu æqualitatis non potest dari meritum perfectum, quod sit actus justitiæ commutativæ : Ergo ex eodem defectu non poterit dari satisfactio perfecta ad æqualitatem hominis respectu Dei.

Sequitur 1136. Nullam creaturam posse ullatenus satisfacere Deo sine Gratia.

1136. — 3. p. q. 1. a. 2.

Probatur sequela. Satisfactio, quæ non habet perfectam æqualitatem, non potest esse nisi fundata in Gratia ex parte illius, cui fit : Sed satisfactio puræ creaturæ non potest habere perfectam æqualitatem respectu Dei, ex dictis. Ergo satisfactio puræ creaturæ respectu Dei debet fundari in Gratia; atque adeo non potest esse sine Gratia. *Major probatur :* Ubi non est perfecta æqualitas satisfactionis ad offensam, necessarium est, quod interveniat Gratia personæ offensæ, supplens quod ipsa satisfactio non potest adæquare : hoc vero maxime locum habet in homine respectu Dei; quia homo, quamdiu non habet Gratiam est in peccato, atque adeo est inimicus Dei; meretur pœnam, atque adeo non potest ullo modo satisfacere Deo propter indignitatem subjecti, et propter infinitatem peccati, de qua alias.

Sequitur 1137. Nullam creaturam posse satisfacere Deo ad æqualitatem, pro peccato mortali aut originali, etiamsi habeat Gratiam.

1137. — Ibidem.

Probatur sequela. Satisfactio ad æqualitatem est actus justitiæ commutativæ, ut constat aliquo modo ex dictis, et constabit amplius ex dicen-

dis : Sed nulla creatura quantumcumque Gratia prædita, potest elicere actum justitiæ commutativæ ; quia semper dominium Dei majus est, quocumque dominio creato, ita ut omne dominium creatum sit sub dominio Dei, cum quidquid est hominis sit magis ipsius Dei, ut etiam ostendemus infra, cum de virtutibus agemus : Ergo nulla creatura, quantacumque Gratia prædita, poterit exhibere Deo satisfactionem ad æqualitatem.

Sequitur 1138. Supposito quod debeat Deo exhiberi satisfactio ad æqualitatem pro peccato, personam satisfacientem non posse esse personam creatam.

1138. — Ibidem.

Probatur sequela. Nulla persona creata potest exhibere Deo satisfactionem pro peccato ad æqualitatem, ex dictis : Ergo supposito, quod debeat Deo exhiberi talis satisfactio ad æqualitatem pro peccato, non potest persona satisfaciens esse creata.

Sequitur 1139. Facta eadem suppositione personam satisfacientem debere Deum esse.

1139. — Ibidem.

Probatur sequela. Omnis persona non creata est increata et Deus : Sed persona satisfaciens ad æqualitatem Deo pro offensa debet esse persona non creata : Ergo debet esse increata et Deus.

Sequitur 1140. Facta suppositione, quod Deus voluerit sibi exhiberi pro peccato hominum satisfactionem ad æqualitatem, necessariam fuisse assumptionem alicujus naturæ creatæ in unitatem personæ divinæ.

1140. — Ibidem.

Probatur sequela. Deus in propria natura non potest satisfacere sibi ipsi, quia satisfactio est semper ad alterum, sicut et justitia ; et quia satisfactio dicit aliquam subjectionem satisfacientis ad eum, cui fit satisfactio ; hanc vero subjectionem non potest habere ulla persona divina in propria natura, ut constat ex dictis supra : Ergo requiritur necessario natura aliqua creata. Sed natura creata in propria persona non potest satisfacere ad æqualitatem, ut diximus : Ergo requiritur, ut natura creata non sit in propria persona, sed in Persona divina ; atque adeo requiritur, ut natura creata sit assumpta in unitatem personæ, ut ex natura creata habeat, quod possit satisfacere, et ex Persona divina habeat, quod satisfactio sit ad æqualitatem.

Sequitur 1141. Assumptionem naturæ creatæ in unitatem Personæ divinæ esse possibilem, ex parte ipsius Dei.

1141. — 3. p. q. 1. a. 1. et seq.

Probatur sequela ex dictis supra, dum de Trinitate ageremus. Personam sive subsistentiam divinam supplere vices subsistentiæ et personalitatis creatæ, est possibile : Sed assumptio naturæ creatæ in unitatem Personæ divinæ nihil aliud dicit, quam personam sive subsistentiam divinam supplere vices subsistentiæ et personalitatis creatæ : Ergo assumptio naturæ creatæ in unitatem Personæ divinæ est possibilis. *Minor est evidens. Major probatur ex dictis supra :* Quod est infinitum in aliquo genere, potest supplere vices cujuslibet finiti, nisi aliunde repugnet : Sed quælibet persona sive subsistentia divina est infinita in ratione subsistentiæ : Ergo, si aliunde non repugnet, poterit subsistentia divina supplere vices subsistentiæ et personalitatis creatæ. Aliunde vero non repugnare, probabitur statim ex mysterio Incarnationis.

Sequitur 1142. Supposita voluntate ac decreto Dei, quo voluit sibi exhiberi satisfactionem ad æqualitatem pro peccato hominis ab homine, necessariam fuisse Incarnationem.

1142. — 1. p. q. 1. a. 1.

Probatur sequela. Deus non poterat satisfacere in propria natura ; Homo vero non poterat satisfacere ad æqualitatem, ut dictum est : Ergo supposito decreto, quo Deus voluit hominem sibi satisfacere ad æqualitatem, debuit homo satisfaciens esse Deus. Sed non potuit homo satisfaciens esse Deus, nisi per hoc, quod Deus assumeret naturam humanam in unitatem personæ divinæ : Ergo supposito, quod Deus vellet hominem sibi satisfacere pro peccato ad æqualitatem, debuit Deus assumere naturam humanam in unitatem Personæ divinæ. Hoc autem et nihil aliud est Incarnatio : est enim carnis, id est, naturæ humanæ, cujus pars est caro sive corpus, assumptio in unitatem personæ divinæ.

Sectio 2ª. — De convenientia Incarnationis.

Sequitur 1143. Incarnationem fuisse etiam medium convenientissimum ad perfectam reparationem generis humani.

1143. — 3. p. q. 1. a. 1. 2.

Probatur sequela. Illud est convenientissimum medium ad reparationem generis humani, quo cuncta per peccatum deperdita restaurantur, quantum fieri potest : Atqui per Incarnationem cuncta restaurantur, quantum fieri potest : Ergo Incarnatio est convenientissimum medium ad reparationem generis humani. *Major est evidens. Minor probatur ex dictis :* quia per Incarnationem homo vere satisfacit Deo ad æqualitatem, et sic reparatur offensa Deo illata. Præterea : per Incarnationem homo in majorem dignitatem evehitur, quam fuerit illa, a qua decidit ; fit enim Deus. Adde quod per Incarnationem relucet Omnipotentia, Bonitas, Sapientia Dei : imo simul ostenditur summa Misericordia cum summa Justitia ; Misericordia quidem in hoc, quod propter homines Deus factus sit homo ; justitia, quia, ut infra dicemus, verus homo de rigore justitiæ satisfecit Deo. Quod si Deus hominem alio modo reparasset, neque fuisset perfecta satisfactio, neque homo vicisset dæmonem, neque damna omnia per peccatum originale illata, fuissent reparata, ut constat discurrendo per omnia media, quibus poterat hominem reparare. Poterat enim primo illum reparare condonando peccatum ex sola misericordia : Sed hoc modo non proprie reparasset aut ad pristinam dignitatem revocasset ; quia nec homo victoriam de dæmone reportasset, nec satisfactionem æqualem Deo persolvisset. Secundo poterat Deus hominem reparare, ita ut esset contentus satisfactione imperfecta alicujus creaturæ, v. g. Angeli ; Et hoc etiam modo, non esset perfecta reparatio, ut patet ex dictis, et homo ipse factus fuisset servus illius angeli vel alterius puræ creaturæ. Tertio poterat Deus assumere naturam angelicam, et in ea assumpta satisfacere : Sed neque hoc reparabat perfecte hominem, ut ex dictis constat : quia licet tunc exhiberetur perfecta satisfactio ad æqualitatem, non tamen exhiberetur ab ipso homine offendente, et ipse homo fieret servus angeli redimentis. Igitur convenientissimum fuit, ut assumpta natura humana in unitatem personæ, Deus satisfaceret factus homo.

Sequitur 1144. Ex parte Dei Incarnationem fuisse etiam convenientissimum medium.

1144. — Ibidem.

Probatur sequela. Summe sese communicare est convenientissimum summo bono ; quia bonum est sui ipsius communicativum et diffusivum, eo quod bonum idem est ac perfectum, ex quo sequitur, quod sit perfecti-

vum, ut in primo principio diximus : Atqui Deus est summum bonum, ut supra ostendimus : Ergo Deo convenientissimum est summo modo sese communicare. Summus autem modus sese communicandi est per Incarnationem : quia in ordine naturæ sese communicat imperfecto modo, communicando non sibi propria ; in ordine Gratiæ sese communicat ratione gratiæ et aliorum supernaturalium, quæ sunt bona propria ipsi Deo, ut supra expositum est ; communicat etiam se in hoc ordine, ut objectum cognitum et amatum : Sed per Incarnationem sese communicat secundum propriam personalitatem, et ex consequenti secundum propriam naturam, quatenus eadem persona, quæ est homo, est etiam Deus. Nec propterea necessarium fuit ut totæ tres personæ assumerent naturam humanam ; quia cum quælibet Persona divina sit æqualis alteri, imo et tribus, tanta est communicatio unius Personæ terminantis naturam, quanta est communicatio trium.

Sequitur 1145. Incarnationem fuisse toti universo valde convenientem.

1145. — Ibidem.

Probatur sequela. Assumptio naturæ humanæ in unitatem Personæ divinæ est Incarnatio : Sed toti universo fuit valde conveniens assumptio naturæ humanæ in unitatem Personæ Divinæ : Ergo toti universo fuit valde conveniens Incarnatio. *Major patet ex dictis. Minor probatur :* quia magna perfectio accrevit toti universo ex eo, quod natura humana assumpta est in unitatem personæ divinæ ; nam et universum perfectum fuit ex triplici ordine naturæ, gratiæ, et unionis hypostaticæ ; et omnes creaturæ perfectionem aliquam consecutæ sunt, eo quod natura humana assumpta est in unitatem Personæ divinæ, in quantum natura humana aliquid de omnibus creaturis participat ; unde illa elevata ad subsistentiam divinam omnes creaturæ videntur esse participes illius nobilitatis et perfectionis.

Sequitur 1146. Nullam imperfectionem esse de ratione subsistentiæ ut sic.

1146. — Ibidem.

Probatur sequela, ex dictis supra de Trinitate : Quod reperitur in Deo nullam imperfectionem in sua ratione importat, ut supra ostendimus : Sed ratio subsistentiæ reperitur in Deo, ut vidimus : Ergo ratio subsistentiæ nullam imperfectionem importat.

Sequitur 1147. Non repugnare ex parte Dei subsistentiam divinam terminare naturam creatam substantialem.

1147. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod potest præstari absque ulla imperfectione, non repugnat ex parte Dei : Sed ratio subsistentiæ atque adeo terminare naturam creatam substantialem, nullam imperfectionem importat : Ergo non repugnat ex parte Dei terminare naturam creatam substantialem.

Sequitur 1148. Non repugnare etiam ex parte naturæ creatæ substantialis, quod terminetur per substantialem divinam.

1148. — Ibidem.

Probatur sequela. Naturam creatam substantialem terminari subsistentia divina nihil importat, quod tollat vel minuat naturam illam aut ejus perfectionem, imo vero illi addit maximam perfectionem, cum subsistentia divina contineat eminenter formaliter omnem perfectionem subsistentiæ creatæ, ut diximus : Ergo non repugnat naturam creatam substantialem terminari per subsistantiam divinam.

Sequitur 1149. Subsistentiam ex sua intrinseca ratione non esse accidens, vel modum, sed esse terminum substantialem, qui reddit naturam incommunicabilem alteri supposito.

1149. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod nullam involvit imperfectionem, non est accidens aut modus, cum hæc dicant imperfectionem, ut constat : Sed ratio subsistentiæ nullam involvit imperfectionem, ex dictis : Ergo non est accidens aut modus ; cum ergo aliunde certum sit, subsistentiam non esse ipsam naturam substantialem, nec partem ejus (supponitur enim natura completa in ratione naturæ substantialis ante subsistentiam) consequens est, ut subsistentia nihil aliud sit, quam terminus naturæ substantialis, reddens illam incommunicabilem alteri tanquam supposito. Quod tamen intelligendum est de subsistentia respectu naturæ finitæ : ut enim supra diximus, natura divina exigit per se communicari tribus suppositis, et terminari tribus subsistentiis, quæ, ut postea dicemus, non sunt incompossibiles in eadem natura propter suam infinitatem.

Sequitur 1150. Subsistentiam distingui a natura.

1150. — In 1 dist. 21. q. 2. a. 1. In 3. dist. 6. q. 2. a. 2. et dist. 9. q. 1. a. 3. q. 1. et de pot. q. 9. a. 3.

Probatur sequela. Terminus reddens naturam incommunicabilem, debet aliquo modo distingui a natura ; cum natura secundum se sit communicabilis : Atqui subsistentia est terminus reddens naturam incommunicabilem : Ergo subsistentia debet aliquo modo distingui a natura : Et quidem in divinis subsistentia distinguitur virtualiter a natura ; in rebus autem creatis distinguitur realiter : quod etiam constat ex mysterio Incarnationis, in quo manet tota natura humana, et non manet subsistentia creata, ut statim dicemus.

Sequitur 1151. Subsistentiam distingui etiam ab existentia.

1151. — 1. p. q. 29. a. 2. in 1. dist. 23. a. 1.

Probatur sequela. Terminus reddens naturam incommunicabilem, distinguitur aliquo modo ab existentia ; quia existentia, cum sit ultima actualitas, supponit saltem in creatis naturam terminatam et incommunicabilem : Sed subsistentia est terminus reddens naturam incommunicabilem : Ergo subsistentia distinguitur ab ipsa existentia ; et quidem in divinis, cum existentia sit ipsamet natura divina, utpote quæ est actus purus, eo modo subsistentia distinguitur ab existentia, quomodo distinguitur a natura divina, scilicet virtualiter : In creatis autem debet distingui realiter.

Sequitur 1152. In divinis subsistentiam relativam modo nostro intelligendi supponere ipsam existentiam, sicut supponit naturam.

1152. — De pot. q. 9. a. 5.

Probatur sequela. Ubi natura et existentia substantialis sunt omnino idem etiam absque virtuali distinctione, quod supponit naturam, supponit existentiam : Sed in divinis natura et existentia substantialis sunt omnino idem absque virtuali etiam distinctione, ut supra probatum est : Ergo cum in divinis subsistentia relativa supponat naturam supponit etiam ipsam existentiam.

Sequitur 1153. In divinis subsistentiam relativam non reddere naturam incommunicabilem alteri supposito divino, sed solum alteri supposito creato.

1153. — In 1. dist. 25. a. 1. in 3. dist 5. q. 2. a. 1.

Probatur sequela. Subsistentia supponens existentiam tanquam essentialem, et quæ infert aliud suppositum in eadem natura, non reddit naturam incommunicabilem illi alteri supposito, quod infert, imo potius exigit illam ei communicari : Sed subsistentia relativa in divinis supponit exi-

stentiam ex dictis ; et ex hoc ipso, quod est relativa infert in eadem natura aliud suppositum : Ergo non reddit naturam divinam incommunicabilem alteri supposito, quod infert, sed potius exigit, ut ei communicetur. Quod vero reddat naturam incommunicabilem alteri supposito creato, res est evidens. *Major patet,* quia eo ipso, quod subsistentia supponit existentiam tanquam essentialem naturæ, supponit naturam infinitam et infinite fœcundam, atque adeo communicabilem tribus suppositis, et ex eo, quod sit relativa, dicit in eodem ordine relationem ad aliud suppositum ; nam relatio non est, nisi inter res ejusdem ordinis, ut dicemus in tertio principio. *Minor est certa ex dictis.*

Sequitur 1154. In creatis subsistentiam reddere naturam prorsus incommunicabilem.

1154. — 3. p. q. 3. 1. De pot. q. 9. a. 2.

Probatur sequela. Cessante ratione cessat id, quod ad rationem consequitur : Sed tota ratio, cur subsistentia relativa supponens existentiam non reddat naturam prorsus incommunicabilem est, quia eo ipso natura est infinita, et quia subsistentia relativa infert aliud suppositum in eadem natura; quæ ratio cessat in creatis : Ergo in creatis subsistentia reddit naturam prorsus incommunicabilem.

Sequitur 1155. In creatis subsistentiam reddere naturam capacem existentiæ substantialis.

1155. — In 1. dist. 23. a. 1.

Probatur sequela. Natura finita non est capax existentiæ, nisi sit prorsus incommunicabilis ; quia eo ipso quod est finita non est capax existentiæ nisi sit terminata, cum existentia sit ultima actualitas : Sed subsistentia reddit naturam creatam prorsus incommunicabilem : Ergo subsistentia reddit naturam capacem existentiæ.

Sequitur 1156. Esse prorsus impossibile, quod natura creata existat, nisi habeat prius aliquam subsistentiam.

1156. — 3. p. q. 17. a. 2.

Probatur sequela. Quod est incapax existentiæ, non potest existere, nisi fiat capax illius ; actus enim primus et capacitas supponitur essentialiter ad actum secundum : Sed natura creata sine subsistentia est incapax existentiæ ; cum per subsistentiam reddatur capax illius : Ergo natura creata non potest existere, nisi habeat aliquam subsistentiam.

Sequitur 1157. Talem debere esse in natura creata existentiam, qualis in ea est subsistentia.

1157. — Ibidem.

Probatur sequela. Talis debet esse actus, qualis est capacitas ad illum ; alias actus non corresponderet capacitati et virtuti reddenti subjectum aut quasi subjectum capax illius actus : Atqui subsistentia est capacitas existentiæ, sive est terminus, quo natura redditur capax existentiæ : Ergo talis debet esse existentia in natura, qualis est subsistentia.

CAPUT II.

De possibilitate Incarnationis.

Sequitur 1158. Quamlibet personam divinam posse assumere naturam substantialem creatam.

1158. — 3. p. q. 3. a. 1. et 5.

Probatur sequela. Ex eo persona divina potest assumere naturam substantialem creatam ; quia est infinita in ratione subsistendi, ut diximus : Sed quælibet persona divina est infinita in ratione subsistendi : Ergo quælibet persona divina potest assumere naturam substantialem creatam.

Sequitur 1159. Tres personas divinas posse assumere unam naturam creatam.

1159. — Ibid. a. 6.

Probatur sequela. Non major neque minor est trium personarum divinarum perfectio in ratione subsistendi, quam unius solius personæ : Sed una persona potest assumere naturam creatam, ex dictis : Ergo et tres vel duæ. *Confirmatur :* quia natura divina ex eo, quod sit infinita, habet quidem, quod connaturaliter debet subsistere in tribus suppositis, sed non habet hoc, quod unum suppositum excludat aliud a consortio ejusdem naturæ per omnipotentiam assumptæ : quia tunc manet natura creata assumpta cum exigentia unius subsistentiæ connaturalis, sed præternaturaliter sicut potest terminari una subsistentia infinita, se potest et terminari tribus, quæ non dicunt majorem perfectionem, quam una sola.

Sequitur 1160. Unam personam divinam posse terminare duas vel plures naturas substantiales creatas.

1160. — Ibid. a. 7.

Probatur sequela. Virtus terminativa infinita potest terminare plures res secundum se terminabiles terminis finitis : quia ille infinitus terminus æquivalet formaliter eminenter pluribus terminis finitis quantumcumque multiplicatis : Sed una persona sive subsistentia divina est virtus terminativa infinita : Ergo una persona sive subsistentia divina potest terminare plures naturas substantiales creatas, quæ secundum se sunt terminabiles terminis et subsistentiis finitis.

Sequitur 1161. Nullam personam divinam posse assumere naturam substantialem creatam terminatam propria subsistentia.

1161. — 3. p. q. 4. a. 2. et 3.

Probatur sequela. Natura terminata propria subsistentia est prorsus incommunicabilis cuicumque alteri tanquam supposito, ex dictis : Sed nulla persona divina potest assumere naturam prorsus incommunicabilem alteri tanquam supposito : Ergo nulla persona divina potest assumere naturam terminatam propria subsistentia. *Minor est evidens :* eo enim ipso, quod natura dicitur prorsus incommunicabilis alteri tanquam supposito, non potest alteri supposito communicari, nec consequenter terminari alia subsistentia, qua si terminaretur, communicaretur alteri supposito.

Sequitur 1162. Nullam subsistentiam creatam posse terminare aliam naturam.

1162. — 3. p. q. 3. a. 1.

Probatur sequela. Nulla subsistentia non infinita potest terminare alienam naturam : Sed omnis subsistentia creata est non infinita, ut constat : Ergo nulla subsistentia creata potest terminare alienam naturam. *Major probatur :* Tota ratio, quare subsistentia divina possit terminare alienam naturam est, quia est infinita, ac per hoc continet eminenter formaliter omnem perfectionem cujuslibet subsistentiæ creatæ : Atqui subsistentia non infinita non continet formaliter eminenter perfectionem subsistentiæ cujuslibet creatæ imo nec potest continere formaliter eminenter perfectionem alicujus alterius a se distinctæ : hoc enim ipso, quod contineret formaliter eminenter perfectionem alterius a se distinctæ, contineret omnes ; quia modo illimitato illam contineret, atque adeo æque contineret omnes : Ergo non potest vel unam continere : Idcirco enim dicitur finita, quia ita est hæc, ut non sit alia.

Sequitur 1163. Unam personam divinam posse assumere unam naturam creatam, absque eo, quod sit necessarium aliam vel alias personas divinas eamdem naturam assumere.

1163. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Quod convenit uni personæ divinæ ratione suæ proprietatis personalis, non necessario convenit aliis : Sed assumere sive terminare naturam creatam convenit personæ divinæ ratione suæ proprietatis personalis : Ergo ita convenit uni personæ, quod non necessario convenit aliis. *Major est evidens ex dictis supra. Minor probatur :* quia licet cuilibet personæ conveniat posse assumere, nihilominus cuilibet hoc convenit ratione subsistentiæ constitutivæ illius suppositi et personæ : Sed ratio constitutiva suppositi vel personæ est vere proprietas personalis : Ergo assumere sive terminare naturam creatam convenit cuilibet personæ ratione proprietatis personalis.

Sequitur 1164. Naturam divinam in ratione naturæ et ut præcisam a personalitatibus non posse assumere vel terminare naturam creatam.

1164. — Ibidem.

Probatur sequela. Assumere vel terminare naturam, ut constituatur in ratione personæ, non potest competere illi, quod nullo modo habet rationem personæ : Sed natura divina ut præcisa a personalitatibus divinis nullo modo habet rationem personæ : Ergo natura divina ut præcisa a personalitatibus non potest assumere.

Sequitur 1165. Naturam divinam posse dici assumere, tum ratione actionis et principii, tum ratione terminationis, quia non ut natura est, sed quatenus est idem cum persona potest terminare.

1165. — Ibidem.

Explicatur. Assumere idem est ac ad se sumere : in hoc autem, quod est ad se sumere importantur duo, videlicet, *sumere,* quod actionem significat, et *Ad se,* quod terminum designat. Actio ergo, qua Deus ad se, hoc est ad aliquam sanctissimæ Trinitatis personam assumit aliquam naturam, communis est tribus personis ; quia actiones omnes ad extra sunt communes toti Trinitati : Sed terminare sive uniri per modum termini alicui naturæ substantiali creatæ, potest quidem convenire cuilibet personæ imo et tribus personis divinis simul, ut diximus ; non potest tamen convenire naturæ præcise ut natura est, sed quatenus eadem natura est omnino idem realiter cum persona : eo enim ipso, quod persona unitur naturæ creatæ, etiam natura divina, utpote idem cum persona unitur : et sic dicunt Patres Deum incarnatum, imo et naturam divinam incarnatam. Ex hac explicatione patet sequela : Naturam divinam assumere nihil aliud est, quam Deum agere ad hoc, ut persona divina terminet naturam creatam : Sed hoc est verum et potest dici, ut patet ex superioribus : Ergo potest etiam dici natura divina assumere.

Sequitur 1166. Existentiam divinam ut sic, non posse immediate et primario terminare naturam creatam.

1166. — Ibidem.

Probatur sequela. Omnis natura substantialis creata est incapax existentiæ nisi prius subsistat, ut diximus : Sed existentia duvina ut sic non potest immediate et primario terminare id, quod est incapax existentiæ : Ergo existentia divina ut sic non potest immediaté et primario terminare naturam substantialem creatam, nisi prius subsistat. *Major patet ex dictis :* quia subsistentia reddit naturam capacem existentiæ. *Minor est etiam evidens :* quia quod est incapax existentiæ non potest recipere aut quasi recipere existentiam *Confir-*

matur : quia vel existentia divina suppleret munus subsistentiæ terminando primario naturam vel non suppleret ; neutrum dici potest : Ergo, etc. *Prima pars minoris probatur* : quia existentia ut sic non est id, quo natura subsistit : Sed subsistentia est id, quo natura subsistit : Ergo subsistentia non potest suppleri per existentiam. *Secunda vero pars probatur* : quia si existentia non suppleret vices subsistentiæ, jam existentia terminaret immediate naturam incapacem existentiæ, quod repugnat.

Sequitur 1167. Subsistentiam absolutam præcise non posse terminare naturam aliquam creatam substantialem, ita ut constituat personam.

1167. — Ibidem.

Probatur sequela.. Existentia substantialis præcise non constituit personam, ut diximus supra : Sed subsistentia absoluta in Divinis est tantum existentia substantialis : Ergo subsistentia absoluta præcise non constituit personam.

Sequitur 1168. Supposito quod subsistentia absoluta non sit in divinis nisi existentia substantialis, non posse subsistentiam absolutam primario et immediate terminare naturam aliquam creatam.

Probatur sequela. Existentia substantialis divina non potest primario et immediate terminare naturam aliquam creatam, ut fatentur omnes discipuli D. Thomæ : quia existentia divina, licet sit infinita, non potest tamen uniri immediate naturæ nisi supponatur subsistens subsistentia, quæ constituat personam, ut diximus : Sed subsistentia absoluta est ipsamet existentia substantialis, ita ut nequidem ratione distinguantur : Ergo subsistentia absoluta non potest immediate et primario terminare naturam aliquam creatam.

Nec dicas D. Thomam 3 p. qu. 3 ar. 3. dicere oppositum : Hoc enim falsum est : sed solum vult D. Thomas, quod si quis conciperet Deum non subsistere tribus subsistentiis relativis, et conciperet illum esse personam, quomodo illum concipiunt Judæi, tunc posset concipere Deum posse terminare naturam creatam ratione illius subsistentiæ, quam conciperet esse constitutivum personæ. Et hanc esse mentem D. Thomæ patet ex solutione ad secundum. Nec valet si dicas Deum ut præintellectum relationibus esse omnipotentem, et operari ad extra ; operatio vero est suppositorum. Non valet, inquam, quia hoc solum ostendit, Deum non habere a relationibus virtutem activam ; non autem ostendit, quod non habeat a relationibus, quatenus sunt constitutivæ personarum, vim terminandi. Actiones vero dicuntur subsistentium et suppositorum, ut agentium, non autem ut terminantium actiones. Adde quod omnis unio Dei cum natura creata est unio vel in natura, vel in persona, ut expresse docet D. Thomas 3. p. q. 2. art. 2. Sed unio Dei in subsistentia absoluta cum natura creata non esset unio in natura, quia hæc unio est impossibilis ; non esset etiam unio in persona, quia subsistentia absoluta non constituit personam, ut omnes fatentur : Ergo unio in subsistentia absoluta immediate ac primario est impossibilis.

Dices : hanc unionem fore unionem in persona ; quia licet immediate ac primario natura illa creata terminaretur per subsistentiam absolutam et communem tribus personis ; secundario tamen terminaretur per tres subsistentias relativas, quæ constituerent illam naturam assumptam in ratione personæ.

Sed contra hanc solutionem est, quod natura creata non est capax subsistentiæ illius absolutæ et communis, nisi prius sit persona ; nam subsistentia illa absoluta et communis non est nisi existentia substantialis : Sed nulla natura creata est immediate capax existentiæ substan-

tialis : Ergo nulla natura creata est capax immediate ac primario illius subsistentiæ absolutæ et communis. Quare ratio repugnantiæ non est ex parte solius subsistentiæ absolutæ, sed ex parte naturæ creatæ, quæ est positive incapax existentiæ, nisi prius sit suppositum et persona. Quod si quis velit subsistentiam divinam absolutam aliquo modo distinguere ab existentia divina, et dicere, quod subsistentia absoluta potest reddere naturam creatam capacem existentiæ divinæ, ut nihilominus non sit persona præcise ex unione cum subsistentia absoluta, sed ex unione, quæ simul fit cum tribus suppositis divinis, tunc necesse est, ut ex parte naturæ creatæ præintelligatur unio cum personis, antequam intelligatur unio cum subsistentia absoluta, quatenus est ipsa per se existentia : esto possit præintelligi unio cum subsistentia absoluta, quatenus reddit naturam creatam capacem existentiæ divinæ.

Sequitur 1169. Omnem naturam substantialem completam in ratione naturæ posse assumi a divina persona.

1169. — 3. p. q. a. 1. In 3. dist. 2. q. 1. a. 1. 4. cont. gent. c. 55.

Probatur sequela. Omne capax subsistentiæ potest assumi a divina persona ; quia, ut ex dictis patet, divina persona utpote infinita potest supplere vices cujuslibet subsistentiæ : Sed omnis natura substantialis completa est capax subsistentiæ, ut etiam constat ex dictis, imo in hoc fere consistit ratio substantiæ completæ, quod sit capax subsistentiæ : Ergo omnis natura substantialis completa potest assumi; sive illa sit angelica, sive humana, sive sensitiva tantum, sive vegetativa, sive omnino expers vitæ.

Sequitur 1170. Nullam naturam substantialem incompletam, quamdiu actu est pars, posse assumi a persona divina, nisi assumpto toto composito.

1170. — Ibid. et 3 p. q. 6. a. 1. 3. et q. 2. de pot. a. 1. 2. cont. gent. c. 54. In 3. dist. 6. q. 2. a 3.

Probatur sequela. Nullum incapax subsistentiæ potest assumi a persona divina : Sed omnis natura substantialis incompleta, quamdiu actu est pars, est incapax subsistentiæ alterius, quam illius, quæ terminat totum compositum, ut constat ex dictis in primo principio : Ergo nulla natura substantialis incompleta, quamdiu actu est pars, potest assumi a persona divina, nisi hæc supleat vices subsistentiæ totius compositi.

Sequitur 1171. Omnem partem substantialem, quæ vel naturaliter vel supernaturaliter per absolutam Dei potentiam potest subsistere seorsim ab alia parte, posse etiam assumi a persona divina.

1171. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod est capax subsistentiæ potest assumi ex dictis : Sed omnis pars substantialis, quæ vel connaturaliter, vel supernaturaliter potest subsistere seorsim ab alia parte, est capax subsistentiæ : Ergo omnis pars substantialis, quæ vel connaturaliter vel supernaturaliter potest subsistere, potest assumi.

Sequitur 1172. Animam rationalem separatam posse assumi.

1172. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia potest subsistere, ut diximus in primo principio.

Sequitur 1173. Formas substantiales materiales posse assumi a divina persona.

1173. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia possunt divinitus subsistere : quamvis enim naturaliter dependeant a materia ;

potest tamen Deus illas a materia separatas conservare; quia non major est dependentia formarum materialium substantialium a materia, quam sit formarum accidentalium materialium, puta quantitatis et aliarum : Sed hac dependentia nonobstante, potest Deus conservare formas accidentales materiales sine subjecto, et sine materia, ut patet in Eucharistia, et nos diximus in primo principio : Ergo poterit etiam Deus conservare formas substantiales materiales sine materia, et consequenter facere, quod subsistant, et sic eas per subsistentiam suam terminare.

Sequitur 1174. Formas accidentales non posse assumi immediate a divina persona.

1174. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod est omnino incapax subsistentiæ, non potest assumi a divina persona : Sed formæ accidentales sunt incapaces subsistentiæ : Ergo non possunt assumi. *Minor probatur :* quamvis enim formæ accidentales sint capaces modi cujusdam per se existendi, ut patet in Eucharistia, non tamen sunt capaces subsistentiæ constituentis suppositum vel personam. Quare si formæ accidentales aliquo modo assumerentur a Deo, ita ut Deus immediate per seipsum suppleret vices illius modi subsistendi, qui potest competere accidentibus, non illum suppleret per subsistentiam personalem et relativam, sed per subsistentiam absolutam. Utrum vero id fieri possit, jam dicendum.

Sequitur 1175. Formas accidentales actu inhærentes alicui subjecto non posse ullo modo assumi, ita ut existant existentia vel subsistentia divina.

1175. — Ibidem.

Probatur sequela. Existentia divina est existentia per se et veluti modus per se existendi : Sed inhærentia actualis impedit, ne accidens habeat modum per se existendi : Ergo inhærentia actualis impediet, ne accidens actu inhærens terminetur existentia, vel subsistentia divina. Sicut ergo forma substantialis actu informans materiam non potest assumi a persona divina, ut diximus : ita forma accidentalis actu inhærens non potest assumi ab existentia vel subsistentia divina. Unde non placet modus ille loquendi aliquorum, qui dicunt existentiam divinam, cum sit infinita, posse supplere modum inexistentiæ.

Sequitur 1176. Formas accidentales separatas a subjecto posse terminari per existentiam vel subsistentiam divinam absolutam.

1176. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod est capax termini facientis per se et non in alio subsistere, potest terminari existentia vel subsistentia divina saltem absoluta : Sed formæ accidentales separatæ a subjecto sunt capaces termini facientis per se et non in alio subsistere, ut patet ex dictis in primo principio : Ergo formæ accidentales separatæ a subjecto possunt terminari existentia vel subsistentia divina absoluta.

Sequitur 1177. Casu, quo tres personæ assumerent unam et eamdem numero naturam, v. g. humanam, non posse dici tres homines.

1177. — 3. p. q. 2. a. 6. ad 1.

Probatur sequela. Ad multiplicationem nominis substantivi requiritur non solum multiplicatio suppositi habentis formam significatam per nomen, sed etiam multiplicatio formæ : Sed in casu, quo tres personæ assumerent unam et eamdem naturam numero, non essent tres formæ, puta tres humanitates : Ergo in eo casu non essent tres homines. *Major est evidens ex dictis supra :* quia cum substantivum significet formam per modum subsistentis ad multiplicationem ejus requiritur multiplicatio formæ et multiplicatio habentis formam, sive subsistentis in forma.

Sequitur 1178. Casu, quo una persona divina terminaret duas naturas, v. g. humanas, solo numero distinctas, non posse dici plures homines.

1178. — 3. p. q. 3. a 7. ad 2.

Probatur sequela Ad multiplicationem nominis substantivi requiritur multiplicatio formæ et suppositi : Sed casu, quo una persona divina terminaret duas naturas humanas distinctas numero, non multiplicarentur suppositа, ut constat : Ergo casu, quo una persona divina terminaret duas naturas humanas, non possent dici plures homines.

Sequitur 1179. Convenientissimum fuisse, ut Filius Dei, sive secunda Persona sanctissimæ Trinitatis assumeret naturam creatam.

1179. — Ibid. a. 8.

Probatur sequela. Quia quæ sunt aliquo modo similia convenienter uniuntur : Sed Verbum cum sit exemplar omnium, et natura creata, quæ est exemplata, sunt similia aliquo modo : Ergo convenienter uniuntur. *Præterea:* Sapientia convenienter unitur naturæ creatæ intellectuali : Sed Verbum est Sapientia, ex dictis supra : Ergo Verbum convenienter unitur naturæ creatæ intellectuali. *Tertio :* finis unionis hypostaticæ est ut homines fiant fiii Dei et consequantur hæreditatem æternam : Sed huic fini convenientissimum est, ut humana natura assumatur a Verbo, ad hoc, ut filii adoptivi per naturalem in æternam hæreditatem introducantur : Ergo, etc.

Sequitur 1180. Convenientissimum fuisse, ut Vebrum divinum assumeret naturam humanam, potius quam quamcumque aliam.

1180. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia hoc exigebat finis Incarnationis, qui fuit reparare hominem, ut supra ostendimus.

CAPUT III.

Utrum completa fuerit Incarnatio.

Sectio 1ª. — Utrum Deus fuerit Incarnatus.

Sequitur 1181. Incarnationem de facto esse jam opere completam.

1181. — 3. p. q. a. 2.

Hæc sequela non potest probari ratione aliqua naturali : quia quod pendet ex sola Dei voluntate, non potest probari tanquam factum, utpote quod non habet aliam rationem, quam divinam voluntatam, quæ nobis non innotescit, nisi per signa : Signa autem illa non possunt nos inducere, si omnia omnino testimonia fidem facientia de illis signis negentur : si autem admittantur testimonia fidem facientia, jam et signa erunt satis evidentia, et ipsa Incarnatio ex illis signis poterit colligi.

Quare adversus Idololatras convincimus Incarnationem esse factam ; *primo* ex Sibillarum oraculis, quæ referunt ipsi etiam auctores Ethnici ut Tacitus 5. Annalium et Suetonius in Octavio *cap.* 51. *Secundo* ex oraculorum cessatione, de qua Plutarchus in opere de hoc ipso argumento. *Tertio* ex miraculis, quæ in testimonium Divinitatis Christi facta referuntur. Egregium est argumentum Augustini : Vel mundus in Christum tanquam in Deum incarnatum credidit vi miraculorum pertractus, vel sine miraculis : Si vi miraculorum : ergo miracula illa efficaciter suadent mysterium Incarnationis. Si sine miraculis : et hoc maximum est omnium miraculorum, quod sine miraculis mundus in Christum crucifixum credidit, repugnantibus Imperatoribus, Regibus, Philosophis etc. Accedit martyrum constantia, sanctitas morum Christianorum, et alia infinita.

Adversus Judæos probatur ex Scriptura veteris Testamenti, quod ipsi admittunt. Gen. 49. *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est.* Targum magnæ auctoritatis apud

Judæos, legit, *Donec veniat Messias :* Atqui nunc videmus ablatum sceptrum de Juda, et ducem de femore ejus ; imo tempore, quo Christus natus est, Herodes primus ex alienigenis regnabat in Judæa : Ergo Messias jam venit ; Messiam autem esse Deum constat : vocatur enim in Scripturis *Emmanuel,* id est, *nobiscum Deus.* Danielis 9. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum etc. ut deleatur iniquitas et ungatur Sanctus sanctorum.* Abbreviatæ dicuntur hebdomades id est, præcisæ ac deffinitæ, ut eo loci habetur in hæbræo : Hæ autem hæbdomades non possunt esse hebdomades dierum; alias intra annum et dimidium adimpleta esset prophetia Danielis, quod constat esse falsum : Ergo debent sumi hebdomades annorum, sicut sumuntur *Levitici* 25. ita ut quælibet hebdomada sit septem annorum sive solarium, sive lunarium : unde septuaginta hebdomades conficiunt annos 490. Atqui a tempore Danielis jamdiu est quod elapsi sunt, illi quadringenti nonaginta anni : Ergo jam unctus est *Sanctus sanctorum et deleta est iniquitas,* id est perfecta satisfactio pro peccatis est Deo exhibita. Quod cum fieri nequeat nisi per Incarnationem, ut ostendimus, jam Incarnatio completa est ; imo si verum calculum ineamus, reperiemus a tempore Danielis ad Christum, elapsos esse illos quadringentos nonagenta annos. Denique *Aggæi* 2. dicitur. *Adhuc modicum et ego movebo cœlum et terram, et veniet Desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam,* id est, templum, *gloria.* Loquitur autem de templo Hierosolimitano ædificato a Zorobabele, quod cum penitus destructum sit a Tito et Vespasiano, ut omnes historici testantur, consequens est, ut ista prophetia adimpleta sit ante tempora Titi et Vespasiani. Non potest autem aliud designari tempus, nisi quo vixit Christus, qui ingressus in illud templum, implevit illud gloria, et ipsemet dicitur *Desideratus cunctis gentibus,* quia gentes per suos Apostolos ad fidem attraxit. Adde omnia signa Messiæ in Christum quadrare, de quo nos alias in compendio Scripturæ ad D. Matthæum dicemus, si Deus faveat. Hæc omnia satis convincunt Incarnationem jam factam. Hoc idem in compendio Conciliorum adversus hæreticos convincemus Deo juvante. Potest etiam probari ex dictis hæc sequela argumento probabili : Quod est possibile, necessarium, et conveniens, est de facto peractum : Deus enim non deficit in necessariis ; Sed ex dictis Incarnatio est possibilis, necessaria et conveniens : Ergo, etc.

Sequitur 1182. Filium sive secundam sanctissimæ Trinitatis personam fuisse incarnatam.

1182. — 3. p. q. 3. a. 3.

Probatur sequela. Quia ille ipse Messias testificatus est, se esse Filium Dei : Sed hoc non potest intelligi de filio per adoptionem, ut postea ostendemus : et ratio ex dictis est, quia filius adoptivus non posset ad æqualitatem satisfacere ; ostendimus enim nullam puram creaturam id posse : Ergo cum idcirco incarnatus sit, ut Deo ad æqualitatem satisfaceret, dicendum est, quod fuit Filius Dei per naturam, et verus Deus.

Sequitur 1183. Incarnationem esse a solo Deo tanquam a causa principali.

1183. — 3. p. q. 32. a. 1.

Probatur sequela. Unio Verbi divini cum natura humana non potest esse nisi a solo Deo tanquam a causa principali : Sed Incarnatio, ut constat ex dictis, est unio Verbi divini cum natura humana : Ergo Incarnatio est a solo Deo ut causa principali. *Major est evidens :* quia causa principalis est illa, quæ habet virtutem ejusdem aut eminentioris rationis cum effectu, ut dicemus in tertio principio : Sed nulla causa creata habet virtutem ejusdem vel eminentioris rationis

cum unione Verbi divini et naturæ humanæ, ut est evidentissimum; hic enim effectus est infinitus : Ergo, etc.

Sequitur 1184. Nullam creaturam posse elevari ad hoc ut tanquam instrumentum physicum concurrat ad unionem hypostaticam.

1184. — 3. p. q. 31. a. 5. et q. 32. a. 4.

Probatur sequela. Omnis causa instrumentalis debet effective attingere terminum, qui per actionem producitur ; alias non esset causa realis et physica, ut dicemus in tertio principio : Sed nulla res creata potest effective attingere terminum, qui per unionem hypostaticam producitur : Ergo nulla res creata potest esse causa instrumentalis physica unionis hypostaticæ. *Minor probatur.* Terminus unionis hypostaticæ est Deus homo : Sed nulla res creata potest per modum causæ efficientis attingere Deum hominem ; hoc enim est attingere aliquomodo ipsum esse Verbi divini : Ergo nulla res creata potest attingere terminum unionis hypostaticæ.

Dices, quamvis homo generans hominem non attingat effective ipsum esse animæ rationalis, attingit tamen effective unionem animæ rationalis cum materia : Ergo similiter, quamvis nulla res creata possit attingere ipsum esse Verbi divini, poterit tamen attingere ipsam unionem Verbi cum humanitate.

Sed contra est : quia hoc probaret rem creatam potuisse esse causam principalem Incarnationis, sicut homo est causa principalis generationis alterius hominis : quare argumentum non potest convincere de causa instrumentali, sicut nec de causa principali. Ratio autem est ex disparitate : quia in materia est potentia naturalis receptiva animæ rationalis ut formæ, unde fit, quod qui attingit efficienter dispositiones materiæ ad animam tanquam formam, attingit etiam efficienter ipsam unionem animæ cum materia : At vero nulla est potentia naturalis receptiva ipsius subsistentiæ divinæ in humanitate, et nulla potest ab agente naturali poni in ipsa humanitate dispositio, qua disponatur ad ipsam subsistentiam Verbi. Eodemque modo respondendum est ad illam instantiam, quam opponunt nonnulli, quod videlicet, quando Christus nutriebatur et crescebat, ipse calor naturalis et potentia nutritiva concurrebant saltem instrumentaliter ad unionem hypostaticam materiæ cibi cum subsistentia divina. Respondendum, inquam, quod calor naturalis et potentia illa vegetativa concurrebant effective ad unionem animæ rationalis cum materia cibi, non autem ad unionem hypostaticam ejusdem materiæ cum subsistentia divina, sed hæc a solo Deo fiebat.

Sequitur 1185. Beatissimam Virgi, nem non fuisse instrumentum physicum et reale ad unionem hypostaticam.

1185. — Ibidem.

Probatur sequela. Nulla res creata potest esse instrumentum physicum ad unionem hypostaticam : Sed Beatissima Virgo est res creata : Ergo non potuit esse instrumentum physicum ad unionem hypostaticam. Quare quod nonnulli circa hoc dicunt, plane fictitium est, neque hoc ullatenus ad dignitatem Matris pertinet, neque privilegia ista fingenda sunt ; alias cuilibet licebit alia et alia comminisci, ut si quis vellet asserere, illam fuisse unitam hypostatice personæ Patris.

Sectio 2ª. — Utrum aliqua merita Incarnationem præcesserint.

Sequitur 1186. Nullam omnino puram creaturam potuisse mereri de condigno Incarnationem.

1186. — 3. p. q. a. 2.

Probatur sequela. Ad meritum de condigno requiritur ut opus meritorium dicat ordinem proportionis et cujusdam imperfectæ saltem æqualitatis ad rem, quæ debet esse præ-

mium : Sed nulla pura creatura potest elicere opus, quod dicat intrinsecum ordinem proportionis et cujusdam æqualitatis etiam imperfectæ ad Incarnationem : Ergo nulla pura creatura potest mereri de condigno Incarnationem. *Major probata et explicata est supra. Minor etiam est evidens* ex dictis ibidem : quia opus procedens a gratia et charitate non dicit intrinsecum ordinem proportionis et imperfectæ æqualitatis nisi ad gloriam, et ad augmentum gratiæ et charitatis, non autem ad alia extrinseca, cujusmodi fuit Incarnatio.

Sequitur 1187. Antiquos Patres non meruisse Incarnationem de condigno, imo nec Beatissimam Virginem illam meruisse.

1187. — Ibidem.

Probatur sequela. Nulla pura creatura potuit mereri de condigno Incarnationem : Sed antiqui Patres imo et ipsa Beatissima Virgo fuerunt creaturæ puræ : Ergo, etc.

Sequitur 1184. Nullam puram creaturam potuisse mereri de condigno circumstantias intrinsecas Incarnationis.

1188. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui non potest mereri substantiam rei, eo quod sit altioris ordinis, non potest etiam mereri circumstantias intrinsecas illius propter eamdem rationem. Sed nulla pura creatura potuit mereri ipsam substantiam Incarnationis, quia est ordinis altioris, ut patet ex dictis : Ergo non potuit etiam mereri circumstantias intrinsecas Incarnationis. *Major patet :* quia circumstantiæ sunt intrinsecæ ejusdem ordinis cum re.

Sequitur 1188. Nullam puram creaturam potuisse mereri de condigno effectus proprios Incarnationis.

1189. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui non meretur de condigno causam, non meretur etiam de condigno effectus proprios illius causæ : Sed nulla pura creatura potuit mereri de condigno Incarnationem : Ergo nulla pura creatura potuit mereri de condigno effectus proprios Incarnationis.

Sequitur 1190 Nullam puram creaturam potuisse mereri de condigno apertionem regni cœlestis.

1190. —Ibidem.

Probatur sequela. Explicando quid sit apertio regni cœlestis : non enim imaginandum est, illam apertionem esse materialem et corpoream, quasi sit ibi aliqua janua, quæ materialiter aperiatur : Sed hoc intelligi debet spiritualiter. Advertendum igitur, quod per peccatum originale tota natura humana contraxit indignitatem videndi Deum et fruendi illo : Quæ indignitas tanta fuit, et, ut sic loquar, ita medullitus ipsi naturæ per hoc peccati virus inserta, ut quamvis aliquæ personæ particulares et privatæ obtinerent gratiam sanctificantem, imo et mererentur gloriam æternam per opera, nihilominus illa gratia sanctificans et illa opera manebant veluti suspensa et impedita ab actuali consecutione gloriæ, propter hujusmodi totius naturæ indignitatem ; atque adeo nullus hominum quantumcumque sanctus (si peccatum originale contraxisset) poterat videre Deum, aut eo frui, quoadusque sublata hujusmodi indignitate per reconciliationem totius naturæ cum Deo, gratia et merita privatarum personarum haberent effectum, ad quem natura sua erant ordinata. Et sublatio hujusmodi impedimenti dicitur apertio januæ regni cœlestis, ad quam apertionem necessaria erat talis ac tanta sanctificatio naturæ, ut ipsa in aliquo suæ speciei supposito exhiberet condignam satisfactionem Deo pro offensa. Hanc exhibuit Christus, et illam exhibendo aperuit januam regni cœlestis. Hinc ergo *probatur sequela :* Qui non meretur de condigno causam per se primo ordinatam ad aliquem effectum, non meretur etiam

ipsum effectum : Sed nulla pura creatura potuit mereri causam, scilicet Incarnationem, quæ est per se primo causa apertionis regni cœlestis per exhibitionem satisfactionis condignæ, quæ, ut diximus, exhiberi non potuit sine Incarnatione : Ergo nulla pura creatura potuit mereri de condigno apertionem regni cœlestis. Adde quod, ut supra ostensum est, gratia in supposito finito existens non habet inclinationem, nisi ad ea, quæ sunt illius suppositi : Sed apertio regni cœlestis non est unius tantum suppositi, imo est reparatio totius naturæ, ut constat ex explicatione jam allata : Ergo cum ad meritum de condigno, ut supra ostensum est, requiratur ut inclinatio gratiæ sit in ipsum præmium, consequens est, ut nulla pura creatura, quæ non habet gratiam, nisi in supposito finito, possit mereri de condigno apertionem regni cœlestis.

Nec valet si dicas, quod licet pura creatura non potuerit mereri de condigno apertionem regni cœlestis pro tota natura potuit tamen illam pro se et pro suo supposito mereri ; hoc enim ipso, quod meretur gloriam de condigno, meretur etiam de condigno consecutionem ejusdem gloriæ.

Non valet, inquam, quia non potest tolli indignitas naturæ ab uno supposito illius naturæ, quin tollatur ab omnibus : quia non est indignitas suppositi sed totius naturæ : unde quamvis persona sit digna vitæ æternæ ; eo tamen ipso quod illa persona est individuum illius naturæ, habet indignitatem, quæ si tolleretur ab hoc supposito, tolleretur a tota natura Quare nisi hoc impedimentum sit ablatum, non potest frui præmio, ad quod ratione gratiæ et meritorum personalium ordinatur.

Sequitur 1191. Antiquos Patres non meruisse de condigno apertionem regni cœlestis.

1191. — Ibidem.

Patet sequela. Quia illorum quilibet fuit pura creatura.

Sequitur 1192. Antiquos Patres potuisse orationibus et desideriis suis impetrare Incarnationem et accelerationem ejus.

1192. — Ibidem.

Probatur sequela. Ad impetrationem, ut supra diximus, non requiritur ullus titulus justitiæ etiam imperfectissimæ, sed sufficit, ut res, quæ petitur, ex mera illius, a quo petitur, gratia de facto concedatur : Atqui antiqui Patres petierunt Incarnationem et accelerationem ejus, ut constat ex pluribus eorum orationibus in Scriptura contentis, *Deuteron.* 33. *Psal.* 78. *Is.* 41. et alibi, et de facto ex misericordia Dei eam sunt consecuti : Ergo potuerunt impetrare Incarnationem et accelerationem ejus, aliasque circumstantias.

Sequitur 1193. Antiquos Patres potuisse mereri de congruo Incarnationem et circumstantias ejus.

1193. — Ibidem.

Probatur sequela. Ac primo quidem, si Deus illis voluisset conferre gratiam non ex meritis Christi, sicut absolute poterat, certum est in eo casu eos, potuisse de congruo mereri Incarnationem ; ad meritum enim de congruo sufficit status viæ et gratiæ, nec requiritur quod ipsa inclinatio gratiæ feratur in præmium ex natura sua, sed sufficit quod ex relatione et ordinatione operantis ordinetur ad illud, ut supra diximus : Ergo saltem in tali casu potuissent antiqui Patres mereri de congruo Incarnationem et circumstantias illius. Quod ergo potest hac in re facessere negotium est, quod gratia antiquorum Patrum, quæ fuit in illis principium omnis meriti, fuerit ex meritis Christi : unde cum principium meriti non cadat sub meritum, nec res aliqua possit esse causa et effectus in eodem genere causæ, videtur, quod de facto antiqui Patres non meruerint etiam de congruo Incarnationem. Et urget argumentum eo magis, quod Incarnatio sive gratia

unionis multo magis est gratuita, quam quælibet gratia cuicumque homini collata, idque non solum respectu ipsius humanitatis Christi, sed etiam respectu totius naturæ humanæ : Atqui gratia non esset gratuita, si illam præcederent aliqua merita etiam de congruo, ut patet ex dictis supra : Ergo nec Incarnatio erit gratuita, si antiqui Patres illam de congruo meruerint. Denique si antiqui Patres meruerunt de facto Incarnationem, meruerunt etiam gratiam habitualem de congruo, nam qui meretur causam meretur et effectum illius causæ : Sed gratia antiquorum Patrum fuit effectus Incarnationis : Ergo si meruerunt de congruo Incarnationem, meruerunt etiam de congruo gratiam, hoc autem dici nequit, ut patet ex superioribus.

Ad hæc argumenta respondendum est. Ad primum quidem, quod principium meriti duplex est, aliud intrinsecum, quod intrinsece in homine existens dignificat ipsum ; aliud extrinsecum : et istud iterum est duplex ; aliud enim est, quod per modum causæ efficientis, aut quasi efficientis causat rationem meriti ; aliud, quod causat per modum causæ finalis, et rursus illud, quod se habet per modum causæ finalis duplex est, aliud, cui ratio finis convenit ex natura rei ; aliud, cui convenit solum ex ordinatione prorsus extrinseca. Et similiter meritum aliud est, cujus congruitas petitur tantum ex parte præmiantis, ejusque ordinatione velut extrinseca ; aliud, cujus congruitas petitur etiam ex parte operis. Igitur dicendum, quod principium meriti intrinsecum nulla ratione potest cadere sub meritum, cujusmodi est gratia, quæ dignificat ipsum operantem, ut mereatur : principium etiam extrinsecum, quod per modum causæ efficientis causat gratiam vel habitualem, vel actualem, quale est prædestinatio divina, nullo etiam modo cadit sub meritum : principium vero extrinsecum per modum causæ finalis potest cadere sub meritum : sicut videmus quod ipsæ dispositiones concomitantes gratiam justificantem, merentur vitam æternam, quamvis vita æterna sit principium meriti per modum causæ finalis. Porro duplex est finis ; alius, cui ex natura rei competit ratio finis, ut patet de vita æterna ; aliud, cui ratio finis non competit nisi ex ordinatione extrinseca : primum finem possumus mereri de condigno, quamvis sit principium : Secundum finem non possumus mereri de condigno, quia inclinatio charitatis non fertur in ipsum : sed neque possumus proprie de congruo illud mereri, quasi congruitas se teneat ex parte operis, vel etiam operantis præcise ; sed solum prout se tenet ex parte ipsius præmiantis, quatenus extrinsece promisit tale præmium : et hoc modo non est inconveniens quod principium meriti per modum finis extrinseci cadat sub meritum congrui, congruitate tota se tenente ex parte promittentis. Et hoc sensu antiqui Patres meruerunt Incarnationem, quamvis Incarnatio per modum causæ finalis extrinsecæ fuerit principium meriti : Incarnatio siquidem fuit principium meriti, nisi per modum causæ finalis, ut docet D. Thom. 3. p. qu. 61. a. 3. ad 1. et q. 62. art. 6. Et illam esse causam finalem non ex natura rei, sed ex ordinatione Dei extrinseca constat : quia poterat Deus dare gratiam antiquis Patribus non ordinando illorum opera ad Christum tanquam ad causam finalem. Et sic non in eodem genere causæ, merita antiquorum Patrum causant Incarnationem, et causantur ab illa : causant enim in genere tantum dispositionum, et causantur tantum in genere causæ finalis ; nec sequitur quod Incarnatio sit minus gratuita, quia merita illa sunt potius dispositiones morales, quam merita, et illorum congruitas tota nititur promissioni et ordinationi divinæ. Unde etiam non sequitur illos promeruisse suam gratiam, quia gratia erat principium intrinsecum dig-

nificans ipsa supposita, et per modum causæ efficientis influens. Et ex his patet ad alia.

Sequitur 1194. Antiquos Patres non potuisse mereri de condigno prædestinationem Incarnationis.

1194. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui non potest mereri de condigno ipsam Incarnationem, multo minus potest mereri de condigno ipsius prædestinationem : Sed antiqui Patres non potuerunt mereri de condigno ipsam Incarnationem : Ergo nec ejus prædestinationem. *Probatur major :* quia mereri Incarnationis prædestinationem est mereri non quidem ipsum actum Dei prædestinantis, sed vel ipsam Incarnationem, vel quod illa fiat in hac natura, potius quam in alia : sive est esse causam finalem et motivam propter quam ipsa Incarnatio volita sit a Deo : Hoc autem dici nequit; quia nullius puræ creaturæ merita possunt esse causa finalis et motiva propter quam volita sit a Deo Incarnatio.

Sequitur 1195. Beatissimam Virginem meruisse quidem de condigno illum gradum gratiæ et sanctitatis, quo disponeretur ut congrue esset Mater Dei ; non tamen meruisse de condigno dignitatem Matris Dei.

1195. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Quia Beatissima Virgo ex eo, quod deberet esse Mater Dei non fuit pejoris conditionis quam cæteri Sancti, qui et ipsi meruerunt de condigno augmentum suæ gratiæ et sanctitatis, ut supra vidimus : Sed per illud augmentum disponebatur ut modo congruo esset Mater Dei ; non tamen merebatur de condigno Incarnationem ; hoc enim est impossibile, ut jam ostensum est : Ergo Beata Virgo meruit de condigno illud augmentum, quo congrue esset Mater Dei, et non meruit de condigno ipsam maternitatem, quæ involvit ipsam Incarnationem.

Sequitur 1196. Etiam supposita futuritione Incarnationis, Beatam Virginem non potuisse mereri de condigno maternitatem Dei.

1196. — Ibidem.

Explicatur. Sunt qui imaginantur, quod Deus primo decreverit Incarnationem Verbi in communi, non determinando singulares et individuas ejus circumstantias, et quod deinde alio decreto determinaverit illas : Et hoc posito dicunt : Incarnationem vi prioris decreti futuram quoad substantiam ; quod autem Verbum assumeret hanc potius numero humanitatem, vel ex hac matre, potuisse fieri ex meritis illius, quæ debebat esse mater : et hoc modo dicunt, Beatam Virginem meruisse de condigno, ut præ cæteris mulieribus eligeretur ad dignitatem matris.

Sed hæc imaginatio falsa est ex duplici capite ; ac *primo* quidem, quia Deus nunquam aliquid decernit nisi in particulari et cum omnibus circumstantiis, ut satis supra explicatum est : *Secundo* quia dato et non concesso, quod Deus ita se gereret, adhuc nihilominus manet repugnantia, propter quam, maternitas Dei non potest cadere sub meritum de condigno : quia meritum de condigno, ut diximus, exigit inclinationem gratiæ et charitatis in ordine ad illud, quod debet esse præmium : non potest autem hujusmodi inclinatio esse in ulla pura creatura ; eo quod gratia puræ creaturæ est finita et limitata, nec potest esse ad ea, quæ sunt omnino diversi ordinis, ut satis constat ex dictis ; atque adeo cum Incarnatio hæc singularis necessario involvatur in maternitate Dei, non potest cadere sub meritum de condigno maternitas, sicut nec Incarnatio.

Sequitur 1197. Beatissimam Virginem potuisse mereri et meruisse de congruo dignitatem Matris, et Incarnationem Verbi Divini.

1197. — Ibidem.

Probatur sequela. Plus meruit Bea-

tissima Virgo, quam omnes Antiqui Patres, ut omnino certum est : Atqui, ex dictis, Antiqui Patres meruerunt de congruo Incarnationem, modo superius explicato : Ergo a fortiori Beatissima Virgo eamdem, atque adeo maternitatem Dei meruit.

Sequitur 1198. Beatissimam Virginem non meruisse etiam de congruo suam electionem ad maternitatem Dei.

1198. — Ibidem.

Probatur sequela. Ad merendam de congruo electionem ad aliquid, necessarium est, quod illud se habeat tanquam medium ad finem respectu meriti : Sed maternitas Dei vel Incarnatio non se habuit ad meritum Beatæ Virginis tanquam medium ad finem : Ergo Beatissima Virgo non meruit de congruo electionem ad maternitatem Dei. *Major patet ex dictis :* mereri siquidem prædestinationem vel electionem ad aliquid, nihil aliud est, quam ipsum eligentem moveri ex merito tanquam ex motivo ad eligendum : Atqui eligens non movetur ad eligendum nisi a fine, quo movetur ad eligenda media ; solus enim finis est ratio eligendi media : Ergo ut merita sint motivum eligendi aliquid, merita debent esse finis, quo eligens moveatur ad eligendum illud tanquam medium. *Minor vero,* quod videlicet merita Beatissimæ Virginis non fuerint finis, propter quem Deus elegerit ipsam ad maternitatem Dei, est evidentissima : nam potius Maternitas Dei et Incarnatio fuerunt finis, propter quem Deus voluit dare Beatissimæ Virgini tot tantaque merita.

Sequitur 1199. psum Christum Dominum non potuisse mereri Incarnationem ullo pacto.

1199. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Principium effectivum et veluti formale totius meriti nullo modo potest cadere sub meritum : Sed Incarnatio ratione sui termini, hoc est, ipsum Verbum ut unitum humanitati fuit principium effectivum et veluti formale totius meriti ipsius Christi : Ergo Christus Dominus illud non potuit mereri. *Minor est evidens :* nam cum actiones sunt suppositorum, omnis actio meritoria procedebat a Verbo Divino ut subsistente in natura humana. Quomodo autem involvatur ibi, quod ipsum Verbum quodammodo per modum causæ formalis, moralis tamen, dignificaverit illa opera, mox explicabimus.

Sequitur 1200. De potentia Dei absoluta potuisse Incarnationem aliquam cadere sub meritum de condigno.

1200. — Ibidem.

Explicatur. Incarnatio est assumptio humanæ naturæ in unitatem personæ divinæ : Si ergo Pater æternus, vel Spiritus sanctus, vel etiam ipse Filius assumpsissent prius naturam aliquam angelicam, vel humanam, in unitatem personæ, et in illa natura meruissent, ac ordinassent suum illud meritum ad assumptionem humanæ naturæ, quæ de facto est et subsistit in Verbo, sine dubio tunc meruissent hanc numero Incarnationem : quia tunc meritum et præmium essent ejusdem ordinis : Sed semper prima assumptio naturæ in unitatem personæ fuisset absque ullo merito de condigno.

Ex his patet sequela : De potentia absoluta potest quælibet persona divina assumere naturam, ut diximus : Sed hoc posito illa persona in natura assumpta potuisset mereri assumptionem alterius naturæ in unitatem ejusdem vel alterius personæ, ut constat ex explicatione : Ergo de potentia absoluta potuit aliqua Incarnatio cadere sub meritum.

Sequitur 1201. Christi Domini humanitatem non potuisse mereri de condigno suam assumptionem ad esse personale Verbi, vel alterius personæ divinæ.

1201. — Ibidem.

Explicatur : Sunt, qui imaginantur humanitatem Christi, si prius tempore vel natura extitisset, quam assumeretur a Verbo, potuisse mereri de condigno suam assumptionem ad esse personale : Sed præterquam quod hæc imaginatio falsa est, quod videlicet natura aliqua substantialis possit existere prius quam terminetur aliqua subsistentia, quæ constituat illam in ratione suppositi, ut patet ex dictis supra : præterquam quod etiam dato, quod natura substantialis posset existere sine personalitate, adhuc non posset intelligi operans *ut quod,* nec consequenter promerens ; insuper his datis et non concessis, falsum est, quod natura aliqua existens et operans possit mereri de condigno assumptionem suam ad esse personale : quod sic ostenditur etc.

Probatur sequela. Illa natura substantialis existeret per existentiam creatam, vel per increatam : Sed quidquid ex his dicatur, non posset mereri de condigno suam assumptionem ad esse personale Verbi : Ergo absolute non posset hoc mereri. *Major patet* a sufficienti divisione : omnis enim existentia vel est creata vel increata. *Minor vero probatur :* ac *primo* quidem, si natura illa existeret per existentiam creatam, natura illa esset pura creatura : Sed, ex dictis supra, nulla pura creatura potest mereri de condigno Incarnationem : Ergo si illa natura existeret per existentiam creatam, non posset mereri de condigno Incarnationem. *Secundo* si natua illa existeret per existentiam divinam, eo ipso subsisteret vel per tres subsistentias relativas vel per aliquam ex illis ; ita ut nullum sit instans reale vel rationis, in quo intelligi possit natura ut existens existentia divina, et non subsistens subsistentia aliqua personali. Esto siquidem possimus abstrahendo intelligere naturam ut existentem existentia divina, non intelligendo illam subsistere subsistentia divina, nunquam tamen possumus intelligere naturam in aliquo instanti reali vel rationis existentem, et negare quod in eodem instanti illa non subsistat subsistentia divina personali : Atqui hoc esset necessarium, ut conciperemus naturam illam existentem existentia divina operari et mereri subsistentiam divinam personalem : Ergo sicut prius est impossibile, ita et posterius ; hoc est sicut impossibile est naturam existere existentia divina in aliquo instanti realî vel rationis, et non subsistere subsistentia divina personali ; ita impossibile est naturam sic existentem operari et mereri subsistentiam personalem. *Minor ultimi argumenti probatur :* Qui meretur aliquid, in illo instanti reali vel rationis intelligitur non habere illud, quod meretur, ut patet ex iis, quæ probavimus supra ; atque adeo, qui meretur subsistentiam personalem, intelligitur nondum habere illam : Sed natura existens existentia divina, juxta auctores, quos impugnamus, mereretur subsistentiam personalem : Ergo natura illa intelligeretur non habere subsistentiam personalem. Cum ergo hoc implicet, implicabit etiam, quod natura aliqua concipiatur existens et promerens subsistentiam personalem. Adde quod auctores qui oppositum asserunt, existimant existentiam in rebus creatis non distingui ab essentia ; unde consequenter tenentur dicère, quod non potest intelligi natura existens nisi existentia creata : jam autem probatum est, naturam existentem existentia creata non posse etiam per absolutam Dei potentiam mereri subsistentiam personalem : Ergo hoc dici non potest.

Sequitur 1202. Christum Dominum non meruisse continuationem Incarnationis.

1202. — Ibidem.

Probatur sequela. In iis, quæ habent suum esse totum simul, et non successivum, vel divisibile, qui non meretur primum esse, non potest mereri sequens sive continuationem : Sed Incarnatio sive unio hypostatica habet totum suum esse simul et non successivum ; est enim omnino spiritualis et supernaturalis : Ergo qui non meretur primum esse Incarnationis, non meretur etiam continuationem ejus. Sed Christus Dominus non potuit mereri primum esse Incarnationis vel unionis hypostaticæ, ex dictis : Ergo nec ejus continuationem. *Major constat* quia indivisibile non successivum nullas potest habere partes, ut unam quis concipiatur mereri, non autem alteram. *Minor est etiam certa,* quia unio hypostatica non potest esse quid divisibile, quocumque tandem modo concipiatur ; nihil enim est aliud, quam naturam humanam completam terminari subsistentia divina, quæ est omnino indivisibilis.

Sequitur 1203. Christum Dominum non meruisse intrinsecas circumstantias Incarnationis.

Probatur sequela. Quæ se tenent ex parte principii totius meriti, non possunt cadere sub meritum sicut nec ipsum principium, ut diximus : Atqui circumstantiæ intrinsecæ Incarnationis se tenent ex parte principii, ut patet : Ergo non possunt cadere sub meritum. *Major est evidens :* Idcirco enim nemo potest mereri, quod sit natus tali tempore, tali loco, ex talibus parentibus etc. quia hæc se tenent ex parte principii, nimirum supposita, quod est principium *quod* operationis et meriti : similiter nemo potest mereri intensionem primæ gratiæ, vel quod illa prima gratia detur tali tempore etc. quia hæc se tenent ex parte principii. Hinc etiam *constat minor :* quia quod Verbum incarnaretur assumendo hanc numero humanitatem tali hora etc. omnia hæc se tenent ex parte principii.

Sequitur 1204. Christum Dominum meruisse extentionem aut quasi extensionem Incarnationis ad partes, quas per conversionem cibi convertebat in substantiam sui corporis.

Probatur sequela. Quia licet hæc naturali sequela resultaret ex vi unionis hypostaticæ primitus factæ, non repugnat tamen, hanc extensionem fieri etiam ex merito : sicut quamvis gloria corporis naturali sequela sequeretur ex gloria animæ, nihilominus potuit Christus sibi mereri, et de facto meruit gloriam corporis : Ergo, etc.

Sequitur 1205. Christum Dominum meruisse reparationem Incarnationis respectu totius naturæ humanæ, id est, reparationem unionis hypostaticæ cum natura humana.

1205. — 3. p. q. 19. a. 3. et q. 53. a. 1.

Explicatur. Per mortem Christi anima rationalis vere fuit separata a corpore, quamvis et anima separata, manserit semper unita Verbo Divino, sicut et corpus : Itaque verissimum fuit, quod natura humana, utpote non existens, non erat amplius unita Verbo, quamvis partes manerent unitæ : Per resurrectionem autem eadem natura iterum reparata, fuit etiam unita Verbo, et sic aliquo pacto reparata est unio hypostatica cum tota natura humana ; Dicimus ergo, quod Christus hoc meruit.

Probatur sequela. Christum mereri suam resurrectionem, est mereri reparationem Incarnationis modo explicato : Atqui Christus meruit suam resurrectionem, ut etiam infra ostendemus : Ergo meruit etiam reparationem Incarnationis modo explicato.

DISSERTATIO II[a]

DE MODO UNIONIS VERBI INCARNATI.

CAPUT I

De modo unionis quantum ad personam assumentem.

Sequitur 1206. Unionem naturæ humanæ cum persona Verbi non esse unionem in essentia sive natura.

1206. — 3. p. q. 2. a. 1.

Probatur sequela. Unio naturæ divinæ cum humana secundum essentiam est impossibilis : Sed unio naturæ humanæ cum persona Verbi non est impossibilis, ut patet ex dictis : Ergo unio naturæ humanæ cum persona Verbi non est unio naturæ divinæ cum humana secundum essentiam. *Minor patet* : quia una natura non potest secundum essentiam uniri alteri, nisi vel altera mutetur in alteram, vel utraque in tertiam; vel una se habeat per modum potentiæ passivæ ac receptivæ, altera per modum formæ et actus : Sed neque natura divina potest mutari in humanam, neque humana in divinam, neque utraque in tertiam; neque natura divina potest se habere per modum potentiæ, neque per modum formæ : Ergo, etc. *Minor constat* : quia natura divina est actus purus, atque adeo omnino immutabilis, nec potest habere rationem potentiæ passivæ, neque formæ informantis et limitatæ per receptionem, neque natura humana potest converti in divinam; repugnantia enim est tam ex parte naturæ humanæ, quæ non potest transire in rem increatam, quam ex parte naturæ divinæ, quæ non potest esse terminus conversionis, qui semper debet aliquo modo mutari. Ergo, etc.

Sequitur 1207. Unionem hanc factam esse in persona, hoc est, naturam unitam esse Personæ divinæ.

1207. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Facta est unio; non in natura; ut probatum est : Ergo in persona : Consequentia est evidens ex his, quæ fides docet : quia facta est aliqua unio; ita ut idem, qui est Deus, sit homo : Ergo cum non sit facta in natura, est facta in persona.

Sequitur 1208. Verbum Divinum non sibi univisse naturam terminatam propria et naturali personalitate.

1208. — Ibidem.

Probatur sequela. Tum ex dictis, quia hoc est impossibile : Tum etiam, quia alias esset in Christo duplex persona, sicut et duplex natura, quod est contra fidem hujus mysterii.

Sequitur 1209. Verbum Divinum proprie loquendo non assumpsisse hominem.

1209. — Ibid. q. 4. a. 3.

Probatur sequela. Homo importat personam et suppositum : Sed Verbum Divinum non assumpsit personam vel suppositum : Ergo Verbum Divinum non assumpsit hominem.

Sequitur 1210. Unionem Verbi factam esse in supposito vel hypostasi.

1210. — 3. p. q. 2. a. 3.

Probatur sequela. Persona in natura intellectuali est idem quod suppositum vel hypostasis : Sed unio Verbi facta est in persona divina, atque adeo in persona naturæ intellectualis : Ergo facta est in supposito vel hypostasi.

Sequitur 1211. Personam Christi essse compositam.

1211. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Persona constans

ex duabus naturis realiter distinctis est composita : Sed persona Christi post Incarnationem constat ex duabus naturis realiter distinctis, divina scilicet et humana : Ergo persona Christi est composita. *Major est evidens* : nam quod constat ex duobus realiter et adæquate distinctis per modum excludentis et exclusi, est quid compositum : Sed persona constans ex duabus naturis realiter distinctis, constat ex duobus realiter et adæquate distinctis per modum excludentis et exclusi : una enim natura est omnino realiter distincta ab alia, illamque prorsus excludit : Ergo quod constat ex duabus naturis est compositum. *Minor principalis est certa* : nam natura divina et humana omnino realiter distinguuntur.

Sequitur 1212. Personam Christi esse compositam ex Divinitate et Humanitate.

1212. — In 3. dist. 6. q. 2. a. 3.

Probatur sequela. Persona composita ex duabus naturis, divina et humana, est composita ex Divinitate et Humanitate : Sed persona Christi est composita ex duabus naturis, divina et humana : Ergo est composita ex Divinitate et Humanitate. *Major patet* : quia natura divina est Divinitas, et natura humana est Humanitas.

Sequitur 1213. Personam Christi esse compositam ex personalitate Verbi et humanitate.

1213. — Ibidem.

Probatur sequela. Omnis persona, in qua subsistentia sive personalitas non est idem realiter cum natura, est composita ex personalitate et natura, ut patet ex dictis : Sed in persona Christi non est idem realiter personalitas Verbi cum humanitate, ut est evidens : Ergo persona Christi est composita ex personalitate Verbi et humanitate.

Sequitur 1214. Hanc compositionem secundum quam Persona Christi dicitur composita, non importare imperfectionem partis.

1214. — Ibidem.

Probatur sequela. Compositio termini substantialis cum natura non importat imperfectionem partis; quia terminus non habet rationem partis : Sed compositio, secundum quam persona Christi dicitur composita, est tantum compositio termini substantialis, scilicet subsistentiæ cum natura humana per se primo, ex qua sequitur compositio naturæ divinæ et humanæ, quatenus terminantur eadem personalitate Verbi : Ergo compositio secundum quam persona Christi dicitur composita, non importat imperfectionem partis. *Major est evidens* : quia terminus substantialis ut sic non dicit imperfectionem, ut supra dictum est.

Sequitur 1215. Hanc compositionem non competere personæ Verbi ut sic cum natura divina.

1215. — Ibidem.

Probatur sequela. Persona Verbi ut sic non distinguitur realiter a natura divina, sed tantum virtualiter, imo nec virtualiter per modum excludentis et exclusi, ut supra dictum est : Sed compositio exigit distinctionem extremorum componentium : Ergo persona Verbi secundum se non componitur cum natura divina.

Sequitur 1216. Personam Verbi ut sic non posse dici compositam.

1216. — Ibidem.

Probatur sequela. Subsistens incommunicabiliter in natura divina non potest dici compositum ut patet ex dictis : Sed persona Verbi ut sic non dicit nisi subsistens incommunicabiliter in natura divina, modo alias explicato : Ergo persona Verbi ut sic non potest dici composita.

Sequitur 1217. Hanc compositionem ex Divinitate, natura humana, et personalitate Verbi, posse dici compositionem ex his, seclusis tamen imperfectionibus partis etc.

1217. — Ibidem.

Probatur sequela. Tum quia ita loquuntur Concilia et Patres ; tum etiam quia nullum est periculum sic loquendi, si sanus adsit intellectus, et secludantur imperfectiones.

Sequitur 1218. In hac compositione, compositum non esse perfectius quolibet extremo componente.

1218. — Ibidem.

Probatur sequela. Quando unum extremum componens est omnino infinitum, compositum non potest esse perfectius quolibet extremo : Sed unum extremum componens, scilicet Divinitas et personalitas Verbi, est quid omnino infinitum : Ergo compositum in hac compositione, non est perfectius quolibet extremo componente.

Nec dicas hanc rationem evertere id, quod diximus supra, dum asservimus Deum non posse in aliorum compositionem venire : tota enim ratio, ob quam id asseruimus est, quia compositio importat imperfectionem partis.

Verum ex professo ibidem diximus, Deum non posse in aliorum compositionem venire per modum partis.

Sequitur 1219. Hanc unionem naturæ humanæ cum Verbo, non posse dici essentialem, vel naturalem.

1219. — 3. p. q. 2. a. 6.

Probatur sequela. Unio, quæ non est facta in essentia vel natura, non potest dici essentialis vel naturalis : Sed unio naturæ humanæ cum Verbo, non est facta in essentia vel natura, ex dictis : Ergo hæc unio naturæ humanæ cum Verbo non potest dici essentialis vel naturalis. *Major patet ex terminis. Minor probata est.*

Sequitur 1220. Unionem hanc esse substantialem, et personalem.

1220. — Ibidem.

Probatur sequela. Unio subsistentiæ cum natura est substantialis : Sed unio humanitatis cum Verbo est unio ipsius Verbi sive subsistentiæ ejus cum humanitate : Ergo est unio substantialis. *Major patet ex dictis supra :* quia subsistentia est terminus substantialis, et dat subsistere substantialiter.

Sequitur 1221. Hanc unionem nulla ratione posse dici accidentalem.

1221. — Ibidem.

Probatur sequela. Unio substantialis nulla ratione potest dici accidentalis : Sed hæc unio personalitatis Verbi cum humanitate est substantialis : Ergo nulla ratione dici potest accidentalis, ac per hoc excluduntur hæreses Nestorii et Theodori Mopsuesteni, dicentium hanc unionem esse secundum inhabitationem, unitatem affectus, dignitatem, operationem, et æquivocationem sive communicationem nominum.

Sequitur 1222. Hanc unionem supponere in Christo aliam ex corpore et anima rationali.

1222. — 3 p. q. 2. a. 5.

Probatur sequela. Natura humana non potest esse completa, nisi anima sit unita corpori : Sed unio subsistentiæ divinæ cum natura humana supponit naturam completam : Ergo unio subsistentiæ divinæ cum natura humana supponit unionem corporis et animæ. Imo alias Christus non esset homo univoce cum aliis hominibus.

Sequitur 1223. Hanc unionem sumi posse vel pro actione unitiva, vel pro aliquo, quod ad hujusmodi actionem unitivam consequitur.

1223. — Ibid. a. 7. et 8.

Probatur sequela. Quia omnis unio potest altero ex his duobus modis sumi : Ergo et hæc. Adverte tamen, quod magis proprie unio sumitur pro eo, quod consequitur.

Sequitur 1224. Hanc unionem sive unitionem, non esse actionem aliquam creatam receptam in humanitate.

1224. — Ibid. et 1. p. q. 45. a. 3. 2. contr. gent. c. 16. In 2. d. 1. q. 1. a. 5.

Probatur sequela. Omnis actio Dei est actio increata et immanens in Deo, nec potest esse nisi solum virtualiter transiens ; quia Deus non agit actione formaliter transeunte, ut alias probatum est : Sed unitio humanitatis cum personalitate Verbi est actio Dei, ut patet ; solus siquidem Deus potuit unire humanitatem cum personalitate Verbi, ut dictum est : Ergo unitio illa est actio increata Dei formaliter immanens et solum virtualiter transiens.

Sequitur 1225. Terminum formalem hujus actionis unitivæ non esse quid accidentale.

1225. — Ibid. et in 3. dist. 2. q. 3. a. 2. q. 1.

Probatur sequela. Terminus formalis unionis substantialis et non accidentalis debet esse quid substantiale et non accidentale ; denominatur enim actio a suo termino formali : Sed, ex dictis, hæc unio est substantialis, et nullo modo accidentalis : Ergo terminus formalis hujus unionis non est quid accidentale, sed substantiale.

Sequitur 1226. Terminum formalem hujus actionis non esse qualitatem, quam nonnulli vocant gratiam unionis.

1226. — Ibidem.

Probatur sequela. Tum ex jam dictis, quia terminus formalis hujus unionis non est quid accidentale, sed substantiale ; Tum etiam quia omnis qualitas supponit esse subjecti, in quo recipitur : ut patet ex dictis in primo principio : Sed terminus formalis hujus unionis non supponit esse naturæ humanæ, quæ non potest habere existentiam nisi prius habeat subsistentiam, ut constat ex dictis ; habet autem subsistentiam per hanc unionem : Ergo terminus formalis hujus unionis non potest esse qualitas, quæ dicitur gratia unionis.

Sequitur 1227. Terminum formalem hujus unionis non posse esse relationem humanitatis ad Verbum.

1227. — Ibidem.

Explicatur. Non negamus resultare hujusmodi relationem in humanitate ; sed negamus illam relationem esse terminum formalem unitionis.

Probatur sequela. Tum ex dictis : quia nullum accidens potest esse terminus formalis hujus actionis, relatio autem est accidens : Tum etiam, quia ad solam relationem non datur per se actio, sed solum ad fundamentum ipsius relationis.

Sequitur 1228. Terminum formalem hujus actionis unitivæ non posse esse modum quemdam substantialem ex natura rei distinctum ab humanitate, et realiter distinctum ab ipsa personalitate Verbi.

1228. — Ibidem.

Probatur sequela. Tum quia, ut statim dicemus, non datur talis modus : Tum etiam quia licet daretur, non posset esse terminus formalis unitionis hujus. Quod sic ostenditur : Terminus formalis alicujus actionis debet esse id, ratione cujus terminus totalis terminat actionem : Sed modus ille non potest esse id, ratione cujus terminus totalis terminat actionem : Ergo modus ille non potest esse terminus formalis. *Minor probatur :* Id, ratione cujus terminus totalis ter-

minat actionem unitivam humanitatis cum Verbo, non potest esse aliud, quam ipsa subsistentia Verbi, ut est evidens; cum illa unitio ad illam terminetur : Ergo, etc. Hæc sequela constabit amplius ex mox dicendis.

Sequitur 1229. Non posse dari modum unionis creatum, quo humanitas uniatur personalitati Verbi.

1229. — Ibidem.

Probatur sequela. Actus purus supplens aliquam rationem, quam eminenter formaliter continet, non potest illam supplere mediante aliquo alio creato : Sed personalitas Verbi est actus purus supplens subsistentiam creatam, quam eminenter formaliter continet : Ergo non potest illam supplere mediante aliquo alio creato. *Major est evidens* exemplo speciei impressæ et expressæ, quam essentia divina supplet in intellectu beatorum ad visionem beatificam eliciendam ; idcirco enim non potest essentia divina videri per speciem creatam, quia ipsa essentia est visibilis per modum actus puri, et eminenter formaliter continet omnem rationem speciei. Et ratio est, quia quod est per se primo tale, non potest fieri tale per aliud : Sed subsistentia divina est per se primo unibilis per modum actus puri cuilibet naturæ substantiali saltem completæ : Ergo non potest fieri unibilis per aliquid aliud.

Nec valet, si dicas modum illum unionis non requiri ex parte personalitatis Verbi, sed ex parte humanitatis, ad hoc ut ex modo illo tanquam fundamento humanitas fiat unibilis, et resultet in humanitate relatio realis unionis.

Non valet, inquam, quia humanitas tam est unibilis per potentiam obedientialem ipsi personalitati Verbi, quam fit unibilis per potentiam naturalem ipsi propriæ subsistentiæ : nec potest reddi unibilis per aliquid creatum, quodcumque tandem ponatur. Modus enim ille, si esset naturalis, non redderet humanitatem magis unibilem, quam ipsa sit secundum se unibilis ; si autem modus ille esset supernaturalis, non posset immediate uniri humanitati tanquam reddens illam capacem subsistentiæ ; quia ipsa secundum se est immediate susceptiva illius, cum de intrinseca ratione subsistentiæ, quæ constituit personam, sit, quod sit terminus immediate naturam completam terminans : hoc autem falsum esset, si modus ille substantialis terminaret immediatius naturam, nec subsistantia divina posset vere supplere vices subsistentiæ cujuscumque creatæ.

Sequitur 1230. Terminum totalem *qui* hujus unionis esse personam Verbi ut compositam ex divina et humana natura, sive ipsum Verbum ut subsistens in natura humana, sivé ipsum Christum : atque adeo esse quid includens creatum et increatum.

1230. — D. Th. 3. p. q. 2. a. 1. 8. et in 3. d. 2. q. 2. a. 2. q. 3.

Probatur sequela. Terminus, qui resultat ex aliqua actione, est terminus totalis illius, ut videtur per se evidens : Sed Christus sive Verbum subsistens in natura divina et humana est terminus, qui resultat ex unitione Verbi cum natura humana, ut constat : Ergo Christus. sive Verbum ut subsistens in humana natura est terminus totalis *qui* unitionis.

Sequitur 1231. Terminum formalem et *quo* hujus actionis esse ipsam personalitatem Verbi, ut communicatam ipsi humanæ naturæ, ita ut humana natura importetur tantum de connotato.

1231. — 3. p. q. 2. a. 8. In 3. d. 2. q. 2. a. 2. q. 3. et d. 5. q. 1. a. 1. et ad Hannib. dist. 5. q. un.

Probatur sequela. Quod se habet formaliter per modum actus complentis terminum *qui,* est terminus formalis *quo :* Sed personalitas Verbi ut connotans humatitatem se habet formaliter per modum actus complentis terminum *qui* hujus actionis ; cum

hic sit Christus, qui formaliter concipitur compleri per personalitatem Verbi, ut connotat naturam humanam : Ergo personalitas Verbi ut connotans humanitatem tanquam id, cui communicatur, est terminus formalis *quo*.

Confirmatur : quia humanitas non potest esse terminus formalis *quo* hujus actionis, nihilque aliud est assignabile ; cætera enim omnia jam exclusimus : Ergo sola personalitas Verbi modo prædicto est terminus formalis *quo* hujus actionis. *Antecedens* quoad humanitatem Christi *est evidens :* quia terminus formalis alicujus actionis ita debet esse proprius illi actioni, ut nulli alteri competat ; humanitas vero non est ita terminus actionis unitivæ, ut nulli alteri competat actioni ; potest enim terminare generationem, creationem, resurrectionem, ut patet : *Dices* etiam personalitas Verbi potest terminare aliam actionem, puta assumptionem naturæ angelicæ, vel alterius.

Sed contra : quia idcirco addidimus personalitatem Verbi, ut connotat humanitatem, cui communicatur, esse terminum formalem, ut per hoc distingueretur hæc actio, ejusque terminus formalis ab aliis actionibus, quibus potest Deus sibi unire alias naturas.

Sequitur 1232. Ex hac actione resultare in humanitate Christi relationem realem unionis ad naturam divinam.

1232. — Ibidem.

Probatur sequela. Unio est relatio inter unita : Sed ex unitione resultat unio : Ergo ex ea actione sive unitione resultat relatio. Quod vero hæc relatio sit realis ex parte humanitatis Christi patet : quia ad actionem realem resultat relatio realis, si subjectum sit capax : Sed humanitas Christi est subjectum capax relationis realis ad Verbum ; Deus autem, cum sit alterius elevatioris ordinis, non est capax relationis realis ad ipsam humanitatem ; unde non habet nisi relationem rationis ad illam : Ergo, etc.

Sequitur 1233. Fundamentum hujus relationis inter naturam humanam et divinam esse humanitatem ut assumptam ad unitatem personalem Verbi.

1233. — Ibidem.

Probatur sequela. Fundamentum omnis unionis est aliqua unitas : Sed in proposito non est alia unitas nisi ipsius esse personalis Verbi : Ergo fundamentum hujus unionis est non quidem unitas personalis ipsius Verbi secundum se, quia hæc erat ab æterno, sed unitas personalis Verbi ut terminantis utramque naturam divinam et humanam : Sed quia tota mutatio se tenet ex parte humanitatis, idcirco magis proprie dicitur, quod fundamentum hujus relationis est ipsa humanitas ut habens unitatem personalem Verbi ; mutata siquidem est humanitas per hoc, quod terminata est per subsistentiam personalem ; mutata, inquam, non quasi præexisterit ante hanc terminationem ; sed quia si præextitisset, vere fuisset in ea facta mutatio.

Dices : Fundamentum et terminus relationis debent realiter distingui : Sed humanitas ut assumpta ad subsistentiam divinam non distinguitur realiter ab ipsa subsistentia divina ut communicata ipsi humanitati, secundum quam habeat rationem termini, ut diximus : Ergo humanitas ut assumpta ad subsistentiam divinam non est fundamentum.

Sed contra ; quia falsa est minor : nam humanitas ut assumpta ad subsistentiam Verbi importat in recto ipsam naturam humanam, quæ distinguitur realiter a subsistentia Verbi, quæ importatur tantum in obliquo : At vero subsistentia Verbi ut communicata humanitati, importat in recto personalitatem Verbi, quæ distinguitur realiter ab humanitate importata in obliquo tantum. Et hæc distinctio

sufficit, imo non potest aliter se habere in omnibus, quæ fiunt unum realiter ; quia fieri unum cum alio necessario debet importare in obliquo extremum, cum quo aliud fit unum, quamvis illud extremum ut importatur in recto sit terminus : sicut intellectus Beati fit unum cum essentia divina in ordine ad essentiam divinam ut videndam ; hæc enim unio habet pro fundamento intellectum ut connotat in obliquo essentiam divinam ; quamvis essentia divina ut importatur in recto sit terminus ejusdem unionis.

Dices : Ergo sicut intellectus Beati debet perfundi lumine gloriæ ad hoc ut uniatur ipsi essentiæ divinæ ut speciei, ita humanitas Christi debet perfundi modo quodam substantiali unionis, ut uniatur ipsi subsistentiæ Verbi.

Sed neganda est paritas : quia intellectus Beati debet uniri cum essentia divina in ordine ad agendum sive ad eliciendam visionem beatificam ; unde requiritur vis activa proportionata tum ipsi speciei, quæ est ipsa ratio determinans ad illud objectum vitaliter supernaturaliter attingendum, tum ipsi visioni eliciendæ : At vero humanitas Christi per unionem cum Verbo non elevatur ad operandum proxime et immediate, sed elevatur tantum ad subsistendum : Unde non est necessarium, quod interveniat modus quidam elevans, imo est impossibile ; quia, ut diximus, ipsa humanitas est immediate assumptibilis a Verbo ratione potentiæ obedientialis, quæ potest esse immediate passiva, non autem potest esse immediate activa, ut alias dicemus.

Dices : Si relatio ex parte Verbi sit tantum rationis, Verbum non erit homo realiter ; nec erit verum, quod ait D. Thomas 3. p. q. 2. a 7. ad 3. quod ratione unionis homo est Creator Deus.

Sed contra : Quia Verbum non denominatur Homo ratione relationis in ipso Verbo existentis, sed ratione relationis in humanitate ipsa existentis : sicut Deus realiter denominatur Dominus non ratione relationis rationis in ipso existentis, sed relatione subjectionis reali in ipsis creaturis existente. Adde quod Verbum dicitur Homo non ratione relationis etiam realis utcumque, sed ratione relationis talis, hoc est, unionis personalis, quæ facit ut sit una et eadem persona subsistens in humana et divina natura : et hoc est solum, quod dicit et vult D. Th.

Sequitur 1234. Unionem sumptam pro actione unitiva non distingui ab assumptione nisi penes modum significandi et exprimendi.

1234. — Ibidem.

Probatur sequela. Unitio Verbi cum humanitate, est omnino realiter et formaliter eadem actio, ac ipsa elevatio humanitatis ad esse personale Verbi : Atqui assumptio nihil aliud est, quam elevatio humanitatis ad esse personale Verbi : Ergo utraque est una et eadem indivisibilis actio. Quia tamen unitio importat duorum extremorum conjunctionem ; assumptio vero significat actionem ut a Deo progreditur, et ad ipsum Deum terminatur, inde fit, quod sit diversus modus significandi et exprimendi.

Sequitur 1235. Unionem proprie sumptam distingui ab assumptione.

1235. — Ibidem.

Probatur sequela. Relatio consequens ad actionem distinguitur ab ipsa actione, ut constat : Sed unio proprie sumpta dicit relationem ; assumptio vero dicit actionem, ad quam consequitur unio : Ergo unio proprie sumpta distinguitur ab assumptione. Et vero, quamvis unio etiam quandoque sumatur pro unitione, significat tamen proprie relationem ; assumptio autem semper significat actionem, qua aliquis dicitur assumens et aliquid dicitur assumptum ; et unien non semper dicitur unitum, lice

Verbum sit uniens et unitum: Unio etiam ut relatio significatur ut in facto esse, assumptio ut in fieri : unio est relatio æquiparantiæ, quæ utrumque terminum eodem modo denominat ; unde Divinitas, personalitas Verbi, et humanitas æqualiter dicuntur unitæ : assumptio vero non æqualiter denominat, sed solum denominat subjectum assumptum, et terminum ad quem denominat assumentem ; est enim assumptio, alicujus ab alio ad se sumptio.

CAPUT II.

De modo unionis quantum ad naturam assumptam.

Sectio 1ª. — Quantum ad humanitatem assumptam.

Sequitur 1236. Assumptionis subjectum esse humanitatem.

1236. — Ibidem.

Probatur sequela. Subjectum sumptionis, est quod sumitur, et assumptionis, quod ad se quis assumit : Sed humanitas est quæ sumitur et a Deo ad se, sive ad suum esse personale assumitur ; Ergo humanitas est subjectum assumptionis.

Sequitur 1237. Terminum *a quo* assumptionis esse subsistentiam creatam et propriam, non quæ actu esset, sed quæ debebat esse connaturaliter.

1237. — 3. p. q. 4. a. ad 3.

Probatur sequela. Terminus *a quo* actionis, est ille, qui per actionem vel motum aut quasi motum relinquitur : Sed in assumptione humanitatis, terminus qui per assumptionem relinquitur, est propria subsistentia, quæ debebat esse connaturaliter : Ergo in assumptione terminus *a quo* est illa subsistentia.

Sequitur 1238. Terminum *ad quem* assumptionis esse personalitatem divinam ut communicandam humanitati.

1238. — Ibid. in c.

Probatur sequela. Terminus *ad quem* est ille, qui per actionem acquiritur in subjecto : Sed personalitas Verbi est, quæ per actionem assumptionis acquiritur in subjecto : Ergo, etc.

Sequitur 1239. Unionem naturæ divinæ et humanæ in persona Verbi esse maximam omnium creatarum unionum ex parte personæ, in qua uniuntur.

1239. — 3. p. q. 2. a. 9.

Probatur sequela. Perfectio unionis, ut unio est, debet peti ex parte unitatis extremorum in eo, in quo uniuntur : Sed unio naturæ divinæ et humanæ in Christo est perfectissima unionum creatarum ex parte unitatis personæ, in qua uniuntur : Ergo hæc unio est omnium creatarum perfectissima. *Major est evidens :* quia perfectio unionis petitur ex accessu ad unitatem. *Minor patet ex dictis:* Unio siquidem naturæ divinæ cum persona divina est perfectissima unitas; unio vero naturæ humanæ cum persona Verbi maxime accedit ad unitatem.

Dices : Unio in natura ratione unionis est major, quia facit unitatem naturæ, quæ major est, quam unitas in persona : Et sic unio materiæ et formæ erit major.

Sed contra : Unio in natura non est major altera, nisi id, in quo extrema uniuntur sit simplicius ac magis indivisum in se : Sed unio materiæ et formæ non fit in aliquo, quod sit simplicius ac magis indivisum in se, quam unio naturæ divinæ et humanæ in persona Verbi : Ergo unio materiæ et formæ non est major. Et quidem ex parte naturæ divinæ major est unio cum persona Verbi, quia est per identitatem cum sola distinctione virtuali, ex parte autem naturæ humanæ, licet non sit tanta unio cum persona Verbi, quanta est unio naturæ divinæ, est tamen major quam sit unio materiæ et formæ, quia persona divina communicat naturæ humanæ suam unitatem personalem, quæ major est.

Sequitur 1240. Unionem naturæ divinæ et humanæ in persona Verbi esse majorem etiam in ratione unionis, quam sit quæcumque unitas numeralis.

1240. — Ibid. ad 4.

Probatur sequela. Unio, quæ facit unitatem simpliciorem, non per participationem, non in alio receptam, sed magis completam, est major quam unitas, quæ non est ita simplex, quæ est per participationem, in alio recepta et incompleta, ut patet ex terminis : Sed unio naturæ divinæ et humanæ in persona Verbi facit unitatem simpliciorem, et non per participationem, nec in alio tanquam in subjecto receptam, sed completam; facit enim unitatem personalem in Verbo, quæ est simplicior, per essentiam, et non receptam, sed completam, ut patet : unitas vero numeralis est unitas magis composita ; importat enim aut connotat quantitatem, ut patet ex dictis in primo principio, est etiam unitas per participationem, cum sit unitas creata; est recepta in substantia materiali, et est incompleta, in quantum est principium numeri; unde potest habere rationem partis, ut ex ibidem dictis constat : Ergo unitio naturæ divinæ et humanæ in persona Verbi est perfectior.

Sequitur 1241. Unionem naturæ humanæ cum subsistentia Verbi esse majorem etiam in ratione unionis, quam unionem cujuslibet naturæ creatæ cum propria subsistentia.

1241. — Ibid. ad 3.

Probatur sequela. Quo terminus unionis est simplicior, etiam unio est major in ratione unionis ; simplicitas enim termini facit ad perfectiorem unionem : Sed terminus unionis hypostaticæ est simplicior termino unionis naturæ cum propria subsistentia; est enim ipsa persona Christi, quæ licet composita ex duabus naturis, nihilominus absolute simplicior est omni subsistentia creata; quia est simplex, continens eminenter formaliter omnem omnino perfectionem cujuslibet unitatis et perfectionis : Ergo, etc.

Sequitur 1242. Unionem naturæ divinæ et humanæ cum subsistentia Verbi esse majorem etiam in ratione unionis, quam unionem essentiæ divinæ in ratione speciei cum intellectu Beati.

1242. — Ibidem.

Probatur sequela. Unitas simplicior est major : Sed unitas personalis naturæ humanæ in Verbo est simplicior, quam unitas essentiæ divinæ cum intellectu Beati; hæc enim est tantum in ratione causæ et objecti, quæ minus simplex est, quam unitas esse personalis, ut constat : Ergo unitas personalis naturæ humanæ in persona Verbi est major.

Dices : quando unum extremum fit aliud, major est unio, quam dum quodlibet extremum manet distinctum realiter : Sed in visione beatifica intellectus fit Deus in esse intelligibili : Ergo, etc.

Respondeo. Majorem esse falsam, quando unio talis est, ut terminus resultans sit simplicior.

Quare harum consequentiarum ratio a priori est, quia unitas est entitas cum negatione divisionis in se, et divisionis a quolibet alio : Sed entitas divinæ personalitatis cum negatione divisionis in se et divisionis a quolibet alio est major, quam quælibet alia entitas : Ergo, etc.

Sequitur 1243. Unionem naturæ divinæ et humanæ in subsistentia Verbi, si consideretur secundum extrema materialiter sumpta, esse quidem omnium perfectissimam ratione naturæ divinæ ac personalitatis divinæ ; non tamen ratione naturæ humanæ.

1243. — Ibidem.

Probatur sequela. Natura divina materialiter sumpta est omnium per-

fectissima, sicut et subsistentia divina : natura vero humana secundum se et materialiter sumpta non est omnium perfectissima ; natura siquidem angelica est multo perfectior : Ergo ex parte naturæ divinæ et subsistentiæ Verbi illa unio est quidem perfectissima ; ex parte vero naturæ humanæ minime.

Sequitur 1244. Unionem hanc in ratione doni esse omnium omnino unionum, quæ dari possunt perfectissimam.

1244. — Ibid. a. 10. ad 1.

Probatur sequela. Donum ipsius esse personalis divini est perfectissimum omnium donorum, quia est donum increatum ; cætera autem sunt dona creata : Sed donum unionis hypostaticæ est donum ipsius esse personalis ; cætera vero dona sunt dona creata : Ergo donum unionis hypostaticæ est omnium donorum perfectissimum.

Sequitur 1245. Unionem hypostaticam recte dici posse gratiam.

1245. — Ead. a. 10.

Probatur sequela. Donum gratis datum potest dici gratia : Sed unio hypostatica est donum gratis datum ; gratis enim Deus, esse personale Verbi communicavit humanitati : Ergo unio hypostatica potest dici gratia.

Sequitur 1246. Posse dici, unionem hypostaticam factam esse per gratiam.

1246. — Ibidem.

Probatur sequela. Voluntas, qua aliquid gratis datur, et illud ipsum, quod gratis datur, recte dici potest gratia : Sed unio hypostatica facta est per voluntatem Dei, qua dat esse personale sui Verbi, et per ipsam esse personale Verbi gratis communicatur : Ergo unio hypostatica potest hoc sensu dici facta per gratiam.

Sequitur 1247. Non posse dici, quod unio hypostatica facta sit per gratiam, si nomine gratiæ intelligatur donum aliquod creatum supernaturale habituale.

1247. — Ibidem.

Probatur sequela. Personalitas non unitur naturæ substantiali completæ mediante aliquo habitu, vel dispositione, imo nec mediante modo, ut supra ostensum est : Sed unio hypostatica est ipsa personalitas Verbi ut unita naturæ substantiali completæ, ut probatum est : Ergo non est facta per gratiam sive mediante gratia in hoc sensu accepta.

Sequitur 1248. Gratiam unionis fuisse Christo ut homini naturalem quasi causatam ex principiis intrinsecis naturæ humanæ.

1248. — Ibid. a. 12.

Probatur sequela. Quod causatur ex principiis intrinsecis naturæ non est ullo modo gratia, sed potius est debitum singulis individuis illius naturæ : Sed, ex dictis, gratia unionis est gratia, et non est debita singulis individuis naturæ humanæ : Ergo gratia unionis non est naturalis quasi causata ex principiis intrinsecis naturæ humanæ.

Sequitur 1249. Gratiam unionis esse Christo Domino naturalem prout naturale est idem ac a nativitate.

1249. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod convenit a principio conceptionis est hoc sensu naturale : Sed unio hypostatica convenit Christo a principio conceptionis : Ergo hoc sensu est Christo naturalis.

Sequitur 1250. Gratiam unionis esse Christo ut Deo naturalem, id est, convenire ipsi naturaliter ac necessario, supposito, quod sit Deus.

1250. — Ibidem.

Probatur sequela. Supposito quod

Christus sit Deus et homo non potuit humanitas non esse unita hypostatice ipsi personæ divinæ : Sed hoc est gratiam unionis esse Christo naturalem : Ergo, etc.

Sequitur 1251. Absolute ac simpliciter dici posse, quod gratia unionis est Christo naturalis.

1251. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod absolute simpliciter et necessario convenit supposito, absolute ac simpliciter potest dici illi naturale : Sed absolute, simpliciter, et necessario Christo ut supposito convenit gratia unionis ; vocamus enim Christum suppositum in natura divina et humana subsistens : Ergo gratia unionis potest dici absolute ac simpliciter naturalis Christo.

Sequitur 1252. Nullam gratiam factam esse Christo vel supposito divino.

1252. — Ibidem.

Probatur sequela. Suppositum divinum est incapax recipiendi gratiam, quia quidquid ei datur est debitum ratione divinæ naturæ, ex qua tale debitum consequitur : Sed Christus est suppositum divinum : Ergo, etc.

Sequitur 1253. Gratiam unionis communicatam esse et factam humanitati.

1253. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia humanitati ut sic non debebatur.

Sequitur 1254. Id, quo Verbum Divinum per se primo terminavit humanitatem, fuisse personalitatem, sive illud, quo Verbum formaliter constituitur in ratione personæ.

1254. — 3. p. q. 3. a. 2. ad 2.

Probatur sequela. Quod competit alicui personæ etiam divinæ quatenus est persona ab omnibus aliis distincta realiter, competit ipsi ratione suæ proprietatis personalis sive constituentis personam : Sed terminare, atque, ut sic loquar, personare humanitatem competit Verbo Divino, quatenus est persona divina ab omnibus aliis distincta ; alias Pater et Spiritus sanctus essent incarnati, passi, et mortui, quod tanquam omnino hæreticum respuendum est : Ergo terminare humanitatem convenit Verbo Divino ratione suæ proprietatis personalis constituentis personam ipsius. *Major constat ex dictis supra,* quia in Divinis omnia sunt unum, ubi non obstat relationis oppositio. *Minor est de fide.*

Sequitur 1255. Rationem terminandi humanitatem non esse subsistentiam communem et absolutam, etiam prout est in Filio.

1255. — Ibidem.

Probatur sequela. Id, quo Filius distinguitur a Patre in ratione personæ, est id, quo Filius terminat humanitatem : Sed subsistentia absoluta etiam ut est in Filio non est id, quo Filius in Divinis distinguitur a Patre : Ergo subsistentia absoluta etiam ut est in Filio, non est id, quo Filius terminat humanitatem. *Major probatur :* quia Filius terminat humanitatem ut est persona distincta a Patre, ut contra Patropassianos deffinitum est, atque adeo per illud terminat, per quod distinguitur in ratione personæ. *Minor etiam probatur ex dictis supra :* Per nullum absolutum etiam ut in persona particulari, una persona distinguitur ab alia ; alioquin possemus dicere, quod Pater distingueretur a Filio per essentiam ut in Patre, et sic de aliis ; imo sequeretur, quod sicut, quæ distinguunt personas, realiter multiplicantur, etiam absoluta ut in distinctis personis multiplicarentur, quod plane destruit totum mysterium Trinitatis : Sed subsistentia absoluta est quid absolutum, ut vel ex terminis constat ; et ex eo, quod dicatur ut est in Filio, non desinit esse quid absolutum, sicut nec essentia ut in Filio desinit esse quid absolutum :

Ergo per subsistentiam absolutam ut in Filio non distinguitur Filius a Patre.

Sequitur 1256. Rationem terminandi humanitatem non esse aliquid coalescens ex personali et absoluto sive essentiali.

1256. — Ibidem.

Probatur sequela. Ratio terminandi humanitatem primo et per se ita convenit Verbo, ut nulli alteri personæ primo et per se conveniat : Sed quod coalescit ex absoluto et personali non convenit primo et per se Verbo Divino, ita ut nulli alteri primo ac per se conveniat ; nam secundum rationem absolutam primo et per se convenit tribus personis : Ergo quod coalescit ex personali et absoluto non est ratio terminandi humanitatem.

Sequitur 1257. Licet primo et per se Verbum terminaverit humanitatem ratione alicujus proprietatis personalis, ut probatum est, secundario tamen terminasse ratione alicujus absoluti, communicando saltem existentiam, quæ est aliquid absolutum.

1257. — 3. p. q. 3. a 2 et q. 17. a. 2.

Probatur sequela. Talis debet esse existentia, qualis est subsistentia, ut supra ostensum est : Sed in Christi humanitate fuit subsistentia divina : Ergo et existensia divina : Ergo cum hæc sit tantum quid absolutum, ut supra diximus, existentia absoluta fuit communicata humanitati Christi ; non per se primo, ut patet ex dictis, sed secundario.

Sequitur 1258. Verbum Divinum terminasse humanitatem per proprietatem relativam.

1258. — 3. p. q. 3. a. 2. ad 2.

Probatur sequela. Constitutivum personæ Verbi est proprietas relativa, ut dictum est supra : Sed Verbum Divinum terminavit humanitatem per constitutivum suæ personæ, ut patet ex dictis : Ergo Verbum Divinum terminavit humanitatem per proprietatem relativam.

Sequitur 1259. Verbum Divinum terminasse humanitatem per proprietatem relativam non præcise ut relatio est, sed quatenus est subsistens subsistentia distincta.

1259. — Ibidem.

Probatur sequela. Constitutivum personæ Verbi, non est proprietas relativa præcise ut relatio, sed ut est subsistentia distincta ab aliis, ut supra ostensum est : Sed Verbum Divinum terminavit humanitatem per constitutivum personæ Verbi : Ergo terminavit humanitatem per proprietatem relativam non præcise ut relatio est, sed ut est subsistentia distincta.

Sectio 2ª. — De modo unionis quantum ad partes assumptas.

Sequitur 1260. Humanitatem Christi non habere appetitum elicitum in actu secundo in ordine ad propriam subsistentiam.

1260. — 3. p. q. 2. a. 2 ad 2. et q. 4. a. 2. ad 2.

Explicatur. Duplex est appetitus ; alter *elicitus,* qui est actus alicujus potentiæ ; alter *innatus,* qui est inclinatio naturalis in rem, sicut dicimus ignem habere appetitum sive inclinationem ad locum sursum, et lapidem habere appetitum et inclinationem ad locum deorsum : hic autem appetitus naturalis quandoque est tantum in actu primo, sicut quando lapis quiescit in terra nec gravitat ; quandoque est in actu secundo, sicut quando lapis gravitat et actu tendit in centrum. Hic tantum loquimur de appetitu elicito.

Probatur sequela. Omnis appetitus elicitus est inordinatus, qui tendit in minorem perfectionem, dum habet majorem et infinitam, quæ continet etiam eminenter formaliter illam minorem sibi connaturalem ; Est enim inordinatio appetere minus dum habes majus continens etiam illud minus, cum quo est incompossibile majus :

Sed nullus fuit in Christi humanitate appetitus inordinatus, ut infra dicemus; Et aliunde, ex dictis, subsistentia Verbi continet eminenter formaliter omnem subsistentiam creatam : Ergo in humanitate Christi non fuit appetitus, quo cuperet propriam subsistentiam, cum qua erat incompossibilis subsistentia propria.

Sequitur 1261. In humanitate Christi non fuisse appetitum etiam naturalem veluti in actu secundo respectu propriæ subsistentiæ connaturalis.

1261. — Ibidem.

Probatur sequela. In humanitate Christi nullus fuit appetitus etiam naturalis in ordinatus : Sed hic appetitus naturalis velut in actu secundo fuisset inordinatus, ut constat ex dictis : Ergo hic appetitus non fuit in humanitate Christi.

Sequitur 1262. In humanitate Christi fuisse appetitum sive inclinationem radicalem et in actu primo respectu propriæ subsistentiæ.

1262. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia hæc inclinatio est omnino naturalis, nec est ullo modo inordinata ; est enim tantum ipsa natura humana, quatenus ex illa, si non esset terminata subsistentia Verbi, resultaret subsistentia propria.

Sequitur 1263. Verbum assumpsisse verum corpus humanum ejusdem rationis cum corporibus cæterorum hominum, quantum ad essentiam corporis humani.

1263. — 3. p. q. 5. a. 2.

Probatur sequela. Qui assumit naturam humanam completam, perfectam, et integram, assumit corpus humanum ejusdem essentialiter rationis cum nostro; quia hoc corpus est de essentia naturæ humanæ physice consideratæ : Atqui Verbum Divinum assumpsit naturam humanam veram, completam, perfectam et integram, ut constat ex dictis : Ergo assumpsit verum corpus ejusdem essentialiter rationis cum nostro.

Sequitur 1264. Verbum Divinum assumpsisse animam rationalem, quæ simul fuit sensitiva et vegetativa cum omnibus potentiis ad illam consequentibus.

1264. — Ibid. a. 3. et 4.

Probatur sequela. Quia etiam anima rationalis simul sensitiva et vegetativa est pars essentialis humanæ naturæ, et ad illam omnes illæ potentiæ tanquam proprietates consequuntur, ut diximus in primo principio.

Sequitur 1265. Verbum Divinum assumpsisse quatuor humores, sanguinem, pituitam, coleram, melancholiam.

1265. — D. Thom. in 4. dist. 44. q. 1. a. 2. q. 4. 3. p. q. 54. a. 2. ad 3.

Probatur sequela. Quæ sunt de veritate et integritate naturæ humanæ fuerunt assumpta a Verbo Divino : Sed hæc omnia sunt de veritate et integritate naturæ humanæ : Ergo sunt assumpta a Verbo Divino. *Major probatur* quia ex dictis Christus assumpsit veram et integram naturam humanam : Sed non potuit assumere veram et integram naturam humanam, nisi assumpserit quæ sunt de veritate et integritate naturæ humanæ : Ergo assumpsit quæ sunt de veritate et integritate naturæ humanæ. *Minor vero probatur,* tum ex dictis in primo principio, quia sanguis et alii humores animantur anima rationali : tum etiam quia hi humores resurgent in resurrectione generali : tum denique quia corpus humanum non potest esse verum et integrum, nisi componatur ex illis quatuor humoribus; unde etiam in statu innocentiæ fuissent. Adde quoad sanguinem, negari omnino non posse aliquem sanguinem fuisse a Verbo assumptum : In Scriptura enim, et in Conciliis hoc manifeste indicatur. Denique si in triduo mortis Christi,

Eucharistia fuisset confecta, sub speciebus vini fuisset persona Verbi per concomitantiam.

Sequitur 1266. Verbum Divinum assumpsisse spiritus vitales, et animales, capillos, ungues, dentes, imo etiam humores illos, quos medici vocant rorem et cambium.

1266. — Ibid. et 1, p. q. 27. a. 2.

Probatur sequela. Quia ista omnia sunt de veritate et integritate naturæ humanæ, imo et vivunt vita vegetativa, unde et crescunt per intus-susceptionem et functionum vitalium sunt instrumenta sine dubio animata.

Sequitur 1267. Verbum Divinum non assumpsisse sanguinem nutrimentalem, et alios humores, qui non sunt de integritate naturæ humanæ.

1267. — 3 p. q. 80. a. 3.

Probatur sequela. Quia Verbum non assumpsit nisi quæ sunt de integritate naturæ humanæ : Ista autem non sunt, etc.

Sectio 3ª. — De modo unionis quantum ad ordinem.

Sequitur 1268. Ordine durationis nullam partem prius fuisse assumptam quam aliam.

1268. — 3. p. q. 6. a. 1 et 3 et 4.

Probatur sequela. Quæ conveniunt partibus non secundum quod partes sunt, sed ratione totius, non prius ipsis conveniunt, quam toti, sicut subsistere, existere, etc. Sed assumi non convenit partibus nisi ratione totius, quia assumi est subsistere subsistentia Verbi : Ergo non prius tempore vel duratione convenit uni parti quam toti naturæ. Hinc habes, quod anima non prius tempore fuit assumpta, quam caro, nec caro priusquam anima fuerit informata.

Sequitur 1269. Ordine dignitatis prius assumptam fuisse animam, quam carnem.

1269. — Ibidem.

Probatur sequela. Ordine dignitatis illud est prius, quod est dignius, et magis appropinquat dignissimo : Sed anima est dignior carne, et magis appropinquat Verbo assumenti : Ergo ordine dignitatis prius assumpta est anima quam caro.

Sequitur 1270. Ordine causalitatis assumptam fuisse carnem mediante anima.

1270. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod est in nobiliori genere causæ est absolute ac simpliciter prius : Sed anima est in nobiliori genere causæ, tum quia est causa formalis, tum quia est finis : Ergo est absolute ac simpliciter prior et magis assumptibilis secundum congruentiam, quam caro ; quæ cum non habeat quod sit humana nisi ratione animæ, etiam non est assumptibilis nisi ratione animæ.

Sequitur 1271. Carnem non fuisse assumptam mediante anima tanquam quodam veluti vinculo et glutino, sed solum quia est forma et finis quodammodo.

1271. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod est medium unionis tanquam glutinum aut vinculum immediatius unitur, quam extrema, quæ uniuntur, ut patet experientia : Sed anima non unitur Verbo immediatius, quam caro, cum tota natura humana æque immediate uniatur : Ergo non fuit glutinum in unione seu assumptione carnis.

Sequitur 1272. Carnem non fuisse assumptam mediante anima tanquam medio *quod*, sed tantum tanquam medio *quo*.

1272. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod non subsistit *ut quod*, non assumitur a Verbo tanquam medium *quod*, ut patet : Sed anima in corpore existens non subsistit *ut quod* in actu secundo, sed tantum subsistit *ut quo* tota natura subsistit, et subsistit *ut quod* in potentia dumtaxat, in quantum potest etiam

separata subsistere : Ergo anima non fuit medium *quod*, sed tantum medium *quo*. *Major est evidens :* quia Verbum supplet vices subsistentiæ creatæ, ut sæpius diximus.

Sequitur 1273. Animam fuisse quodammodo assumptam mediante spiritu.

1273. — Ibid. a. 2.

Explicatur. Anima rationalis est forma corporis, et sic dicitur anima, quia animat et informat; dicitur autem spiritus, quia est intellectualis

Probatur sequela. Quod est ratio assumendi alterum, quodammodo prius assumitur, quam alterum : Sed spiritus sive intellectualitas fuit ratio secundum congruentiam assumendi animam : Ergo spiritus fuit quodammodo prius assumptus, quam anima. *Minor probatur :* quia congruentia cur natura humana fuerit assumptibilis potius quam aliæ naturæ, est quia ipsa est intellectualis, ut supra diximus.

Sequitur 1274. Absolute ac simpliciter partes fuisse assumptas mediante tota natura humana.

1274. — Ibid. a. 5.

Probatur sequela. Illud, quod prius unitur est quo mediante cætera uniuntur : Sed tota natura humana est illud, quod prius unitur Ergo, etc. *Probatur minor :* Illud est absolute ac simpliciter prius, quod secundum intentionem operantis est prius : quia finis, cujus est intentio, est simpliciter prima omnium causarum : Sed in assumptione attenditur maxime intentio assumentis, quia tota ratio facti est potentia facientis : Ergo in assumptione illud est absolute ac simpliciter prius, quod est prius secundum intentionem Dei : Sed secundum intentionem Dei assumentis prior est assumptio totius naturæ quam partium ; quia partes non assumuntur nisi ratione totius : Ergo, etc.

Sequitur 1275. Secundum ordinem executionis, etiam totam naturam fuisse prius assumptam *ut quod* assumebatur, quam partes sigillatim sumptas.

1275. — Ibidem.

Probatur sequela. Ordine executionis illud assumitur prius *ut quod*, quod prius subsistit *ut quod;* cum assumptio sit ad subsistentiam : Sed tota natura prius subsistit *ut quod;* partes enim tantum subsistunt, *ut quo :* Ergo ordine executionis tota natura prius est assumpta *ut quod*.

Sequitur 1276. Secundum ordinem executionis, partes *ut quo*, fuisse prius assumptas, quam totam naturam.

1276. — Ibidem.

Probatur sequela. Id, quo aliquid subsistit et fit capax subsistendi, secundum ordinem executionis et *ut quo* prius assumitur quam tota natura, quæ fit capax subsistendi : Sed partes sunt id, quo tota natura subsistit, sive quo fit capax subsistendi ordine executionis; nisi enim partes concurrerent ad componendum totum, totum non coalesceret, nec proinde esset capax subsistendi : Ergo partes *ut quo* secundum ordinem executionis prius assumuntur quam totum.

Sequitur 1277. Naturam humanam non fuisse assumptam mediante gratia habituali tanquam dispositione antecedente.

1777. — Ibid. a. 6.

Probatur sequela. Omnis dispositio antecedens prius etiam tempore existit in subjecto, quam forma, ad quam est dispositio; per hoc enim distinguitur a dispositione concomitante : Sed nullum accidens, atque adeo nec gratia habitualis, potuit prius existere in humanitate Christi, quam ipsa assumeretur a Verbo; fuit enim assumpta simul et producta : Ergo gratia habitualis non potuit esse dispositio antecedens ad assumptionem.

Sequitur 1278. Nullam potuisse dari dispositionem physicam et realem ad assumptionem.

1278. — Ibid. ad 1.

Probatur sequela. Nulla potest dari dispositio physica et realis ad esse divinum; quia omnis dispositio dicit ordinem consequentiæ ad id, ad quod est dispositio; nihil autem potest dicere hujusmodi ordinem respectu esse divini etiam personalis : Sed dari dispositionem physicam ad assumptionem est dari dispositionem physicam ad esse divinum personale : Ergo nulla potest dari dispositio physica ad assumptionem.

Sequitur 1279. Gratiam habitualem non fuisse dispositionem moralem ad assumptionem.

1279. — Ibidem.

Probatur sequela. Dispositio moralis, est, quæ movet agens, ut intuitu illius ponat formam : Sed nulla gratia habitualis quantumcumque intensa potuit movere Deum ad assumendam naturam humanam, in qua erat talis gratia; imo potius ex eo, quod Deus voluit assumere ipsam naturam humanam, motus est ad dandam tantam gratiam, ut supra indicavimus et fusius infra dicetur : Ergo, etc.

Sequitur 1280. Gratiam habitualem fuisse veluti dispositionem congruam concomitantem.

1280. — Ibidem.

Explicatur. Solum volumus, quod gratia habitualis fuit dispositio congrua hoc sensu, quod congruum erat, ut Deus illi homini Christo daret gratiam habitualem.

Probatur sequela sic explicata. Id, quod se habet ad modum proprietatis, est dispositio congrua concomitans : Sed gratia habitualis se habet respectu gratiæ unionis veluti per modum proprietatis : Ergo, etc. Sed de hac conclusione infra.

Sequitur 1281. Finem, propter quem Deus assumpsit naturam humanam esse gloriam suam ut manifestandam per reparationem generis humani, et satisfactionem pro peccato.

1281. — 3. p. q. 1. a. 3.

Probatur sequela. Finis, propter quem Deus omnia quæcumque vult operatur, est gloria ipsius non utcumque sed ut manifestanda diversimode per creaturas, et per res quas operatur : Sed assumptio naturæ humanæ est quid a Deo positum in rerum natura : Ergo finis Dei in hac assumptione est gloria ipsius ut manifestanda per hoc opus. Sed non potuit ejus gloria congruentius manifestari, quam per reparationem generis humani, ut constat ex his, quæ supra diximus : Ergo finis, propter quem Deus assumpsit naturam humanam, est gloria Dei ut manifestanda per reparationem generis humani. *Confirmatur;* Scimus quidem Deum semper intendere gloriam suam : sed nosse non possumus nisi per revelationem vel per ipsam experientiam, quomodo velit illam suam gloriam manifestare hoc enim pendet ex ejus mera voluntate; quæ autem ex mera Dei voluntate dependent, cognosci non possunt, nisi vel ipso revelante, vel per ipsam executionem, dum exprimentaliter videmus, quæ Deus operatur. Porro nihil aliud ex revelatione, vel ex eo quod factum est, colligere possumus, nisi quod Deus voluit ostendere gloriam suam reparando genus humanum per Incarnationem Filii sui; atque ita debemus hoc asserere.

Sequitur 1282. Incarnationem in genere causæ finalis et ordine intentionis, prius esse volitam a Deo, quam quæcumque alia creata.

1282. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Medium magis conducens ad primum ac principalem finem, est in ordine intentionis prius volitum omnibus aliis : Sed Incarna-

tio Verbi est medium magis conducens ad gloriam Dei, quam quæcumque alia creata : Ergo Incarnatio est prius volita omnibus aliis ordine intentionis. *Major est evidens :* quia medium magis conducens ad principalem finem, habet rationem finis respectu aliorum. *Minor patet etiam ex dictis :* quia magis manifestatur gloria Dei solo opere Incarnationis, quam per quæcumque alia creata vel creabilia.

Sequitur 1283. Etiamsi Incarnatio sit prius volita in ordine intentionis, potuisse nihilominus in ordine executionis aliquid esse prius volitum.

1283. — Ibid. a. 3. ad 4.

Probatur sequela ex dictis in primo principio. Ordo executionis etiam præconceptus in mente est contrarius ordini intentionis, ita ut, quæ sunt priora in ordine intentionis, sint posteriora in ordine executionis, et e contra : Sed in ordine intentionis Incarnatio est prius volita, ut dictum est : Ergo in ordine executionis potuit esse aliquid prius volitum.

Sequitur 1284. In ordine executionis prius volitam esse satisfactionem generis humani.

1284. — Ibidem.

Probatur sequela. Media minus conducentia ad finem principalem sunt prius volita ordine executionis in mente disposito : Sed satisfactio pro peccatis hominum et reparatio generis humani sunt media minus conducentia ad gloriam Dei manifestandam, quæ est finis principalis Dei : Ergo sunt media prius volita ordine executionis in æterna Dei mente disposito.

Sequitur 1285. Prius etiam esse volitam a Deo permissionem peccati ordine executionis.

1285. — Ibidem.

Probatur sequela. Quando media minus conducentia sunt prius volita ordine executionis, id, quod intrinsece includitur in illis mediis, est etiam prius volitum ; quia non possunt esse volita hæc media, nisi sint etiam volita, quæ intrinsece includuntur vel supponuntur ad illa : Sed satisfactio pro peccatis et reparatio generis humani sunt media prius in executione volita ; et hæc supponunt intrinsece permissionem peccati, ut patet ex dictis : Ergo permissio peccati est ordine executionis prius volita.

Sequitur 1286. Prius esse prævisum peccatum originale in genere causæ materialis et occasionalis, quam volita sit Incarnatio absolute ac simpliciter secundum omnes circumstantias.

1286. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Peccatum, cujus permissio est prius volita in ordine executionis, est prius prævisum in genere causæ materialis et occasionalis, quam satisfactio pro illo peccato, et reparatio damni illati per illud peccatum : Sed permissio peccati originalis est prius volita in ordine executionis, quam satisfactio pro peccato, et reparatio generis humani, ex dictis : Ergo peccatum est prius prævisum in genere causæ materialis et occasionalis. *Major est evidens :* impossibile siquidem est, velle satisfactionem pro peccato, et reparationem damni illati per illud, nisi peccatum tanquam causa materialis et occasionalis illius satisfactionis et reparationis prævideatur.

Sequitur 1287. Idem omnino dicendum esse de omnibus peccatis, pro quibus est volita satisfactio et reparatio.

1287. — Ibid. et a. 4.

Probatur sequela eadem ratione.

Sequitur 1288. Idem dicendum esse de aliis, quæ ad illa peccata supponuntur.

1288. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia, quæ supponuntur ad aliquid, quod prius præ-

videtur, etiam prius prævidentur in eodem genere : Sed ista supponuntur ad illa peccata : Ergo etiam prius prævidentur.

Sequitur 1289. Etiam omnia peccata hominum actualia prius fuisse prævisa.

1289. — Ibidem.

Probatur sequela. Peccata omnia, pro quibus exhibenda erat satisfactio fuerunt prius prævisa antequam volita sit satisfactio : Sed satisfactio Christi exhibenda erat pro omnibus peccatis actualibus omnium hominum : Ergo omnia peccata actualia omnium hominum prius fuerunt prævisa, quam sit volita satisfactio pro illis.

Sequitur 1290. Hujusmodi peccata fuisse prævisa in particulari et secundum omnes circumstantias.

1290. — Ibidem.

Probatur sequela. Peccata, pro quibus in particulari et secundum omnes circumstantias exhibenda erat satisfactio, debuerunt esse prævisa in particulari et secundum omnes circumstantias, antequam decerneretur illa satisfactio pro illis in particulari et secundum omnes circumstantias. Injustum enim esset exigere ac decernere satisfactionem ut de facto exhibendam pro peccatis in particulari, nisi et ipsa peccata essent ad minus prævisa in particulari : Sed satisfactio Christi exhibenda erat pro omnibus peccatis in particulari et secundum omnes circumstantias . Ergo peccata prævisa erant in particulari et secundum omnes circumstantias. Enimvero falso aliqui imaginantur, Deum prævidere in generali res, et non in particulari : quia cum intellectus Divinus non abstrahat, sed omnia et singula comprehensive cognoscat, omnia prævidet in particulari, ut alias diximus.

Sequitur 1291. Prævisum etiam fuisse peccatum angelorum ut circumstantiam prius in genere causæ materialis et occasionalis, quam decreta sit Incarnatio in satisfactionem peccati hominum.

1291. — Ex iisdem locis.

Probatur sequela. Omnes circumstantiæ peccati hominum sunt prævisæ : Sed peccatum angelorum est circumstantia peccati hominum : Ergo peccatum angelorum fuit etiam prævisum.

Sequitur 1292. Totum ordinem naturalem fuisse etiam prævisum in genere causæ materialis.

1292. — Ibidem.

Probatur sequela. Præviso comprehensive aliquo, prævidentur omnia intrinsece involuta vel supposita ; alias illud non prævideretur comprehensive : Sed totus ordo naturalis involvitur vel supponitur ad peccata hominum, ut constat ; debent enim supponi homines et objecta atque occasiones peccatorum : Ergo totus ordo naturæ debet etiam prævideri.

Sequitur 1293. Quod si Incarnatio Verbi Divini volita sit et decreta in satisfactionem peccatorum et reparationem generis humani, ex vi hujus decreti non fuisset Incarnatio, nisi fuisset peccatum saltem originale.

1293. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod est volitum et statutum supposito aliquo alio, ex vi hujus volitionis et decreti non erit, si illud, quo supposito est volitum, non fuerit : Sed si Incarnatio volita sit in satisfactionem peccatorum et reparationem generis humani, est volita supposito peccato saltem originali : Ergo si peccatum originale non fuisset, Incarnatio quoque non fuisset.

Sequitur 1294. De facto Incarnationem non futuram, si Adam non peccasset, ex vi præsentis decreti, quantum nobis innotescit.

1294. — Ibidem.

Probatur sequela. Incarnatio non esset futura nisi esset volita a Deo : Sed ex vi præsentis decreti non est volita nisi in remedium peccati, quod remedium non esset, si peccatum Adami non fuisset, ut constat : Ergo ex vi præsentis decreti non esset futura Incarnatio, si peccatum Adami non fuisset.

Sequitur 1295. Asserere, quod ex vi alterius decreti in Deo latentis, Incarnatio esset futura, etiamsi Adam non peccasset, esse prorsus devinare, et ariolari.

1295. — Ibid. et 1. 4. in c. 1. 1. ad Thim.

Probatur sequela. Asserere rem prorsus ignotam et latentem est devinare et ariolari : Sed quod ex vi alterius decreti Incarnatio futura esset, etiamsi Adam non peccasset, est res prorsus ignota et latens : Ergo, etc.

Sequitur 1296. Falli eos, qui asserunt, Incarnationem primo fuisse decretam et volitam in communi, abstrahendo a carne passibili vel impassibili, et deinde præviso peccato fuisse decretam ut futuram in carne passibili.

1296. — 3. p. q. 1. a. 3.

Probatur sequela. Quia, ut diximus supra, quoties Deus decernit efficaciter, decernit rem secundum omnes circumstantias, et non in abstracto; definit enim sicut cognoscit : Atqui Incarnatio fuit a Deo decreta efficaciter : Ergo fuit decreta secundum omnes omnino circumstantias.

Sequitur 1297. Decretum de Incarnatione Verbi simul omnino fuisse cum præscientia peccati, et aliis omnibus, quantum ad durationem realem, et etiam quantum ad instans rationis *in quo ;* totam autem prioritatem, quæ intervenit fuisse prioritatem instantis *a quo.*

1297. — Ibidem.

Explicatur ex dictis supra cum de voluntate, præscientia, et prædestinatione actum est : Inter actus Divini intellectus et Divinæ voluntatis nulla est prioritas instantis *in quo,* sed tantum prioritas virtualis instantis *a quo,* in quantum unus actus est ratio et causa virtualis alterius, et unum objectum unius actus dependet ab alio secundum Dei voluntatem : Quando enim unus actus virtualiter distinguitur ab alio, et est causa virtualis alterius, tunc dicitur prior, non quasi sit aliquod instans, *in quo* unus actus sit vel concipiatur esse, et alius actus non sit, vel concipiatur non esse. Similiter quando ex parte objecti unus actus dicitur prior alio, non est quod unus actus sit vel concipiatur esse circa unum objectum, et non sit vel concipiatur non esse circa aliud ; sed solum est, quod unum objectum est ratio alterius. Atque ita, quando dicimus præscientiam peccati originalis fuisse priorem in Deo ipso decreto Incarnationis, nolumus, quod in aliquo signo etiam rationis secundum instans *in quo*, concipiatur esse præscientia Dei respectu peccati, et decretum de Incarnatione concipiatur non esse ; sed solum sensus est, quod Deus noluit Incarnationem, nisi ad suam gloriam manifestandam per reparationem generis humani, et remedium peccati ; itaut gloria per hæc manifestanda fuerit ratio Incarnationis, sicut finis est ratio volendi media ad finem illum ordinata : atque ita Incarnatio, ut volita est a Deo, dependebat a gloria Dei tanquam a fine, et a peccato tanquam a causa materiali et occasionali, per quam

Deus voluit manifestare gloriam suam, decernendo Incarnationem in remedium peccati. Unde in genere causæ finalis dicitur prius volita Incarnatio ; et in genere causæ materialis et occasionalis dicitur prius permissum et præscitum peccatum.

Ex his jam patet sequela : Nulla prioritas potest esse in Deo, nisi prioritas instantis *a quo* : Sed prioritas ista, qua præscientia peccati originalis dicitur prior Incarnatione, est in Deo : Ergo non potest esse prioritas nisi instantis *a quo*.

Sequitur 1298. Remedium peccati originalis fuisse principalius motivum Incarnationis.

1298. — D. Thom. 3. p. q. 1. a. 4.

Explicatur : Non intendimus dicere, quod Incarnatio fuerit decreta in remedium peccati tanquam propter causam finalem principalem ; hæc enim fuit gloria Dei : sed solum intendimus quod gloria Dei ut manifestanda per remedium peccati originalis fuit principalior finis, quam eadem gloria ut manifestanda per remedium peccatorum actualium.

Probatur sequela. Bonum universalius, et consequenter divinius, est principalius intentum. Sed remedium peccati originalis, sive gloria Dei ut manifestanda per remedium peccati originalis est bonum universalius, et consequenter divinius, utpote bonum totius generis humani ; remedium autem peccatorum actualium non est ita universale, ut constat ex dictis supra : Ergo remedium peccati originalis fuit principalius motivum Incarnationis.

Sequitur 1299. Remedium peccatorum actualium fuisse etiam motivum principale, sed minus, ipsius Incarnationis.

1299. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia etiam gloria Dei, ut manifestanda per remedium peccatorum actualium fuit finis principalis, licet minus, ipsius Incarnationis, ut constat ex dictis.

Sequitur 1300. Si solum peccatum originale fuisset, et non actualia ; vel sola actualia sine originali, Verbum Divinum non fore incarnandum ex vi præsentis decreti.

1300. — Ibidem.

Probatur sequela. Ex vi alicujus volitionis non sit effectus defficiente motivo adæquato : Sed ex dictis motivum adæquatum volitionis et decreti de Incarnatione Verbi fuit gloria Dei ut manifestanda per remedium peccati originalis et actualis : Ergo ex vi hujus decreti non fuisset facta Incarnatio defficiente altero ex his motivis.

Quid vero futurum esset ex vi alterius decreti, si quæratur, *Respondendum est* futurum quod Deus voluisset ; neque alia responsio potest cum fundamento dari.

Sequitur 1301. Christum esse personam subsistentem in duabus naturis divina scilicet et humana.

1301. — D. Th. 3. p. q. 2. a. 4. In 3. d. 6. q. 2. a. 3.

Probatur sequela. Verbum Divinum ab æterno subsistit in natura divina, et per Incarnationem subsistit in natura humana, ut diximus supra : Sed Christus est ipsa persona Verbi : Ergo Christus est persona subsistens in natura divina et humana.

Sequitur 1302. Christum esse personam infinitæ dignitatis.

1302. — Opusc. 20. lib. 3. c. 12. 13. 14. et 15.

Probatur sequela. Verbum Divinum est persona infinitæ dignitatis : Sed Christus est Verbum Divinum subsistens in natura divina et humana : Ergo est persona infinitæ dignitatis.

Sequitur 1303. Christum Dominum potuisse Deo satisfacere pro peccatis.

1303. — 3. p. q. 1. a. 2. ad 2.

Probatur sequela. Persona subsi-

stens in natura humana potuit Deo satisfacere pro peccatis : Sed Christus est persona subsistens in natura humana : Ergo potuit Deo satisfacere pro peccatis. *Major constat :* quia licet illa persona sit divina, et sic satisfaciat sibi ipsi ut Deo ; nihilominus ratione humanæ naturæ, in qua subsistit, est ibi sufficiens distinctio ad hoc ut satisfaciat : ut enim fiat satisfactio sufficit distinctio vel in natura vel in persona, ut alias ostendemus, quia sufficit, quod justitia, cujus actus est satisfactio, sit ad alterum aliquo modo.

Sequitur 1304. Christum Dominum potuisse Deo satisfacere pro peccatis ad æqualitatem.

1304. — Ibidem.

Probatur sequela. Persona infinitæ dignitatis potest satisfacere Deo pro peccatis ad æqualitatem : Sed Christus Dominus est persona infinitæ dignitatis : Ergo potest Deo satisfacere pro peccatis ad æqualitatem. *Major probatur ;* quia infinita dignitas personæ dignificat ipsam satisfactionem : sicut enim gravitas offensæ petitur ex dignitate personæ offensæ, ita dignitas satisfactionis petitur ex dignitate personæ satisfacientis ; cujus ratio est, quia ipsa persona satisfaciens ingreditur intrinsece, moraliter tamen, ipsam satisfactionem, in quantum est actio reflexiva supra suppositum satisfaciens : quod ut intelligatur, advertendum est, actionem aliquam esse reflexivam supra suppositum, non esse solum, quod illa actio eliciatur a persona ; hoc enim convenit omnibus omnino actionibus illius, etiam si non sint reflexivæ supra suppositum ; sed hæc reflexio consistit in hoc, quod actio elicita a persona subjiciat alteri eamdem personam ratione illius actionis et principii elicientis ipsam ; eo enim ipso, quod actio illa elicita a persona subjicit illam eamdem personam alteri, illa actio reflectit se supra personam, quippe quæ non solum est illius actionis principium, sed etiam objectum ingrediens et dignificans illam actionem.

Sequitur 1305. Christum Dominum potuisse satisfacere Deo pro peccatis ex toto rigore justitiæ.

1305. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui satisfacit nedum satisfactione ad æqualitatem, sed satisfactione infinita, satisfacit de toto rigore justitiæ : Atqui Christus potuit satisfacere Deo nedum ad æqualitatem, sed etiam satisfactione infinita : Ergo potuit satisfacere Deo pro peccatis omnium hominum de toto rigore justitiæ.

Sequitur 1306. Christum de facto sic satisfecisse pro peccatis.

1306. — 3. p.q. 46. a.1. et 49. a. 5.

Probatur sequela. Christus Dominus implevit illud, propter quod Verbum Divinum, homo factus est : Sed, ex dictis, Verbum Divinum factus est homo maxime ut satisfaceret de rigore justitiæ pro peccatis : Ergo de facto Verbum Divinum in humana natura, sive Christus, de facto satisfecit pro peccatis ad æqualitatem, et de toto rigore justitiæ.

Sequitur 1307. Christum Dominum esse vere Redemptorem.

1307. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui satisfacit pro peccatis est vere Redemptor : Sed Christus Dominus satisfecit pro peccatis, imo et ad hoc venit in mundum : Ergo est vere Redemptor. *Major constat ;* quia per peccatum homo fit servus et captivus Diaboli ; unde quando fit satisfactio pro peccatis, homo vere redimitur ab illa captivitate.

CAPUT III.

De coassumptis Perfectionibus.

Sectio 1ª. — De Gratia Christi.

Sequitur 1308. Christo Domino fuisse debitas omnes perfectiones et gratias, quæ non importabant imperfectionem repugnantem personalitati divinæ, vel officio Redemptoris.

1308. — De virit. q. 29. a. 8.

Probatur sequela. Personæ infinitæ sunt debitæ omnes perfectiones, quæ ipsi et officio ejus non repugnant : Sed Christus est persona infinita : Ergo Christo sunt debitæ omnes perfectiones non repugnantes personæ ipsius et officio Redemptoris.

Sequitur 1309. Christo debitam fuisse gratiam habitualem.

1309. — 3. p. q. 7. a. 1. de verit. q. 29. a. 5.

Probatur sequela. Christo sunt debitæ omnes perfectiones non repugnantes personalitati ipsius et officio Redemptoris : Sed gratia habitualis non repugnat ipsius personalitati, nec officio Redemptoris : Ergo gratia habitualis fuit debita Christo.

Sequitur 1310. Gratiam habitualem fuisse in Christo a principio Incarnationis.

1310. — 3. p. q. 7. a. 12.

Probatur sequela. Quod fuit debitum Christo, fuit in ipso a principio Incarnationis : Sed gratia habitualis fuit debita Christo : Ergo fuit in Christo a principio Incarnationis. *Major est certa :* quia quidquid fuit debitum Christo, fuit ipsi collatum statim ubi fuit Christus, nisi repugnaret officio Redemptoris : sed gratia non repugnabat officio Redemptoris, imo vero erat valde ipsi conveniens, ut posset connaturaliter elicere actiones supernaturales : Ergo, etc.

Sequitur 1311. Gratiam habitualem contulisse ipsi Christo effectum suum formalem primarium, qui est reddere subjectum formaliter gratum Deo.

1311. — 3. p. q. 7. a. 1. ad 1.

Probatur sequela. Omnis forma in subjecto existens confert illi suum effectum formalem primarium ; quippe qui non est aliud, quam ipsa forma ut communicata subjecto : Sed effectus formalis primarius gratiæ est reddere subjectum gratum Deo, ut supra diximus : Ergo gratia habitualis reddidit Christum Deo gratum.

Sequitur 1312. Christum Dominum fuisse etiam sanctum et gratum Deo per ipsam unionem hypostaticam.

1312. — 3. p. q. 34. a. 1.

Probatur sequela. Sanctitas substantialis magis reddit sanctum et gratum Deo, quam quæcumque sanctitas et gratia per participationem : Sed in Christo fuit sanctitas substantialis per unionem hypostaticam : Ergo Christus fuit sanctus et gratus Deo per unionem hypostaticam. *Major est evidens :* si enim id, quod est per participationem præstat aliquem effectum, multo magis hoc præstat id, quod est per essentiam, seclusis imperfectionibus. *Minor est etiam certa :* quia in Christo fuit personalitas Verbi primario, et secundario Divinitas : Sed utraque est sanctitas substantialis et per essentiam, ut est omnino certum : Ergo in Christo fuit sanctitas substantialis et per essentiam.

Sequitur 1313. Hanc sanctitatem non tantum fuisse hujusmodi radicaliter sed formaliter.

1313. — Ibidem.

Explicatur : Dupliciter potest intelligi, quod personalitas Verbi et Divinitas per unionem sanctificent naturam humanam ; *primo* radicaliter,

quatenus sunt radix gratiæ sanctificantis et habitualis ; *Secundo* formaliter, non quod sint formæ inhærentes ipsi humanitati, hoc enim implicat ; sed quod etiamsi non inhæreant, quia tamen uniuntur hypostatice, eo ipso reddant ipsam naturam humanam sanctam, id est mundam, applicatam Deo firmiter et inconcusse, ita ut etiam seclusa gratia habituali vere natura humana in Christo fuisset omnino impeccabilis, munda, et applicata Deo cum omnimoda firmitate.

Probatur ergo sequela. Natura munda, impeccabilis, firmiter applicata Deo et cultui divino est formaliter sancta, et non tantum radicaliter : Sed natura humana per unionem hypostaticam, sive per terminum hujus unionis, qui est personalitas Verbi et Divinitas, fuit formaliter munda, impeccabilis, applicata firmiter Deo et cultui divino : Ergo natura humana per unionem hypostaticam fuit formaliter sancta. *Major est definitio sanctitatis. Minor patet ex dictis :* quia munditia, et impeccabilitas, et applicatio ad Deum cum firmitate, non potest esse major, quam per hoc, quod homo sit Deus.

Sequitur 1314. Hanc sanctitatem esse substantialem.

1314. — 3. p. q. 6. a. 6. ad 1.

Probatur sequela. Qualis est unio naturæ humanæ cum Deo, talis est hæc sanctitas : Sed unio hypostatica est unio substantialis naturæ humanæ cum Deo, ut diximus : Ergo et sanctitas est substantialis.

Sequitur 1315. Humanitatem Christi fuisse formaliter gratam Deo per unionem hypostaticam.

1315. — Ibidem.

Probatur sequela. Natura formaliter sancta, est etiam formaliter grata Deo ; sanctitas enim non potest non esse grata Deo : Sed natura humana fuit formaliter sancta per unionem hypostaticam, ex dictis; Ergo fuit etiam formaliter grata Deo.

Sequitur 1316. Hanc gratiam, qua humanitas est grata Deo per unionem hypostaticam, posse dici gratiam substantialem.

1316. — Ibidem.

Probatur sequela. Qualis est sanctitas, talis est gratia : Sed sanctitas est substantialis in Christo : Ergo et gratia.

Sequitur 1317. Hanc sanctitatem et gratiam esse supernaturalem.

1317. — Ibidem.

Probatur sequela. Sanctitas et gratia substantialis et supernaturalis, et est radix totius supernaturalitatis : Sed sanctitas et gratia per unionem hypostaticam conveniens Christo est substantialis : Ergo et supernaturalis.

Sequitur 1318. Hanc sanctitatem et gratiam substantialem Christi reddere naturam humanam substantialiter impeccabilem.

1318. — Ibidem.

Probatur sequela. Munditia substantialis reddit substantialiter impeccabilem : Sed sanctitas et gratia substantialis est munditia substantialis, ut patet ex dictis : Ergo hæc sanctitas substantialis Christi reddit ipsum substantialiter impeccabilem ; non quod ipsa natura humana sit secundum suam essentiam impeccabilis ; sed quia redditur impeccabilis per terminum substantialem, nimirum per subsistentiam Verbi.

Sequitur 1319. Hanc sanctitatem substantialem reddere opera Christi reflexiva supra suppositum infiniti valoris moraliter considerata.

1319. — 3. p. q. 1. a. 2. ad 2.

Probatur sequela. Opera suppositi infiniti reflexiva supra suppositum sunt infiniti valoris : Sed hæc sanctitas substantialis reddit opera Christi opera suppositi infiniti : Ergo reddit illa opera, quæ sunt reflexiva supra suppositum, infiniti valoris.

Sequitur 1320. Hanc sanctitatem substantialem reddere opera Christi infinite meritoria.

1320. — In 2. dist. 9. a. 8. in 4. dist. 14. q. 2. a. 1. q. 1. et dist. 5. q. 1. a. 2. De verit. q. 29. a. 3. et 5.

Probatur sequela. Opera infiniti valoris sunt infinite meritoria : Sed hæc sanctitas reddit opera Christi reflexiva supra suppositum infiniti valoris : Ergo reddit illa infinite meritoria.

Sequitur 1321. Hanc sanctitatem non influere ullam dignitatem physicam et realem supernaturalem in ipsa opera Christi.

1321. — Quodl. 3. q. 2. a. 1. Opusc. 3. c. 238. 3. p. q. 7. a. 11.

Probatur sequela. Sanctitas substantialis suppositi ut sic, non influit ullam dignitatem physicam et realem supernaturalem in opera, sed tantum moralem : Sed hæc sanctitas est sanctitas substantialis suppositi : Ergo non influit ullam dignitatem physicam et realem supernaturalem in opera Christi, sed tantum moralem. *Major constat :* quia subsistentia non influit realiter in opera suppositi : quamvis enim actiones sint suppositorum, eo quod agunt ut principium *quod,* sicut per subsistentiam subsistunt, *ut quod;* nihilominus subsistentia, quæ dat subsistere, non dat vim aliquam realem, qua suppositum influat realiter in opera.

Sequitur 1322. Sanctitatem hanc substantialem non elevasse opera Christi intrinsece ac realiter ad ordinem supernaturalem.

1322. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod non influit physice ac realiter supernaturalitatem, non elevat intrinsece ac realiter opera ad ordinem supernaturalem : Atqui hæc sanctitas substantialis non influit physice ac realiter in opera supernaturalitatem, quatenus præcise terminat humanitatem, ex dictis : Ergo præcise quatenus terminat humanitatem non elevat opera ad ordinem supernaturalem intrinsece ac realiter, sed dumtaxat extrinsece ac denominative, quatenus sunt a supposito supernaturali.

Sequitur 1323. Opera Christi prout præcise a supposito divino, non potuisse esse meritoria de condigno præmii supernaturalis.

1323. — 3. p. q. 19. a. 3.

Probatur sequela. Ad meritum de condigno requiritur, quod opera sint intrinsece ac realiter supernaturalia, ut diximus supra : Sed opera Christi prout præcise a supposito divino non erant intrinsece ac realiter supernaturalia : Ergo non erant meritoria de condigno, ut sic præcise, quamvis aliunde secundum valorem moralem essent infinitæ dignitatis, unde ut sic poterant dici meritoria merito quodam superexcedente omne præmium creatum.

Sequitur 1324. Ut opera Christi essent meritoria de condigno necessariam fuisse gratiam vel habitualem, vel actualem.

1324. — Ibidem.

Probatur sequela. Ut opera sint meritoria de condigno, necessarium est ut opera sint intrinsece ac realiter supernaturalia, atque adeo requiritur, quod principium proxime ac immediate influens supernaturalitatem in illa, sit supernaturale : Sed sola gratia vel habitualis vel actualis potuit esse principium proxime ac immediate influens in illa opera supernaturalitatem : Ergo necessaria fuit gratia vel habitualis vel actualis, ut opera Christi essent meritoria de condigno. Et vero natura divina supernaturalitatem non influebat per hoc solum, quod ratione personæ Verbi uniebatur hypostatice naturæ humanæ, nec elevabat potentias creatas animæ Christi, ut essent principium reale ac physicum supernaturalitatis in ipsis operibus : unde requirebatur gratia.

Sequitur 1325. Christum Dominum potuisse mereri de condigno præmium etiam supernaturale cum sola gratia actuali, influente intrinsecam supernaturalitatem in opera ipsius.

1325. — Ibidem.

Probatur sequela. Supposita gratia actuali influente supernaturalitatem, omnes aliæ conditiones ad meritum de condigno reperiebantur in operibus Christi; erat enim persona grata Deo, erat status viæ, ut postmodum dicemus, erat ordinatio in Deum, etc. Ergo fuissent meritoria de condigno cum sola gratia actuali.

Sequitur 1326. Magnum esse discrimen inter Christum et ceteras puras creaturas quoad meritum et principium meriti.

1326. — Ibid a. 3. et 4.

Probatur sequela. Ad meritum de condigno imo etiam de congruo in pura creatura, requiritur necessario gratia habitualis, nec sufficit actualis; quia, ut diximus supra, requiritur necessario dignitas suppositi grati Deo, quæ esse non potest sine gratia habituali et sanctificante : At vero in Christo non erat necessaria gratia habitualis ad dignificandum suppositum et ad reddendum illud gratum Deo, imo nec ad dignificandam naturam humanam in hoc supposito divino subsistentem; quia, ex dictis, ipsa ratione subsistentiæ erat sancta et grata Deo : Ergo Christus non indiguit gratia habituali ad meritum de condigno; bene autem quælibet pura creatura.

Sequitur 1327. Ut humanitas Christi esset principium connaturaliter operans opera meritoria, necessariam fuisse gratiam habitualem in ipso.

1327. — Ibidem.

Probatur sequela. Potentiæ creatæ non sunt principium connaturaliter operum intrinsece supernaturalium, secundum se, atque adeo indigent elevari per aliquas qualitates activas et permanentes ordinis supernaturalis, quarum radix est gratia habitualis, ut supra probatum est : Sed humanitas Christi habuit potentias creatas : Ergo indigebat gratia habituali, ut connaturaliter eliceret opera meritoria de condigno.

Sequitur 1328. Hanc gratiam habitualem non contulisse Christo relationem filiationis adoptivæ.

1328. — 3. p. q. 23. a. 3.

Probatur sequela. Filiationi naturali repugnat filiatio adoptiva : Sed in Christo fuit Filiatio naturalis respectu Dei Patris : Ergo repugnabat ei filiatio adoptiva per gratiam habitualem.

Adverte igitur gratiam habitualem per se primo reddere naturam gratam Deo, et elevare illam ad participationem divinæ naturæ, ex qua consequitur in suppotito illius naturæ relatio filiationis adoptivæ, si suppositum illud sit capax hujusmodi relationis : si autem suppositum non sit capax, non consurgit hæc relatio. In Christo igitur natura humana, sive anima, erat quidem capax participationis naturæ divinæ, quia ipsa non erat Deificata per essentiam, ut constat; cum maneret semper distincta a natura divina, cum qua in eodem supposito subsistebat : unde poterat recipere Divinitatem per participationem in ipsa anima, sicut et ipsa erat ens per participationem; suppositum tamen divinum, cum nullius accidentis realis esset capax, et multo minus relationis filiationis adoptivæ, non poterat illam recipere. Hinc solves omnia argumenta contra hanc conclusionem.

Sequitur 1329. Gratiam hanc habitualem fuisse Christo connaturalem.

1329. — 3. p. q. 7. a. 1.

Probatur sequela. Gratia, quæ debetur alicui ex vi suæ conceptionis, est ipsi connaturalis : Sed gratia ha-

bitualis debebatur Christo ex vi suæ conceptionis, quia erat suppositum divinum, cui a principio suæ conceptionis debebatur omnis perfectio, ut supra diximus : Ergo gratia habitualis erat connaturalis Christo.

Sequitur 1330. Gratiam habitualem proprie et in rigore non fuisse proprietatem unionis hypostaticæ.

1330. — Ibidem.

Probatur sequela. Proprietas proprie et in rigore est illa, quæ fluit et dimanat per resultantiam ab essentia subjecti : Sed gratia habitualis non fluebat neque dimanabat per resultantiam ab essentia unionis hypostaticæ ; poterat enim esse hæc unio absque gratia habituali, nec illa dimanabat a natura humana, alias esset in omnibus hominibus ; nec dimanabat per naturalem resultantiam a natura divina respectu cujus nulla res ad extra potest sic dimanare : Ergo gratia non est proprie et in rigore proprietas Christi.

Sequitur 1331. Gratiam habitualem fuisse productam in Christo per novam et liberam Dei actionem.

1331. — Ibidem.

Probatur sequela. Accidens præsertim supernaturale, quod non per resultantiam in subjecto ponitur, debet in illo poni per novam et liberam Dei actionem : Sed gratia habitualis est accidens supernaturale, ut supra ostendimus, et non dimanabat in Christo per resultantiam, ex jam dictis : Ergo debuit poni in Christo per novam et liberam Dei actionem.

Sequitur 1332. In Christo fuisse omnes virtutes, quæ non repugnabant ejus supposito, vel officio Redemptoris.

1332. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Perfectiones omnes non repugnantes supposito divino vel officio Redemptoris fuerunt in Christo, ut diximus : Sed virtutes sunt perfectiones : Ergo omnes virtutes non repugnantes supposito divino, aut perfectionibus debitis illi, vel officio Redemptoris fuerunt in Christo.

Sequitur 1333. Omnes virtutes infusas eodem modo non repugnantes fuisse in Christo.

1333. — Ibidem.

Probatur sequela. Tum quia sunt perfectiones illi debitæ ; Tum etiam quia sunt proprietates gratiæ.

Sequitur 1334. Omnes virtutes ex genere suo acquisitas fuisse in Christo.

1334. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia sunt perfectiones ei debitæ.

Sequitur 1335. In Christo fuisse gratiam perfectissimam.

1335. — Ibid. a. 9.

Probatur sequela. In supposito perfectissimo et in natura elevata ad perfectissimum officium debet esse gratia perfectissima : Sed Christus fuit suppositum perfectissimum utpote divinum, et fuit natura humana in illo supposito subsistens, elevata ad perfectissimum officium, nimirum ad officium Redemptoris : Ergo fuit in illo gratia perfectissma.

Sequitur 1336. In Christo fuisse plenitudinem gratiæ.

1336. — Ibidem.

Probatur sequela. Supposito infinito, et naturæ ad illud et ad perfectissimum officium elevatæ debetur plenitudo gratiæ : Sed Christus est suppositum infinitum, et natura humana est elevata in Ipso ad subsistendum in hoc supposito, et ad perfectissimum officium : Ergo Christo debebatur, et consequenter data est plenitudo gratiæ.

Sequitur 1337. In Christo fuisse plenitudinem gratiæ tam intensive, quam extensive.

1337. — Ibidem.

Explicatur. Non intendimus, quod

in Christo fuerit gratia intensive infinita : de hoc enim statim dicemus ; sed solum, quod fuerit in illo gratia intensissima, et hoc vocamus plenitudinem gratiæ intensive ; extensiva vero plenitudo, dicitur illa, quæ se extendit ad omnes effectus ex gratia procedentes.

Probatur ergo sequela. Gratia perfectissima est plenitudo gratiæ intensive et extensive, ut patet ex explicatione : Sed in Christo fuit gratia perfectissima : Ergo in Christo fuit plenitudo gratiæ tum intensive quam extensive.

Sequitur 1338. In Christo fuisse gratiæ plenitudinem quantum ad omnes effectus, qui non important imperfectionem, ipsi supposito et officio Redemptoris repugnantem.

1338. — Ibidem.

Probatur sequela. Omnis perfectio non repugnans supposito infinito et officio Redemptoris fuit in Christo : Sed plenitudo gratiæ quantum ad omnes effectus, qui non important imperfectionem repugnantem supposito divino vel officio Redemptoris, est perfectio, ut constat : Ergo, etc.

Sequitur 1339. In Christo fuisse gratiam habitualem magis intensam, quam sit gratia omnium angelorum et hominum etiam simul.

1339. — Ibid. a. 10.

Probatur sequela. Christus etiam ut homo habuit gratiam magis perfectam, quam sit gratia omnium angelorum et hominum, nimirum propter excellentiam supposiți divini et naturæ humanæ in illo subsistentis : Sed hoc exigit gratiam omnibus gratiis intensiorem ut patet ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 1340. In Christo fuisse plenitudinem gratiæ non solum ex parte subjecti, sed etiam ex parte gratiæ.

1340. — Ibid. a. 9. et 10.

Explicatur. Plenitudo gratiæ ex parte subjecti dicitur illa, quam exigit conditio et officium subjecti : Plenitudo gratiæ ex parte gratiæ dicitur illa, quæ est in summa excellentia intensiva, et extensiva ad omnes effectus.

Probatur ergo sequela subsumendo ex dictis : Atqui in Christo fuit non solum gratiæ plenitudo quantum exigebat conditio et officium subjecti, imo in summa excellentia intensiva, et extensiva ad omnes omnino effectus ; ita ut per illam potuerit mereri etiam Incarnrtionem Patris vel Spiritus sancti, si voluisset Christus ad hoc applicare sua merita ; potuisset etiam mereri gratiam et gloriam angelis, si sua merita non coarctasset ad gratiam Redemptionis : Ergo, etc.

Sequitur 1341. Plenitudinem gratiæ ex parte gratiæ fuisse propriam Christo, non plenitudinem gratiæ ex parte subjecti.

1341. — Ibid. a. 10.

Probatur sequela. Plenitudo gratiæ non conveniens ulli alteri est propria Christo : Sed plenitudo gratiæ ex parte gratiæ nulli alteri competit, bene autem plenitudo ex parte subjecti : Ergo plenitudo gratiæ ex parte gratiæ est propria Christo, non autem plenitudo ex parte subjecti. *Minor probatur :* Plenitudo gratiæ ex parte gratiæ est gratia intensissima, et extendens se quantum ad sufficientiam ad omnes effectus, ut diximus : Sed hæc nulli alteri competit, ut patet ex dictis ; plenitudo autem ex parte subjecti potuit aliis competere, sicut Beatissimæ Virgini, et aliis, qui habuerunt tantam gratiam, quantam exigebat illorum conditio, status, et officium : Ergo, etc.

Adverte autem quod plenitudo gratiæ ex parte gratiæ et plenitudo ex parte subjecti in Christo coincidunt : quia subjectum utpote suppositum divinum in natura humana subsistens, et officium Redemptoris exigebant plenitudinem gratiæ ex parte gratiæ.

Sequitur 1342. Gratiam unionis in Christo esse infinitam.

1342. — Ibid. a. 11.

Probatur sequela. Persona divina est infinita : Sed gratia unionis nihil est aliud, quam persona divina ut unita humanitati : Ergo gratia unionis est infinita.

Sequitur 1343. Gratiam habitualem in Christo non esse actu physice et cathegorematice infinitam, vel infinite intensam.

1343. — Ibidem.

Probatur sequela ex dictis in primo principio : Nulla potest dari qualitas actu physice et cathegorematice infinita : Sed gratia habitualis in Christo est qualitas, ut patet ex dictis : Ergo gratia habitualis in Christo non est actu physice et cathegorematice infinita.

Sequitur 1344. Gratiam Christi ex unione naturæ humanæ ad Verbum non habere ullam physicam et realem infinitatem, etiam modalem.

1344. — Ibidem.

Probatur sequela. Tum quia supposítum nihil influit physicum in accidentia vel operationes naturæ in eo subsistentis, ut diximus : Tum etiam quia, ut in primo principio probatum est, non potest dari ullum infinitum ; maxime vero dari nequit ulla qualitas infinita, idque tanto verius est de gratia habituali, quæ cum sit participatio divinæ naturæ, quæ est infinita, atque adeo in infinitum syncathegorematice participabilis, nunquam potest esse tanta, quin possit esse major et major in infinitum. Adde quod si gratia esset aliquo modo infinita physice in Christo, etiam charitas, lumen gloriæ etc. essent qualitates physice infinitæ ; et sic Christus ut homo amaret Deum, quantum est amabilis, et comprehenderet divinam essentiam, quod esse impossibile supra demonstratum est.

Sequitur 1345. Gratiam Christi esse simpliciter infinitam in esse gratiæ infinitate moralis dignitatis.

1345. — Ibidem.

Probatur sequela. Gratia in supposito infinito sive in natura subsistente per suppositum infinitum, consequitur moralem valorem et dignitatem ex supposito : unde fit quod sit etiam principium operis meritorii infinitæ dignitatis, ut diximus : Sed gratia Christi est in natura subsistente per subsistentiam infinitam, ut diximus : Ergo habet infinitum valorem et dignitatem. Et hoc est esse infinitam in esse gratiæ, quatenus est in supposito infinite grato ; ac per hoc est principium operis meritorii et satisfactorii infiniti modo superius explicato.

Sequitur 1346. Gratiam Christi posse dici infinitam negative.

1346. — Ibidem.

Probatur sequela. Gratia, quæ non limitatur ad aliquem specialem effectum, vel gradum, sed habet omnem illum, qui possibilis est secundum capacitatem subjecti, est infinita negative ; quamvis enim absolute sit finita, quia tamen tanta est, quanta esse potest de via ordinaria, recte dicitur infinita negative : Sed gratia Christi non limitatur ad aliquem specialem modum vel gradum, sed habet omnem, qui possibilis est juxta capacitatem subjecti de via ordinaria : Ergo gratia Christi est infinita negative.

Sequitur 1347. Gratiam Christi non esse infinitam per solam extrinsecam Dei acceptationem.

1347. — Opusc. 3. c. 121. Opusc. 60. c. 3.

Probatur sequela. Gratia, quæ dignitatem moralem habet ex supposito, non est infinita per solam extrinsecam acceptationem ; dignitas enim illa moralis, est vere illi intrinseca moraliter, sicut et intrinsece est in natura

subsistente in supposito divino, quod per hanc gratiam elicit opera infinite satisfactoria et meritoria, ut constat ex dictis : Sed gratia Christi habet illam dignitatem moralem, ut ostendimus; Ergo gratia Christi non est infinita per solam extrinsecam Dei acceptationem.

Sequitur 1348. Gratiam Christi non esse tantum infinitam per solam extrinsecam comparationem ad gratiam, quæ est in ceteris angelis, vel hominibus.

1348. — 3. p. q. 7. a. 11. In 1. dist. 17. q. 2. a. 4.

Probatur sequela. Gratia, quæ est infinita negative, et secundum moralem dignitatem intrinsecam, non est tantum infinita per comparationem omnino extrinsecam : Sed gratia Christi est infinita negative, et secundum moralem dignitatem intrinsecam : Ergo non est infinita per solam extrinsecam comparationem.

Sequitur 1349. Gratiam Christi esse infinitam in genere causæ physicæ instrumentalis vel etiam principalis moralis, quodammodo syncathegorematice.

1349. — Ibidem.

Probatur sequela. Gratia, cujus operationes sunt infinitæ in genere causæ instrumentalis physicæ, et in genere causæ meritoriæ omnium omnino gratiarum, quæ sunt, et quæ esse possent in hominibus quantumcumque multiplicatis, habet hanc infinitatem syncathegorematicam, ut vel ex terminis constat : Sed gratia Christi est hujusmodi; est enim causa operationum quæ elevantur a Deo in ratione instrumenti physici, ut postea dicemus, et quæ sunt meritoriæ omnium gratiarum, quæ possent esse in hominibus quantumcumque multiplicatis, ut constat ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 1350. Charitatem et alias virtutes a gratia dimanantes habere proportionaliter eamdem infinitatem, quam habet gratia habitualis.

1350. — 3. p. q. a. 2.

Probatur sequela. Eamdem habent proprietates infinitatem, quam habet natura sive essentia, a qua dimanant; quia illæ dimanant ab essentia juxta perfectionem essentiæ : Atqui charitas et virtutes a gratia dimanantes, sunt ejus proprietates, ut ostensum est : Ergo habent in Christo eamdem proportionaliter infinitatem, quam in illo habet gratia.

Sequitur 1351. Virtutes, quæ in Christo sunt principium meriti, vel quarum operationes ex natura sua sunt reflexivæ supra suppositum, habere specialem infinitatem.

1351. — Ibidem.

Probatur sequela. Principium operationis aliquo modo infinitæ, est etiam eodem modo infinitum : Sed virtutes, quæ in Christo sunt principium meriti, ex hoc habent infinitatem, quia sunt principium meriti infiniti; et illæ, quarum actus sunt reflexivi supra suppositum, etiam sunt principium operationis infinitæ ex hac reflexione, ut supra demonstratum est : Ergo hujusmodi virtutes habent specialem infinitatem. Quare virtus illa, quæ in Christo fuit principium satisfactionis Deo exhibitæ pro peccatis, habuit ex hoc infinitatem, quia humiliabat suppositum divinum : virtus autem illa, qua Christus utebatur vel uti poterat in commutationibus inter homines, non habebat ut sic hanc infinitatem, qua non erat reflexiva supra suppositum.

Sequitur 1352. Virtutes omnes, quæ fuerunt in Christo, fuisse modo perfectiori, quo poterant esse in quocumque subjecto.

1352. — Ibidem.

Probatur sequela. Cui debetur omnis perfectio, debentur etiam virtutes modo perfectiori, quo possunt esse in quocumque subjecto ; quia modus

iste facit etiam ad perfectionem, imo est perfectio : Sed Christo debebatur omnis perfectio, ex dictis : Ergo debebatur et erat in illo omnis modus perfectionis virtutum, secundum quem poterant esse in quocumque subjecto. Intellige dummodo aliunde non repugnaret, juxta superius dicta.

Sequitur 1353. In Christo virtutes ex genere suo per actus acquisitas, fuisse ab ipso etiam acquisitas.

1353. — Ibid. et 3. p. q. 9. a. 4.

Probatur sequela. Perfectior est modus habendi virtutes acquisitas, per acquisitionem et per actus, quam habere illas infusas per accidens : Sed in Christo fuerunt virtutes modo perfectiori : Ergo in Christo fuerunt virtutes acquisitæ, per acquisitionem et per actus. *Major probatur :* quia quod est per se, est perfectius et nobilius, quam quod est per accidens : Adde quod prudentia acquisita haberi non potest sine speciebus acquisitis : oportet enim species et actus esse ejusdem naturæ cum habitu illis correspondente, hoc sensu, quod si actus sint naturales, etiam habitus est naturalis, et e contra ; et idem de speciebus dicendum est : Sed Christus acquisivit species per proprios actus : Ergo et acquisivit prudentiam. *Major patet :* quia si habuisset species intelligibiles omnes per accidens infusas, frustra fuisset in eo lumen intellectus agentis, quod non est nisi ad acquirendas species, ut in primo principio probatum est. Neque potuit scientia infusa supplere vices prudentiæ acquisitæ, alias actus supernaturales, quales sunt actus scientiæ infusæ, essent causa habitus naturalis, quod dici non potest, quia actus, per quos acquiritur habitus sunt ejusdem rationis cum habitu.

Sequitur 1354. Christum intra breve tempus acquisivisse virtutes omnes morales naturaliter acquisibiles.

1354. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui habet perfectissimum lumen intellectus agentis, et multa alia, quibus juvatur ad acquirendas species, potest intra breve tempus acquirere prudentiam, et virtutes omnes morales acquisibiles, quæ omnes in prudentia connectuntur, ut alias ostendemus : Sed Christus habuit perfectissimum lumen intellectus agentis, et adjuvabatur ex scientia infusa, et ex speciebus per se infusis ad acquirendas alias species, ut est evidens : Ergo potuit intra breve tempus acquirere prudentiam et virtutes omnes naturaliter acquisibiles.

Sequitur 1355. Christum unico aut altero actu acquisivisse has omnes virtutes in statu perfectissimo et heroico.

1355. — Ibidem.

Probatur sequela. Per unum aut alterum actum intensissimum et heroicum possunt acquiri virtutes omnes naturaliter acquisibiles in statu perfectissimo et heroico : Sed Christus sine dubio elicuit actum intensissimum et heroicum : Ergo per unum aut alterum actum cujuslibet virtutis potuit acquirere ac de facto acquisivit virtutes omnes in statu perfectissimo et heroico. *Major alias probabitur :* quia licet virtutes non acquirantur ut plurimum, nisi per plures actus, nihilominus quando actus sunt intensissimi et heroici possunt acquiri virtutes per unum actum.

Sequitur 1356. In Christo non fuisse pœnitentiam.

1356. — 3. p. q. 84. a. 7. ad 4. in 3. dist. 33. q. 1. a. 3. 1. 3.

Probatur sequela. In Christo non potuit esse virtus repugnans dignitati et perfectioni suppositi divini : Sed pœnitentia est virtus repugnans dignitati suppositi divini, quod ex natura sua est impeccabile et sanctum, redditque naturam, in qua subsistit, impeccabilem et sanctam : Ergo in Christo non potuit esse pœnitentia. *Minor probatur :* Quia cui simpliciter et absolute et non per accidens re-

pugnat objectum, in eo simpliciter et absolute est impossibilis actus, et habitus : Sed peccatum proprium, quod est objectum pœnitentiæ, ut alias ostendemus, repugnat simpliciter et absolute naturæ subsistenti in supposito divino, sicut et ipsi supposito : Ergo actus et habitus pœnitentiæ simpliciter et absolute repugnat Christo, qui est suppositum divinum, et naturæ humanæ subsistenti in illo.

Sequitur 1357. Continentiam non fuisse in Christo, prout continentia sumitur pro illa virtute, quæ vehementioribus passionibus insurgentibus contra rationem invitam, resistit.

1357. — 3. p. q. 3. a. 2. ad 2.

Probatur sequela. Ubi non sunt passiones vehementiores contra rationem insurgentes, non est continentia hoc modo accepta : Atqui non potuerunt esse in Christo passiones vehementiores contra rationem insurgentes : hoc enim repugnat dignitati suppositi, ut postea ostendemus : Ergo in Christo non fuit continentia hoc modo accepta : Si autem continentia sumatur pro perfectissima virginitate omnes omnino passiones circa res turpes excludente, sine dubio illa fuit in Christo.

Sequitur 1358. In Christo non fuisse fidem secundum actum, vel secundum habitum.

1358. — Ead. a. 3.

Probatur sequela. Virtus repugnans alteri perfectioni debitæ Christo, non fuit in ipso : Sed fides tam secundum actum, quam secundum habitum est virtus repugnans lumini gloriæ et visioni beatificæ, quæ sunt perfectiones debitæ Christo : Ergo fides neutro modo fuit in Christo. *Minor patet ex dictis in primo principio,* in quo ostendimus fidem et visionem non posse esse simul. Quod vero visio clara Dei fuerit debita Christo patet ex dictis : quia omnis perfectio fuit ei debita, et probabitur statim.

Sequitur 1359. In Christo fuisse meritum fidei inclusum in merito obedientiæ et charitatis.

1359. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Totum meritum fidei consistit in pia affectione voluntatis, non quidem ad assentiendum mysteriis revelatis obscure, sed ad referendum in Deum omnem cognitionem, quam de Deo habemus : ex hac enim relatione consurgit meritum, ut patet ex dictis supra de merito : Sed obedientia et charitas hoc præstabant in Christo : Ergo, etc.

Sequitur 1360. In Christo non fuisse Spem, ut est virtus Theologica.

1360. — Ibid. ad 4.

Probatur sequela. Deus ut summum bonum arduum possibile, sub ipso Deo auxiliante adipiscendum, est objectum primarium spei, ut est virtus Theologica : Sed in Christo non potuit esse virtus circa Deum ut summum bonum arduum etc. Ergo non potuit esse spes virtus Theologica. *Major alias probatur :* quia virtus Theologica debet habere Deum pro objecto. *Minor probatur :* Nullum bonum habitum potest habere rationem ardui ; eo enim ipso, quod possidetur, cessat esse arduum : Sed, ut alias dicemus, Christus possedit Deum tum ratione suppositi, tum etiam ratione visionis beatificæ : Ergo, etc.

Nec valet si dicas Christum potuisse sperare gloriam corporis, quæ habebat rationem boni ardui : Non valet, inquam, quia cessante objecto primario cessat ratio formalis specificans habitum et actum, ut dicemus in tertio principio : Sed objectum primarium spei, ut est virtus Theologica est ipsemet Deus ut summum bonum, non autem gloria corporis, quæ eo ipso, quod erat debita Christo ex vi visionis beatificæ, non erat amplius per se ardua : Ergo, etc. Quare Christus sperabat gloriam corporis per virtutem charitatis, qua, propter Deum, suum corpus diligebat.

Sequitur 1361. In Christo fuisse dona Spiritus sancti.

1361. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Ubi est gratia habitualis sunt septem dona Spiritus sancti, ut alias ostendemus : Sed in Christo fuit gratia habitualis, ex dictis : Ergo et septem dona Spiritus sancti.

Sequitur 1362. In Christo fuisse etiam donum timoris.

1362. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Quia donum timoris est unum ex septem donis. Quemnam vero actum habuerit in Christo, dicemus alias, cum explicabimus proprium actum doni timoris.

Sequitur 1363. In Christo fuisse omnes gratias gratis datas.

1363. — Ibid. a. 7.

Probatur sequela. Quia in Christo præsertim ut doctore fidei et spiritualis doctrinæ debebant esse perfectiones ad hoc officium spectantes : Sed, ut alias ostendemus, gratiæ gratis datæ sunt perfectiones ad officium doctoris fidei et spiritualis doctrinæ spectantes : Ergo illæ in Christo fuerunt. Usum autem esse omnibus istis gratiis constabit ex dicendis infra, si tamen excipias donum linguarum, quo Christum usum fuisse non est ita certum.

Sequitur 1364. In Christo fuisse prophetiam.

1364. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Qui inter homines degens cognoscit et prænuntiat ea quæ loco vel tempore procul sunt a sensibus eorum cum quibus degit, est vere propheta, et habet donum prophetiæ : Sed Christus inter homines degebat : erat enim viator, ut postea dicemus ; et cognoscebat ac prænuntiabat sæpius, quæ procul distabant a sensibus eorum, cum quibus conversabatur, ut etiam postea ostendemus : Ergo habebat donum prophetiæ, illudque excellentissimum. Sed de his alias.

Sequitur 1365. In Christo gratias gratis datas multum differre ab iis quæ sunt in aliis.

1365. — Ibid. a. 7. et 8.

Probatur sequela assignando differentias ; quia hæ gratiæ in Christo sunt secundum plenitudinem et quoad omnes effectus ; in aliis tantum secundum aliquos ; Deinde in Christo fuerunt omnes, in aliis tantum aliquæ : Denique in Christo propter dignitatem supposîti erant hæ gratiæ per modum habitus et permanenter ; in aliis per modum motionis et transeunter. Verum hoc patebit magis, cum de his gratiis agemus.

Sequitur 1366. In Christo gratiam habitualem, fuisse ejusdem speciei cum nostra, si physice spectetur.

1366. — Ibid. a. 7.

Probatur sequela. Gratia habitualis est ejusdem speciei in omnibus, si physice spectetur, quia ut diximus supra non potest multiplicari specie : Ergo et in Christo.

Sequitur 1367. Gratiam habitualem in Christo differre etiam physice specie accidentali et secundum diversum specie modum essendi, a gratia nostra.

1367. — Ibid. a. 9.

Probatur sequela. Accidens intensissimum, in subjecto connaturali et adæquante ipsum differt specie physica modali et accidentali ab alio accidente minus intenso et existente in subjecto non connaturali et non adæquante, ut patet in calore, qui est in igne et in aliis ; in luce, quæ est in sole, et in aliis ; in calore naturali animalis, et plantæ ; in charitate viæ et patriæ : Et ratio est : quia accidens in subjecto connaturali habet perfectionem accidentalem diversæ speciei, ab alio accidente ejusdem speciei in alio subjecto, ut in exemplis allatis constat : Atqui gratia

habitualis est in Christo intensissima, ut in subjecto connaturali et adæquante ipsam, hoc est, recipiente ipsam secundum omnes effectus et gradus, qui de potentia ordinaria sunt possibiles; ut constat ex dictis : Ergo gratia habitualis in Christo habet perfectionem accidentalem diversæ speciei a gratia in omnibus aliis existente.

Sequitur 1368. Gratiam habitualem in Christo differre specie, imo et genere morali, a gratia omnium hominum et angelorum.

1368. — Ibid. a. 11.

Probatur sequela. Dignitas infinita ex dignitate suppositi divini proveniens differt specie, imo et genere, a dignitate finita, quam gratia habitualis tribuit aliis suppositis, in quibus est, ut est evidens : Sed dignitas gratiæ habitualis proveniens in Christo ex dignitate suppositi divini est infinita, ex dictis : dignitas autem, quam gratia habitualis tribuit aliis suppositis, est finita, ut est evidens : Ergo dignitas gratiæ in Christo differt specie, imo et genere morali, a dignitate gratiæ in aliis : Hoc autem est differre specie, imo et genere morali.

Adverte igitur in Christo non debere distingui duplicem dignitatem moralem gratiæ ; alteram finitam, quam gratia conferat supposito ; alteram infinitam, quam suppositum conferat gratiæ : nam in Christo gratia non dignificat suppositum, sed solum influit physicam supernaturalitatem operibus, quæ quatenus sunt a supposito infinito dignificant potius ipsam gratiam.

Sequitur 1369. Gratiam habitualem in Christo habere nedum dignitatem moralem, sed etiam proprietatem aliquam physicam, quæ non potest esse in gratia cujuscumque puræ creaturæ.

1369. — 3. p. q. 1. a. 1.

Probatur sequela. Justitia commutativa in ordine ad Deum est proprietas physica gratiæ, quæ non potest esse in ulla pura creatura, ut alias ostendemus. Sed in Christo fuit justitia commutativa in ordine ad Deum : Ergo in Christo non solum fuit dignitas moralis, sed etiam proprietas aliqua physica gratiæ, quæ non potest esse in ulla pura creatura. *Minor probatur ex dictis.* Qui satisfacit ad æqualitatem pro offensa, pro beneficiis acceptis, etc. habet justitiam commutativam in ordine ad Deum : Atqui Christus satisfecit Deo et pro offensis et pro beneficiis acceptis ad æqualitatem, ut constat ex dictis : Exhibuit enim Deo tantum, quantum ei debebatur a toto genere humano sive pro offensis, sive pro aliis, imo et quodammodo multo majus, et exhibuit Deo etiam tantum, quantum ei debebat genus humanum pro beneficio Incarnationis. Denique exhibuit Deo tantam gloriam, quanta ipse Deus in seipso dignus erat. Ergo est in Christo justitia commutativa.

Dices : ex hoc sequi, gratiam Christi esse diversæ speciei, a gratia cæterorum : nam essentia, quæ habet diversas proprietates physicas, est diversæ speciei, ab illa, quæ non habet easdem proprietates : Sed gratia Christi habet diversas proprietates, nimirum justitiam commutativam : Ergo est diversæ speciei.

Sed ad hoc patet responsio ex dictis : probat enim solum, quod gratia in Christo fuit diversæ speciei etiam physice in esse accidentali, eo plane modo, quo calor in igne, in planta, in animali ; in igne siquidem calor est generativus ignis, in planta est generativus plantæ etc. Quare *distinguenda est major :* Essentia, quæ habet diversas proprietates physicas, est diversæ speciei ; in absolutis simpliciter, *Concedo ;* in respectivis et moralibus *subdistinguo,* est diversæ speciei moralis, et quoad perfectionem physicam accidentalem, *Concedo :* est diversæ speciei physicæ essentialis. *Nego. Explicatur.* Gratia habitualis secundum se est participatio for-

malis naturæ Divinæ, ut supra diximus; ex quo sequitur illam secundum se perficere essentiam animæ, et ex consequenti perficere suppositum et omnes ejus potentias, secundum quod suppositum est capax recipiendi perfectiones supernaturales : Unde si suppositum non est capax filiationis adoptivæ, illam non tribuit, ut supra explicatum est; si suppositum est capax perfectionis alicujus quoad potentias, ut pœnitentiæ etc. illas etiam hoc modo perficit; si suppositum est capax virginitatis, illam tribuit : quando vero suppositum non est capax, has perfectiones non tribuit, unde nec angelis gratia tribuit pœnitentiam, virginitatem, temperantiam et alias virtutes, quæ sunt circa passiones : quia angeli non sunt capaces illarum. Gratia ergo per se primo habet perficere subjectum juxta modum subjecti, ex quo sequitur, quod in diversis subjectis diversas potest habere proprietates. In supposito igitur divino gratia non perficit suppositum, imo potius suppositum dat dignitatem moralem ipsi gratiæ, et ex hac dignitate morali gratia habet proprietatem aliquam in illo supposito, quam non potest habere in aliis; proprietatem, inquam, etiam physicam : quia licet dignitas illa, quam gratia accepit a supposito sit tantum moralis; virtus tamen, quæ respicit hujusmodi dignitatem in operibus a gratia promanantibus est physica et realis : sicut quamvis actus v. g. occisionis hominis, quæ fit ex auctoritate judicis legitimi, et actus occisionis, quæ fit ex privata tantum auctoritate, sint ejusdem speciei in esse physico, et differant tantum in esse morali; nihilominus habitus, qui respiciunt hos actus ut in esse morali diversos, sunt diversi nedum in specie moris, sed etiam in specie physica : quia ordo ad illos actus, ut in specie morali diversos, est quid physicum in ipsis habitibus, ut ostendemus in tertio principio. Gratia igitur dignificata per suppositum divinum tribuit ipsis operibus dignitatem æqualitatis, quam dignitatem moralem respicit justitia commutativa, et ex hoc habet suam physicam speciem : unde in Christo potuit esse hæc proprietas gratiæ perficientis quodlibet subjectum juxta naturam subjecti.

Sequitur 1370. Gratiam habitualem in Christo potuisse physice augeri, supposito, quod illa possit intendi in infinitum syncathegorematice.

1370. — 3. p. q. 7. a. 12.

Explicatur. Quæstio est utrum gratia habitualis sit in infinitum syncathegorematice intensibilis, ita ut quacumque data, possit major et intensior dari, ut plures censent, an vero sit determinatæ intensionis, ita ut possit perveniri ad aliquem gradum, quo nequeat esse intensior : si enim hoc secundum verum sit, certissimum debet esse gratiam Christi non posse intendi, sed esse tantam, quanta potest esse etiam per absolutam Dei potentiam; si vero primum sit verum, certum est gratiam, quæ est in Christo, posse per absolutam Dei potentiam augeri. Quia vero hæc quæstio non est presentis loci, solum dicimus, quod ex suppositione quod gratia sit intensibilis in infinitum syncathegorematice, gratia Christi physice potest augeri.

Probatur sequela. Qualitas, quæ potest in infinitum intendi syncathegorematice talis est, ut quacumque data possit dari intensior : Sed gratia habitualis est qualitas; Ergo dato quod illa sit intensibilis in infinitum, gratia Christi potest adhuc physice intendi. Si vero gratia non possit semper intendi, certum est, quod Christo tanta collata est, qua major dari non potest. Hanc vero quæstionem resolvemus alias.

Sequitur 1371. Gratiam Christi tam intensam esse physice, ut de potentia ordinaria major esse nequeat.

1371. — Ibidem.

Probatur sequela. Gratia, quæ debetur supposito divino, sive naturæ subsistenti in supposito divino, tam intensa est, ut saltem de potentia Dei ordinaria major dari non possit : quia est ad officium omnium maximum, ut constat ex dictis : Sed gratia Christi est ea, quæ debetur supposito divino, ut diximus : Ergo de potentia Dei ordinaria major dari non potest.

Sequitur 1372. Gratiam Christi in esse morali tantam esse, ut major dari non possit etiam de potentia Dei absoluta.

1372. — Ibidem.

Probatur sequela. Gratia habens infinitam simpliciter dignitatem tanta est, ut major dari non possit etiam de potentia Dei absoluta : quia non potest dari quid majus infinito simpliciter : Sed gratia Christi in esse morali habet infinitam simpliciter dignitatem : quia, ut diximus, dignificatur a supposito divino : Ergo Christi gratia in esse morali tanta est, ut major dari non possit de potentia Dei absoluta.

Sequitur 1373. Gratiam Christi habitualem ita tribuere animæ Christi omnia dona, et omnes virtutes non includentes imperfectionem, quæ connaturaliter possunt provenire ex ratione specifica gratiæ, ut ex hoc capite non possit dari gratia perfectior.

1373. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia, licet Deus possit absolute superaddere aliquam virtutem aut perfectionem ad gratiam Christi, quam modo non habet; non tamen potest superaddere aliquam virtutem vel perfectionem, quam gratia secundum rationem suam specificam connaturaliter exigat : Sed omnis virtus et perfectio, quam gratia connaturaliter exigit secundum suam rationem specificam reperitur in gratia Christi; quia id exigit dignitas naturæ humanæ subsistentis in supposito divino : Ergo, etc.

Sequitur 1374. Gratiam Christi habere tantam dignitatem, ut constituat ipsum caput totius Ecclesiæ.

1374. — Ibidem.

Probatur sequela. Esse caput totius Ecclesiæ est esse propinquiorem Deo, habere omnia dona, et omnes virtutes non includentes imperfectionem, quæ convenire possunt connaturaliter ipsi gratiæ, et influere in omnia membra : Sed gratia Christi habet hanc triplicem dignitatem : Ergo gratia Christi constituit ipsum caput Ecclesiæ. *Major probatur* ex analogia ad caput naturale hominis : cum enim ex D. Paulo Ecclesia sit corpus quoddam mysticum, sicut habet varia membra, ita debet habere caput visibile, et hoc caput debet habere mystice, quod habet caput humanum naturaliter : Sed caput humanum tria habet naturaliter, videlicet, situm excellentiorem (est enim sursum et sublime), cumulum omnium perfectionum (in eo siquidem vigent omnes sensus externi et interni) et influxum in omnia alia membra, quoad sensationes et motum localem et regimen externum per sensus : Ergo gratia, quæ constituit caput Ecclesiæ hæc tria debet habere mystice. Hinc vero *probatur minor :* Nam gratia Christi ex dignitate, quam habet a supposito divino, est propinquior Divinitati, atque adeo axcelsior; habet omnia dona et omnes virtutes non includentes imperfectionem, quæ connaturaliter possunt convenire gratiæ, ut modo probatum est, ac demum habet influxum in omnia membra, quia habet meritum infinitum, quo meruit omnibus hominibus, imo et aliquatenus angelis, ut postea explicabimus, et est instrumentum Divinitati conjunctum ad opera supernaturalia et

miraculosa, et dicemus infra : Ergo, etc.

Sequitur 1375. Christum esse caput Ecclesiæ.

1375. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui habet grâtiam constituentem caput, est caput : Sed Christus habet gratiam constituentem caput : Ergo est caput.

Sequitur 1376. Christum esse caput Ecclesiæ in quantum est Deus Homo.

1376. — Ibidem.

Probatur sequela. Gratia Christi non constituit ipsum caput, nisi ratione dignitatis, quam habet ex supposito divino, ut dictum est : Sed illa dignitas non convenit ipsi, nisi quatenus est Deus Homo : Ergo Christus non est caput visibile Ecclesiæ nisi in quantum Deus Homo.

Sequitur 1377. Christum ut Deum esse caput Ecclesiæ invisibile.

1377. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia ut sic est eminentior, præhabens formaliter eminenter omnes perfectiones, et influens in omnia membra Ecclesiæ.

Sequitur 1378. Christum ut hominem reduplicative non esse caput Ecclesiæ.

1378. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod convenit Christo ut homini reduplicative, convenit omni homini : Sed esse caput Ecclesiæ non convenit omni homini : Ergo esse caput Ecclesiæ non convenit Christo ut homini reduplicative. *Major est certa :* quia hæc est natura propositionis reduplicativæ, quod prædicatum illius convenit omnibus, quibus convenit significatum termini reduplicati. *Minor patet ex dictis.*

Sequitur 1379. Christum ut hominem specificative esse caput Ecclesiæ.

1379. — Ibidem.

Probatur sequela. Subsistens in natura humana, etiam si subsistat in in divina et aliquid ei conveniat ut subsistit in utraque, vel saltem ut subsistit supposito divino est homo specificative. Atqui, ex dictis, esse caput Ecclesiæ convenit Christo ut supposito divino subsistenti in natura humana : Ergo esse caput Ecclesiæ convenit Christo ut homini specificative.

Sequitur 1380. Christum esse caput omnium hominum.

1380. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Eo modo, quo Christus est caput totius Ecclesiæ, et quo homines pertinent ad Ecclesiam, Christus est caput omnium hominum : Sed Christus est caput totius Ecclesiæ absolute ac simpliciter, ex dictis : omnes autem homines pertinent, vel pertinuerunt ad Ecclesiam actu vel potentia : Ergo eodem modo Christus est caput omnium hominum.

Sequitur 1381. Christum esse actu caput omnium hominum, in quos aliquid de facto vel influit nunc, vel aliquando influxit, secundum hunc statum.

1381. — Ibidem.

Probatur sequela. Christus est caput omnium, respectu quorum habet totum, quod ad rationem capitis exigitur : Sed respectu omnium, in quos influit vel influxit, habet vel habuit omnes conditiones capitis : habet enim semper majorem propinquitatem ad Deum, cumulum omnium perfectionum, et influxum aliquem, ut patet : Ergo respectu horum omnium secundum illum statum habet vel habuit rationem capitis.

Sequitur 1382. Christum esse actu caput eorum, in quos actu aliquid influit.

1382. — Ibidem.

Probatur sequela. Respectu omnium illorum, respectu quorum Christus habet actu conditiones capitis, Christus est actu caput, ut patet ex di-

ctis : Sed respectu omnium, in quos actu influit, habet omnes conditiones capitis : propinquior est enim Deo actu, et actu habet omnia dona, et actu influit : Ergo respectu omnium illorum, in quos actu influit, est actu caput.

Sequitur 1383. Respectu illorum, in quos nihil actu Christus influit, Christum esse caput in potentia, si possit aliquando in illos influere.

Probatur sequela. Eo modo est Christus caput aliquorum, quo in illos influit : Sed respectu illorum, in quos nihil influit, potest tamen influere, non influit nisi in potentia: Ergo respectu illorum est tantum caput in potentia.

Sequitur 1384. Respectu illorum, in quos nihil potest influere, Christum non esse caput etiam in potentia.

1384. — Ibidem.

Probatur sequela. Eo modo Christus est caput, quo influit : quia, ut diximus, cæteræ conditiones capitis nunquam illi desunt : Sed respectu illorum, in quos nihil potest influere, neque actu neque potentia influit : Ergo respectu illorum non est caput etiam in potentia.

Sequitur 1385. Illud, cujus influxu Christus habet rationem capitis, debere esse gratiam aliquam.

1385. — Ibid. a. 5.

Probatur sequela. Illud, ratione cujus Christus habet rationem capitis, est illud, quod derivatur ex ipsa ratione secundum quam Christus constituitur caput : Sed constituitur caput per gratiam, a qua non derivatur nisi gratia aliqua : Ergo illud, cujus influxu Christus habet rationem capitis non est nisi gratia aliqua. *Major patet*, quia influxus præcipuus, ratione cujus est caput, est per meritum : Sed per meritum a Christo non derivatur nisi gratia aliqua : Ergo illud, ratione cujus Christus habet rationem capitis est gratia aliqua. Hinc etiam *patet minor*, quia Christus per meritum non influit nisi gratiam aliquam.

Sequitur 1386. Christum primario et principaliter atque absolute esse caput omnium prædestinatorum et electorum.

1386. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia in illos primario, principaliter et absolute influit gratiam et gloriam.

Sequitur 1387. Christum esse caput omnium justorum et fidelium.

1387. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia in illos influit gratiam et fidem.

Sequitur 1388. Christum esse caput omnium illorum, in quos influit aliqua auxilia gratiæ.

1388. — Ibidem.

Patet sequela. Quia in illos etiam influit.

Sequitur 1389. Etiam respectu peccatorum fidelium, Catechumenorum, Schismaticorum et Excommunicatorum Christum esse caput.

1389. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia in illos influit saltem fidem.

Sequitur 1390. Respectu angelorum Christum etiam esse caput.

1390. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Quia in illos influit aliquid.

Sequitur 1391. Christum non esse caput angelorum secundum gratiam habitualem, vel actualem, qua consecuti sunt gloriam, neque secundum gloriam essentialem.

1391. — In 3. dist. 14. q. 2. a. 2. q. 1. De verit. q. 29. a. 4. ad 5. et a 7. ad 5.

Probatur sequela. Secundum illam rationem, quam non influit, Christus non est caput : Sed Christus non influit in angelos gratiam sanctificantem vel actualem, qua consecuti sunt gloriam essentialem, nec ipsam glo-

riam essentialem : Ergo Christus secundum illa non est caput angelorum. *Minor probatur ex dictis supra :* Angeli non sunt capaces gratiæ redemptivæ : Sed omnis gratia quam Christus suis meritis influit est gratia redemptiva sive Redemptoris : Ergo Christus non influit in angelos gratiam vel gloriam essentialem. *Minor patet* : Talis est gratia Christi, qualis est ipse Christus, et ipsa ejus Incarnatio : Sed Christus est Redemptor, et ipsa ejus Incarnatio est a Deo decreta in redemptionem, ita ut qui non fuerunt redempti, non sint per merita Christi consecuti gratiam : Ergo omnis gratia ex Christi meritis est gratia Redemptionis. Hinc etiam *patet major :* quia angeli non fuerunt redempti a Christo.

Dices : fuisse redemptos a Christo præservative, quatenus ex meritis Christi fuit illis collata gratia, qua præservati sunt, ne inciderent in peccatum.

Sed contra, quia ubi nullum est peccatum, nec ullum debitum incidendi in peccatum, non potest esse redemptio etiam præservativa : Sed in angelis nullum fuit peccatum, nec ullum debitum incidendi in peccatum : Ergo in illis nulla potuit esse redemptio præservativa.

Dices : non fuisse in angelis debitum incidendi in peccatum ex origine, quale debitum potest reperiri in hominibus, sed fuisse debitum ex ipsa natura, ex qua non erant impeccabiles : et hoc sufficit, ut dicantur redempti redemptione præservativa.

Sed contrà : quia si hoc debitum sufficeret, sequeretur Verbum divinum incarnandum, etiam si Adam de facto non peccasset : quia sufficeret, quod potuisset peccare : Sed consequens est falsum, ut supra probatum est : Ergo et antecedens. *Sequela majoris probatur,* quia, cum Deus prævidit angelos et homines esse peccabiles, vel voluit Verbum suum incarnari, ne de facto peccarent, vel noluit, nisi postquam prævidit ipsos de facto peccaturos ; si primum dixeris, sequitur manifeste Incarnationem non esse decretam in remedium peccati, et in ejus satisfactionem ; pro peccato enim possibili non decernitur remedium vel satisfactio ; si secundum asseueris, sequitur, Christum non venisse, nec Verbum divinum incarnatum esse, nisi in remedium peccati actu commissi vel contracti : Sed hoc dici nequit de angelis, quibus post commissum peccatum, nullum est remedium : Ergo Christus non venit propter illos.

Nec valet si dicas, etiam respectu hominum Christum fuisse in genere causæ finalis prius decretum et prædestinatum, quam prævideretur ipsorum peccatum.

Non valet, inquam, quia etiamsi in genere causæ finalis prius Christus sit prædestinatus, quam sit prævisum peccatum ; in genere tamen causæ materialis et occasionalis peccatum prius fuit prævisum et permissum, quam Christus fuerit prædestinatus, ut superius explicatum est.

Sequitur 1392. Christum esse caput angelorum quoad gloriam accidentalem.

1392. — Ibidem.

Probatur sequela. Christus est caput angelorum quoad plures illuminationes, et ministeria, quæ præstant respectu electorum et fidelium, ut est indubitatum : Sed hæc omnia spectant ad gloriam accidentalem angelorum : nam et illuminari a Christo Deo et Homine, et applicari ab ipso ad diversa ministeria gloriosum illis est, et auget gaudium eorum accidentale, maxime cum ex Christi meritis multi fideles salventur, qui angelorum apostatarum ruinas reparant, et alia multa in honorem angelorum agunt : Ergo, etc.

Sequitur 1393. Christum non esse caput dæmonum aut damnatorum prout sunt in tali statu.

1393. — 3. p. q. 8. a. 3.

Probatur sequela. Quia nullam gra-

tiam in illos influit, vel influere potest ex suis meritis prout sunt in hujusmodi statu obstinationis. Nec valet, quod in illos influat ut judex puniens illos : hic enim effectus, cum non spectet ad gratiam, non pertinet ad rationem capitis proprie.

Sequitur 1394. Christum esse caput omnium in Purgatorio existentium.

1394. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia in illos influit conservando gratiam, et alleviando pœnas illorum, et secundum nonnullos influit etiam aliquando aliquas gratias actuales, quibus operantur, et aliquas consolationes secundum quod illas in via promeriti sunt ex meritis Christi.

Sequitur 1395. Christum esse in potentia caput infidelium.

1395. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia potest in illos influere.

Sequitur 1396. Christum non esse caput rerum omnium secundum esse naturale, aut secundum dona naturalia.

1396. — Ibidem.

Probatur sequela. Influxus, ratione cujus Christus dicitur caput, est influxus gratiæ, ex dictis : Sed in res, secundum esse naturale Christus non habet influxum gratiæ, ut est evidens: Ergo secundum esse naturale Christus non est caput omnium rerum.

Sequitur 1397. Christum esse caput hominum secundum esse naturale ut ordinatur ad gloriam.

1397. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia aliquid influit secundum hoc, quod ad gratiam pertineat saltem extrinsece.

Sequitur 1398. Christum esse caput omnium rerum secundum quod illæ ad salutem hominum ordinantur.

Probatur sequela. Quia secundum hanc rationem pertinent ad ordinem gratiæ, sunt effectus nostræ prædestinationis ex meritis Christi :

Sequitur 1399. Christum secundum corpus, non excludendo tamen animam et suppositum divinum, esse caput hominum.

1399. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Quia secundum illud, secundum quod influit Christus, est caput : Sed influit etiam ratione corporis : meruit enim per passionem corporalem, et illius passio corporalis fuit instrumentum nostræ salutis : Ergo, etc.

Sequitur 1400. Christum esse caput hominum etiam quantum ad corpora.

1400. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia multa influit ad ordinem supernaturalem spectantia in ipsa corpora sanctorum, tum quando miracula fiunt per eorum corpora, tum etiam quando in resurrectione corpora etiam gloriam consequentur.

Sequitur 1401. Esse caput Ecclesiæ quoad interiorem gratiæ influxum ita esse proprium Christo, ut nulli alteri competat.

1401. — Ibid a. 6.

Probatur sequela. Mereri aliis gratiam de condigno est proprium Christo, ut constat ex dictis supra : Sed in hoc præcipue consistit ratio capitis, quantum ad interiorem gratiæ influxum, quod Christus meruit hominibus gratiam de condigno : Ergo, etc. Adde quod etsi aliqui sancti aliis meruerint gratiam de congruo, non tamen universaliter omnibus. Denique dato et non concesso, quod aliqui sancti fuerint elevati ad hoc, ut tanquam instrumenta physica concurrerent ad aliorum gratiam extra sacramenta, nihilominus non fuerunt elevati, ut essent instrumenta physica conjuncta Divinitati, neque in ordine ad omnem omnino gratiam.

Sequitur 1402. Esse caput Ecclesiæ quoad externam directionem non esse proprium Christo, sed competere aliis sub Christo.

1402. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia, ut alias ostendemus, Christo in cælum ascendente, ibique manente necessarium est, ut aliqui sint rectores Ecclesiæ ac præsides.

Sequitur 1403. Gratiam, secundum quam Christus est caput Ecclesiæ, esse realiter eamdem cum gratia, quæ competit ipsi, ut est homo singularis.

1403. — Ibid. a. 5.

Probatur sequela. Gratia, qua Christus meretur sibi et aliis, est eadem realiter cum ea, quæ competit ipsi ut est singularis homo : Sed gratia, qua Christus est caput Ecclesiæ est gratia, qua meretur aliis, ut patet ex dictis : Ergo gratia, qua Christus est caput Ecclesiæ est eadem cum ea, quæ competit ipsi ut est homo singularis.

Sequitur 1404. Gratiam, secundum quam Christus est caput Ecclesiæ differre ratione et connotato a gratia, quæ competit ipsi, ut homini singulari.

1404. — Ibidem.

Probatur sequela. Gratia, quæ connotat unionem naturæ, in qua est, cum persona divina, differt ratione et connotato a gratia, quæ præcise competit Christo ut est homo singularis : Sed gratia, qua constituitur Christus ut caput Ecclesiæ, est gratia connotans unionem naturæ, in qua est, cum persona divina : Ergo gratia, qua Christus est caput Ecclesiæ, differt ratione et connotato a gratia, quæ competit ipsi ut est homo singularis. *Minor probatur ex dictis :* Gratia, qua Christus meretur aliis de condigno omnes omnino gratias et auxilia, est gratia connotans unionem naturæ, in qua est, cum persona divina : quia, ut diximus supra, sine hujusmodi unione non posset mereri aliis de condigno gratias etc. Sed gratia, qua Christus constituitur caput Ecclesiæ, est qua meretur aliis de condigno gratias omnes et auxilia : Ergo gratia, qua Christus constituitur caput Ecclesiæ, connotat unionem naturæ, in qua est gratia, cum persona divina.

Sequitur 1405. Esse caput omnium hominum per interiorem influxum immutando voluntatem ita esse proprium Christo, ut Deus est principaliter, et ut est homo subsistens in persona divina, meritorie, ut nulli omnino creaturæ competat ratio capitis respectu aliorum.

1405. — Ibid. a 7.

Probatur sequela. Ex his, quæ supra diximus, quia nulla creatura potest per interiorem influxum immutare hominis voluntatem movendo illam physice et inclinando ad aliquem actum : nulla etiam pura creatura potest alteri mereri de condigno gratiam, qua ejus voluntas moveatur physice et inclinetur hoc pacto.

Sequitur 1406. Diabolum non esse caput omnium malorum per interiorem influxum immutando voluntatem, sed tantum per internam suggestionem immutando imaginationem, vel per externam tentationem proponendo objecta peccatorum.

1406. — Ibid. a 7.

Probatur sequela. Nulla creatura potest immutare voluntatem hominis, ut diximus : Sed diabolus est creatura : Ergo non potest physice immutare voluntatem hominum ; potest tamen immutare phantasiam, ut patet ex dictis. Quia tamen homo in statu innocentiæ erat optime ordinatus in Deum, quamvis absoluto dæmon haberet potentiam immutandi phantasiam, Deo tamen tunc prohibente, non poterat id præstare : Sed, postquam homo peccavit per suggestionem externam dæmonis, incidit in

captivitatem dæmonis, qui jam potest ipsum etiam interius per phantasiæ et humorum immutationem tentare, et majorem habet potestatem etiam exterius tentandi, et nocendi homini in se vel in rebus ad ipsum pertinentibus. Dicitur ergo diabolus caput malorum, quia illis suggerit mala, et quia ipse est primus, qui peccavit.

Sequitur 1407. Multo minus Anti-Christum dici posse caput omnium malorum ratione influxus interni, sed solum ratione completæ malitiæ.

1407. — Ibid. a. 8.

Probatur sequela. Nulla creatura habere potest influxum internum in voluntatem : Sed Antichristus erit creatura : Ergo, etc. Potest tamen dici caput, quia erit omnium hominum nequissimus.

Sectio 2ª — De Scientia Christi.

Sequitur 1408. In Christo esse intellectum.

1408. — 3. p. q. 9. a. 1.

Probatur sequela. Ubi est natura intellectualis est intellectus : Sed in Christo est natura intellectualis : Ergo et intellectus.

Sequitur 1409. In Christo esse intellectum divinum et humanum.

1409. — Ibidem.

Probatur sequela. Ubi est natura intellectualis divina et humana, est etiam intellectus divinus et humanus : Sed in Christo est natura intellectualis divina et humana, ex dictis : Ergo et intellectus divinus et humanus. *Major patet,* quia intellectus imo et intelligere Dei est ipsius natura, ut supra ostendimus : et intellectus humanus est proprietas naturæ et animæ humanæ, ut diximus in primo principio. Nec vero poterat Deus assumere naturam humanam sua proprietate privatam; assumpsisset enim naturam imperfectam.

Sequitur 1410. In Christo fuisse et esse intellectionem etiam creatam.

1410. — Ibidem.

Probatur sequela. Ubi est intellectus creatus, debet esse intellectio creata; alias frustra esset potentia intellectiva; cum omnis potentia sit propter suum actum, ut dicemus in tertio principio : Sed in Christo fuit intellectus creatus : Ergo debuit in illo esse intellectio creata.

Sequitur 1411. Intellectum creatum et humanum Christi non potuisse elicere intellectionem increatam Dei.

1411. — Ibidem.

Probatur sequela. Omnis operatio vitalis et immanens elicitur a principio intrinseco proximo conjuncto radicali principio vitæ, et in eodem principio in esse naturali aliquo modo recipitur : Sed implicat intelligere divinum elici a principio aliquo creato proximo, id est, ab aliqua potentia creata conjuncta ipsi animæ tanquam radicali principio vitæ, et in eadem potentia recipi in esse naturali : Ergo, cum intellectus humanus Christi esset potentia aliqua creata, implicat intelligere Dei elici ab intellectu creato Christi.

Sequitur 1412. Intellectum creatum Christi non potuisse intelligere per intellectionem increatam Dei.

1412. — 3. p. q. 15. a. 5.

Probatur sequela. Nullus intellectus potest intelligere, nisi per intellectionem vel sibi identificatam, vel a se elicitam vitaliter et in se receptam : Sed nullus intellectus creatus potest sibi identificare intellectionem increatam Dei ut est evidens, nec ullus etiam intellectus creatus potest elicere vitaliter aut in se recipere intellectionem increatam, ex dictis : Ergo nullus intellectus creatus, atque adeo nec intellectus humanus Christi

potest intelligere per intellectionem increatam Dei.

Sequitur 1413. In intellectu humano Christi, nullum potuisse esse judicium falsum incertum, aut inevidens.

1413. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod repugnat supposito divino ut subsistenti in natura humana, et fini Incarnationis, non potest esse in Christo, ut patet : Atqui omne judicium falsum, incertum et inevidens repugnat supposito divino subsistenti in natura humana, et fini Incarnationis : Ergo omne judicium falsum, incertum et inevidens repugnat Christo. *Minor probatur :* Repugnat Deo falli aut fallere, sive per seipsum sive per alium : quia est ipsa veritas : Sed suppositum divinum etiam subsistens in natura humana est Deus : Ergo supposito divino etiam subsistenti in natura humana repugnat falli, vel fallere, sive per se, sive per alium. Evidens autem est, quod Deus falleretur, aut saltem posset falli, si in natura humana subsistente per divinam personalitatem, esset aliquod judicium falsum, incertum aut inevidens. Cum enim operationes sint suppositorum, et Deus vere eliceret hoc judicium falsum, Deus falleretur, si Christus etiam secundum intellectum creatum eliceret judicium falsum : qui enim elicit judicium falsum, fallitur. Similiter qui potest elicere judicium incertum, potest falli ; sicut etiam, qui potest elicere judicium inevidens, nisi aliunde habeat certitudinem. Quod autem judicium falsum, incertum, inevidens repugnet fini Incarnationis patet ; quia finis Incarnationis est reparare hominem, ut supra ostendimus : Sed reparationi hominum repugnat, quod doctor et fundator Reipublicæ Christianæ ac reparator hominum fallatur, aut fallat : Ergo, etc.

Sequitur 1414. A fortiori repugnare Christo judicium practicum falsum.

1414. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia ultra repugnantiam jam allatam est alia, in quantum judicium practicum falsum involvit potentiam et causam proximam peccandi : Sed hæc, ut diximus supra, repugnat Christo. Ergo, etc.

Sequitur 1415. Christo Domino fuisse debitam omnem perfectionem scientiæ, quæ non repugnat supposito divino, vel fini Incarnationis.

1415. — 3. p. q. 9. a. 1.

Patet sequela ex dictis supra : Quia cui debetur omnis perfectio possibilis et non repugnans, debetur etiam omnis perfectio scientiæ, si sit naturæ intellectualis : Sed Christo Domino in natura humana subsistenti debebatur omnis perfectio modo superius explicato : Ergo et omnis perfectio scientiæ.

Sequitur 1416. In Christo Domino non potuisse esse ignorantiam privativam.

1416. — 3. p. q. 15. a. 3.

Probatur sequela. In quo est omnis perfectio scientiæ, nulla est ignorantia privativa ; cum hæc duo opponantur privative, atque adeo contradictorie : Sed in Christo Domino est omnis perfectio scientiæ : est enim in ipso quidquid est ei debitum : Ergo in Christo Domino nulla potuit esse ignorantia privativa, maxime cum hæc sit ut plurimum causa peccati, et effectus ejus.

Sequitur 1417. In anima Christi potuisse esse ignorantiam negativam, hoc est carentiam alicujus cognitionis non debitæ.

1417. — Ibidem.

Probatur sequela. Carentia cognitionis non debitæ est ignorantia negativa, quæ nullum importat deffe-

ctum, nisi illum, quem involvit necessario ratio naturæ creatæ, quæ utpote limitata non omnia comprehendit : Sed anima Christi habuit carentiam cognitionis non debitæ : Ergo habuit ignorantiam negativam. Hæc conclusio mox clarius elucescet.

Sequitur 1418. Animam Christi nullam in sensu aliquo interno aut externo falsitatem vel errorem habuisse.

1418. — Ex illis locis.

Probatur sequela. In nullo sensu interno vel externo potest esse falsitas vel error, nisi sit aliquis deffectus in intellectu : Sed in intellectu Christi Domini etiam creato, nullus fuit aut potuit esse deffectus, ex dictis : Ergo nec in sensu aliquo interno vel externo Christi potuit esse falsitas aut error. *Major patet ex dictis in primo principio* ; quia in sensu aliquo externo vel interno non potest esse falsitas aut error, nisi dupliciter ; *primo* occasionaliter, quatenus sensationes sunt ipsi intellectui occasio errandi ; *secundo* quatenus cogitativa imperfecte ratiocinando circa singularia decipitur, quod provenit ex eo, quod non participat lumen a ratione nisi mixtum multis erroribus, aut saltem potens falli : Atqui neutrum horum potuit esse in Christo ; non primum, quia intellectus ipsius plenus scientia, nullam poterat ex sensibus sumere occasionem errandi ; non etiam secundum, quia cogitativa ipsius vim rationis illustratæ tot luminibus perfectissimo modo participabat : Ergo, etc. Adde perfectissimum temperamentum, quod multum facit ad sensuum operationes. Non quod velimus recurrere ad miracula superflua, quasi sensus Christi Domini ita divinitus confortati sint, ut semper objecta attingerent, ut erant in seipsis ; alias oporteret dicere, quod semper vidisset Solem, Lunam, planetas et stellas omnes secundum naturalem ipsorum astrorum magnitudinem, quod nunquam vidisset Iridem, et in quacumque distantia videret objecta, prout erant ; quæ omnia falsa omnino sunt ; quia visus quantumcumque acutus non potest in summa distantia percipere objecta : hoc enim non tam pertinet ad perfectionem potentiarum, quam objectorum, ut possint in tanta distantia immittere species.

Dicendum etiam de somniis, quod, si quæ haberet dormiendo, de quo merito nonnulli dubitant, nunquam tamen decipiebatur, quia ratio semper vigilabat, tum ratione visionis beatificæ, tum ratione scientiæ infusæ.

Sequitur 1419. Christum habuisse scientiam sive visionem beatificam.

1419. — 3. p. q. 7. a. 1.

Probatur sequela. Qui ceteros debebat adducere ad visionem beatificam, debuit illam habere, præsertim cum debita ei esset omnis perfectio non repugnans dignitati suppositi et fini Incarnationis : Sed Christus Dominus ceteros homines debebat adducere ad visionem beatificam ; ad hoc enim venit in mundum, ut vitam æternam haberent : Ergo et ipse illam habuit. *Major probatur,* quia quod est in potentia non reducitur ad actum, nisi per id, quod est in actu. Hæc ratio D. Thomæ est tantum convenientia : quia enim in rebus physicis omne, quod est in potentia, reducitur ad actum per aliquid, quod est in eodem actu vel formaliter vel eminenter, recte S. Th. hoc principium transtulit ad Christum, qui debebat esse principium morale beatitudinis omnium hominum per meritum, et per modum instrumenti physici.

Sequitur 1420. Christum habuisse scientiam beatam a principio conceptionis suæ.

1420. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod convenit Christo propter dignitatem suppositi

divini, convenit ipsi a principio conceptionis, nisi obstet fini Incarnationis : Sed scientia beata convenit Christo ratione dignitatis suppositi divini, nec obstat fini Incarnationis, ut postea dicemus : Ergo scientia beata convenit illi a principio conceptionis

Sequitur 1421. Christi animam per hanc scientiam beatam non comprehendisse essentiam divinam.

1421. — 3. p. q. 10. a. 1.

Probatur sequela. Quia, ut diximus supra, impossibile est cuicumque intellectui creato, quocumque tandem lumine gloriæ perfusus sit, comprehendere essentiam divinam : Sed intellectus animæ Christi fuit creatus : Ergo, etc.

Sequitur 1422. Intellectum animæ Christi non vidisse omnia possibilia in Verbo.

1422. — Ibid. a 2.

Probatur sequela. Qui non potest comprehendere essentiam divinam, non potest videre in Verbo omnia possibilia : Sed humanus Christi intellectus non potest comprehendere essentiam divinam : Ergo nec cognoscere in Verbo omnia possibilia. *Major supra probata est*, cum de visione Dei ageremus. *Minor est certa ex dictis.*

Sequitur 1423. Christi humanum intellectum vidisse omnia in Verbo, quæ Deus cognoscit scientia visionis.

1423. — Ibidem.

Probatur sequela. Quilibet beatus cognoscit in Verbo omnia, quæ ad ejus statum et dignitatem et officium spectant : Sed ad dignitatem, statum et officium Christi ut judicis ac redemptoris spectant omnia, quæ sunt, fuerunt, vel erunt, et quæ Deus novit scientia visionis : Ergo Christus hæc omnia cognoscit in Verbo.

Sequitur 1424. Christi intellectum humanum cognoscere in Verbo omnia, quæ sunt in potentia creaturarum existentium in universo.

1424. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui cognoscit comprehensive res aliquas, cognoscit omnia, quæ illæ possunt, ut constat ex dictis : Sed humanus Christi intellectus comprehensive cognoscit in Verbo res omnes, quæ in universo existunt : Ergo cognoscit etiam in Verbo quæcumque sunt in potentia hujusmodi rerum : Sed hæc, quæ cognoscit, ut in potentia, dicitur cognoscere quadam veluti scientia simplicis intelligentiæ ; quæ autem cognoscit ut existentia, cognoscere dicitur, quadam veluti scientia visionis.

Sequitur 1425. Intellectum humanum Christi nosse etiam scientia visionis infinita, si loquamur tam de substantiis, quam de accidentibus.

1425. — Ibid. a 3.

Probatur sequela. Qui novit omnia, quæ sunt in potentia creaturarum existentium novit etiam infinita : Sed intellectus humanus Christi in Verbo novit omnia, quæ sunt in potentia omnium creaturarum existentium, cogitationes, affectus, quos per totam æternitatem elicient : Ergo etiam scientia visionis cognoscit infinita, loquendo tam de substantiis, quam de accidentibus.

Sequitur 1426. Loquendo de substantiis, humanum Christi intellectum non nosse infinita scientia visionis, bene tamen scientia simplicis intelligentiæ.

1426. — De Thom. de verit. q. 20. a. 4. ad 10. et 14.

Probatur sequela. Quia substantiæ de facto productæ et existentes, licet sint in maxima multitudine, non sunt tamen infinitæ; potest enim assignari prima et ultima : Sed substantiæ, quæ sunt in potentia earum, quæ de facto existunt in universo, sunt infi-

nitæ in potentia, ut constat. Nec tamen scientia Christi dicenda est infinita, quia infinitas vel perfectio scientiæ non petitur per se ex multitudine scitorum, sed ex efficacia cognitionis et luminis, quod in intellectu Christi humano semper est finitum.

Sequitur 1427. Intellectum humanum Christi videre essentiam divinam clarius, quam videat quælibet alia creatura.

1427. — D. Thom. 3. p. q. 10. a. 4.

Probatur sequela. Qui clarius et perfectius lumen gloriæ recipit, etiam clarius et perfectius videt essentiam divinam : Sed intellectus Christi clarius et perfectius lumen gloriæ recipit : Ergo, etc. *Major patet ex dictis supra*, cum de visione beatifica actum est. *Minor probatur :* Intellectus propinquior Verbo, clarius et perfectius lumen recipit ; ex propinquitate enim ad principium lucis major recipitur participatio luminis : Sed intellectus Christi humanus est propinquior Verbo, quia est illi unitus hypostatice, et quia ejus anima multo majorem et perfectiorem habet gratiam : Ergo, etc.

Sequitur 1428. In intellectu Christi humano esse scientiam inditam vel per se infusam.

1428. — 3. p. q. 9. a. 7.

Probatur sequela. In intellectu perfecto omni perfectione, tam naturali quam supernaturali possibili de via ordinaria, debet esse scientia per se infusa : cum illa etiam in aliis beatis reperiatur : Sed intellectus humanus Christi est perfectus omni perfectione tam naturali, quam supernaturali possibili de via ordinaria, ut ex dictis constat : Ergo in intellectu Christi humano debet esse scientia per se infusa ; quæ recte vocatur indita, hoc est, intus data, quia a principio conceptionis Christi fuit illi infusa. Male ergo repræhenditur D. Thom. quasi minus latine locutus utendo illo termino, *Indita ;* cum etiam auctores purioris latinitatis illo utantur, ut significent aliquid positum intra.

Quod vero D. Thomas recurrat ad species, ut probet dari scientiam hanc infusam, ideo est, quia habitus scientiæ est ordinativus specierum ; et hujusmodi species repræsentantes mysteria supernaturalia, quæ per scientiam infusam cognoscuntur, debent etiam esse per se infusæ.

Sequitur 1429. Hanc scientiam per se infusam esse distinctam a scientia Beatorum.

1429. — Ibidem.

Probatur sequela. Scientia habens objectum primarium et per se specificativum distinctum ab objecto alterius, est etiam distincta ab altera : Sed hæc scientia infusa habet objectum primarium et per se specificativum distinctum : Ergo est etiam distincta a scientia beatorum. *Major probata est in primo principio,* et amplius constabit ex dicendis in tertio. *Minor probatur ex dictis :* quia objectum primarium et per se specificativum scientiæ beatorum est ipsa essentia divina, ut per seipsam cognoscibilis ; Objectum autem hujus scientiæ infusæ non potest esse ipsa essentia divina ut per seipsam cognoscibilis ; quia hæc est per species creatas, licet infusas.

Sequitur 1430. Hanc scientiam per se infusam esse omnino supernaturalem,

1430. — Ibidem.

Probatur sequela. Omnis habitus per se infusus est supernaturalis : Sed hæc scientia per se infusa est habitus per se infusus, ut patet : Ergo hæc scientia per se infusa est supernaturalis.

Sequitur 1431. Hanc scientiam per se infusam esse distinctam ab omnibus scientiis acquisitis.

1431. — Ibid. a. 11.

Probatur sequela. Scientia omnino

ac perfecte supernaturalis distinguitur ab habitibus acquisitis : Sed hæc scientia per se infusa est omnino et perfecte supernaturalis : Ergo hæc scientia per se infusa distinguitur a scientiis acquisitis.

Sequitur 1432. Hanc scientiam per se infusam esse distinctam a donis Spiritus sancti, quæ vocantur sapientia, scientia, et consilium.

1432. — 3. p. q. 11. a. 1.

Probatur sequela. Scientia, quæ habet distinctam rationem formalem *sub qua*, etiam est distincta ab aliis non habentibus eamdem rationem : Sed scientia per se infusa habet distinctam rationem *sub qua* a donis sapientiæ et scientiæ : hæc enim dona respiciunt sua objecta, ut ex motione Dei per gratiam inhabitantis cognoscibilia ; scientia autem infusa non respicit illa sub hac ratione, ut statim constabit : Ergo hæc scientia est distincta a donis sapientiæ et scientiæ et consilii.

Sequitur 1433. Hanc scientiam per se infusam distingui a Theologia nostra.

1433. — 3. p. q. 9. a. 3. et 4.

Probatur sequela. Scientia distincta ab omnibus scientiis acquisitis est distincta a Theologia nostra ; cum hæc sit acquisita : Sed, ex dictis, hæc scientia per se infusa est distincta ab omnibus acquisitis : Ergo et a Theologia nostra.

Sequitur 1434. Rationem formalem *quæ* hujus scientiæ esse ens supernaturale creatum per divinam revelationem cognoscibile.

1434. — 3. p. q. 9. a. 3.

Probatur sequela. Objectum sive ratio *quæ* hujus scientiæ est ens supernaturale, cum ipsa sit supernaturalis : Sed non potest esse ens increatum saltem quidditative cognitum, vel etiam ens supernaturale creatum sine ulla revelatione cognitum : Ergo est ens supernaturale creatum per divinam revelationem cognoscibile. *Minoris prima pars constat ex dictis supra :* quia ens supernaturale increatum non potest quidditative cognosci, nisi per ipsam essentiam divinam gerentem vices speciei, ut superius probatum est. *Secunda vero pars minoris etiam patet*, quia ens supernaturale quodcumque sit, non potest cognosci sine divina revelatione.

Sequitur 1435. Rationem formalem *sub qua* hujus scientiæ non posse esse divinam revelationem obscuram.

1435. — 3. p. q. 9. a. 3.

Probatur sequela. Divina revelatio obscura est ratio formalis *sub qua* ipsius fidei : Sed ratio formalis *sub qua* hujus scientiæ infusæ non potest esse ratio formalis *sub qua* ipsius fidei : Ergo ratio formalis *sub qua* hujus scientiæ infusæ non potest esse divina revelatio obscura. *Major probabitur infra*, et est certa apud omnes. *Minor probatur ex dictis :* Quia divina revelatio obscura repugnabat Christo ; unde non potuit habere fidem : habuit tamen hanc scientiam infusam.

Sequitur 1436. Rationem formalem *sub qua* hujus scientiæ non potuisse esse divinam revelationem claram et immediatam.

1436. — Ibidem.

Probatur sequela. Divina revelatio clara et immediata est ratio formalis *sub qua* luminis gloriæ, sive scientiæ beatorum : Sed hæc scientia infusa non erat lumen gloriæ, sive scientia beatorum, ut patet ex dictis : Ergo non potuit revelatio clara et immediata esse ratio formalis *sub qua* hujus scientiæ infusæ.

Sequitur 1437. Rationem formalem *sub qua* hujus scientiæ esse divinam revelationem claram et mediatam.

1437. — Ibidem.

Probatur sequela. Ratio formalis *sub qua* hujus scientiæ est divina revelatio : quia alias non posset attingere ens supernaturale : Sed non potest esse divina revelatio obscura, vel clara immediata, ex dictis ; Ergo debet esse divina revelatio clara mediata.

Nec dicas hanc etiam posse competere Theologiæ nostræ. Contra enim est, quod Theologia nostra potest quidem habere revelationem claram mediatam, sed illam per se non exigit : Scientia vero per se infusa illam per se exigit, et sine illa nullo modo esse potest ; unde et exigit species per se infusas, ac per hoc differt a Theologia nostra.

Sequitur 1438. Hanc scientiam infusam ita per se præsupponere lumen gloriæ sive scientiam beatificam, ut sine illa stare nequeat.

1438. — Ibidem.

Probatur sequela. Nulla scientia stare potest sine sua ratione formali *sub qua :* Atqui ratio formalis *sub qua* hujus scientiæ est divina revelatio clara, sed mediata, quæ esse non potest sine lumine gloriæ, sine quo non potest divina revelatio esse clara : Ergo hæc scientia infusa ita per se præsupponit lumen gloriæ, ut sine illo stare nequeat.

Sequitur 1439. Per hanc scientiam infusam Christum cognovisse omnia mysteria fidei creata, hoc est, gratiam, gloriam, et alia supernaturalia quæcumque possunt cognosci per species creatas.

1439. — 3. p. q. 11 a. 1.

Probatur sequela. Quidquid continetur intra objectum sive intra rationem *quæ* hujus scientiæ, cognoscitur a Christo per hanc scientiam infusam : Sed gratia, gloria, et alia supernaturalia continentur intra rationem *quæ* hujus scientiæ, ut patet ex dictis ; diximus enim rationem *quæ* illius, esse ens supernaturale creatum : Ergo per hanc scientiam hæc mysteria cognoscuntur a Christo.

Dices : hæc mysteria non posse cognosci clare extra visionem beatificam.

Sed contra primo : Esto non possint hæc mysteria clare cognosci quidditative extra visionem beatificam, nihil tamen prohibet, quin cognoscantur quantum ad an est : *Secundo ;* Verum quidem est, hæc mysteria non posse cognosci clare extra visionem beatificam hoc sensu, quia nimirum debet in eodem intellectu clare ac quidditative illa cognoscente præsupponi visio beatifica : Sed tamen supposita hac visione possunt hæc mysteria cognosci quidditative et clare per scientiam infusam ipsi conjunctam.

Dices : non posse cognosci gloriam quidditative, nisi ejus objectum, scilicet Deus, quidditative cognoscatur : Sed non potest Deus cognosci quidditative nisi formaliter per ipsum lumen gloriæ : Ergo non poterit cognosci gloria quidditative nisi per lumen gloriæ : *Sed contra* : Quia non est necessarium quod per eamdem scientiam, per quam quidditative cognoscitur gloria, cognoscatur quidditative ejus objectum, sed sufficit, quod per eumdem intellectum, per quem quidditative cognoscitur gloria, cognoscatur etiam quidditative Deus, quamvis cognoscatur per aliam scientiam superiorem, a qua scientia quidditativa gratiæ essentialiter pendet : sicut scientia subalternata non potest quidditative et clare a priori cognoscere principia sua, nisi sit conjuncta scientiæ subalternanti, ex qua conjunctione fit, ut possit idem intellectus cognoscere quidditative et clare illa principia.

Sequitur 1440. Per hanc scientiam infusam Christum nosse cogitationes cordium, et futura contingentia etiam libera.

1440. — Ibidem.

Probatur sequela. Per hanc scientiam Christus cognoscit, quidquid ad suum Redemptoris, ac Judicis, imo et Regis ac Legislatoris officium spectat, ut supra ostensum est : Sed cogitationes cordium et futura contingentia spectant ad officium Christi etc. Ergo Christus per hanc scientiam ista cognovit. *Major jam probata est,* si addamus scientiam beatificam non fuisse directivam actionum Christi, saltem quamdiu fuit viator : cum scientia beatifica non possit esse directiva actionum meritoriarum, ut etiam infra ostendemus. *Minor vero est evidens :* quia Christus etiam dum nobiscum ageret cognoscebat cogitationes cordium, et futura contingentia, quia hoc ad officium ipsius spectabat.

Sequitur 1441. Per hanc scientiam infusam, Christum non cognovisse quidditative divinam essentiam, mysterium Trinitatis, Incarnationem, et cætera mysteria, quæ non possunt cognosci per species creatas.

1441. — Ibidem.

Probatur sequela. Divina essentia, mysterium Trinitatis etc. non sunt quidditative cognoscibilia nisi per ipsam essentiam divinam gerentem vices speciei impressæ, ut dictum est : Ergo, etc.

Sequitur 1442. Per hanc scientiam non potuisse Christum nosse hæc, scilicet essentiam divinam etc. quidditative abstractive.

1442. — Ibidem.

Probatur sequela. Omnis cognitio quidditativa Dei est intuitiva, et nulla omnino potest esse abstractiva; quia de quidditate Dei est existentia, ut alias ostendimus : Sed per hanc scientiam Christus non potuit cognoscere Deum intuitive, ut dictum est : Ergo nec quidditative abstractive.

Sequitur 1443. Per hanc scientiam potuisse Christum cognoscere clare Deum quantum ad an est, imo et decreta quædam ejus libera, sicut et auxilia efficacia gratiæ, quæ sunt effectus decretorum Dei.

1443. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia poterat Christus per hanc scientiam cognoscere clare Deum evidentia in attestante, quantum ad an est; cum hoc etiam angeli possint, beata Virgo, et alii Sancti, qui habuerunt evidentiam in attestante, ut alias explicabimus.

Sequitur 1444. Christum Dominum per hanc scientiam infusam non cognoscere intuitive futura contingentia.

1444. — Ibidem.

Probatur sequela. Contingentia ut futura non possunt intuitive cognosci nisi ut sunt realiter præsentia æternitati, ut ostendimus : Sed per hanc scientiam infusam Christus non potuit videre contingentia ut realiter præsentia æternitati : Ergo non potuit per hanc scientiam cognoscere intuitive contingentia ut futura. *Minor probatur.* In nulla duratione, quæ non sit æternitas, possunt cognosci contingentia ut præsentia realiter ipsi æternitati : Sed Christus Dominus per scientiam infusam cognoscebat in duratione, quæ non erat æternitas, ut est evidens : Ergo Christus Dominus per hanc scientiam non cognoscebat contingentia ut realiter præsentia æternitati.

Sequitur 1445. Christum Dominum per hanc scientiam infusam cognoscere contingentia ut futura, antequam revera sint præsentia in propriis durationibus.

1445. — Ibidem.

Probatur sequela, Qui cognoscit contingentia non intuitive nec tan-

quam realiter suæ cognitioni præsentia, cognoscit ea ut futura : Sed Christus Dominus per scientiam infusam cognoscit contingentia, non tamen intuitive nec tanquam præsentia realiter suæ cognitioni, ex dictis : Ergo Christus Dominus per hanc scientiam infusam cognoscit ea ut futura, antequam sint præsentia in propriis durationibus.

Sequitur 1446. Christum Dominum per hanc scientiam infusam, cognoscere contingentia ut futura, quatenus cognoscit decreta Dei libera circa illa quantum ad an est ex participatione scientiæ beatificæ, et ex revelatione extra illam visionem facta, et evidenti evidentia in attestante, et ex specie infusa repræsentante auxilium efficax creatum, ac demum ex specie repræsentante hujusmodi contingentia secundum suam quidditatem.

1446. — Ibidem.

Probatur sequela. Ex participatione scientiæ beatæ potest intellectus beati cognoscere extra Verbum, quod in Deo sit decretum liberum circa aliquid, quod nondum est præsens in sua propria duratione, quia per scientiam beatam videt in Deo illud decretum : potest etiam per revelationem evidentem evidentia in attestante cognosci decretum Dei liberum, etiam extra Verbum, ut patet in lumine prophetico, imo potest revelari eidem ratio, propter quam Deus sic decrevit et ordinavit; potest etiam dari species creata repræsentans auxilium efficax Dei; ac demum potest dari species repræsentans quidditatem rei futuræ etiam contingentis ; quomodo diximus in primo principio angelos cognoscere singularia contingentia, etiam quando non sunt : Sed per hæc omnia media possunt cognosci contingentia, ut certo futura : Ergo, cum Christus Dominus potuerit habere hæc omnia media, Christus per hanc scientiam infusam potuit hæc contingentia ut certo futura cognoscere. *Major quoad omnes partes patet ex dictis. Minor est evidens.* Qui enim certo et evidenter saltem evidentia in attestante cognoscit decretum Dei liberum circa aliquid, cognoscit certo illud esse futurum : Et qui cognoscit auxilium efficax, ut ponendum, cognoscit actum liberum ut ponendum : Christus autem Dominus extra visionem beatificam cognoscebat se per visionem illam cognoscere decreta Dei circa hæc et illa objecta, sicut Paulus recordabatur eorum, quæ in visione Dei viderat ; præterea Christus dirigebat intentionem suam ad merendum huic et illi homini, tali vel tali tempore, hoc et illud auxilium efficax.

Sequitur 1447. Christum Dominum per scientiam infusam cognovisse omnia creata, ut aliquo modo ordinata in bonum electorum, et in finem supernaturalem.

1447. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia necessarium erat, ut hæc cognosceret extra visionem beatificam, ut constat ex dictis.

Sequitur 1448. Christum Dominum potuisse uti hac scientia infusa non convertendo se ad phantasmata.

1448. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Anima independens a corpore, et habens species independentes sive non abstractas à phantasmatibus, potest intelligere non convertendo se ad phantasmata : Sed anima Christi, etiam quando erat viator, non dependebat a corpore ; quamvis enim illud informaret, ei tamen dominabatur, ut etiam postea ostendemus : habuit præterea species non abstractas a phantasmatibus, sed potius per se infusas et supernaturales quantum ad hanc scientiam infusam : Ergo potuit per hanc scientiam intelligere non convertendo se ad phantasmata; imo hoc per so

exigebat hæc scientia propter dominium, quod Christus habebat supra proprium corpus, et propter ipsas species. *Major patet :* quia tota ratio, propter quam anima debet necessario converti ad phantasmata, ut intelligat, est dependentia operationum animæ rationalis, ut est rationalis, ab operationibus sensuum, et dependentia specierum intelligibilium a phantasmatibus.

Sequitur 1449. Christum Dominum potuisse uti hac scientia infusa convertendo se ad phantasmata.

1449. — Ibidem.

Probatur sequela. Anima corpus informans potest operando per intellectum formare in phantasia species sensibiles, similes aliquo modo illis, per quas intelligit, et hoc est convertere se ad phantasmata, ut est evidens : Sed anima Christi erat eo modo in corpore, erat enim unita corpori, ut diximus : Ergo anima Christi potuit intelligere formando in ipsa imaginatione phantasmata aliquo modo similia his, quæ intelligebat ; atque adeo potuit se convertere ad phantasmata.

Sequitur 1450. Quod anima Christi non ratiocinabatur ad acquirendam, vel de novo extendendam hujusmodi scientiam infusam ad novas veluti conclusiones.

1450 — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Scientia per se infusa non acquiritur, neque per actus extenditur ad novas conclusiones ; alias non esset per se infusa, sed acquisita : Atqui hæc scientia in anima Christi fuit per se infusa, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 1451. Intellectum humanum Christi potuisse uti hac scientia infusa sine discursu vel ratiocinatione.

1451. — Ibidem.

Probatur sequela. Intellectus per species supernaturales et per scientiam supernaturalem cognoscens non indiget discursu : Sed intellectus Christi Domini, dum utebatur scientia infusa, intelligebat per species supernaturales, et per scientiam supernaturalem, ex dictis : Ergo non indigebat discursu. *Major probatur :* quia scientia superioris ordinis si sit perfecta, et per species superioris ordinis cognoscens, continet formaliter eminenter modum cognoscendi, qui potest esse in cognitione inferiori : In cognitione autem inferiori angelica, vel etiam humana, qua cognoscuntur principia, est modus cognoscendi sine discursu : Ergo et in scientia superiori potest esse.

Sequitur 1452. Intellectum humanum Christi Domini potuisse uti hac scientia infusa cum discursu.

1452. — Ibidem.

Probatur sequela. Intellectus habens scientiam aliquam potest ea uti modo sibi proprio : Sed modus proprius intellectus humani in Christo, sicut et in aliis hominibus, est intelligere discurrendo, ut alias ostensum est : Ergo potuit intellectus humanus Christi, uti hac scientia infusa discurrendo.

Sequitur 1453. Usum hujus scientiæ fuisse liberum Christo Domino.

1453. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui potest uno aut altero modo indifferenter uti aliqua re, habet illius usum liberum : Sed anima Christi uti poterat uno aut altero modo hac scientia, vel convertendo se ad phantasmata, vel non ; vel discurrendo, vel sine discursu : Ergo usus hujus scientiæ fuit Christo liber.

Sequitur 1454. Potuisse Christum uti hac scientia vel tota simul, intelligendo simul omnia ipsius objecta, vel non tota simul.

1454. — Ibidem.

Probatur sequela. Habitu, cujus

usus est liber, potest lumen intellectuale perfectum uti pro libito voluntatis : Sed usus hujus scientiæ est Christo liber ; et lumen intellectuale animæ Christi est perfectissimum, ex dictis : Ergo potuit Christus uti hac scientia vel secundum totam latitudinem, vel non secundum totam latitudinem objecti. *Major patet ex dictis* in primo principio, ubi ostendimus, quod angelus intelligens per speciem universalem potest illa uti vel adæquate, vel inadæquate, ob perfectionem luminis intellectualis, et libertatem voluntatis. Nec per hoc intelliguntur plura ut plura, quia plura, ut conveniunt in una ratione formali, jam non sunt plura.

Sequitur 1455. In usu hujus scientiæ esse potuisse discursum improprie dictum.

1455. — Ibidem.

Probatur sequela. Successio cognitionum est discursus improprie dictus : Sed in usu hujus scientiæ potuit esse successio cognitionum, ut constat ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 1456. Hanc scientiam infusam animæ Christi esse perfectiorem scientia angelorum in tribus, videlicet, quia per illam Christus cognovit plura, quam cognoscant angeli ; certius etiam cognovit, et quia causa, quæ infudit hanc scientiam, est quodammodo perfectior.

1456. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Angeli per scientiam naturalem non cognoscunt mysteria gratiæ, et per scientiam infusam non tot cognoscunt mysteria gratiæ, quot Christus cognoscit; certitudo etiam scientiæ Christi infusæ est multo major, quam sit certitudo scientiæ naturalis angelorum, quia scientia infusa nititur divina revelatione, certitudo autem cognitionis naturalis angelicæ nititur lumine naturali ; et certitudo scientiæ eorum infusæ non est ex tanto lumine, quantum est lumen supernaturale Christi ob dignitatem suppositi. Denique causa producens cognitionem naturalem in angelis est Deus ut auctor naturæ, cognitionem autem supernaturalem producit quidem Deus in illis ut auctor supernaturalis : Sed in anima Christi producit illam ut unitus hypostatice ; quæ ratio causæ excellentior est et perfectior. Ergo, etc.

Sequitur 1457. Hanc cognitionem sive scientiam infusam in Christo fuisse habitualem.

1457. — Ibidem.

Probatur sequela. Medium inter cognitionem in potentia, et cognitionem in actu, est cognitio habitualis : Sed cognitio hæc Christi fuit quid medium inter cognitionem in potentia et cognitionem in actu : Ergo fuit cognitio habitualis. *Major est evidens,* quia cognitio habitualis aliquid habet de potentia, in quantum non est omnino in actu ; et aliquid habet de actu, in quantum habitus aliquo modo actuat potentiam. *Minor probatur :* quia cognitio conformis subjecto, quod quandoque est in actu, et quandoque in potentia, debet esse connaturaliter medium inter potentiam et actum : Sed hæc cognitio Christi eo ipso, quod est in anima rationali, est quandoque in actu, et quandoque in potentia : hæc enim est cognitio sive modus cognoscendi connaturalis animæ rationalis : Ergo, etc.

Sequitur 1458. Hanc scientiam infusam secundum se esse unam specie atoma, atque adeo unam numero in Christi anima.

1458. — In 3. dist. 14. art. 3. q. 4.

Probatur sequela. Scientia, quæ habet unicam rationem formalem, *quæ* et *sub qua*, est una specie atoma secundum se, atque adeo est una numero in unico subjecto : Sed scientia hæc infusa habet unicam rationem formalem *quæ*, et *sub qua*, ex dictis :

Ergo secundum se est una specie atoma, et consequenter in anima Christi una numero : quia ut in primo principio demonstratum est, diversa ejusdem speciei accidentia non possunt esse in eodem subjecto.

Sequitur 1459. Hanc scientiam infusam, quoad species, non esse unam.

1459. — 3. p. q. 11. a. 6.

Probatur sequela. Scientia per plures species non est una quoad species : Sed hæc scientia infusa est per plures species, ex dictis supra : Ergo quoad species non est una. *Probatur minor* : quia licet hæc scientia infusa sit supernaturalis, est tamen in anima rationali aliquatenus modo connaturali, in quantum anima humana non est nata intelligere per species ita universales, sicut natura angelica. Hinc habes, quod, quando D. Thomas dicit hanc scientiam infusam non esse unam, sed in plures habitus distingui, loquitur de scientia infusa non secundum se, sed ratione specierum.

Sequitur 1460. Hanc scientiam infusam habere species infusas aliquo modo universales.

1460. — Ibidem.

Probatur sequela. Scientia ista est per se et ex natura sua simpliciter supernaturalis, atque adeo superioris ordinis ad omnes scientias naturales : Sed hoc ipso, quod est scientia supernaturalis debet habere species aliquo modo universales, quia istæ species supernaturales sunt exemplatæ ab ipsa essentia divina, quæ est species rerum omnium : Ergo quamvis non habeant tantam universalitatem, quantam habet ipsa essentia divina, imo nec quantam habent species angelicæ, quæ sunt proportionatæ intellectui angelorum, debent tamen habere aliquam universalitatem, ut correspondeant suo principio et exemplari, sed debent illam habere proportionatam intellectui humano. Quam proportionem statuit D. Thomas in hoc, quod quælibet repræsentet omnia individua unius speciei.

Sequitur 1461. In Christo etiam esse scientiam acquisitam.

1461. — 3. p. q. 9. a. 4.

Probatur sequela. Omnis perfectio humana non repugnans supposito divino, vel fini Incarnationis, fuit in Christo, ex dictis : Sed scientia acquisita est perfectio humana, non repugnans supposito divino, vel fini Incarnationis : Ergo scientia acquisita fuit in Christo. *Minor probatur :* Quia operatio intellectus agentis est perfectio humana : Sed scientia acquisita est operatio intellectus agentis, hoc sensu, quod per actionem intellectus agentis acquiritur, in quantum per illam, species acquiruntur, quas postea ordinat habitus : Ergo scientia acquisita est perfectio humana.

Sequitur 1462. In Christo hanc scientiam fuisse acquisitam per propriam ipsius inventionem.

1462. — Ibid. a 1.

Probatur sequela. In Christo non solum fuit omnis perfectio, sed nobilissimus modus habendi illam scientiam : Sed nobilissimus modus habendi scientiam acquisitam est per propriam inventionem : Ergo scientia acquisita fuit in Christo per propriam ejus inventionem.

Sequitur 1463. Christum per hanc scientiam acquisitam non cognovisse omnia, sed solum ea, quæ sunt cognoscibilia ex vi actionis intellectus agentis.

1463. — 3. p. q. 12. a. 1.

Probatur sequela. Scientia, quæ habetur per species ex vi intellectus agentis, non potest extendi, nisi ad ea, quorum species produci possunt ex actione intellectus agentis, ut ex terminis patet : Sed scientia Christi acquisita habebatur per species ex vi

intellectus agentis, ut constat ex dictis : Ergo scientia Christi acquisita non potuit extendi, nisi ad ea, quæ sunt cognoscibilia ex vi actionis intellectus agentis.

Sequitur 1464. Hanc scientiam brevi tempore fuisse a Christo acquisitam.

1464. — 3. p. q. 12. a. 1. ad 1. et 2.

Probatur sequela. Excellentissima vis intellectus agentis et rationis, adjuta pluribus auxiliis, potest brevi tempore acquirere omnem omnino scientiam acquisitam : Sed in Christo fuit excellentissima vis intellectus agentis, et rationis, et pluribus adjuta præsidiis, nimirum scientia infusa, et excellenti imaginatione etc. Ergo potuit acquirere, atque adeo acquisivit, brevi tempore omnem omnino scientiam acquisitam. *Major patet:* quia per intellectum agentem ex speciebus paucissimis possunt educi multæ species, quibus plurima cognoscantur, ut effectus per causas, causæ per effectus, similia per similia, contraria per contraria etc. et hujusmodi species per intellectum agentem elicitæ, brevi etiam tempore possunt ordinari ex vi luminis intellectus sive rationis, maxime vero quando ille idem intellectus aliunde omnia novit.

Sequitur 1465. Per hanc scientiam intellectum humanum Christi cognovisse effectus corporum cœlestium in hæc inferiora.

1465. — Ibid. ad 2.

Probatur sequela. Intellectus perspicacissimus ex paucis multa cognoscit, imo comprehendit : Sed intellectus Christi fuit perspicacissimus ; Ergo ex paucis multa cognovit ; imo viso effectu causam comprehendit, quia perfecte penetravit vim causæ : Vide viso cœlo, et aliquo effectu cognovit vim cœli etc.

Sequitur 1466. Per hanc scientiam acquisitam Christum non cognovisse essentiam substantiarum separatarum sicut nec singularia præterita, præsentia, vel futura, nec cogitationes cordium etc.

1466. — Ibidem.

Probatur sequela. Per hanc scientiam acquisitam Christi anima non cognovit, nisi ea, quæ ex vi intellectus agentis possunt sciri : Sed substantiæ separatæ, singularia sive præsentia, sive præterita, sive futura, et cogitationes cordium non possunt ex vi intellectus agentis sciri ; nam nullus est effectus sensibilis, ex quo possit innotescere essentia substantiarum separatarum ; singularia etiam sciri nequeunt, sicut nec cogitationes cordium ut alias diximus : Ergo per hanc scientiam acquisitam Christus hæc non cognovit.

Sequitur 1467. Christum Dominum non potuisse proficere secundum scientiam divinam, vel secundum scientiam creatam beatificam, vel secundum scientiam infusam, quoad habitus.

1467. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Scientia infinita non potest ullo modo augeri, sicut etiam non potest quis in ipsa beatitudine semel habita proficere, et qui scit omnia scientia visionis modo perfectissimo, non potest plura scire : Sed scientia divina Christi fuit simpliciter infinita ; scientia ipsius beata, est ejus beatitudo, scientia infusa attingit omnia cognoscibilia scientia visionis, et modo quodam perfectissimo, ut patet ex dictis supra : Ergo Christus secundum has tres scientias non potuit proficere.

Sequitur 1468. Christum quoad effectus, aliquem profectum fecisse in scientia infusa.

1468. — Ibidem.

Probatur sequela. Proficere quoad effectus nihil aliud est, quam plura vel majora et subtiliora aliis demon-

strare : Atqui hoc potuit Christus per scientiam infusam : Ergo, etc.

Sequitur 1469. Christum in scientia acquisita profecisse.

1469. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui suis actibus acquirit scientiam, paulatim proficit ; quia intellectus agens non totum simul operatur, sed successive ; cum dependeat a phantasmatibus : Sed, ex dictis, Christus suis actibus acquisivit scientiam aliquam : Ergo in illa profecit.

Sequitur 1470. Non decuisse, quod Christus ab homine ullo addisceret.

1470. — Ibid. a 3.

Probatur sequela. Christus fuit caput et Doctor omnium hominum : Sed non decet, quod caput et Doctor addiscat ab iis, quos debet docere : Ergo non decuit quod Christus addisceret ab homine.

Sequitur 1471. Christum non accepisse etiam scientiam ab angelis.

1471. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Scientia omnis perfectiori modo debet tribui Christo : Sed modus habendi scientiam infusam immediate a Deo absque ministerio angelorum est perfectior ; sicut etiam perfectior est modus habendi per actus proprios scientiam acquisitam ex vi luminis intellectus agentis, ut patet ex dictis : Ergo Christo debet tribui modus habendi scientiam infusam immediate a Deo, cui anima Christi propinquior est omnibus angelis ratione unionis hypostaticæ, et ipsi etiam debet tribui modus habendi scientiam acquisitam propriis actibus et vi luminis intellectus agentis.

Sectio 3ª — De potentia Christi.

Sequitur 1472. Christum secundum naturam divinam fuisse absolute ac simpliciter omnipotentem.

1472. — 3. p. q. 13. a. 1.

Probatur sequela. Deus absolute ac simpliciter est omnipotens, ut supra ostensum est : Sed, ex dictis, Christus est Deus : Ergo Christus absolute ac simpliciter est omnipotens.

Sequitur 1473. Christum secundum naturam humanam non esse simpliciter omnipotentem.

1473. — Ibidem.

Probatur sequela. Nulla persona secundum naturam finitam est simpliciter omnipotens : Sed Christus secundum naturam humanam est persona secundum naturam finitam : Ergo Christus secundum naturam humanam non est omnipotens.

Sequitur 1474. Animam Christi Domini non habuisse omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.

1474. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Habere omnipotentiam respectu immutationis creaturarum, nihil aliud est, quam supposita existentia illarum posse illas modis omnibus immutare, id est, transmutatione naturali, miraculosa, et reductiva in nihilum : Sed anima Christi non habuit omnipotentiam saltem ad immutationem reductivam in nihilum : sicut enim creare est proprium Dei, ex dictis supra, ita et annihilare : Ergo anima Christi non habuit omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.

Sequitur 1475. Animam Christi secundum propriam naturam et virtutem, sive naturalem, sive gratuitam, habuisse potentiam ad effectus animæ convenientes ex tali virtute.

1475. — Ibidem.

Probatur sequela. Habere potentiam idem prorsus est ac habere vir-

tutem : Sed anima Christi secundum propriam naturam habuit virtutem ad effectus animæ ut sic convenientes, puta ad gubernandum proprium corpus ; habuit etiam gratiæ et scientiæ plenitudinem, qua poterat illuminare omnes creaturas rationales ab ejus perfectione deficientes, hoc est, poterat mereri omnibus creaturis intellectualibus, vel ipsam gratiam, vel lumen aliquod supernaturale, prout est conveniens ipsis creaturis : Ergo, etc.

Sequitur 1476. Animam Christi ut instrumentum conjunctum Verbo Divino habuisse vim instrumentalem ad omnes immutationes miraculosas ordinabiles ad finem Incarnationis, qui est instaurare omnia, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.

1476. — Ibidem.

Probatur sequela. Quidquid ad dignitatem Redemptoris pertinet, debuit tribui animæ Christi ex vi unionis hypostaticæ, ad finem illum redimendi homines factæ, ut patet ex dictis supra : Sed vis instrumentalis ad omnes immutationes, quæ possunt ordinari in eum finem, pertinet ad dignitatem Redemptoris, ut ex terminis constat : Ergo hæc vis instrumentalis debet tribui animæ Christi.

Sequitur 1477. Hanc vim instrumentalem non esse potentiam obedientialem immediate activam respectu omnium effectuum supernaturalium, quam nonnulli constituunt etiam in omnibus rebus creatis.

1477. — Ibidem.

Probatur sequela. Quod est commune omnibus rebus creatis, non convenit Christo specialiter ex vi unionis hypostaticæ ; et e contra quod convenit Christo specialiter ratione unionis hypostaticæ, non est commune omnibus aliis rebus creatis : Sed potentia obedientialis immediate activa respectu effectuum supernaturalium est communis omnibus rebus creatis, ut volunt isti Auctores : Ergo illa potentia obedientialis immediate activa respectu effectuum supernaturalium non convenit specialiter Christo ratione unionis hypostaticæ : Cum ergo vis instrumentalis ad omnes immutationes miraculosas conveniat Christo specialiter ex vi unionis hypostaticæ, hæc vis non potest esse potentia illa obedientialis immediate activa etc. Adde quod non datur hujusmodi potentia obedientialis immediate activa, ut ostendemus in tertio Principio.

Sequitur 1478. Hanc vim instrumentalem ad immutationes miraculosas et supernaturales non esse aliquam qualitatem permanentem in Christi anima.

1478. — 2. 2. q. 178. a. 1.

Probatur sequela. Nulli instrumento potest dari virtus permanens ad attingendos omnes effectus causæ principalis, ut probabimus in tertio principio : Sed animæ et humanitati Christi datur ut instrumento vis illa instrumentalis : Ergo non potest esse virtus aliqua permanens.

Sequitur. 1479. Hanc vim instrumentalem convenire humanitati Christi habitualiter.

1479. — 3. p. q. 5. a. 7.

Probatur sequela. Hanc vim convenire humanitati Christi habitualiter, non est, illam esse aliquem habitum aut qualitatem permanentem ; hoc siquidem jam negavimus ; sed solum est, vim illam instrumentalem esse debitam veluti continuo et permanenter ipsi humanitati Christi : Atqui hoc verissimum est : Ergo, etc. *Explicatur :* Vis instrumentalis transiens dupliciter alicui potest competere ; *primo* ad unum aut alterum actum, vel ad aliquos actus per modum transeuntis ; quomodo virtus instrumentalis ad secandum artificiose competit securi, quamdiu movetur ab artifice ; *secundo* potest vis instru-

mentalis alicui competere, quatenus est quidem per modum transeuntis, nihilominus influxus ille transiens est continuus sicut calor animalis dimanans continuo ab ipso semper continuum influxum recipit, quo possit carnes generare; non quod revera ipse calor habeat aliquam qualitatem permanentem, ratione cujus possit carnes producere; sed quia continuo dimanans, continuum influxum ab ipso animali recipit : Ita proportionaliter humanitas Christi ex eo, quod erat continuo unita Verbo, fere continuum influxum a Verbo et a Deo recipiebat, ut, quando vellet, operaretur tanquam instrumentum operationes supernaturales et miraculosas.

Sequitur 1480. Hanc vim instrumentalem convenisse Christo a principio conceptionis quantum ad debitum; sed quantum ad usum illi convenisse, quando miracula patravit; durare vero in ipso in æternum.

1480. — Ibidem.

Probatur sequela. Dignitas ex unione hypostatica consequens, quantum ad debitum semper est, quamdiu est ipsa unio hypostatica; quantum ad usum vero, quando Christus ea vult uti : Atqui hæc vis instrumentalis est dignitas ex unione hypostatica consequens, ut dictum est : Ergo hæc vis instrumentalis semper est, ex quo est unio hypostatica, et hac durante, durat quoad debitum, quoad usum vero, quando Christus vult ea uti.

Sequitur 1481. Hanc vim instrumentalem esse vim physicam et realem, physice ac realiter opera illa supernaturalia et miraculosa patrantem.

1481. — Ibidem.

Probatur sequela. Vis instrumentalis non est necessaria ad opera illa patranda tantum moraliter, sed ad ea vere realiter ac physice patranda : Sed hæc vis instrumentalis fuit necessaria Christo, ut patet ex dictis : quia humanitas Christi secundum se non poterat realiter attingere hos effectus supernaturales : Ergo fuit necessaria, ut physice illos efficeret. *Major patet :* quia ad opera illa patranda moraliter erat necessaria tantum gratia, quæ non est vis instrumentalis. Adde quod Scriptura et Patres, cum de hac virtute loquuntur iis utuntur verbis, quæ vim et causalitatem physicam et physice efficientem manifeste important : utuntur enim verbis faciendi, operandi, efficiendi, et aliis similibus.

Sequitur 1482. Hanc vim instrumentalem esse impulsum, sive motionem, sive qualitatem per modum transeuntis et virtuosam, qua ipsa humanitas Christi elevatur a Deo ad hæc opera patranda.

1482. — 3. p. q. 6. a. 7.

Probatur sequela. Omnis vis instrumentalis est impulsus, sive motio, sive qualitas per modum transeuntis impressa instrumento a causa principali, ut dicemus in tertio principio : Sed hæc virtus, qua Christus hæc opera supernaturalia et miraculosa patrabat, est vis instrumentalis : Ergo hæc virtus est impulsus, sive motio, sive qualitas per modum transeuntis.

Sequitur 1483. Hanc vim instrumentalem non esse unam et unius rationis, sed esse diversam et diversæ rationis pro diversitate operum, ad quæ patranda elevat.

1483. — Ibidem.

Probatur sequela. Omnis vis activa et productiva est diversæ rationis pro diversitate formali operum, ad quæ per se primo ordinatur, ut ostendemus in tertio principio : Sed hæc vis instrumentalis est vis activa et productiva ; alias non constitueret agens : Ergo est diversa pro diversitate formali operum, ad quæ per se primo ordinatur.

Sequitur 1484. Animam Christi secundum se non habuisse omnipotentiam respectu proprii corporis ad illud immutandum in omnes formas.

1484. — 3. p. q. 13. a. 3.

Probatur sequela. Forma habens determinatam proportionem ad suum corpus, habet etiam determinatam et limitatam virtutem respectu illius : Sed anima Christi secundum se habet determinatam proportionem ad suum corpus : Ergo habet etiam determinatam et limitatam virtutem respectu proprii corporis, atque adeo non habet omnipotentiam, quæ, ut supra vidimus, est virtus illimitata et infinita.

Sequitur 1485. Animam Christi, ut instrumentum Verbi conjunctum, habuisse potestatem omnimodam respectu proprii corporis et aliorum, excepta tamen potestate creandi vel annihilandi.

Probatur sequela. Qui habet vim instrumentalem ad omnes omnino effectus supernaturales et miraculosos, habet etiam potestatem respectu dispositionum proprii corporis, et aliorum : Sed, ex dictis, Anima Christi ut instrumentum Verbi habebat vim illam instrumentalem ad omnes omnino effectus supernaturales et miraculosos : Ergo habebat etiam potestatem respectu dispositionum proprii corporis et aliorum.

Sequitur 1486. Animam Christi, potuisse, quidquid voluit per se facere.

1486. — Ibid. a. 1.

Probatur sequela. Sapiens non vult per se facere, nisi quod potest per se facere, ut patet : Sed anima Christi fuit sapientissima : Ergo noluit per se facere, nisi quod per se facere potuit.

Sequitur 1487. Animam Christi potuisse ut instrumentum Verbi, quidquid voluit ut implendum virtute divina.

1487. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia, ut diximus, habuit virtutem instrumentalem respectu omnium modo dicto.

Sequitur 1488. Per virtutem illam instrumentalem potuisse Christi humanitatem attingere effectus loco distantes.

1488. — 3. p. q. 56. a. 1. ad 3.

Probatur sequela. Instrumentum per virtutem instrumentalem a principali agente receptam potest attingere omnes effectus loco distantes ab instrumento, dummodo tamen causa principalis sit præsens in eo loco, ut ostendemus in tertio principio : Sed humanitas fuit instrumentum Verbi ubique existentis, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 1489. Per vim illam instrumentalem humanitatem Christi ut modificatam, passione, morte, resurrectione, ascensione, et aliis actionibus, potuisse et posse nunc attingere effectus etiam tempore distantes ab illis actionibus.

1489. — Ibidem.

Probatur sequela. Ad hoc ut instrumentum agat per vim instrumentalem, sufficit, quod causa principalis existat, et instrumentum etiam existat modificatum per aliquas actiones, aut passiones, ut ostensuri sumus in tertio principio : Atqui et Deus existebat tempore passionis, mortis etc. et modo existit, sicut et humanitas Christi existit nunc modificata per hujusmodi actiones et passiones : Ergo potest humanitas Christi ut modificata per illas etiam tempore distantes instrumentaliter operari.

CAPUT IV.

De coassumptis defectibus.

Sequitur 1490. Ex dictis superius conveniens fuisse, ut Christus assumeret defectus et pœnalitates hujus vitæ.

1490. — 3. p. q. 10. a. 1.

Probatur sequela. Id, quo maxime fit satisfactio voluntaria, sunt defectus et pœnalitates hujus vitæ, ut constat : Sed conveniens fuit ut Christus, qui, ut diximus, ad hoc venit, ut satisfaceret pro nobis, assumeret id, quo maxime fit satisfactio voluntaria : Ergo conveniens fuit, ut Christus assumeret defectus et pœnalitates hujus vitæ, famem, sitim, passiones, mortem et hujusmodi : non autem pœnas alterius vitæ; tum quia non sunt satisfactio voluntaria conveniens viatoribus : tum quia satisfactio Christi debebat exhiberi pro culpa, et pro illis pœnis.

Sequitur 1491. Christum assumpsisse corpus mortale et passibile, et proprietates consequentes necessario ad corpus mortale et passibile.

1491. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui assumpsit corpus aptum ad satisfaciendum per pœnalitates hujus vitæ, assumpsit etiam corpus mortale et passibile, et proprietates consequentes necessario ad conditionem corporis mortalis et passibilis : Sed Christus assumpsit corpus aptum ad satisfaciendum per pœnalitates hujus vitæ, ex jam dictis : Ergo, etc.

Sequitur 1492. Christum assumpsisse necessitatem naturalem subjacendi his defectibus.

1492. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Necessitas subjacendi his defectibus est, quæ consequitur principia naturalia, saltem materiam, ut non perfecte subjectam animæ habenti gloriam, sive ut non habentem dotes corporis gloriosi aut aliquid aliud impediens dissolutionem corporis : Atqui Christus assumpsit hanc necessitatem ortam ex materia, nec voluit, ut corpus participaret dotes gloriosas, aut aliquid aliud impediens dissolutionem corporis : Ergo assumpsit necessitatem naturalem subjacendi his defectibus famis, sitis, mortis etc.

Sequitur 1493. Christum assumpsisse etiam necessitatem coactionis in ordine ad hoc, quod subjiceretur his defectibus, prout necessitas coactionis dicit repugnantiam ipsius naturæ corporalis.

1493. — Ibidem.

Probatur sequela. Necessitas coactionis est repugnantia naturæ corporalis appetitus sensitivi, imo et voluntatis, ut natura quædam est, quatenus videlicet natura corporalis, appetitus, et voluntas ut natura repugnant his defectibus : Atqui Christus Dominus assumpsit hanc repugnantiam : Ergo etiam assumpsit hanc necessitatem coactionis hoc modo explicatam.

Sequitur 1494. Christum Dominum non assumpsisse necessitatem subjacendi his defectibus, quæ sit necessitas coactionis, quatenus coactio est opposita ipsi voluntati deliberatæ.

1494. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui vult libere assumere defectus et subjacere illis, non assumit necessitatem coactionis oppositam voluntati deliberatæ : Sed Christus, et ut Deus, et ut homo libere voluit assumere hos defectus, et illis subjacere : Ergo non assumpsit necessitatem coactionis oppositam voluntati deliberaræ.

Sequitur 1495. Christum Dominum non contraxisse hos defectus.

1495. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Contrahere hos defectus est illos simul cum peccato trahere; quia contrahere est simul effectus cum causa illorum trahere,

causa autem horum defectuum, scilicet, mortis etc. est peccatum, ut supra diximus: Sed Christus non traxit hos defectus cum eorum causa, quæ est peccatum; cum nullum habuerit peccatum : Ergo non contraxit hos defectus.

Sequitur 1496. Christum non assumpsisse defectus corporales, qui sunt origo repugnans perfectioni scientiæ et gratiæ.

1496. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Defectus, quos Christus assumpsit, debent esse hujusmodi, ut deserviant ad finem Incarnationis, qui est satisfacere pro peccatis; non autem, qui repugnent ipsi, et dignitati Christi, atque adeo perfectioni scientiæ et gratiæ, quam Christus habere debuit, ut patet ex dictis : Sed defectus corporales, qui sunt origo v. g. ignorantiæ, vel peccati, ut stoliditas, et inclinatio vitiosa, repugnant dignitati Christi, et perfectioni scientiæ et gratiæ ipsius : Ergo hos defectus Christus non assumpsit.

Sequitur 1497. Christum non debuisse assumere defectus, qui causantur ex aliquibus causis particularibus, ut lepram, morbum caducum, etc.

1497. — Ibidem.

Probatur sequela. Defectus, qui causantur ex particularibus causis, vel sunt ex culpa, vel ex debilitate et corruptione virtutis formativæ : Sed Christus non debuit assumere defectus ex culpa, quæ in eo esse non potuit, ut ostentum est; neque defectus ex debilitate et corruptione virtutis formativæ; quia fuit conceptus ex virtute Spiritus sancti, in qua nullus est defectus : Ergo Christus hos defectus non debuit assumere : Et sic non assumpsit deformitatem corporis, et morbos ex malis humoribus etc.

Sequitur 1498. Christum debuisse assumere defectus, qui communiter causantur in hominibus ex peccato, nec involvunt defectum scientiæ et gratiæ, quales sunt fames, sitis, mors etc.

1498. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia, ut diximus, isti deserviunt ad finem Incarnationis.

Sequitur 1499. Christi corpus fuisse perfectum, optime dispositum, pulcherrimum etc.

1499. — Ibidem.

Probatur sequela. Corpus, in quo nullus est defectus ex causis particularibus, hoc est, ex culpa, vel debilitate virtutis formativæ, est perfectum, optime dispositum, pulcherrimum, etc. : Sed in corpore Christi nullus fuit defectus ex causis particularibus, ut dictum est : Ergo, etc.

Sequitur 1500. Corpus Christi licet fuerit temperatissimum, non tamen temperamento ad pondus, sed talis, quale potest competere corpori humano.

1500. — In 3. dist. 16. q. 1. ad. 4.

Probatur sequela. Quia non potest dari temperamentum ad pondus; eo quod a proportione æqualitatis non sit actio, ut dicemus in tertio principio.

Sequitur 1501. In Christo nullam fuisse ægritudinem ab intrinseco, ut febrem, etc.

1501. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia hæ ægritudines ab intrinseco ex malis humoribus et intemperie proveniunt.

Sequitur 1502. Christum Dominum assumpsisse corpus circumscriptum loco.

1502. — 3. p. q. 52. a, 3. et 4. cont. gent. c. 9.

Probatur sequela. Corpus connaturaliter est circumscriptum loco, ut diximus in primo principio : Sed Christus sive Verbum assumpsit corpus secundum modum corporis connatu-

ralem; alias verificari non posset quod revera ambulasset, motus et passus fuisset etc. Ergo Verbum divinum assumpsit corpus circumscriptum loco.

Sequitur 1503. In Christo fuisse appetitum sensitivum.

1503. — 3. p. q. 15.

Probatur sequela. Ubi est anima rationalis informans corpus, sunt etiam proprietates illius atque adeo appetitus sensitivus, qui ut constat ex dictis in primo principio, est proprietas animæ rationalis, quatenus eminenter formaliter est sensitiva : Sed in Christo fuit anima rationalis ejusdem speciei cum nostra, ex jam dictis : Ergo in Christo fuit etiam appetitus sensitivus.

Sequitur 1504. In Chisto Domino fuisse actus tum sensuum externorum et interiorum, tum etiam appetitus

1504. — Ibidem.

Probatur sequela. Ubi sunt potentiæ non otiosæ, sunt actus illarum, ut constat : Sed in Christo fuerunt potentiæ sensitivæ et appetitivæ non otiosæ ; deserviebat enim illorum usus et exercitium ad finem Incarnationis, ut constat ex dictis, et amplius patebit : Ergo fuerunt actus tum sensuum internorum et exteriorum, tum appetitus.

Sequitur 1505. Istos actus semper fuisse in Christo ex dictamine ac præscripto rationis.

1505. — Ibidem.

Probatur sequela. Tum quia in Christo fuit perfectissima virtus absque ullo defectu, et perfectum dominium rationis supra appetitum. Tum etiam quia non decebat Christi dignitatem, ut alio modo eliceret hos actus ; qui proinde non tam passiones, quam propassiones in illo dicuntur.

Sequitur 1506. Istos actus appetitus sensitivi ita fuisse in Christo, ut nullum vel minimum defectum moralem importarent.

1506. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Quia in Christo nullus potuit esse defectus moralis ; hic enim repugnat ipsius dignitati.

Sequitur 1507. In Christo non fuisse fomitem peccati, sive in actu primo sive in actu secundo.

1507. — Ibid. a. 5.

Probatur sequela. Ubi est perfectissima virtus tum acquisita, tum infusa, et perfectissimum dominium rationis supra partem inferiorem, nullus est fomes, in actu primo vel secundo : Sed in Christo fuit perfectissima virtus tum acquisita tum infusa, et perfectissimum dominium rationis supra partem inferiorem ; ita enim decebat dignitatem Christi, ut patet ex dictis : Ergo in Christo non potuit esse fomes vel in actu primo, vel in secundo. *Major patet* : quia virtus perfectissima ea perfectione, quæ non solum importat intensionem habitus, sed etiam perfectum dominium rationis, excludit omnem motum sensualitatis in id, quod est contra rationem, ut constat ex dictis supra, cum de statu innocentiæ egimus ; fomes vero importat appetitum sensitivum, ut potest habere motus contra rationem.

Sequitur 1508. In Christo non fuisse ignorantiam, vel inconsiderationem.

1508. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Ubi est plenitudo scientiæ, et continua atque actualis omnium necessariorum consideratio, nulla est ignorantia vel inconsideratio : Sed in Christo fuit plenitudo scientiæ, et actualis atque continua consideratio omnium necessariorum, saltem ratione scientiæ beatæ : Ergo nulla fuit ignorantia vel inconsideratio.

Sequitur 1509. In Christo fuisse dolorem sensibilem.

1509. — Ibid. a 5.

Probatur sequela. Ubi est læsio corporis et sensus læsionis, est etiam actus appetitus, qui est dolor; quia dolor consequitur ex læsione corporis sensu percepta, ut patet ex dictis in primo principio : Sed in Christo fuit læsio corporis, et sensus læsionis, ut constat ex superioribus : Ergo in Christo fuit dolor. Patres autem, qui hæc videntur negare, solum volunt, quod in Christo non fuit necessitas subjacendi dolori, quem poterat impedire, præsertim illum, qui ex peccato oritur.

Sequitur 1510. In Christo fuisse veram tristitiam.

1510. — Ibid. a. 6.

Probatur sequela. Dolor sensibilis de malo, per imaginationem vel rationem apprehenso est tristitia, ex dictis in primo principio : Sed in Christo fuit dolor sensibilis non solum de læsione corporis per sensum tactus percepta, verum etiam de malo per imaginationem aut rationem percepto, puta de offensa, injuria peccato, etc. Ergo fuit in Christo tristitia. Quomodo autem staret tristitia cum perfectissimo gaudio, dicemus infra.

Sequitur 1511. In Christo fuisse timorem.

1511. — Ibid. a. 7.

Probatur sequela. Timor est affectus appetitus ex apprehensione mali futuri : Sed in Christo fuit affectus appetitus ex apprehensione mali futuri : Ergo in Christo fuit timor. *Major patet ex dictis* : sicut enim tristitia est affectus appetitus circa malum præsens, ita timor circa malum futurum : *Minor etiam constat;* quia in Christo fuit tristitia de malo præsenti.

Dices; Timor debet esse de malo futuro, quod non omnimodam certitudinem habeat : Atqui in Christo non fuit timor de aliquo malo, quod non haberet omnimodam certitudidem : Ergo, etc.

Respondeo : ad rationem timoris sufficere quod malum habeat aliquam incertitudinem secundum se, quamvis aliunde sit certum : Et hoc modo fuit timor in Christo absque incertitudine.

Sequitur 1512. In Christo fuisse admirationem.

1512. — Ibid. a 8.

Probatur sequela. Affectus circa rem novam, insolitam, et novo modo cognitam, est admiratio : Sed in Christo quoad appetitum inferiorem potuit esse affectus circa rem novam, insolitam, et novo modo cognitam : Ergo in Christo potuit esse, et fuit admiratio. Major est definitio admirationis, quæ duplex est; alia enim est circa bonum, et est complacentia et desiderium laudandi illud; alia est circa malum, et est timor, et fuga illius. *Minor patet etiam*; quia licet secundum scientiam divinam, beatam, et infusam nihil esset Christo novum et insolitum; tamen secundum scientiam experimentalem potuit esse aliquid magnum, novum, insolitum, et novo modo cognitum.

Sequitur 1513. In Christo fuisse iram.

1513. — Ibid. a. 9.

Probatur sequela. Tristitia cum appetitu vindictæ est ira : Sed in Christo fuit tristitia, ut dictum est, et fuit etiam appetitus vindictæ secundum ordinem justitiæ et rationis, qui zelus dicitur : Ergo in Christo fuit ira.

Sequitur 1514. In appetitu sensitivo Christi fuisse amorem, odium, fugam, desiderium, fruitionem.

1514. — 3. p. q. 15. a. 4.

Probatur sequela. Ubi est affectus appetitus sensitivi, est amor, et ubi est amor, potest esse et est etiam odium mali oppositi, et fuga, et desiderium, atque fruitio, ut patet ex dictis in primo principio : Sed in

Christo fuit aliquis affectus appetitus sensitivi, ex dictis : Ergo potuit esse et fuit in illo amor, odium, fuga, desiderium et fruitio.

Sequitur 1515. In Christo fuisse audaciam

1515. — Ibidem.

Probatur sequela. Affectus circa malum imminens possibile vinci aliquo modo, est audacia : Sed in Christo fuit affectus circa malum imminens possibile vinci; unde audacter increpabat Judæos : Ergo in Christo fuit audacia, cum ratione tamen.

Sequitur 1516. In Christo fuisse spem, prout est affectus appetitus sensitivi.

1516. — Ibidem.

Probatur sequela. Affectus circa bonum sensibile arduum possibile, est spes : Sed in Christo fuit affectus circa bonum sensibile arduum naturalibus Christi viribus, possibile tamen aliquo modo. Ergo, etc.

Sequitur 1517. In Christo fuisse etiam desperationem, prout est actus appetitus sensitivi.

1517. — Ibidem.

Probatur sequela. Affectus circa bonum impossibile obtineri saltem aliquo modo, est desperatio : Sed in Christo potuit esse hic affectus; non enim est inconveniens, quod appetitus Christi elicuerit actum circa vitam propriam ut conservandam, quod tamen impossibile erat obtinere : Ergo, etc. Quia tamen hic motus desperationis ut plurimum imperfectionem importat, nisi corrigatur et dirigatur ratione, cautissime in hac materia loquendum est.

Sequitur 1518. Christum simul fuisse viatorem et comprehensorem.

1518. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui tendit ad perfectam beatitudinem patiendo et agendo, est viator; qui autem habet beatitudinem est comprehensor; hoc enim intelligimus nominé viatoris et comprehensoris : Sed Christus secundum corpus tendebat ad perfectam beatitudinem corporis patiendo et agendo, ut constat ex dictis; et secundum animam erat beatus; videbat enim Deum, ut supra ostendimus : Ergo erat viator et comprehensor.

DISSERTATIO III.

DE HIS QUÆ CONSEQUUNTUR UNIONEM.

CAPUT I.

De his quæ conveniunt Christo secundum esse et fieri.

Sequitur 1519. Dari communicationem idiomatum ex vi mysterii Incarnationis.

1519. — 3. p. q. 16, a. 1. et 2. et 5.

Probatur sequela. Prædicatio vera attributorum Dei de homine, vel attributorum hominis de Deo est communicatio idiomatum : Sed vera est de facto hæc prædicatio ex vi mysterii Incarnationis : Ergo ex vi illius datur communicatio idiomatum. *Major patet :* quia nomine communicationis idiomatum nihil aliud intelligimus, nisi quod attributa divina vere prædicentur de homine, et humana prædicentur de Deo. *Minor vero probatur ex dictis :* Ex eo quod res est vel non est, prædicatio dicitur vera vel falsa : Sed ex vi mysterii Incarnationis idem suppositum, quod est Deus, est etiam homo : Ergo poterunt de illo eodem supposito vere prædicari divina et humana.

Sequitur 1520. Hanc communicationem idiomatum non consistere in hoc, quod perfectiones divinæ sint communicatæ naturæ humanæ formaliter, vel quod humanæ sint communicatæ naturæ divinæ formaliter.

1520. — Ibidem.

Probatur sequela. Perfectiones di-

vinæ nequeunt alicui naturæ creatæ formaliter communicari; sicut nec perfectiones humanæ, divinæ naturæ; implicat enim, ut diximus supra, quod divinitas formaliter inhæreat, vel etiam mutetur in aliquam naturam creatam, sicut et quod natura creata inhæreat divinæ, vel in eam mutetur : Ergo, etc.

Sequitur 1521. Hanc communicationem idiomatum consistere in eo, quod prædicata divina et humana vere conveniant eidem personæ subsistenti in utraque natura divina et humana.

1521. — Ibidem.

Probatur sequela. Ad veritatem prædicationis sufficit quod subjectum sive suppositum habeat id, quod per prædicatum significatur : Sed hæc communicatio idiomatum consistit in veritate prædicationis, id est, in eo, quod prædicatio divinorum sit vera de homine, et prædicatio humanorum de Deo habeat quoque veritatem : Ergo hæc communicatio consistit in eo, quod subjectum sive suppositum habeat illud, quod per prædicationem enuntiatur. Id autem fit sufficienter per hoc, quod eadem persona subsistat in utraque natura, divina et humana; nam ex eo ipso idem suppositum habet divina et humana.

Sequitur 1522. Hanc communicationem idiomatum fieri non posse nisi per nomina concreta.

1522. — Ibidem.

Probatur sequela. Quando unum debet prædicari de alio, quatenus idem est suppositum habens utrumque, prædicatio fieri nequit nisi per nomina concreta : Sed communicatio idiomatum fit per hoc, quod unum prædicatur de alio, quatenus idem est suppositum habens utrumque, ut patet ex dictis : Ergo communicatio idiomatum fieri nequit nisi per nomina concreta.

Sequitur 1523. Tam subjectum, quam prædicatum debere esse concreta in communicatione ista.

1523. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia neque subjectum, neque prædicatum debent significare aliquid, nisi, ut in habente; alias enim falsa esset prædicatio, ut constat ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 1524. Deum, et attributa divina in concreto optime prædicari prædicatione substantiali, vera, et propria, de homine, et attributis ejus, essentialibus in concreto.

1524. — Ibidem.

Probatur sequela. Quando idem est suppositum habens rationem significatam per subjectum et prædicatum, est prædicatio vera et propria, et si utrumque sit subsistantiale, est etiam substantialis, ut constat : Atqui ex vi mysterii Incarnationis idem est suppositum habens Divinitatem et attributa divina, et habens humanitatem et attributa humana : Ergo cum Divinitas et attributa Divina sint substantialia, et humanitas sit etiam aliquid substantiale, prædicatio Divinitatis et attributorum Dei in concreto de humanitate in concreto, et de ipsius attributis essentialibus etiam in concreto, erit prædicatio vera, propria, et substantialis. Atque ita hæ erunt veræ : *Deus est homo*; *Deus est animal rationale*, etc. et contra, *Homo est Deus : Homo est omnipotens*, etc.

Sequitur 1525. Divinitatem et ejus attributa non posse vere prædicari de humanitate ejusve attributis in abstracto.

1525. — Ibidem.

Probatur sequela. Propositiones, in quibus prædicatum non convenit subjecto nisi ut habenti, non possunt esse veræ, si nomina sint abstracta : Sed in communicatione idiomatum, Divinitas et ejus attributa non conveniunt humanitati, nisi quatenus

significatur ut habens, ex dictis : Ergo divinitas ejusque attributa non possunt prædicari de humanitate ejusve attributis in abstracto. Atque ita hæ sunt falsæ : *Humanitas est Deus ; Humanitas est Divinitas,* et similes. Adverte tamen Divinitatem in abstracto in sensu identico posse aliquo modo prædicari de humanitate in concreto v. g. : *Hic homo* (designato Christo) *est Deitas.* Ratio est : quia Verbum in divinis est ipsa Deitas in sensu identico : Sed hic homo (designato Christo) est Verbum : Ergo hic homo (designato Christo) est Deitas. Hæc tamen locutio est impropria, neque est usurpanda : multo minus ista, *Deitas est homo ;* quia est multo magis impropria. Quare si quando apud Patres, vel alios probatos auctores hujusmodi propositiones reperiantur, explicandæ sunt, ut abstractum sit positum pro concreto.

Sequitur 1526. Divinitatem, ejusve attributa non posse proprie denominative prædicari de humanitate, etiam si prædicatum et subjectum ponantur concreta.

1526. — Ibid. ad 3.

Probatur sequela. Quæ denominative dicuntur, non proprie dicuntur substantialiter : Sed propter unionem substantialem Divinitas et ejus attributa substantialiter prædicantur de humanitate in concreto : Ergo proprie non dicuntur denominative. Et sic Christus non potest dici Deifer, Deificatus. Utrum vero dici possit homo divinus, et quo sensu, dicemus statim.

Sequitur 1527. Humanitatem posse aliquando denominative dici de Deo.

1527. — Ibidem.

Probatur sequela. Quando suppositum est constitutum ratione propriæ naturæ, potest alia natura superveniens et subsistens in eodem supposito prædicari denominative de illo : Atqui suppositum divinum Verbi est constitutum ratione naturæ divinæ : Ergo potest natura humana illi quodammodo superveniens, et in eo subsistens, denominative prædicari de illo. Atque ita potest dici Deus humanatus, sicut et incarnatus.

Sequitur 1528. Prædicata naturæ humanæ importantia suppositum creatum essentialiter, non posse dici de Deo, vel de Domino nostro Jesu Christo.

1528. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Quia mysterium Incarnationis consistit in hoc, quod idem sit suppositum divinum et humanum : Sed prædicata naturæ humanæ importantia suppositum creatum essentialiter, tollunt hanc identitatem suppositi : Ergo tollunt mysterium Incarnationis, atque adeo non possunt dici de Deo vel de Christo. Et sic non potest dici, quod Christus sit purus homo; quod sit alius a Verbo; quod sit peccabilis; quod sit filius adoptivus, et idem dicendum de aliis, quæ repugnant Divinæ personæ.

Sequitur 1529. Prædicata naturæ humanæ non posse dici de Deo etiam in concreto cum reduplicatione divinitatis solius.

1529. — Ibid. a. 10.

Probatur sequela. Quia omnes hujusmodi prædicationes cum tali reduplicatione sunt falsæ : nam v. g. falsum est, quod Verbum, in quantum Deus, sit homo, etc.

Sequitur 1530. Prædicata naturæ humanæ, quæ important nihilominus suppositum divinum, posse aliquando cum reduplicatione Divinitatis dici de Christo.

1530. — Ibidem.

Probatur sequela. Quando res significata per prædicatum importat duplicem rationem, quæ convenit subjecto secundum diversas etiam rationes, tunc potest fieri reduplicatio secundum illas diversas rationes : Sed ita s[ic]

habet aliquando in mysterio Incarnationis. v. g. in ista proportione, *Christus satisfecit de toto rigore justitiæ;* satisfacere siquidem convenit Christo, quatenus est homo; perfectio vero satisfactionis, quod videlicet hæc satisfactio sit perfecta et infinita, non convenit Christo, nisi quatenus est suppositum divinum subsistens in natura humana : Ergo in hac, et similibus propositionibus poterit aliquo modo reduplicari suppositum divinum, dicendo v. g. *Christus ut Deus satisfecit de toto rigore justitiæ;* melius tamen est addere utramque reduplicationem, dicendo, *Christus ut Deus Homo satisfecit de toto rigore justitiæ.*

Sequitur 1531. Quando reduplicatio ponitur ex parte prædicati, tunc necessarium esse, ut ratio significata per prædicatum conveniat Christo ratione illius, quod ex parte prædicati reduplicatur, v. g. Christus est mediator inquantum Deus Homo.

1531. — Ibidem.

Patet hæc sequela ex præcedenti.

Sequitur 1532. Quandoque prædicatum non convenire Christo nisi ratione utriusque simul naturæ; et tunc non posse fieri reduplicationem, nisi respectu utriusque.

1532. — Ibidem.

Patet sequela in hoc exemplo, *Christus est persona composita :* Non enim potest fieri reduplicatio nisi ex parte utriusque naturæ, divinæ scilicet et humanæ, ut est evidens. Et idem dicendum in similibus.

Sequitur 1533. Hanc propositionem, *Deus est homo*, esse verissimam ex parte extremorum, et ex parte copulæ sive prædicationis.

1533. — 3. p. q. 16 a. 1.

Probatur sequela. Nomen significans naturam communem in concreto, potest supponere pro quolibet contentorum sub natura communi, ut certum est apud Logicos : Sed hoc nomen, *Deus*, significat naturam divinam in concreto; sicut et hoc nomen, *homo*, naturam humanam : Ergo hoc nomen, *Deus*, potest supponere pro quolibet supposito habente naturam divinam, et hoc nomen, *Homo*, potest sumi pro quolibet habente naturam humanam, atque adeo verum est, quod ille, qui habet naturam divinam, est homo, si simul habeat naturam humanam : Cum ergo verum sit ex mysterio Incarnationis, quod idem suppositum, quod habet naturam divinam, habeat etiam naturam humanam, hæc propositio, *Deus est homo*, erit verissima.

Sequitur 1534. In hac propositione, *Deus est homo*, terminum illum, *Deus* non supponere indefinite sed determinate pro supposito secundæ personæ, sive Verbo.

1534. — Ibid. et a. 2. ad 2.

Probatur sequela. In propositione, in qua de subjecto enunciatur prædicatum non conveniens nisi uni supposito contento sub ratione significata per subjectum, prædicatum determinat subjectum, ut stet pro illo tantum supposito; sicut quando dicimus, *Deus generat*, terminus ille, *Deus*, stat tantum pro Patre : Atqui ita contingit in ista, *Deus est homo;* uni enim soli supposito Verbi, quod, continetur sub termino illo communi, *Deus*, convenit ratio significata per hoc nomen, *homo*, scilicet natura humana : Ergo in hac propositione non sumitur terminus ille, *Deus*, indefinite, sed determinate.

Sequitur 1535. In eadem propositione, *Deus est homo*, prædicatum, *Homo*, esse univocum, et univoce dici de Deo et de aliis hominibus.

1535. — 3. p. q. 2. a. 5.

Probatur sequela. Nomen reipsa univocum dictum de illo subjecto, quod habet vere ac proprie illam rationem univocam, quæ significatur per nomen, est univocum, et univoce

dicitur de illo subjecto, ut patet ex dictis in primo principio : Sed hoc nomen, *Homo*, est univocum respectu omnium animalium rationalium, et dicitur de Deo, quod habet vere ac proprie illam rationem univocam animalis rationalis, ut est de fide ratione mysterii Incarnationis, ex dictis : Ergo hoc nomen, *Homo*, univoce dicitur de Deo et aliis hominibus.

Sequitur 1536. Hanc propositionem, *Deus est homo*, tam esse propriam, quam sit ista, *Petrus est homo*.

1536. — 3. p. q. 16. a. 2.

Probatur sequela. Propositio, in qua nomen significans naturam specificam univocam univoce prædicatur de habente illam, tam est propria, cum prædicatur de alio similiter habente eamdem naturam, licet in modo habendi differant; quia non prædicatur modus habendi illam, sed prædicatur dumtaxat, quod illam habeat secundum eamdem rationem : Sed ita contingit in proposito, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 1537. Hanc proportionem, *Deus est homo*, esse in materia naturali.

1537. — 3. p. q. 16. a. 1. ad 1.

Probatur sequela. Omnis propositio, in qua natura specifica prædicatur de individuo ejusdem speciei, est in materia naturali : Sed hæc propositio est hujusmodi, ex dictis : Ergo, etc.

Nec valet, si dicas, contingens esse et liberum Deo, fieri hominem, atque adeo connexionem hujus prædicati, *Homo*, cum hoc termino, *Deus*, esse contingentem et liberam; et consequenter totam propositionem esse contingentem.

Non valet, inquam, quia, licet modus habendi naturam sit liber, modus tamen prædicandi est naturalis, quando natura specifica prædicatur de individuo et supposito : Quare si per impossibile liberum foret patri generanti generare hominem, vel aliquod aliud animal, supposito tamen quod generasset hominem v. g. Petrum, hæc propositio, *Petrus est homo*, esset in materia naturali. Ratio est, quia modus prædicandi sequitur et supponit modum essendi : unde supposito, quod Petrus sit vere individuum naturæ humanæ, hæc prædicatio est naturalis, *Petrus est homo*, etiamsi libere Petrus productus sit homo; non enim attenditur materia propositionis ex causa, sed ex ipsa terminorum unione. Quia ergo natura humana unitur Verbo, tanquam natura supposito, quæ est unio substantialis et naturalis, in quantum natura prædicatur de supposito naturæ, prædicatio est in materia naturali, sensu jam explicato.

Sequitur 1538. Hanc propositionem, *Homo est Deus*, esse veram et propriam.

1538. — 3. p. q. 16. a. 2.

Probatur sequela : Propositio, in qua natura prædicatur de supposito habente illam, est vera et propria : Sed in hac, *Homo est Deus*, natura prædicatur de supposito habente illam : Ergo illa est vera et propria. *Minor probatur* : In illa propositione, *Homo est Deus*, terminus ille, *Homo*, supponit pro supposito naturæ humanæ : Sed vere ac proprie suppositum naturæ humanæ, est Deus sive habens Deitatem : Ergo vere ac proprie Deus prædicatur de supposito naturæ humanæ.

Sequitur 1539. Christum non posse dici hominem Dominicum.

Probatur sequela. De eo, de quo propter identitatem suppositi, prædicatur nomen essentialiter, non potest prædicari denominative, nisi indicetur habitudo ad aliud distinctum : Sed de Christo prædicatur Dominus essentialiter propter identitatem suppositi : Ergo de illo non potest prædicari denominative, nisi forte indicaretur habitudo ad aliud distinctum.

Quare ista locutio est vera, *Caro Dominica*, *Passio Dominica* etc., sicut et istæ, *Verbum divinum*, *Generatio divina* etc. Quia in istis designatur habitudo ad aliquid distinctum : Caro enim distinguitur a supposito, sicut et passio ; sicut etiam Verbum distinguitur a Deo saltem virtualiter, sicut et attributa divina a Deo distinguuntur. Nec valet si dicas, quod etiam suppositum Verbi distinguitur a potentia, a qua Deus dicitur Dominus. Non valet, inquam, quia suppositum Verbi potest optime dici divinum, non autem potest Christus dici homo dominicus, quia ille terminus, Christus importat naturam et potentiam divinam essentialiter, a qua non distinguitur ratio Domini.

Sequitur 1540. Ea, quæ conveveniunt naturæ divinæ, posse prædicari de homine ; et ea, quæ sunt humanæ naturæ, posse prædicari de Deo.

1540. — 3. p. q. 7. a. 1.

Probatur sequela : Ubi est eadem hypostatis et idem suppositum duarum naturarum, quæ conveniunt uni naturæ in concreto, possunt dici de alia ; quia prædicatum convenit hypostasi sive supposito et de illo dicitur : Sed ex mysterio Incarnationis una et eadem est hypostasis, idemque suppositum naturæ divinæ et humanæ, ut patet ex dictis : Ergo ea, quæ conveniunt naturæ divinæ possunt in concreto, dici de natura humana in concreto et e contra. *Major est evidens* : quia cum sit idem suppositum naturæ utriusque, et subjectum supponat pro supposito, quæcumque conveniunt uni naturæ possunt dici de subjecto, sive supposito habente aliam naturam.

Sequitur 1541. Ea, quæ conveniunt uni naturæ existenti in eodem supposito, non posse dici de alia natura, nisi secundum quod illa prior natura invenitur in illo supposito.

1541. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia, quæ prædicantur de aliquo ut habente formam, prædicantur de illo, quatenus habet illam formam, ut ex terminis constat : Sed, ex dictis, quæ conveniunt uni naturæ existenti in uno supposito, non possunt dici de alia natura, nisi quatenus hæc est in eodem supposito, ut in habente : Ergo non possunt dici de illa natura nisi ut hæc natura reperitur in illo supposito.

Sequitur 1542. Ea, quæ sunt divinæ naturæ in Christo, non posse prædicari de humana, vel e contra, nisi quatenus sunt idem in supposito, hoc est, quatenus suppositum est idem.

1542. — Ibid. a. 5.

Probatur sequela. In omni prædicatione affirmatur identitas prædicati cum subjecto : Sed in mysterio Incarnationis natura divina, et humana non sunt idem inter se, sed tantum sunt idem in supposito, ut dictum est : Ergo ea, quæ sunt divinæ naturæ non possunt prædicari de humana, vel e contra, nisi quatenus sunt idem supposito, hoc est, quatenus est idem suppositum utriusque naturæ.

Sequitur 1543. Hanc esse veram et propriam, *Deus factus est homo.*

1543. — Ibid a. 6.

Probatur sequela. Unumquodque dicitur esse factum id, quod de novo illi convenit, et quod de novo prædicatur de illo : Sed esse hominem convenit Deo de novo, et de novo prædicatur de illo, ut patet ex dictis : Ergo Deus vere dicitur factus homo. Idemque dicendum de ista, *Deus factus est hic homo.*

Sequitur. 1544. Hanc propositionem, *Homo factus est Deus,* esse absolute ac simpliciter falsam.

1544. — Ibid. a. 7.

Explicatur : Hæc propositio tripliciter intelligi potest; *primo,* ut participium illud, *factus,* sit pars subjecti vel prædicati, quasi diceretur, *Homo, qui simpliciter factus est, est Deus;* Vel, Homo est Deus factus et creatus : Et hoc modo constat propositionem esse falsam, quia nulla persona divina vel humana in Christo facta dici potest. *Secundo* potest intelligi, ut participium istud, *factus,* determinet totam propositionem, et sensus sit, *factum est, ut humana natura sit conjuncta hypostatice Divinitati;* Et hoc modo vera quidem est propositio, sed improprie exponitur; quia hic sensus non potest esse germanus illius propositionis. *Tertius* sensus est, ut participium illud, *factus,* determinet subjectum in ordine ad prædicatum, ita ut sensus sit, quod homo effectus est Deus, sive acquisivit hoc quod est, esse Deum; Et hoc modo falsam esse dicimus illam propositionem.

Probatur sequela. Nulla persona facta est Deus, sive, nullum suppositum acquisivit esse divinum : Sed illa propositio absolute ac simpliciter significat, personam effectam esse Deum : Ergo absolute ac simpliciter significat, quod non est, atque adeo est falsa.

Sequitur 1545. Hanc, *Christus est creatura,* esse falsam.

1545. — Ibid. a. 8.

Probatur ex dictis supra : Prædicata naturæ humanæ importantia suppositum creatum, vel distinctum a divino, non possunt dici de Christo : Sed ille terminus, *Creatura,* est prædicatum importans suppositum creatum; quia creari est tantum suppositorum, ut supra diximus : Ergo ille terminus, *Creatura,* non potest dici de Christo, nisi addatur limitatio et determinatio v. g. secundum humanitatem; tunc enim ratione illius limitationis terminus ille, *Creatura,* non stat pro supposito, sed pro natura humana, quæ non est ens improductum, ut constat.

Sequitur 1546. Istam, *Christus in quantum homo, est creatura* esse veram.

1546. — Ibid. a. 10.

Probatur sequela. Quando ratione limitationis terminus importans suppositum creatum non stat pro supposito, sed pro natura, potest ille terminus prædicari de Christo, ex dictis : Atqui in ista, *Christus in quantum homo,* etc., terminus ille *Homo* non stat pro supposito absolute, sed solum pro natura humana : Ergo potest ille terminus, *Creatura,* quamvis importet suppositum creatum, dici de Christo; quia ratione limitationis non stat pro supposito, sed pro natura. *Minor probatur :* quia terminus ille, *Homo,* ex parte prædicati stat pro natura, eo quod prædicatum se tenet formaliter : Atqui in illa, *Christus in quantum homo est creatura,* terminus, *Homo,* se tenet ex parte prædicati; est enim idem ac si diceretur, *Christus in quantum est homo :* Ergo terminus ille homo se tenet formaliter, atque adeo stat pro natura.

Sequitur 1547. Falsam esse propositionem istam, *Iste homo* (demonstrato Christo) *incœpit esse.*

1547. — Ibid. a. 9.

Probatur sequela. Suppositum Christi non incœpit esse, sed potius est æternum, cum sit suppositum divinum : Sed terminus ille, *Iste homo,* demonstrato Christo, designat suppositum : Ergo iste homo (demonstrato Christo) non incœpit esse. Est tamen verum, quod iste homo in quantum homo incœpit esse, juxta jam dicta.

Sequitur 1548. Falsam esse istam, *Christus, secundum quod homo, est Deus.*

1548. — Ibid. a. 11.

Probatur sequela. Terminus in re-

duplicatione positus se tenet formaliter pro natura, quam significat, non pro supposito habente illam : Sed in hac propositione est terminus in reduplicatione positus, videlicet, *Homo* : Ergo ille terminus se tenet formaliter pro natura, non pro supposito. Cum ergo falsum sit, quod Christus secundum naturam humanam sit Deus, falsa est hujusmodi propositio. Si tamen adderetur aliquid, ratione cujus ille terminus reduplicatus sumeretur pro supposito, esset vera.

Sequitur 1549. Distinguendam esse propositionem istam, *Christus, secundum quod homo, est persona* : nam si verba illa, *secundum quod homo,* reduplicent suppositum, vera est ; si reduplicent naturam humanam, et sensus sit, quod naturæ humanæ competat esse in aliqua persona, etiam vera est ; si autem sensus sit, quod naturæ humanæ competat personalitas causata ex principiis ipsius naturæ humanæ, falsa est.

1549. — Ibid. a. 12.

Patet sequela ex dictis : Quia in Christo non est alia persona, quam divina.

CAPUT II.

De his quæ conveniunt Christo secundum rationem unitatis.

Sectio 1ª — Quantum ad esse.

Sequitur 1550. Christum esse unum masculine, et non duo proprie loquendo.

1550. — 3. p. q. 17. a. 1.

Probatur sequela. Ubi est tantum una persona est tantum unus masculine et non duo ; quia ut diximus supra, nomen masculinum significat personam : Sed in Christo est tantum unica persona, ex dictis : Ergo est tantum unus, et non duo.

Sequitur 1551. Christum non esse duo etiam neutraliter.

1551. — Ibidem.

Probatur sequela. Quoties aliqua duo constituunt unum substantiale per se, non potest illud dici duo, sed unum ; si enim constituunt unum per se, non fiunt duo : Sed natura divina et humana constituunt unum per se substantiale in Christo, ut supra ostensum est : Ergo non possunt dici duo, sed tantum unum. Possumus ergo dicere in Christo esse duas naturas, non tamen possumus dicere, Christum esse duo.

Sequitur 1552. Christum non esse alium et alium, imo nec aliud et aliud proprie.

1552. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. Qui est tantum unus et nullo modo duo, non potest dici alius et alius, imo nec aliud et aliud proprie : Sed Christus est tantum unus, et nullo modo duo, ex dictis : Ergo Christus non est alius et alius, imo nec aliud et aliud proprie. Quare si quando Patres dicunt, Christum esse aliud et aliud, explicandum est, quod velint in Christo esse aliam et aliam naturam.

Sequitur 1553. Christum non esse tantum hominem, et nihilominus esse tantum id, quod est homo.

1553. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Qui est Deus et homo, non est tantum homo ; est tamen tantum suppositum, quod est homo : Sed Christus est Deus et homo, ex dictis : Ergo non est tantum homo, quamvis sit tantum unum suppositum, quod est homo.

Sequitur 1554. In Christo non esse nisi unicam existentiam.

1554. — Ibid. a. 2

Probatur sequela. Quod est unum per se, non habet nisi unicam existentiam ; quia ex duobus entibus in actu non potest fieri unum per se ; Sed

Christus est unum per se, ut patet ex dictis : Ergo Christus non habet nisi unicam existentiam. *Major constat :* quia ut fiat unum per se ex duobus, debet unum se habere per modum potentiæ et alterum per modum actus : Atqui ex duobus entibus in actu et existentibus non potest alterum se habere per modum potentiæ; quod enim est ens actu ultima actualitate, non potest esse ens in potentia, ut ex terminis constat : Ergo ex duobus entibus in actu non potest fieri unum per se. *Confirmatur :* Quia tota ratio illorum, qui oppositum opinantur, est eo quod essentia et existentia in rebus creatis non distinguuntur realiter : Atqui hæc ratio nulla est, ut patet ex dictis initio : In solo siquidem actu puro essentia et existentia non distinguuntur : Ergo assertio illorum falsa est. *Confirmatur secundo :* Esse unum et permanere unum, est unica existentia : Sed Christus habet esse unum et unum permanere, ut in 6. Synodo, act. XI, ait Sophronius, cujus verba a toto Concilio approbata sunt : Ergo, etc. Imo ipse Sophronius expresse ait, humanitatem Christi in Verbo habuisse existentiam unam, et non in semetipsa. Denique *probatur sequela* ex ipsa ratione existentiæ : Ultima cujuslibet rei actualitas est existentia : Sed Christus non habuit nisi unicam ultimam actualitatem : Ergo non habuit nisi unicam existentiam. *Minor probatur :* Quod non habet nisi unicam subsistentiam, non habet nisi unicam ultimam actualitatem : Sed Christus non habet nisi unicam subsistentiam : Ergo non habet nisi unicam ultimam actualitatem. *Minor patet :* ex dictis, et est de fide. *Major probatur :* Quod sequitur ad subsistentiam est unum sicut et ipsa subsistentia ; quia non potest sequi ad subsistentiam, nisi terminus, cujus redditur capax per ipsam : Sed existentia sequitur ad subsistentiam ; ut enim diximus supra, per subsistentiam natura finita redditur capax existentiæ : Ergo e xistentia non potest esse nisi una, ubi est una subsistentia.

Sequitur 1555. In Christo non esse nisi existentiam divinam.

1555. — Ibidem.

Probatur sequela. In Christo non est nisi unica existentia : Sed in Christo est existentia divina; cum vere sit et existat Deus, ex dictis ; Ergo in Christo non est nisi existentia divina. *Præterea.* Qui opinantur oppositum, dicunt existentiam creatam humanitatis, et existentiam divi nam componere unum esse perfectum et completum, sicut duæ existentiæ partiales corporis et animæ conficiunt unum esse hominis : Atqui hoc est omnino falsum : neque enim possunt dari partiales existentiæ in eo, quod est unum per se ; alias una existentia non esset ultima actualitas, sed esset potentia ad ulteriorem actualitatem, scilicet ad aliam existentiam : Ergo non potest in Christo esse duplex existentia, sed una tantum, nimirum divina.

Sectio 2ª. — Quantum ad velle.

Sequitur 1556. In Christo esse duas voluntates, divinam scilicet et humanam.

1556. — 3. p. q. 198. a. 1.

Probatur sequela. In eo, in quo sunt duæ naturæ intellectuales realiter inter se distinctæ, sunt etiam duæ voluntates realiter inter se distinctæ; quia, ut diximus in primo principio, ad quamlibet naturam intellectualem resultat voluntas, sive appetitus intellectualis : Sed in Christo sunt duæ naturæ intellectuales, divina, scilicet, et humana : Ergo in Christo sunt etiam duæ voluntates.

Sequitur 1557. In Christo fuisse voluntatem sensualitatis, id est, appetitum sensitivum.

1557. — Ibid. a. 2.

Probatur sequela. In illo, in quo est natura aliqua, est etiam inclinatic

consequens hanc naturam; quia natura non potest esse absque inclinatione, quæ ut proprietas illam consequitur : Sed in Christo. utpote vero homine, fuit natura generica animalis, ad quam resultat inclinatio, quæ est appetitus sensitivus : Ergo in Christo fuit appetitus sensitivus.

Sequitur 1558. In Christo non fuisse nisi unicam voluntatem humanam per modum potentiæ.

1558. — Ibid. a. 5.

Probatur sequela. In una natura non datur nisi una inclinatio, et in una natura intellectuali non datur nisi unica voluntas, sive unicus appetitus intellectualis per modum potentiæ : Sed in Christo non fuit, nisi unica natura intellectualis, sive humana, ut patet ex dictis : Ergo in Christo non fuit nisi unica voluntas humana per modum potentiæ.

Sequitur 1559. In Christo fuisse duos actus voluntatis, alterum circa finem, et alterum circa media.

1559. — Ibidem.

Probatur sequela. Ubicumque est voluntas rationalis, est duplex actus; alter circa finem, et alter circa media, ex dictis in primo principio : Sed in Christo fuit voluntas humana sive rationalis, ex jam dictis : Ergo in Christo fuerunt duo actus, alter circa finem, et alter circa media.

Sequitur 1560. In Christo fuisse liberum arbitrium.

1560. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Ubi est actus circa media, sive electio, est liberum arbitrium, ex dictis in primo principio : Sed ex jam probatis, in Christo est actus circa media, et consequenter electio : Ergo in Christo est liberum arbitrium.

Sequitur 1561. In Christo fuisse aliquam indifferentiam saltem respectu quorumdam objectorum.

1561. — Ibidem.

Probatur sequela. Ubi est liberum arbitrium, est indifferentia saltem respectu aliquorum objectorum, ex primo principio : Sed in Christo fuit liberum arbitrium, ut probatum est : Ergo in Christo fuit indifferentia respectu quorumdam objectorum.

Sequitur 1562. Libertatem Christi non posse salvari per hoc, quod non habuerit præceptum sibi impositum de morte obeunda, a Patre æterno.

Probatur sequela. Libertas Christi non potest salvari per hoc, quod non salvat illam in omnibus actibus meritoriis; cum ut diximus, omnes actus meritorii debeant esse liberi : Sed per hoc, quod non fuerit ipsi impositum præceptum de morte obeunda, non salvatur libertas Christi in omnibus actibus meritoriis; actus enim, quibus adimplevit præcepta affirmativa naturalia, fuerunt meritorii, et tamen fuerunt præcepti, ut omnes fatentur : Ergo per hoc, quod non fuerit impositum preceptum Christo de morte obeunda non potest salvari sufficienter ejus libertas.

Sequitur 1563. Non posse etiam salvari libertatem Christi per hoc, quod non habuit præceptum de morte subeunda, nisi quia voluit, et petiit.

1563. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia etiam per hoc non salvatur libertas Christi in adimpletione præceptorum naturalium, quæ sunt affirmativa.

Sequitur 1564. Non posse etiam salvari libertatem Christi per hoc, quod non erat illi impositum præceptum de omnibus circumstantiis, puta de tali et tanta intentione actus, vel ex tali aut tali motivo vel in tali vel tali instanti etc.

1564. — In 3. dist. 18. q. 2. 4. 5. De verit. q. 29. a. 7. ad 6. Opusc. 3. cap. 238.

Probatur sequela. Obedientia Christi ut obedientia, fuit meritoria, atque adeo libera : Sed per hoc, quod cir, cumstantiæ actus non fuerunt Christo

præceptæ non salvatur, quod obedientia ipsius fuerit meritoria et libera; quandoquidem ut alias dicemus, obedientia respicit rem præceptam, ut præcepta est : Ergo non sufficienter salvatur libertas Christi per illamindifferentiamcircmustantiarum, quatenus non fuit ei præceptum, ut eliceret actum cum tali intentione, ex tali vel tali motivo etc. Adde quod cum voluntas Christi non solum esset impeccabilis, sed etiam esset incapax cujuscumque vel minimi defectus moralis, et aliunde nosset, quanta cum intensione, ex quo motivo, in quo instanti, et in quibus circumstantiis Deus vellet illum elicere suos actus, non poterat illos non elicere eo prorsus modo, quo cognoscebat voluntatem divinam velle, ut illas eliceret.

Sequitur 1565. Non posse etiam salvari libertatem Christi per hoc, quod per præceptum Deus efficaci et physico influxu non determinaret humanam illius voluntatem ad tales actus.

1565. — Ibidem.

Probatur sequela. Per hoc, quod per præceptum, sive positivum sive naturale Deus physico et efficaci influxu non determinaret voluntatem Christi ad actum aliquem, non sufficienter salvatur libertas Christi, si per alium modum Deus physico et efficaci influxu determinaret ipsius voluntatem : Sed ita est, quod per alium modum Deus physico et efficaci influxu determinabat voluntatem Christi ad actus : Ergo per hoc, quod per præceptum Deus non determinaret hoc modo voluntatem Christi, non sufficienter salvatur ejus libertas. *Major patet:* quia si physicus influxus et efficax tollit libertatem, quocumque tandem modo fiat, sive per præceptum, sive per aliquid aliud, semper illam tollet. *Minor patet;* quia, esto per præceptum, utpote aliquid morale et extrinsecum, Deus non determinaret physice et efficaciter voluntatem humanam Christi ad aliquem actum, tamen per ipsam assumptionem humanita is ad subsistentiam Verbi, Deus physice, realiter, et efficaciter determinabat voluntatem ejusdem Christi, ad eliciendos actus, quibus impleret præcepta affirmativa naturalia : non enim potest dici, quod assumptio humanitatis ad subsistententiam Verbi redderet voluntatem Christi tantum moraliter impeccabilem et incapacem defectus, sed debet omnino dici, quod reddebat eam physice, vere, ac realiter impeccabilem, et incapacem cujuscumque defectus moralis respectu præceptorum naturalium affirmativorum. Non poterat, ergo voluntas humana Christi etiam potentia physica, non elicere hujusmodi actus per præcepta naturalia affirmativa imperatos, quatenus hujusmodi actus involvunt defectum moralem.

Sequitur 1566. Non posse etiam salvari libertatem Christi per hoc, quod poterat petere dispensationem præcepti.

1566. — Ibidem.

Probatur sequela. Posse petere dispensationem præcepti non facit, quod omnes Christi actus meritorii sint liberi : Ergo per hoc non salvatur sufficienter ejus libertas : *consequentia* patet ex dictis. *Antecedens* vero est evidens in præceptis positivis naturalibus, a quibus Christus neque potuit petere dispensationem sine defectu, neque debuit.

Sequitur 1567. Non salvari libertatem Christi per hoc, quod Christus potuit in sensu diviso, id est, secluso præcepto, non elicere actum sub præcepto impositum, quamvis id non potuerit in sensu composito, id est, supposito et composito præcepto cum impeccabilitate et voluntate humana Christi.

1567. — Ibidem.

Probatur sequela. Tum quia non potuit hic sensus divisus sic explica-

tus habere locum in præceptis naturalibus positivis, quæ non possunt secludi, cum sint naturalia : Tum etiam, quia hoc est vere fateri Christum non fuisse liberum obediendo ; quod nullo modo dici potest.

Sequitur 1568. Veram rationem, per quam potest salvari libertas Christi cum ejus impeccabilitate, consistere in hoc, quod Christus judicans per intellectum creatum objecta sibi esse secundum se indifferentia, etiam per voluntatem humanam eodem modo, id est, cum indifferentia ferebatur in eadem objecta, et sic in sensu diviso poterat non agere, quæ illi præcepta erant, tametsi non posset non agere in sensu composito, si rite, ac ut par est, ista distinctio explicetur.

1568. — 3. p. q. 8. a. 4.

Probatur sequela. Radix libertatis est indifferentia objectiva judicii, ex primo principio : Sed verus modus explicandi libertatem Christi est ex radice libertatis : Ergo ex judicio indifferenti debet explicari libertas Christi : Atqui per hoc, quod Christus habuit judicium indifferens circa quædam objecta secundum se spectata, habuit indifferentiam objectivam judicii ; ex quo fiebat, ut ipsa voluntas humana Christi etiam cum indifferentia ferretur circa eadem objecta : Ergo ex hoc judicio indifferenti pensanda et desumenda est libertas Christi. Et ex hoc ortum est, quod voluntas Christi sic ferebatur in hæc objecta secundum se considerata, ut ex modo, quo ferrbatur, retineret potentiam ad oppositum ; et sic libere ferebatur in hæc objecta. Vide dicta in 1. principio de sensu composito et diviso.

Sequitur 1569. Eodem modo conciliandam libertatem Christi cum amore beatifico.

1569. — Ibidem.

Probatur sequela. Quidquid non tollit indifferentiam objecitvam ; judicii, non tollit libertatem, qula, ut diximus in primo principio, stante indifferentia objectiva judicii, non potest telli libertas voluntatis ; alias voluntas ferretur in incognitum : Sed amor Dei beatificus non aufert a Christo indifferentiam objectivam judicii de mediis secundum se ; cognoscebat enim illa secundum se esse sibi prorsus indifferentia ; imo vero ipse Deus ut summum bonum propter se dilectum, erat ipsi intellectui ratio, propter quam judicabat cætera objective indifferentia : Ergo amor beatificus in Christo non aufert ejus libertatem. Ratio vero est, quia stante illa indifferentia objectiva judicii, stat in ipsa voluntate potentia ad oppositum eorum, quæ volebat ; et hæc potentia sufficit, ut actus sit liber, ut in primo principio est explicatum. Vide etiam dicta de libertate Dei.

Sequiurr 1570. Scientiam Christi, qua cognoscebat omnes actus suos, cum omnibus eorum circumstantiis prædeffinitos a Deo, non sustulisse illius libertatem.

1570. — Ibidem.

Probatur sequela. Scientia illa Christi non auferebat indifferentiam objectivam judicii : per illam enim judicabat objecta actuum secundum se sumpta, esse sibi indifferentia : Sed stante hac indifferentia objectiva judicii stat libertas, ex dictis : Ergo stante illa scientia, qua judicabat objecta sibi esse indifferentia, stabat libertas.

Sequitur 1571. Voluntatem humanam et rationalem Christi semper fuisse perfectissimo modo conformem voluntati divinæ.

1571. — Ibid. a. 5.

Probatur sequela. Voluntas in qua nullus esse potest vel minimus defectus, semper est omnino et perfectissimo modo conformis voluntati divinæ, præsertim si cognita sit hæc Dei voluntas : Sed Christus noverat omnia, quæ Deus volebat, et in ejus humana voluntate nullus omnino poterat esse

defectus, ex dictis supra : Ergo voluntas humana et rationalis Christi semper fuit perfectissimo modo conformis voluntati divinæ. Unde, quamvis sensualitas sive appetitus, et voluntas ut natura secundum se non essent conformes in volito materiali cum voluntate Dei ; ex imperio tamen rationis idem volebant, quod Deus.

Sequitur 1572. In Christo proprie non fuisse contrarietatem voluntatum.

1572. — Ibid. a. 6.

Pprobatur sequela. Ut sit proprie contrarietas voluntatum requiritur, quod in uno et eodem apppetitu, et secundum idem attendatur diversitas volitionum : Atqui hoc non contigit in Christo : Ergo in Christo non fuit contrarietas voluntatum. *Major patet:* quia quando appetitus sensitivus non trahens secum voluntatem vult unum, et voluntas vult oppositum, non est proprie contrarietas voluntatum seu volitionum : similiter quando appetitus vult unum propter unum motivum, et voluntas vult oppositum propter aliud motivum, non est etiam contrarietas voluntatum proprie. *Minor etiam patet :* Ubi unus appetitus alteri perfecte subordinatur, ita ut unus velit, quod alter appetat, non est diversitas volitionum in uno appetitu et secundum idem : Atqui in Christo voluntas humana etiam ut natura, et appetitus sensitivus subordinabantur voluntati deliberatæ, et hæc voluntati divinæ : imo omnes actus appetitus sensitivi et actus voluntatis rationalis, ut natura est, ex voluntate deliberata Christi Domini procedebant ; et voluntas deliberata in omnibus erat conformis voluntati divinæ ; quæ nihilominus volebat ut in appetitu sensitivo, et in voluntate humana ut natura, essent actus non conformes eidem voluntati divinæ in volito materiali, cum subordinatione ad divinam : Ergo in Christo non fuit diversitas volitionum in uno et eodem appetitu et secundum idem. Itaque Christus secundum appetitum sensitivum, et secundum voluntatem rationalem, ut natura est, volebat non mori, ita nihilominus ut hi actus, quatenus subdebantur voluntati deliberatæ, subordinarentur perfectissime voluntati divinæ, sicut et ipsa voluntas deliberata.

Sequitur 1573. In Christo fuisse actus omnium virtutum non repugnantium beatitudini, et perfectioni personæ divinæ subsistenti in natura humana.

1573. — 3. p. q. 19. a. 1. et 2.

Probatur sequela. Virtutes non otiosæ aliquos actus eliciunt, ut constat : Sed in Christo fuerunt omnes virtutes, quæ non repugnabant perfectioni personæ vel statui beatitudinis ; et illæ non fuerunt in ipso otiosæ ; esset enim defectus moralis, si otiosæ fuissent : Ergo fuerunt in eo actus omnium virtutum.

Sequitur 1574. In Christo fuisse actus naturales et supernaturales.

1574. — Ibidem.

Probatur sequela. Ubi sunt actus omnium virtutum, sunt actus naturales et supernaturales ; quia inter virtutes, aliæ sunt ordinis naturalis, aliæ supernaturalis : Sed in Christo fuerunt actus omnium virtutum, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 1575. In Christo fuisse simplicem voluntatem, intentionem, consensum, electionem, usum, et fruitionem.

1575. — Ibidem.

Probatur sequela. Ubi est modus rationalis procedendi et tendendi in finem, sunt omnes isti actus, ut patet ex dictis in primo principio : Sed in Christo fuit modus rationalis procedendi et tendendi in finem, cum Christus fuerit verus homo : Ergo in Christo fuerunt omnes isti actus.

Sequitur 1576. In humana et rationali Christi voluntate fuisse amorem, odium, desiderium, fugam, fruitionem, tristitiam, iram, audaciam, timorem, spem, et aliquo modo desperationem.

1576. — Ibidem.

Explicatur : De amore, odio, desiderio, fuga, fruitione, ira, audacia, nulla prorsus est difficultas : Christus enim humana voluntate amavit Deum, odio habuit peccata, desideravit gloriam corporis, fugit mala, ut quando voluerunt ipsum lapidare, fruebatur Deo, iratus est contra ementes et vendentes in templo, audacter aggressus est pericula, potuit etiam sperare aliquid ipsi humanæ voluntati arduum, potuit desperare, v. g. de salute damnatorum : timuit etiam Deum dono timoris. Tristia vero fuit in Christo nedum in appetitu sensitivo, sed etiam in ipsa voluntate saltem ut natura, imo et ut est ratio inferior; non tamen fuit in eo tristitia secundum rationem sive portionem superiorem : ratio siquidem superior illa est, ut alias diximus, quæ æternis conspiciendis et consulendis intendit, id est, quæ speculatur æterna, et ex illis rationes sive regulas agendorum desumit. Humana ergo Christi voluntas quatenus præcise dirigebatur a ratione speculante æterna, vel desumente éx illis regulas agendorum, nulli tristitiæ poterat subjacere, quia perfectissimo fruitionis beatifice gaudio perfusa erat : quatenus vero eadem voluntas dirigebatur a ratione intendente rebus temporalibus vel etiam corpori, poterat in ea esse tristitia, puta de peccatis hominum, de damnatione illorum, de læsione corporis. Unde poterat stare hæc tristitia licet summa cum summo gaudio: tum quia hæc duo non erant proprie contraria, cum non essent de uno et eodem, et secundum idem; tum etiam quia tristitia non attingebat portionem superiorem per se, sed tantum per accidens : non est autem inconveniens unum et idem moveri duobus motibus contrariis ; si uno moveatur per se, altero per accidens ; sicut patet in eo, qui intra navim movetur in contrarium ejus ad quod navis movetur. Vide D. Th. q. 26. de Verit. a. 10. Et ex his patet sequela.

Sequitur 1577. In voluntate Christi rationali, prout pertinet ad rationem inferiorem, potuisse esse actus inefficaces et conditionatos; non autem prout pertinet ad rationem et portionem superiorem.

1577. — 3. p. q. 18. a. 5.

Probatur sequela. Voluntas ut directa per rationem considerantem et consulentem æterna, non potuit nisi velle absolute, quæ Deus volebat, ut patet ex dictis; quatenus vero eadem voluntas dirigebatur per rationem ut considerantem rationes inferiores, potuit velle alia sub conditione, ut etiam constat ex his, quæ diximus : Sed hoc et nihil aliud est habere actus efficaces in voluntate ut est ratio superior, et habere actus inefficaces in eadem ut est ratio inferior : Ergo, etc. *Minor constat :* quia voluntas ut ratio superior est appetitus rationalis ut directus per ipsam rationem, ut considerantem æterna ; et ut est ratio inferior est idem appetitus ut considerantem rationes inferiores; velle autem aliquid absolute est actus absolutus et efficax, et velle conditionate est actus inefficax.

Sequitur 1578. Voluntatem efficacem Christi semper fuisse impletam.

1578. — 3. p. q. 13. a. 5.

Probatur sequela. Voluntas conformis divinæ voluntati semper impletur, sicut et ipsa voluntas divina, ex dictis supra : Sed voluntas efficax Christi fuit semper conformis divinæ, ut jam diximus. Ergo voluntas efficax Christi fuit semper impleta.

Sequitur 1579. Voluntatem inefficacem Christi non semper fuisse impletam.

1579. — 3. p. q. 13. a. 5.

Probatur sequela. Voluntas inefficax etiam Dei non semper impletur, ut ostendimus : Sed voluntas humana Christi non fuit efficacior voluntate Dei, ut constat : Ergo, etc.

Sectio 3ª — Quantum ad operari, (ubi de merito Christi).

Sequitur 1580. In Christo non fuisse unam tantum operationem, quæ simul esset divinitatis et humanitatis.

1580. — 3. p. q. 19, a. 1.

Probatur sequela. Quando movens et motum habent diversas formas et virtutes operativas, ibi est alia operatio moventis, et alia operatio propria moti licet motum participet operationem moventis, et movens utatur operatione moti : Sed in Christo divinitas movens et humanitas mota habent diversas formas et virtutes operativas, ut patet ex dictis : divinitas enim habet omnipotentiam ; humanitas habet etiam suas potentias operativas : Ergo in Christo est alia operatio Dei moventis, et alia operatio humanæ naturæ, ac subinde non unica utriusque.

Sequitur 1581. In Christo fuisse tantum unam operationem humanam secundum principium activum, id est, inesse unicum principium creatum, a quo ejus operationes dicerentur humanæ.

1581. — Ibid. a. 7.

Probatur sequela. Ubi est unica ratio et unica voluntas, est etiam unica operatio humana secundum principium activum ; quia operatio dicitur humana a ratione et voluntate humana ut principio : Sed in Christo fuit tantum unica ratio et unica humana voluntas, sicut et unica natura humana : Ergo fuit in Christo unica tantum operatio humana secundum principium activum. Adverte autem, quod ait D. Thomas, nimirum in Christo operationes partis sensitivæ et nutritivæ imo et corporales, fuisse aliquatenus humanas, quia aliquo modo ex voluntate ipsius pendebant.

Sequitur 1582. Actionem humanam Christi fuisse ipsi meritoriam.

1582. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Nobiliori modo habetur id, quod habetur per meritum, quam id, quod habetur sine merito, dummodo non sit hujusmodi, ut ejus carentia, etiam ad tempus, magis præjudicet dignitati, quam meritum afferat dignitatis : Sed Christo debet tribui nobilior modus habendi omne illud, quod ad perfectionem et dignitatem pertinet, ut constat ex dictis : Ergo Christo debet tribui modus habendi per meritum respectu cujuscumque perfectionis, cujus carentia etiam ad tempus non deroget dignitati ipsius Christi. *Major probatur.* Habere per se nobilius est, quam habere per alium ; quia causa per se, nobilior est quam causa per aliud : Sed habere per meritum est habere per se ; nam quod meremur per nos habemus eo modo, quo potest haberi per se, videlicet, non quasi nos auctoritative id producamus (quod solius Dei est) sed quia a Deo per proprios actus illud consequimur : Ergo nobilius est habere per meritum, quam sine merito. *Confirmatur :* Omnis viator habens gratiam et charitatem, et ex illis operans libere, meretur apud Deum, ut patet ex dictis supra : Sed Christus fuit viator, gratissimus Deo, habuitque gratiam et charitatem, ex quibus libere operatus est, ut ostendimus. Ergo Christus meruit apud Deum.

Sequitur 1583. Amorem Dei, sive actum charitatis in Christo, etiam ut terminabatur immediate ad divinam bonitatem, quatenus illa est ratio diligendi creaturas in actu exercito, fuisse meritorium.

1583. — Ibid. ad. 1, In 3. dist. 18. q. 1. a. 2. Quæst. 29 de verit. art. 6. ad. 6.

Probatur sequela. Actus bonus su-

pernaturalis, a viatore elicitus libere, est meritorius, ex dictis supra : Sed in Christo actus charitatis ut terminabatur immediate ad divinam bonitatem, quatenus illa est ratio diligendi creaturas in actu exercito, fuit actus bonus, supernaturalis, a viatore elicitus, ut omnes concedunt, et fuit liber : Ergo in Christo fuit meritorius; *Minoris ultima pars*, in qua sola est difficultas, *probatur :* ut actus aliquis sit liber libertate actuali, sufficit, quod ex indifferentia objectiva judicii ita attingat objectum sub aliqua ratione, ut ex vi modi, quo illud sub illa ratione attingit, possit non attingere, hoc est, maneat in ipsa virtute eliciente hunc actum, vis non attingendi illud idem objectum, ut patet ex his, quæ in primo principio diximus de libertate in communi, et ex his, quæ in hoc secundo principio docuimus de libertate Dei, et de libertate Christi : Sed in Christo actus charitatis ut terminabatur immediate ad ipsam divinam bonitatem, quatenus illa in actu exercito est ratio diligendi creaturas, erat hujusmodi : Ergo ille actus ut sic, erat liber. *Minor probatur :* Ille actus charitatis erat ex indifferentia objectiva judicii, Christus enim per ipsam visionem beatificam judicabat solum Deum secundum se esse bonum habens omnimodam rationem boni, alia vero propter illud bonum diligenda, esse objective indifferentia secundum seipsa : Sed supposito hoc judicio sic objective indifferenti actus ille charitatis regulatus illo judicio, ita attingebat suum objectum sub ea ratione, ut ex modo attingendi posset illud non attingere, et vi illius modi maneret in ipsa voluntate Christi vis non attingendi illud : Ergo actus ille charitatis in Christo habet omnia ad libertatem requisita.

Explicatur magis. Actus charitatis, quo Christus diligebat Deum propter ipsum Deum præcise ut sic, erat omnino necessarius ; idem vero actus charitatis, quo Christus diligendo Deum propter ipsum Deum, debebat omnia alia diligere etiam propter ipsum Deum, etiam præcise ut sic, et sub communi hac ratione, erat necessarius quoad specificationem; sed ille idem actus charitatis, quo Christus, diligendo Deum propter ipsum Deum, diligebat etiam in actu exercito res creatas, has et illas in particulari, propter ipsum Deum, erat liber, imo liberrimus, eò plane modo, quo diximus supra, quod actus ipse Dei, quo vult seipsum, imo etiam quo attingit creaturas propter suam bonitatem, est necessarius, et nihilominus ille idem actus, ut attingit has creaturas in particulari et in actu exercito, est liber, imo liberrimus libertate actuali. Quare, sicut perfectissima sapientia creata, est illa quæ perfectissime, quantum fieri potest, assimilatur sapientiæ divinæ, ita actus perfectissime liber in Christo, et in beatis, est ille, quo perfectissime, quantum fieri potest, assimilantur perfectissimæ libertati Dei.

Sequitur 1584. Actum charitatis, quo Christus meruit, non fuisse distinctum specie ab actu charitatis, quo fruebatur Deo.

1584. — Ibidem.

Probatur sequela. Tum quia non dantur duo specie distincti actus charitatis; alias etiam deberet dari duplex specie distinctus habitus charitatis, quod in tertio principio ostendemus esse impossibile ; Tum etiam, quia actus ipse charitatis, quo Christus fruebatur Deo, erat sufficienter liber, ut posset per illum mereri, eo modo, quo explicatum est.

Sequitur 1585. Actum charitatis, quo Christus meruit, non fuisse etiam solo numero distinctum ab actu charitatis, quo fruebatur Deo.

1585. — Ibidem.

Probatur sequela. Tum quia ille idem numero actus est liber quantum requiritur ad meritum : Tum etiam, quia duo accidentia solo numero dis-

tincta non possunt esse in uno et eodem subjecto, ut ostendimus in primo principio. Quare necessarium fuisset, ut Christus cessasset ab amore beatifico, et a fruitione Dei, ad hoc ut eliceret actum amoris meritorium : imo vero cum per totam vitam meruerit, nunquam potuisse simul habere fruitionem Dei ; vel dicendum foret nunquam potuisse mereri. Utrumque autem est falsum : Ergo, etc.

Sequitur 1586. Christum Dominum meruisse in primo instanti conceptionis, et deinceps sine intermissione usque ad finem vitæ, id est, usque ad illud instans, quo anima ipsius fuit separata a corpore, et non postea.

1586. — 3. p. q. 34. a. 3.

Probatur sequela. Quamdiu est actus meritorius, est meritum : Sed in Christo fuit actus meritorius in primo instanti conceptionis, et deinceps usque ad separationem animæ rationalis a corpore ; tunc enim cessavit in ipso status viatoris requisitus ad meritum, ut ostendimus : Ergo, etc.

Sequitur 1587. Christum Dominum non meruisse per mortem suam, ut erat in facto esse, sed tantum quatenus erat in fieri.

1587. — 3. p. q. 50. a. 6. ad 1.

Probatur sequela. Quando non est status viatoris non est meritum actu, ex dictis supra : Sed in morte quatenus fuit in facto esse, non fuit status viatoris, ut constat : Ergo nec meritum actu. Hinc habes Christum non meruisse, quando vulnus lancea fuit inflictum, sive quando latus ejus lancea fuit apertum : quia jam erat mortuus, ut est de fide, atque adeo erat extra statum viæ.

Sequitur 1588. Christum Dominum meruisse per omnes omnino actus a charitate imperatos.

1588. — 3. p. q. 19. a. 3.

Probatur sequela. Quia omnes isti actus eliciti a Christo viatore habebant omnes conditiones necessarias ad meritum.

Hinc habes, Christum Dominum meruisse per actus etiam partis sensitivæ, et vegetativæ quatenus subdebantur potestati ipsius, ut docet D. Th. 3. p. q. 13, a. 3. Meruit etiam Christus per actus, quibus miracula patrabat, propter eamdem rationem. Denique meruit etiam per ipsam mortem ut in fieri : unde dicitur, quod posuit animam suam, tradidit, et emisit spiritum etc.

Habes etiam Christum meruisse et dormiendo et inter dormiendum : quia semper libere amabat Deum modo explicato.

Sequitur 1589. Christum Dominum potuisse de potentia absoluta mereri sibi primam gratiam habitualem et primam gloriam, si fuisset assumpta humanitas ad unionem hypostaticam absque gratia habituali et absque gloria, et Deus per auxilium actuale elevasset humanam Christi voluntatem ad eliciendum actum aliquem supernaturalem.

Probatur sequela. Quia in illo casu actus ille elicitus per auxilium illud haberet omnia necessaria ad meritum ; esset enim actus liber, bonus, supernaturalis, ordinatus ad gratiam et gloriam, neque gratia habitualis esset illius principium ; aliunde vero suppositum ex vi unionis hypostaticæ supponitur infinite gratum Deo : Ergo, etc.

Sequitur 1590. Christum Dominum non potuisse connaturaliter mereri sibi primam gratiam habitualem.

1590. — Ibidem.

Probatur sequela. Ut quis connaturaliter mereatur, debet habere connaturale principium meriti : Sed connaturale principium omnis meriti est gratia habitualis : Ergo ut Christus connaturaliter mereretur, debuit ha-

bere gratiam tanquam principium connaturale meriti. Hoc autem supposito, Christus non potuit mereri gratiam habitualem; quia, ut alias diximus, principium meriti non cadit sub meritum. Est præterea alia ratio, cur Christus connaturaliter non potuerit mereri primam gratiam, imo nec primam gloriam, quia supposito, quod connaturaliter exigit non esse in aliqua natura nisi habente gratiam et gloriam, connaturaliter non potest mereri gratiam et gloriam; cum, ut ait D. Th. 3. p. q. 19. a. 3. meritum fit ejus, quod nondum habetur : Atqui Christus est supposito, quod exigit non esse in natura humana, nisi habente gratiam et gloriam : Ergo Christus connaturaliter non potest mereri gratiam et gloriam. Unde habes, quod de facto non meruit illas sibi.

Sequitur 1591. Supposito, quod Christus nunquam caruerit gratia et gloria, illum non potuisse mereri eas per actus aliquos natura priores.

1591. — Ibidem.

Probatur sequela. Primo; quia implicat gratiam habitualem et charitatem esse in aliquo operante actus charitatis, et non esse principium effectivum illorum actuum : Sed supposito quod gratia et charitas sint principium effectivum alicujus actus, implicat illum actum esse meritorium ejusdem gratiæ et charitatis; implicat enim principium meriti esse terminum et præmium : Ergo supposito quod Christus nunquam caruerit gratia, non potuit mereri illam per aliquos actus natura priores. *Major,* in qua sola est difficultas, *probatur :* Vis activa in potentia existens agit quotiescumque potentia agit circa objectum illius virtutis activæ, et implicat manifeste potentiam agere circa objectum alicujus habitus in ea existentis, et habitum illum non influere in eum actum quem potentia elicit, quia eo ipso, quod potentia est instructa habitu, non potest agere nisi cum habitu, neque potest libertas suspendere influxum habitus, et influere per solam potentiam.

Secundo probatur eadem sequela : Supposito, quod Christus in quolibet instanti reali habuerit gratiam et gloriam, nullus actus charitatis potuit elici ab illo prior natura in genere causæ meritoriæ, respectu ejusdem gratiæ et gloriæ : Ergo non potuit Christus per actus priores natura, mereri gratiam et gloriam quam habebat. Consequentia est evidens : quia prioritas naturæ utcumque non sufficit, ut actus sit meritorius, sed debet esse prioritas in genere causæ meritoræ, ita ut sit verus influxus causæ moralis in actu respectu præmii. *Antecedens vero probatur* : Quia quamvis genus causæ meritoriæ ex una parte ad genus causæ dispositivæ revocetur, ex D. Th. 1. p. q. 23. a. 5. nihilominus actus meritorius habet influxum moralem effectivum respectu præmii; atque adeo quodammodo spectat ad causam efficientem. Etvero actus meritorius duo habet : disponit enim subjectum moraliter ad recipiendum præmium; et provocat præmiantem ad conferendum præmium; ex primo capite se tenet ex parte causæ materialis; ex secundo habet rationem causæ efficientis. Unde implicat actum meritorium esse tantum priorem præmio in genere causæ materialis. Denique scientia dirigens in Christo actum charitatis est scientia beata, supposito quod illam habeat, vel scientia infusa, quæ emanat ex scientia beata : Atqui hoc posito implicat Christum per actum charitatis mereri ipsam scientiam beatam; cum hæc sit principium meriti : Ergo supposito, quod Christus in eodem instanti habuerit scientiam beatam, non potuit mereri per actum charitatis natura priorem, ipsam scientiam beatam sive gloriam.

Sequitur 1592. Meritum Christi fuisse simpliciter infinitum

1592. — In 2. dist. 9. a. 8. ad. 2. in 4. dist. 14. q. 2. a. 1. qu. 1. et dist. 15. q. 1. a. 2. ad. 1. De verit. q. 29. a. 3. Opusc. 3. c. 138.

Probatur sequela. Meritum personæ habentis dignitatem infinitam est simpliciter infinitum : Sed meritum Christi est meritum personæ habentis dignitatem simpliciter infinitam : Ergo est simpliciter infinitum. *Major et Minor constant* ex his, quæ supra diximus de satisfactione Christi.

Sequitur 1593. Christum meruisse sibi omnia auxilia ad omnes actus liberos, quos elicuit, exceptis primo actu meritorio, et iis quæ sunt de essentia vel de integritate beatitudinis animæ ; imo etiam meruisse auxilia ad opera miraculosa, quæ patravit.

1593. — Ibidem.

Probatur sequela. Meritum simpliciter infinitum se extendit ad omnia, que possunt cadere sub meritum, dummodo is, qui meretur, ordinet illud ad ea : Sed meritum Christi fuit simpliciter infinitum, et Christus ordinavit suum meritum ad omnia, quæ ad finem redemptionis humanæ spectabant : Ergo, cum auxilia ad actus omnes ejus liberos, et ad opera miraculosa, quæ patrabat, spectarent ad hunc finem, Christus meruit omnia illa. Primum vero auxilium mereri non potuit ; quia illud fuit primum principium totius meriti. Similiter mereri non potuit auxilia ad actus beatitudinis ; alias meruisset suam ipsam beatitudinem quod supra ostendimus impossibile.

Sequitur 1594. Christum Dominum non meruisse sibi scientiam infusam, impeccabilitatem, et omnia alia, quæ in primo instanti conceptionis habuit.

1594. — 3. p. q. 19. a. 3.

Probatur sequela. Christus non potuit mereri, quæ præsupponebatur habere, quando actu merebatur merito infinito : Sed Christus præsupponebatur habere scientiam infusam, impeccabilitatem, et alia hujusmodi, quando meruit merito infinito ; ista enim omnia præsupponuntur ad omnem illius actum et meritum, ut constat : Ergo illa non meruit.

Sequitur 1595. Christum Dominum meruisse omnia quæ temporis successu acquisivit ; saltem secundum quod ista ad finem redemptionis humanæ ordinabantur.

1595. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia meritum infinitum simpliciter potest se extendere ad illa omnia, dummodo ex intentione merentis ad illa ordinetur : Ordinatum autem fuisse meritum Christi ad illa, satis constat ex dictis.

Sequitur 1596. Christum Dominum meruisse gloriam corporis sui, omnimodam impassibilitatem animæ statim post mortem, resurrectionem, et omnes dotes corporis gloriosi, triumphum ascensionis suæ, exaltationem nominis, regnum et dominium, judiciariam potestatem, et cætera omnia, quæ subsecuta sunt post primum actum ejus meritorium.

1596. — Ibidem.

Probatur sequela eadem ratione : Quia meritum Christi fuit infinitum, et ad ista omnia ordinatum, ut patet ex dictis.

Sequitur 1597. Christum Dominum meruisse nobis omnia omnino bona, quæ post peccatum originale collata sunt hominibus, quæcumque tandem illa sint quæ quocumque modo ad salutem spectant.

1597. — Ibid. a. 9.

Probatur sequela. Meritum infinitum simpliciter Redemptoris omnium, ad omnia omnino dona redemptionis extendi potest et debet : Sed meritum Christi est meritum infinitum simpliciter Redemptoris omnium, ut constat ex dictis : Ergo meritum Christi

extenditur ad omnia dona redemptionis, excepta tamen ipsa Incarnatione.

Quare Christus meruit quoad sufficientiam, remissionem omnium omnino peccatorum, primam gratiam sanantem, omnia auxilia gratiæ, omnes dispositiones ad gratiam, tam proximas, quam remotas, omnia merita nostra, remissionem peccatorum venialium, remissionem pœnæ temporalis debitæ ob peccata remissa, donum perseverantiæ, et gloriam. Specialiter tamen meruit quoad efficaciam, applicationem suorum meritorum iis omnibus, quibus de facto applicantur, sive applicentur per sacramenta, sive alio modo : unde parvulis, qui baptizantur, meruit applicationem baptismi; adultis, qui per auxilium gratiæ convertuntur, meruit ut auxilium illud de facto applicaret eos ad conversionem; et sic prædestinatis et electis meruit donum perseverantiæ, quo de facto perseverent : Animabus etiam in Purgatorio existentibus meruit omnem pœnæ relaxationem, quæ fit per indulgentias, satisfactiones vivorum, suffragia Ecclesiæ, etc. Remissionem vero, quæ fit per satispassionem, cum proprie non sit remissio, sed solutio, non meruit, nisi quatenus illis meruit gratiam, ratione cujus illa satispassio habet ut non sit inutilis. Meruit etiam bona temporalia, quatenus ad salutem animæ conducunt.

Sequitur 1598. Christum non meruisse angelis gratiam sanctificantem, vel gloriam essentialem.

1598. — In 3. dist. 15. q. 2. a. 2. q. 1. De verit. q. 29. a. 4. ad. 5. et a. 7. ad. 5.

Probatur sequela. Omnis gratia ex meritis Christi est gratia Redemptoris : ut enim diximus, Christus prædestinatus et decretus est ad hoc solum ut esset Redemptor; unde Adamo non peccante non venisset : Atqui gratia sanctificans angelorum non est gratia Redemptoris, ut fatentur etiam auctores oppositæ sententiæ : Ergo gratia angelorum non fuit ex meritis Christi; nec consequenter gloria essentialis, quæ gratiæ sanctificanti respondet.

Dices : Christus sibi ipsi plura meruit auxilia, quæ non pertinent ad gratiam Redemptoris; neque enim seipsum redemit.

Sed contra : Quia gratia Christi fuit gratia Redemptoris active; unde omnia auxilia, quæ habuit, ei data sunt in ordine ad redimendos homines, non ad redimendum seipsum. Cum ergo dicitur, quod omnis gratia ex meritis Christi fuit gratia redemptionis, intelligitur quod fuit gratia ordinata ad finem incarnationis, qui est gloria Dei per redemptionem humani generis procuranda. Oportet ergo, quod omnis gratia, quæ est in Christo, sit ad redemptionem hominum ordinata tanquam principium activum ipsius redemptionis aliquo modo; omnis autem gratia, quæ dimanat ab ipso Christo ut Redemptore, debet esse ordinata ad finem redemptionis, ita ut sit vere gratia redemptiva aliquo modo. Gratia vero angelorum non est vere ac proprie redemptiva, ut constat : Ergo, etc.

Sequitur 1599. Christum meruisse angelis aliqua dona gratiæ, et gloriam accidentalem.

1599. — Ibidem.

Probatur sequela Omnis gratia redemptionis, sicut et gloria illi correspondens, fuit ex meritis Christi, ex dictis : Sed aliqua dona gratiæ, et gloria accidentalis illis correspondens in angelis sunt gratia redemptionis : Ergo aliqua dona gratiæ et gloria accidentalis illis correspondens in angelis sunt ex meritis Christi. *Minor patet :* quia multa angeli recipiunt, tum lumina, tum affectus circa homines redemptos a Christo, ut est evidentissimum.

CAPUT III.

De his quæ conveniunt Christo per comparationem ad Patrem.

Sectio 1ª. — De subjectione ad Patrem.

Sequitur 1600. Christum ut hominem esse minorem Patre.

1600. — 3. p. q. 23. a. 1.

Probatur sequela. In his quæ non mole sed virtute magna sunt, idem est esse majus ac esse melius vel perfectius : Sed Christus ut homo est minus perfectus quam Pater, ut patet : Ergo Christus secundum quod homo est minor Patre.

Sequitur 1601. Christum ut hominem esse minorem seipso, ut Deus est.

1601. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia omnis homo ut homo, minorem habet perfectionem et bonitatem, quam Deus, ut patet ex dictis.

Sequitur 1602. Christum ut hominem esse subjectum Patri.

1602. — Ibidem.

Probatur sequela. Natura, quæ subjacet operationi divinæ dispositionis, est subjecta Patri æterno : Sed per hoc, quod Christus ut homo dicitur subjectus Patri, denotatur quod natura illius humana subjaceat operationi divinæ dispositionis, sicut et ceteræ omnes res creatæ : Ergo Christus ut homo vere est subjectus Patri.

Sequitur 1603. Christum ratione humanæ naturæ esse subjectum sibi ipsi ratione naturæ divinæ.

1603. — Ibid. a. 24.

Probatur sequela. Quod convenit naturæ, convenit etiam supposito habenti naturam ratione illius naturæ : Sed subjectio convenit naturæ humanæ tanquam rei creatæ : Ergo subjectio convenit etiam Christo ut supposito habenti naturam humanam ratione naturæ humanæ, respectu sui ipsius ut habentis naturam divinam : Est ergo hoc sensu subditus sibi ipsi.

Sequitur 1604. Christum ut hominem sive ratione humanæ naturæ esse capacem obedientiæ respectu Patris æterni et respectu sui ipsius, ut habentis naturam Divinam.

1604. — 3. p. q. 7. a. 3. ad. 2. in 3. dist. 36. a. 2.

Probatur sequela. Omnis natura subjecta, si sit intellectualis, est capax obedientiæ respectu superioris : Sed natura humana in Christo est subjecta, tum Patri æterno, tum ipsimet Christo ut Deo, et est intellectualis, ut patet ex dictis : Ergo est capax obedientiæ respectu Patris æterni et ipsiusmet Christi ut est Deus.

Sequitur 1605. Christum ut hominem sive ratione naturæ humanæ esse capacem præcepti.

1605. — Ibidem.

Probatur sequela. Capax obedientiæ est capax præcepti ; quia obedientia per se primo respicit præceptum : Sed Christus ut homo sive ratione humanæ naturæ est capax obedientiæ, ex dictis : Ergo est capax præcepti.

Sequitur 1606. Christum ut hominem esse capacem præcepti, etiam ut importat vim obligandi.

1606. — Ibidem.

Probatur sequela. Præceptum ut præceptum, et prout distinguitur a consilio et mandato late sumpto, importat vim obligandi, ut alias ostendemus : Sed Christus, ut homo, est capax præcepti, ut præceptum est, et quatenus distinguitur a consilio et mandato ; obedientia siquidem respicit præceptum, ut præceptum est, quia respicit superiorem, ut habet potestatem obligandi : Ergo Christus ut homo, est capax præcepti ut importat vim obligandi.

Nec valet, quod non sit capax comminationis pœnæ, ad quam ex conse-

quenti præceptum obligat : quia hoc non requiritur per se, ut quis sit capax præcepti ; sufficit enim, quod quis sit capax præmii, quod datur pro impletione præcepti.

Sequitur 1607. Christum ut hominem fuisse subjectum legi æternæ.

1607. — 1. 2. q. 91 a. 4. ad. 2.

Probatur sequela. Qui subditur Deo, subditur legi æternæ ; lex enim æterna est ipsemet Deus, sive ipse intellectus divinus præscribens creaturæ, præsertim rationali, id ad quod tenetur : Sed Christus ut homo erat subditus Deo, ex dictis : Ergo etiam erat subditus legi æternæ.

Sequitur 1608. Christum ut hominem subditum fuisse legi naturali.

1608. — Ibidem.

Probatur sequela. Lex æterna ut præscribens nobis, quæ agere tenemur, per ipsum dictamen rationis, est ipsa lex naturalis : Sed Christus ut homo subdebatur legi æternæ ut præscribenti agenda, ut patet ex dictis : Ergo Christus ut homo subdebatur legi naturali.

Sequitur 1609. Christum ut hominem subditum fuisse legi divinæ, ut præscribit actus supernaturales.

1609. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui subditur legi æternæ subditur legi divinæ, ut præscribenti actus supernaturales, supposita elevatione ad ordinem supernaturalem ; hæc enim lex divina est ipsa lex æterna supposita illa elevatione. Atqui Christus ut homo erat subditus legi æternæ supposita elevatione ad ordinem supernaturalem : Ergo subdebatur etiam legi divinæ ut præscribenti actus supernaturales.

Sequitur 1610. Christum Dominum etiam ut hominem nullis legibus humanis positivis fuisse subjectum.

1610. — In 2 dist. et 4. q. 2 dis 1.2.

Probatur sequela. Supremus Dominus non subditur legibus positivis subditorum ; hoc enim ipso, quod est supremus Dominus est independens a subditis : Sed Christus etiam ut homo fuit supremus rex et Dominus omnium hominum ob dignitatem naturæ subsistentis personalitate divina, ut etiam infra ostendemus, et patet ex dictis : Ergo Christus etiam ut homo non subdebatur positivis legibus hominum. Quod ita verum est, ut teneretur quidem venerari matrem ex lege naturali, sed propter dominium supremum, quod habebat in illam, sicut et in reliquos homines, non tenebatur ad illam specialem subjectionem erga illam, quæ legibus humanis introducta est.

Sequitur 1611. Christum Dominum etiam ut hominem non fuisse subditum præceptis positivis veteris legis, quatenus præcise a lege positiva introducta erant.

1611. — 3. p. q. 372. 1. 3. et 4. et q. 40. a. 4.

Explicatur. In veteri lege erant quædam præcepta moralia legis naturæ ; et ad hæc tenebatur Christus ut homo, ex dictis ; erant etiam præcepta quædam positiva, puta cæremoniala et judicialia.

Probatur sequela. Supremus Dominus non tenetur legibus, quæ pro solis subditis latæ sunt, ut constat : Atqui lex illa vetus data est pro solis hominibus subditis legi peccati, et qui via ordinaria erant a populo Judæorum propagati : Ergo, cum hoc Christo Domino etiam ut homini non competat, ipse etiam ut homini non subdebatur præceptis illis veteris legis.

Sequitur 1612. Licet etiam Christus [illegible] sponte subdiderit legi circumcisionis, ob hanc tamen non fuisse subditum veteri legi.

1612. — Ibidem.

Probatur sequela. Habens supremam potestatem, qua potest etiam abrogare legem, non obligatur ulli legi ex iis, quas potest abrogare, e-

tiam supposito, quod aliquam voluerit observare, ut constat : Sed Christus etiam ut homo habuit supremam potestatem, qua poterat totam legem veterem abrogare, iis dumtaxat exceptis, quæ erant de lege naturæ, ut patet ex dictis, et infra etiam, fusius ostendemus : Ergo etiam supposita circumcisione non tenebatur Christus observare legem veterem.

Sequitur 1613. Christo ut homini impositum fuisse præceptum redimendi genus humanum per passionem et mortem suam.

1613. — 3. p. q. 48. 6. 4. et 6. 1. In 3. dist. 19 a. q. q. 1.

Probatur sequela. Qui agit ex obedientia proprie dicta, habet impositum sibi præceptum ; quia obedientia proprie dicta respicit præceptum, ut diximus : Sed Christus redemit humanum genus per passionem et mortem suam ex obedientia proprie dicta, juxta Paulum ad Philip. 2. et ad Rom. 5. Ergo Christus ut homo habuit hoc præceptum sibi impositum.

Sequitur 1614. Christum ut hominem posse dici servum respectu Dei, generali servitute.

1614. — 3. p. q. 20. a. 1. ad. p.

Probatur sequela. Subditus Deo ut domino potest dici servus respectu Dei, quoad servitutem illam generalem, quæ competit omni rei creatæ : Sed Christus ut homo, est subditus Deo, eo modo, quo res omnis creata ipsi subditur : Ergo Christus ut homo potest dici servus servitute illa generali.

Sequitur 1615. Christum etiam ut hominem non posse dici servum, quasi obsequeretur Deo timore ac conditione servili, aut servitute pœnali ex peccato contracta ; sive non posse dici fuisse unquam ita servum, ut non fuerit semper Dominus, sed postmodum factus fuerit Dominus ; vel etiam absolute ac simpliciter non posse dici servum. *Probatur sequela.* Christus neque absolute ac simpliciter potest dici, id quod repugnat supposito divino ; neque etiam ut homo potest dici id, quod repugnat dignitati naturæ humanæ, ab ipso conceptionis instanti assumptæ ad unionem hypostaticam, ut constat ex dictis : Sed esse servum, sicut et esse subditum, repugnat supposito divino, utpote quod est æquale Patri ; ratio etiam conditionis servilis aut pœnalis ex peccato contractæ, aut servitutis, quæ sit hujusmodi, ut transierit a statu servili ad statum domini post nativitatem, repugnat dignitati naturæ humanæ a primo conceptionis instanti assumptæ ad unionem hypostaticam, ut patet ex iis, quæ diximus : Ergo nullo ex his modis potest dici servus. Et hoc sensu Adrianus Papa et concilium Francordiense deffinierunt adversus Elipandum non posse Christum dici servum.

Sectio 2ª. — De Oratione Christi.

Sequitur 1616. Christo ut homini competere orationem.

1616. — 3. p. q. 21. ad 1.

Probatur sequela. Explicatio voluntatis subditæ et inferioris, et ex se insufficientis ad illud, quod quis petit, apud eum a quo petit, est oratio : Sed Christo ut homini hæc omnia conveniunt ex dictis ; habet enim voluntatem humanam Deo subditam et inferiorem, et ex se insufficientem ad implenda illa, quæ petebat a Deo : Ergo Christo ut homini convenit orare.

Sequitur 1617. Christum orasse secundum sensualitatem hoc sensu, quod ejus ratio et pars superior explicavit Deo desiderium, quod in parte sensitiva sive in appetitu suo sensitivo erat de aliqua re ; non autem, quod ipse appetitus sensitivus oraverit.

1617. — Ibid. av. 2.

Probatur sequela. Quia in hoc nulla involvitur imperfectio repugnans dignitati Christi et hoc fuit necessarium,

ut ostenderet humanam sibi vere inesse naturam ; et nobis exemplum præberet subjiciendi Deo appetitum nostrum, et quod liceat nobis ex naturali affectu orare.

Sequitur 1618. Christum convenienter pro seipso orasse.

1618. — Ibid. a. 36.

Probatur sequela. Qui recognoscendo Deum auctorem omnium bo norum, ab ipso petit, ut quædam bona percipiat, et de perceptis gratias agit, convenienter orat : Sed Christus hoc præstitit, nedum exprimendo sensualitatis, vel voluntatis etiam rationalis ut naturæ effectum, sed etiam ipsius voluntatis deliberatæ desiderium explicando, v. g. quando petiit gloriam resurrectionis : Ergo Christus convenienter oravit. Adde quod orando nobis exemplum orandi præbuit.

Adverte autem, quod oratio mentalis Christo necessaria erat ex eo, quod Deus prædefiniisset, non dare aliqua ipsius humanitati, nisi mediante ejus oratione; vocalis autem oratio non fuit ipsi necessaria nisi ut nobis præberet exemplum. Demum adverte, quod quando Christus pro seipso oravit, oravit etiam pro nobis; quia, quod pro se petebat, etiam in nostram salutem redundabat.

Sequitur 1619. Orationem Christi, quæ ex absoluta et deliberata voluntate ipsius procedebat, semper fuisse exauditam; non autem orationem, quæ exprimebat affectum sensualitatis, aut voluntatis quatenus natura est.

1619. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Voluntas Christi efficax semper fuit impleta, non autem voluntas inefficax, ut diximus supra : Sed oratio Christi ex absoluta et deliberata voluntate procedens, involvebat voluntatem efficacem rei, quam petebat; oratio autem exprimens affectum sensualitatis vel voluntatis ut naturæ involvebat voluntatem dumtaxat inefficacem, ut est evidens : Ergo oratio Christi ex absoluta et deliberata voluntate procedens semper fuit impleta et exaudita.

Sequitur 1620. Christum nunc in cœlo existentem orare pro nobis, nedum repræsentando se ac sua merita, et interpretativa oratione, sed etiam oratione expressa et formali.

1620. — D. Th. in 4 dist. 15. q. 4. a. 6. q° 2. ad. 1. et ad Rom. 3. art. 7.

Probatur sequela. Quod conveniebat Christo viatori, convenit etiam illi nunc in cœlo existenti, nisi habeat repugnantiam cum illo statu, ut constat : Sed orare oratione interpretativa, et oratione expressa et formali, conveniebat Christo viatori, ex dictis; Neque utroque hoc modo orare repugnat statui beatorum, ut est de fide et alias ostendemus : Ergo orare convenit Christo nunc etiam in cœlis existenti.

Sectio 3ª — De Sacerdotio Christi.

Sequitur 1621. Christo convenire, quod sit sacerdos.

1621. — 3 p. q. 22. a. 1.

Probatur sequela. Omnis mediator inter Deum et populum, divina populo tradens, preces populi Deo offerens, et pro peccatis populi aliqualiter satisfaciens, est verus sacerdos, ut ex communi omnium sensu habetur : Sed Christo hæc omnia conveniunt; nam et divina nobis tradit, preces suas et populi Deo offert, et pro peccatis populi satisfecit, ut constat ex dictis : Ergo Christo competit, quod sit sacerdos.

Sequitur 1622. Christo competere, quod sit sacerdos, non præcise ut Deus est, sed ut est homo ; ita nihilominus, ut subsistentia divina requiratur ad excellentiam sacerdotii.

1622. — Ibid. a. 86.

Probatur sequela. De intrinseca ratione Sacerdotis est, quod sit inferior

illo, cui offert sacrificium : Sed Christus ut Deus non est inferior Patre æterno, ut patet ex dictis : Ergo Christus ut Deus non potest esse Sacerdos. Est igitur Sacerdos ratione humanæ naturæ, ratione cujus est inferior : Verum quia excellentia Sacerdotii sumitur ex ipsa dignitate personæ, quæ se subjicit, hinc est, quod excellentia Sacerdotii Christi, utpote infinita, exigit subsistentiam divinam, quæ ipsi personæ offerenti et sese subjicienti det dignitatem illam et eminentiam.

Sequitur 1623. Christum fuisse simul Sacerdotem et hostiam, tum pro peccato, tum etiam hostiam pacificam, et holocaustum.

1623. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui seipsum offert in remissionem peccatorum, ut homines in gratia et pace cum Deo conserventur, et ut illi ipsi perfecte Deo uniantur, est simul Sacerdos, et hostia, tum pro peccato, tum hostia pacifica, et holocaustum : Sed Christus ut homo, sive secundum naturam hunmaam subsistentem in Verbo, seipsum obtulit Deo ad delenda hominum peccata, et ut homines in gratia et pace cum Deo conservarentur, ac demum ut perfecte Deo unirentur : Ergo Christus ut homo fuit Sacerdos, hostia pro peccato, hostia pacifica et holocaustum. *Major constat :* eo enim ipso, quod quis offert, est Sacerdos, et dum seipsum offert, est hostia : si ergo seipsum offerat pro peccatis, est hostia pro peccato, si seipsum offerat ad conservandam gratiam et pacem, est hostia pacifica; si demum seipsum offerat, ut fiat perfecta unio cum Deo, est holocaustum.

Sequitur 1624. Expiationem peccatorum esse effectum sacerdotii Christi.

1624. — Ibid. a. 3.

Probatur sequela. Deletio reatus culpæ, et ablatio pœnæ, est expiatio peccatorum : Sed effectus Sacerdotii Christi est deletio reatus culpæ, quia per sacrificium suum Christus confert nobis gratiam, per quam culpa delctur; ablatio etiam pœnæ est effectus Sacerdotii Christi, quia per sacrificium suum exhibet Deo satisfactionem pro nobis : Ergo effectus Sacerdotii Christi est expiatio peccatorum.

Sequitur 1625. Effectum Sacerdotii Christi proprie et simpliciter non pertinuisse ad ipsum Christum.

1625. — Ibid. a. 4.

Probatur sequela. Sacrificium expiatorium nullum habet effectum proprie ac simpliciter, ubi nullum est peccatum expiandum, ut constat : Sed in Christo nullum fuit peccatum expiandum, ut diximus : Ergo in Christo nullus fuit effectus sacrificii expiatorii ; habuit tamen in eo effectum sacrificium laudis, sicut et quatenus erat meritorium, etc.

Sequitur 1626. Sacerdotium Christi esse æternum.

1626. — Ibid. a. 5.

Probatur sequela. Sacerdotium, cujus effectus est æternus, est etiam æternum; dicitur enim æternum non ratione æternæ oblationis sacrificii, sed ratione consummationis et effectus : Sed Sacerdotium Christi est hujusmodi, hoc est, habet effectum æternum, ipsam scilicet gloriam; ut patet ex dictis : Ergo Sacerdotium Christi est vere æternum.

Sequitur 1627. Sacerdotium Christi esse infinitum sive infinitæ dignitatis.

1627. — 3. p. q. 63. a. 3. in 4. dist. 4. q. 2. a. 3 q. 5.

Probatur sequela. Sacerdotium, quod involvit ipsam personæ infinitæ dignitatem, est etiam infinitæ dignitatis; quia dignitas personæ seipsam subjicientis facit ad excellentiam Sacerdotii : Sed Sacerdotium Christi involvit personæ infinitæ dignitatem; cum per illud Sacerdotium persona infinita sese subjiciat, ut ex dictis

est evidens : Ergo Sacerdotium Christi est infinitum et infinitæ dignitatis.

Sequitur 1628. Sacerdotium Christi esse summum omnium ; atque adeo Christum esse summum Sacerdotem, et summum Pontificem.

1628. — Ibidem.

Probatur sequela. Sacerdotium infinitum est summum omnium, et qui illud habet, est summus Sacerdos, et summus Pontifex : Sed Sacerdotium Christi est infinitum : Ergo Sacerdotium Christi est summum ; atque adeo ipse Christus est summus Sacerdos et summus Pontifex.

Sequitur 1629. Sacerdotium Christi esse multo eminentius omni Sacerdotio legis naturæ, legis mosaïcæ, imo et legis novæ.

1629. — Ibidem.

Probatur sequela. Sacerdotium infinitum et summum omnium est eminentius omni alio Sacerdotio finito : Sed Sacerdotium Christi est infinitum et summum omnium, ex dictis : Ergo cum Sacerdotium legis naturæ, legis mosaïcæ, imo et legis novæ sit finitum, prout distinguitur a Sacerdotio Christi, Sacerdotium Christi erit eminentius omni alio Sacerdotio.

Sequitur 1630. Sacerdotium Christi nihil aliud esse, quam supremam illius potestatem sacrificandi, sive offerendi sacrificium, et alia munia sacerdotalia præstandi.

1630. — In 4 dist. 4. q. 1. a. 3. 95. et dist. 24, qu. 2. a. 3.

Probatur sequela. Sacerdotium est potestas offerendi sacrificium, et alia munia sacerdotalia præstandi : Sed Sacerdotium Christi est suprema potestas sacrificandi, etc.

Sequitur 1631. Hanc supremam potestatem convenire Christo ratione unionis hypostaticæ.

1631. — 3. p. q. 27. a. 3.

Probatur sequela. Omnis potestas ut dignitas ad finem Incarnationis necessaria, convenit Christo ratione unionis hypostaticæ, ex dictis : Sed Suprema hæc sacerdotii potestas est ad finem Incarnationis necessaria, ut statim constabit : Ergo convenit Christo ratione unionis hypostaticæ.

Sequitur 1632. Hanc potestatem supremam nihil aliud esse, quam ipsam gratiam capitis, quatenus dat vim Christo ad merendum, satisfaciendum, et intercedendum pro aliis, et simul producendi gratiam.

1632. — 3. p. q. 8, a. 1. et q. 48. a. 1.

Probatur sequela. Potestas offerendi sacrificium, et alia munia sacerdotalia præstandi, est vis merendi, satisfaciendi, intercedendi pro aliis, et producendi gratiam in illis aliquo modo, ut constat : Sed in Christo suprema Sacerdotii potestas est vis offerendi sacrificium, et præstandi alia munia sacerdotalia, ex dictis : Ergo cum hæc vis merendi, etc., sit ipsa gratia capitis, ut patet ex dictis supra, hæc suprema Sacerdotii potestas erit ipsa gratia capitis.

Sequitur 1633. Hanc potestatem esse ipsam gratiam sanctificantem, ut connotat suppositum divinum, in quo natura humana per illam gratiam sanctificata subsistit.

1633. — 3. p. q. 49. art. 1. et q. 59. a. 2. et de verit. q. 29. a. 3.

Probatur sequela. Gratia capitis in Christo est ipsa gratia sanctificans ut connotat suppositum divinum, in quo natura humana per illam gratiam santificata subsistit, ut diximus supra : Sed hæc potestas Sacerdotii est ipsa gratia capitis, ex jam dictis : Ergo hæc potestas Sacerdotii est ipsa gratia sanctificans ut connotat suppositum, in quo natura humana per illam gratiam sanctificata subsistit.

Sequitur 1634. Hanc potestatem sacerdotalem in Christo non esse characterem aliquem, aut qualitatem distinctam in Christo ab ipsa gratia.

1634. — 3. p. q. 63. a. 50.

Probatur sequela. Gratia capitis in

Christo non est character vel qualitas aliqua distincta ab ipsa gratia, ex dictis : Sed hæc potestas est ipsa gratia capitis : Ergo hæc potestas non est character vel qualitas aliqua distincta ab ipsa gratia.

Dices : Si hoc ita sit, sequitur potestatem Sacerdotalem in sacerdotibus novæ legis esse participationem ipsius gratiæ Christi, atque adeo sacerdotes, qui sunt in peccato mortali, non habere potestatem sacerdotalem : Hoc autem est hæreticum, et damnatum in Concilio Constantiensi, et aliis, contra Joannem Hus et Wiclef.

Sed contra : Quia potestas sacerdotalis in sacerdotibus novæ legis est tantum vis instrumentalis, qua nimirum tanquam instrumenta ipsius Christi ea exequuntur, quæ ad sacerdotium spectant : Non est autem necessarium, imo nec possibile, quod vis instrumentalis sit ejusdem rationis cum virtute causæ principalis, atque adeo potestas sacerdotalis in sacerdotibus novæ legis non debet esse ipsa gratia, sed character distinctus a gratia.

Dices : Etiam in Christo vis physice productiva gratiæ in aliis subjectis non est nisi vis instrumentalis ; non enim physice producit gratiam in aliis per modum causæ principalis : Ergo nulla est hæc responsio. *Sed contra :* quia vis productiva gratiæ in actu secundo est quidem instrumentalis in Christo, sicut et in omnibus aliis ; et sic in omnibus est motio, qua moventur a Deo ad producendam gratiam : Sed vis dispositiva, qua nimirum Sacerdotes novæ legis disponuntur habitualiter et permanenter ad transubstantiandum panem et vinum in Corpus et Sanguinem Christi, et ad producendam physice gratiam in aliis est character, et hic est virtus et potestas diversæ omnino rationis a potestate sacerdotali Christi Domini, quæ nihil est aliud, quam ipsa gratia capitis, ut demonstratum est.

Sequitur 1635. Christum non fuisse Sacerdotem Sacerdotio legali sive aaronico.

1635. — 3. p. q. 22. a. 1.

Probatur sequela. Sacerdos Sacerdotio in infinitum digniori quocumque alio, non debuit esse Sacerdos Sacerdotio inferiori : Sed Christus fuit Sacerdos Sacerdotio in infinitum digniori ex dictis : Ergo non debuit esse Sacerdos Sacerdotio legali et aaronico, utpote inferiori. *Confirmatur :* nullus ex quacumque alia tribu, quam ex tribu Levi potuit esse Sacerdos legalis : Sed Christus non fuit ex tribu Levi : Ergo non potuit esse Sacerdos legalis. Argumentum est D. Pauli ad Hæbr. VII. *Major constat* ex c. XXIX. Exod. et ex 8. Levit. Quare, quæ narrat Suidas, quod Christus fuerit electus ad ordinem lectorum, fabula est, cui mirum est auctores aliquos catholicos adhibuisse fidem.

Sequitur 1636. Christum non fuisse Sacerdotem Sacerdotio, quod erat in lege naturæ præcise.

1636 — Ibidem.

Explicatur : In lege naturæ debuisse esse sacerdotes, sicut et sacrificia, dicemus infra ; et illos fuisse primogenitos familiarum, constat apud auctores : Unde Christum eo titulo potuisse esse sacerdotem, nulli dubium est ; cum esset primogenitus, imo unigenitus. Quod tamen hoc titulo non fuerit sacerdos, inde constat, quia per legem Moysis determinata fuit una tribus in populo Judaico, et deputata ut Sacerdotio fungeretur, nimirum tribus Levitica : et sic quod erat inde terminatum ex lege naturæ, et solo usu et electione hominum coarctatum ad primogenitos, fuit auctoritate Dei determinatum ad illam tribum Levi. Unde in populo Judaico primogeniti non erant amplius Sacerdotes.

Hinc ergo patet sequela : In populo Judaico primogeniti non erant Sacerdotes, ex quo determinaverat ad hoc officium ipsam tribum Levi : Sed

Christus erat ex populo Judaico, ut constat : Ergo, licet esset primogenitus, ex hoc non poterat esse Sacerdos.

Sequitur 167. Christum non dici Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, ex eo quod fuerit Sacerdos Sacerdotio legis naturæ.

1637. — 3. p. q. 22. a. 6. Psal. 109.

Probatur sequela. Qui non est Sacerdos Sacerdotio legis naturæ, non dicitur Sacerdos secundum ordinem Melchisedech ex eo ; alias falso sic denominaretur : Sed Christus non fuit Sacerdos Sacerdotio legis naturæ, ex dictis : Ergo non dicitur Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, ex eo quod fuerit Sacerdos Sacerdotio legis naturæ.

Sequitur 1638. Christum dici Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech propter excellentiam Sacerdotii Melchisedech supra Sacerdotium Leviticum ; per quam præfiguravit etiam excellentiam Sacerdotii Christi supra Sacerdotium leviticum.

1638. — Ibidem.

Probatur sequela. Excellentia Sacerdotii Melchisedech præcipue consistit in duobus ; primo in eo, quod Abraham benedixit, et ab eo, in cujus lumbis continebatur tribus Levi, non autem Christus, decimas sumpsit : Atqui hæc excellentia maxime præfigurabat excellentiam Sacerdotii Christi, qui tanquam summus Sacerdos omnibus etiam Sacerdotibus benedixit, et ab omnibus tanquam superior decimas sumendi potestatem habet : Ergo, etc.

Sequitur 1639. Christum ita esse summum Sacerdotem, ut habuerit potestatem excellentiæ.

1639. — 3. p. q. 59. per totam. et q. 64. a. 2 et 4.

Probatur sequela. Qui potest rempublicam spiritualem condere, modum regiminis statuere, jurisdictionem superioribus distribuere, leges novas condere, veteres abrogare, habet potestatem excellentiæ : Sed Christus ut summus Sacerdos Sacerdotio infinito hæc omnia potuit, alias non habuisset Sacerdotium infinitum : Ergo Christus habuit potestatem excellentiæ.

CAPUT IV.

De his quæ conveniunt Christo per compationem ad nos. (Ubi de Ecclesia.)

Sectio 1ª. — De potestate regia et legislativa in Christo.

Sequitur 1640. Huic Christi Sacerdotio annexam fuisse regiam dignitatem spiritualem.

1640. — 3. p. q. 22. a. 1. ad 3.

Probatur sequela. Qui potest rempublicam condere, et cætera omnia jam enumerata præstare, habet potestatem regiam et monarchicam, juxta modum potestatis : Sed Christus potuit rempublicam condere, et cætera præstare ex vi Sacerdotii summi et infiniti, ut diximus : Ergo Christus ex vi hujusmodi Sacerdotii habet monarchicam atque adeo regalem potestatem.

Sequitur 1641. Hanc potestatem soli Christo competere et nulli alteri.

1641. — Ibidem.

Probatur sequela. Potestas summi Sacerdotii et infiniti soli Christo competit, ex dictis : Sed potestas monarchica et regalis est potestas summi et infiniti Sacerdotii, ex dictis : Ergo potestas monarchica et regalis soli Christo competit.

Sequitur 1642. Hanc potestatem excellentiæ connaturaliter non potuisse competere nisi personæ infinitæ et divinæ.

1642. — Ibidem.

Probatur sequela. Potestas, quæ connaturaliter connotat personam infinitam, non potest competere nisi personæ infinitæ et divinæ, ut patet ex terminis : Sed, ex dictis supra, hæc potestas connaturaliter connotat

personam infinitam : Ergo non potest competere nisi personæ infinitæ et divinæ.

Sequitur 1643. Hanc potestatem excellentiæ, quoad omnia quæ includit, non potuisse communicari puræ creaturæ, etiam de potentia Dei absoluta.

Probatur sequela. Satisfacere de rigore justitiæ pro peccatis, offerre sacrificium infinitum, et alia hujusmodi, non possunt communicari puræ creaturæ, etiam de potentia Dei absoluta, ut supra ostendimus : Atqui hæc potestas excellentiæ includit hoc, quod est satisfacere pro peccatis de rigore justitiæ, offerre sacrificium infinitum, et alia hujusmodi, ut patet ex dictis : Ergo hæc potestas quoad omnia quæ includit, non potuit communicari puræ creaturæ etiam de potentia Dei absoluta.

Sequitur 1644. Hanc potestatem excellentiæ esse communicatam Christo a primo instanti conceptionis.

Probatur sequela. Quod competit Christo ratione unionis hypostaticæ, convenit illi a primo instanti conceptionis, sicut et ipsa unio hypostatica : Sed hæc potestas excellentiæ convenit Christo et fuit debita ratione unionis hypostaticæ : Ergo convenit ipsi a primo instanti conceptionis.

Sequitur 1645. Hanc potestatem includere etiam potestatem sive auctoritatem legislativam sive ad condendas leges.

Probatur sequela : Omnis potestas monarchica ad fundandam rempublicam includit auctoritatem legislativam : est enim hæc præcipua pars potestatis regalis ad fundandam rempublicam : Sed hæc potestas in Christo fuit monarchica et regalis ad fundandam rempublicam Christianam, ex dictis : Ergo hæc potestas includit legislativam.

Sequitur 1646. Hanc potestatem legislativam fuisse excellentissimam et divinam.

Probatur sequela. Potestas Dei hominis est excellentissima et divina, ut constat : Sed hæc potestas legislativa, est potestas Dei hominis, ex dictis : Ergo est potestas excellentissima et divina.

Sequitur 1647. Jus ex hac potestate derivatum esse jus divinum.

Probatur sequela. Jus conditum auctoritate divina, est divinum : Sed jus ex hac potestate derivatum est conditum auctoritate divina, Dei nimirum et hominis : Ergo jus ex hac potestate derivatum est jus divinum.

Sequitur 1648. Hanc potestatem potuisse se extendere ad abrogandam veterem legem.

Probatur sequela. Potestas divina se extendit ad abrogandam quamlibet legem etiam auctoritate divina latam ; quia potest Deus suas leges abrogare, quoad illa quæ non sunt juris naturalis : Sed hæc potestas est potestas divina, ex dictis : Ergo potest se extendere ad abrogandam legem veterem.

Sequitur 1649. Hanc potestatem Christi fuisse ordinariam, hoc est, tanquam supremi Sacerdotis et Regis ordinarii, et auctoritate ordinaria regentis ac gubernantis Ecclesiam.

Probatur sequela. Potestas in æternum constituta ad regimen Ecclesiæ est summa et ordinaria : Sed sacerdotium Christi fuit potestas in æternum constituta ad regimen Ecclesiæ, ut constat ex dictis : Ergo fuit summa et ordinaria.

Sectio 2ª. — De hac potestate in quantum ecclesiæ fuit delegata.

Sequitur 1650. Hac potestate Christum potuisse delegare auctoritatem ad nutum.

Probatur sequela. Potestas summa et ordinaria potest delegare auctoritatem ad nutum pro regimine, ad

quod est constituta, ut constat apud omnes : Sed potestas Christi fuit summa et ordinaria, ex dictis : Ergo hac potestate potuit Christus delegare auctoritatem ad nutum pro regimine Ecclesiæ, quæ est respublica ab ipso instituta.

Sequitur 1651. Christum, supposito quod absens esset visibiliter ab Ecclesia militante, debuisse delegare potestatem et auctoritatem necessariam ad regimen Ecclesiæ.

Probatur sequela. Habens potestatem ordinariam, supposito quod sit absens eo modo, qui noceat debito regimini, debet delegare potestatem, ut respublica ab ipso instituta congruo modo gubernetur ; alias non provideret sufficienter reipublicæ a se institutæ : Atqui Christus habet potestatem ordinariam et summam, ex dictis : Ergo supposito quod sit absens ab Ecclesia eo modo, qui noceat debito, hoc est, visibili et sensibili ipsius regimini, debet committere vices suas et delegare auctoritatem, ut Ecclesia visibili ac sensibili modo gubernetur.

Sequitur 1652. Ecclesiam militantem non posse modo tantum invisibili et insensibili gubernari.

1652. — 3. p. q. 8 a. Q. 29 de ver. ar. 4. 1. ad Cor. 11. lect. 3.

Probatur sequela. Congregatio hominum in hac mortali vita degentium non potest modo invisibili et insensibili gubernari ; quia homines solis sensibus percipiunt ; nihil enim est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu : Sed Ecclesia sive respublica a Christo Deo et homine instituta, est congregatio hominum in hac mortali vita degentium, ut cunstat ex dictis : Ergo Ecclesia non potest modo invisibili et insensibili gubernari.

Sequitur 1653. Ecclesiam a Christo Domino Deo et homine institutam, debere partim modo visibili et sensibili, partim modo invisibili et insensibili gubernari.

1653. — Ibidem.

Probatur sequela. Respublica quæ non potest modo pure invisibili et insensibili gubernari, debet partim modo visibili, partim modo invisibili et insensibili gubernari : Sed Ecclesia est respublica quæ non potest modo pure invisibili et insensibili gubernari, ut patet ex dictis ; cum sit Ecclesia hominum mortalium a Christo Deo et homine mortali congregata, et pro actibus, qui debent modo sensibili exerceri, cujusmodi sunt susceptio sacramentorum, et actus etiam virtutum interni et externi, qui sunt actus partim sensibiles et visibiles, partim intellectuales : Ergo Ecclesia a Christo Deo et homine instituta debet partim modo visibili, partim modo invisibili gubernari.

Sequitur 1654. Ecclesiam non posse esse omnino invisibilem.

1654. — Ibidem.

Probatur sequela. Respublica a capite visibili instituta pro hominibus mortalibus, atque adeo constantibus ex animo et corpore, et ad actus partim sensibiles, partim intellectuales, non potest esse omnino invisibilis et insensibilis ; alias non esset conformis auctori, subditis, et actibus ad quos est instituta : Sed Ecclesia est respublica a capite visibili Deo et homine instituta pro hominibus mortalibus, atque adeo constantibus ex anima et corpore, et ad actus partim sensibiles, quales sunt susceptio sacramentorum et alii, partim intellectuales, quales sunt actus interni, ut patet ex dictis : Ergo Ecclesia non potest esse omnino invisibilis.

Explicatur : Respublica ex triplici capite debet habere statum, et conditiones necessarias ; *primo* ex suo capite ac institutore ; *secundo* ex subditis, qui legibus hujus reipublicæ

subjiciuntur; *tertio* ex actibus, quos subditi debent exercere, ut ad finem a republica sive ab auctore ac fundatore illius reipublicæ intentum perveniatur : ex nullo enim alio potest habere respublica statum suum. Respublica vero Christiana a Christo Deo et homine instituta est, ut patet ex dictis : Christus autem Deus et homo, qua parte Deus erat, erat occultus; qua vero parte erat homo inter homines modo humano agens, erat mortalis, sensibilis et visibilis : Ergo ex suo capite Ecclesia debet habere utrumque, hoc est, ut modo invisibili et occulto gubernetur, et nihilominus etiam modo humano visibili et sensibili regatur. *Præterea* Ecclesia instituta est ad hoc, ut homines modo humano ad finem æternæ vitæ dirigantur : Sed homines mortales non possunt dirigi ad hunc finem modo humano, sive tanquam homines, nisi sensibili ac visibili modo dirigantur; cum, ut diximus, nihil sit in intellectu, quod prius non fuerit in sensu : Ergo Ecclesia debet dirigi modo sensibili ac visibili. Denique actus, per quos ipsi homines reguntur, debent esse sensibiles ac visibiles; reguntur enim per susceptionem sacramentorum, et per actus etiam externos : Sed hoc fieri nequit per Ecclesiam omnino invisibilem, ut constat : Ergo Ecclesia debet esse visibilis. Ridicula ergo est, et omnino irrationabilis illa opinio sive potius hæresis, quæ fingit Ecclesiam omnino invisibilem.

Sequitur 1655. Regimen Ecclesiæ non posse esse omnino invisibile.

1655. — Ibidem.

Probatur sequela. Regimen reipublicæ non omnino invisibilis, non potest esse omnino invisibile : Sed Ecclesia est respublica non omnino invisibilis ex dictis : Ergo regimen Ecclesiæ non potest esse omnino invisibile.

Sequitur 1656. Regimen Ecclesiæ debere esse aliquo modo visibile ac sensibile.

1656. — Ibidem.

Probatur sequela. Regimen non omnino invisibile debet esse aliquo modo visibile ac sensibile, ut vel ex terminis constat : Sed regimen Ecclesiæ non est omnino invisibile, ex dictis : Ergo debet esse aliquo modo visibile ac sensibile.

Sequitur 1657. Regimen Ecclesiæ non posse esse penes solum Christum jam absentem visibiliter ac sensibiliter a nobis.

1657. — Ibidem.

Probatur sequela. Regimen penes caput visibiliter et sensibiliter absens non potest esse visibile ac sensibile : Sed Christus est caput Ecclesiæ absens visibiliter ac sensibiliter a nobis : Ergo regimen Ecclesiæ non potest esse solum penes Christum jam absentem.

Sequitur 1658. Debuisse Christum committere vices suas et delegare auctoritatem suam alicui vel aliquibus superioribus, qui modo visibili ac sensibili gubernarent ipsam Ecclesiam, absque præjudicio regiminis spiritualis et invisibilis, quod penes ipsum manet.

1658. — Opusc. 1. cap. 65. Opusc. 20 lib. 3. cap. 20.

Probatur sequela. Regimen, quod non potest esse solum invisibile, non potest esse penes caput solum invisibile, ut est evidens; atque adeo oportet, quod caput invisibile committat vices suas et deleget auctoritatem superioribus, qui modo visibili ac sensibili gubernent et regant : Sed regimen Ecclesiæ non potest esse omnino invisibile : Ergo non potest esse penes caput omnino invisibile, sed oportet, quod caput invisibile committat vices suas et deleget auctoritatem superioribus, qui modo visibili ac sensibili gubernent et regant.

Sequitur 1659. Hoc regimen Ecclesiæ debere esse monarchicum.

1659. — Ibidem.

Probatur sequela. Omne regimen perfectum debet esse monarchicum : Sed regimen Ecclesiæ, utpote a Christo derivatum, debet esse perfectum : Ergo debet esse monarchicum. *Major est certa* : quia regimen eo est perfectius quod magis assimilatur perfectissimo regimini; perfectissimum autem regimen est divinum, quod est regimen unius Dei : Ergo regimen perfectius debet esse regimen unius. Quod autem regimen Ecclesiæ, sive quo Christus regit Ecclesiam, sit regimen perfectius et magis assimilatum regimini, quo Deus universum regit, est evidens; quia regimen Ecclesiæ est regimen Dei hominis, qui invisibiliter quidem per seipsum, sed visibiliter per suum Vicarium regit Ecclesiam.

Sectio 3ª — De hac potestate in quantum capiti ecclesiæ, scilicet Vicario Christi, fuit eminenter delegata.

Sequitur 1660. Debere dari aliquem, cui Christus vices suas in terris commiserit.

1660. — Ibidem.

Probatur sequela. In omni republica hominum bene ordinata et monarchica debet dari aliquis, qui modo sensibili et humano regat et gubernet : Et si is, qui principaliter præsidet, sensibiliter absit, debet vices suas committere alicui, qui sensibili et humano modo regat et gubernet : Sed Christus instituit Ecclesiam tanquam rempublicam optime ordinatam et monarchicam : Ergo cum Christus sensibiliter non sit præsens, ut modo sensibili et humano gubernet, debet vices suas alicui committere.

Sequitur 1661. Illum, cui Christus vices suas in terris commisit, debere esse unum et singularem hominem.

1661. — 4. cont. gent. cap. 77.

Probatur sequela. In regimine monarchico, absente vero et legitimo monarcha, nec gubernante modo sensibili, debet, quantum fieri potest, conservari modus regiminis monarchici, alias, non conservaretur optima forma regiminis : Sed, ex dictis, regimen Ecclesiæ est monarchicum : Ergo absente Christo quoad præsentiam sensibilem ac visibilem, debet conservari forma et modus regiminis monarchici. Cum ergo id fieri non possit, nisi is, qui gubernat, sit unus et singularis homo, debet is, cui Christus vices suas commisit, esse unus aliquis et singularis homo. Quare ipse Christus cum in terris degeret, per seipsum Ecclesiam gubernabat : cum vero desiit esse modo sensibili ac visibili non immutavit formam regiminis, quin potius illam se conservaturum dixit, comparando Ecclesiam ovili, et familiæ, super quam unum servum constituit; et qua ratione oportet parochos præesse cuilibet plebi, et Episcopos parochis, Archiepiscopum Episcopis, Patriarcham Archiepiscopis, eadem omnino necessarium est, esse unum aliquem, qui præsit ipsis Patriarchis, atque adeo toti Ecclesiæ, ut ordo Hierarchicus servetur; in quo ordine, si vel unum tollas, et maxime primum, totum ordinem perturbas et tollis. Adde quod ad unitatem corporis requiritur unitas non solum animæ invisibiliter regentis corpus, sed etiam capitis visibiliter dirigentis; idque tanto verius est in Ecclesia, quanto magis necessarium est, ut unitas fidei in Ecclesia conservetur.

Sequitur 1662. Universale ac ordinarium, totius Ecclesiæ regimen non esse penes Episcopos tantum secluso summo Pontifice.

1662. — 22. q. 89. a. 9. ad. 3. 3. p. q. 12. a. 11. ad 1. In 4. dist. 20. ar. 4. q. 34. cont. gent. cap. 76.

Probatur sequela. Regimen Monarchicum non est penes plures, ut constat : Sed universale et ordinarium Ecclesiæ regimen est monarchicum, ex dictis : Ergo universale et ordinarium Ecclesiæ regimen non est penes

Episcopos, qui sunt plures, ut constat. *Confirmatur*, quia ipsa determinatio et deffinitio diœcesecon et institutio novorum Episcopatuum non est penes Episcopos, ut certissimum est. Adde quod oporteret Episcopos semper manere in conciliis congregatos, ut Ecclesiam universalem ordinarie regerent : constat autem totis trecentis annis a prædicatione Apostolorum non fuisse congregatos Episcopos in aliquo concilio : nam primum post Apostolorum tempora fuit Concilium Nicæsnum, quod ante annum Christi 325, non fuit celebratum ; nec postmodum continuo habita sunt generalia concilia, sed raro. Unde Ecclesia universalis diu remansisset absque regimine ordinario, si illud esset penes Episcopos in conciliis congregatos.

Sequitur 1663. Multo minus posse universale ac ordinarium totius Ecclesiæ regimen esse penes principes sæculares, quamvis baptizatos et Catholicos.

1663. — Ibidem.

Probatur sequela. Universale ac ordinarium Ecclesiæ regimen est institutum a Christo ut summo Sacerdote, in ordine ad salutem æternam hominum, per leges divinas et sacramenta, ex dictis : Atqui principum sæcularium regimen non est institutum a Christo ; est enim introductum jure gentium ; neque respicit ut finem salutem æternam ; sed quietem et pacem populi temporalem per leges humanas, ut constat : Ergo principum sæcularium regimen non est regimen universale ac ordinarium Ecclesiæ.

Sequitur 1664. Universale ac ordinarium totius Ecclesiæ regimen non esse penes populum.

1664. — Ibidem.

Probatur sequela. Regimen monarchicum non est penes populum ; alias idem esset regimen monarchicum et democraticum ; quod esse falsum omnes omnino concedunt. Sed regimen Ecclesiæ est monarchicum, ex dictis : Ergo non est penes populum.

Sequitur 1665. Debuisse Christum talem tantamque auctoritatem tribuere illi, cui vices suas commisit, ut optimum esset regimen Ecclesiæ, quantum humana fragilitas patitur.

1665. — Ibidem.

Probatur sequela. Instituens rempublicam monarchicam perfectam, debet totam illam auctoritatem principi vel præsidenti tribuere, quæ necessaria est ad optimum illius regimen, quantum potest esse inter homines, ut vel ex terminis patet : Sed Christus instituit Ecclesiam ut rempublicam monarchicam perfectam : Ergo debuit, cum id posset, omnem auctoritatem necessariam ad optimum regimen tribuere præsidi sive principi, cui suas vices commisit.

Sequitur 1666. Christum Dominum debuisse concedere Vicario illi suo in terris potestatem interpretandi Scripturas, decidendi ac judicandi controversias fidei, et alia agendi ad regimen totius Ecclesiæ spectantia.

1666. — 2. 2. q. 1. a. 10.

Probatur sequela. Christus Dominus debuit concedere Vicario suo auctoritatem omnem ad regimen totius Ecclesiæ necessariam : Sed potestas interpretandi Scripturas, decidendi ac judicandi controversias fidei, et alia agendi spectantia ad totam Ecclesiam, est omnino necessaria ad bonum Ecclesiæ regimen : Ergo, etc. *Minor probatur :* quia, cum, ut diximus supra, fides necessaria sit ad salutem in hominibus viatoribus, ex quibus constat Ecclesia, et unitas fidei sit necessaria toti Ecclesiæ (alias enim periret Ecclesia) oportet necessario esse aliquam potestatem et auctoritatem, quæ interpretetur Scripturas, et de controversiis fidei judicet, ut et quilibet privatus modo sensibili et humano sciat, quid ipsum credere oporteat, et tota Ecclesia in unica

fide conveniat. Quare sicut in qualibet alia republica debent esse leges, maxime vero quædam præcipuæ ac fondamentales, et præterea debet esse aliquis supremus judex, ad quem spectet leges interpretari, et secundum illas judicare de controversiis ortis inter subditos; ita necessarium est ut in republica Christiana sint leges, quæ in Scriptura et traditionibus continentur; et præterea debet esse judex supremus, ad quem spectet has leges interpretari, et controversias ortas dirimere; alias omnia hæresum genera introducerentur, et quilibet suo judicio saperet. Adde quod cum sacra Scriptura sit difficillima, saltem multis indoctis, et aliunde oporteat, ut modo sensibili et humano nobis innotescat quænam sit vera Scriptura a Spiritu sancto dictata, necessarium etiam est, ut interpretatio Scripturæ, et judicium de omnibus ad fidem spectantibus alicui uni conveniat.

Dices id spectare ad Concilia generalia.

Sed contra primo: quia non semper possunt celebrari Concilia generalia, unde trecentis primis post Apostolos annis non potuerunt celebrari, quo tamen toto tempore ortæ sunt gravissimæ controversiæ de rebus fidei, ita ut enumerentur plusquam quinquaginta diversæ hæreses: Ergo oportet esse in Ecclesia aliquam aliam auctoritatem ordinariam, quæ de rebus fidei judicet: alias non sufficienter provisum esset Ecclesiæ, imo nec singulis hominibus. *Præterea* in casu urgentis necessitatis, quo de rebus fidei judicandum sit, nec tempus suppetat ad convocandum Concilium generale, vel erit aliqua auctoritas, quæ saltem interim judicet, vel non: si nulla sit, manifestum est Christum non sufficienter providisse Ecclesiæ; si aliqua sit, sine dubio illa debet in principe vel præside totius Ecclesiæ residere: Ergo verum est quod ille habeat potestatem judicandi. Denique ad quem spectabit convocare Concilium? Oportet enim quod is, qui Concilii cogendi habet potestatem, habeat etiam curam et auctoritatem judicandi, quando per se illi potestas hujusmodi convenit.

Sequitur 1667. Christum Dominum debuisse concedere Vicario suo non solum auctoritatem judicandi de controversiis fidei, sed etiam infallibilitatem in judicando, ita ut errare non possit, dum tanquam judex illas dijudicat.

1667. — Ibidem.

Probatur sequela. Christus debuit omnia, quæ sunt absolute necessaria illi suo Vicario conferre, alias non sufficienter providisset Ecclesiæ: Sed hæc infallibilitas est absolute necessaria; eædem enim rationes, quæ probant Christum debuisse conferre auctoritatem judicandi, probant etiam debuisse conferre infallibilitatem: Ergo Christus debuit hanc infallibilitatem conferre et de facto contulit, ut constat Lucæ 22, Matth. 16 et Joan ult.

Sequitur 1668. Christum Dominum debuisse concedere illi suo Vicario infallibilitatem in decretis morum pro tota Ecclesia necessariis ad salutem.

1668. — Ibidem.

Probatur sequela. Christus debuit sufficienter providere Ecclesiæ: Atqui ut hoc præstaret, debuit suo Vicario tribuere infallibilitatem etiam in decretis morum: Ergo, etc. *Minor declaratur:* Quia si Christi Vicarius in decretis morum pro tota Ecclesia erraret, jam tota Ecclesia exponeretur periculo errandi; quia tenetur obedire Vicario Christi, et aliunde obediendo erraret; ageret enim quæ secundum se fieri non debent; unde nec posset dici sancta.

Sequitur 1669. Vicarium Christi habere auctoritatem condendi leges, quæ obligent in tota Ecclesia.

1669. — Ibidem.

Probatur sequela. Christus contulit Vicario suo omnem auctoritatem ad

bonum reipublicæ christianæ regimen : Sed potestas legistativa est necesaria ad bonum reipublicæ christianæ regimen; hoc enim est commune cuilibet reipublicæ, ut habeat potestatem condendi leges : Ergo, etc.

Sequitur 1670. Christum contulisse Vicario suo potestatem etiam coactivam.

1670. — 1. 2. q. 96. a. 5. 22. q. 67. a. 1. lect. 3. in cap. 2. ad. Rom. Opusc. 1. c. 65. Opusc. 2. lib. 3. c. 20.

Probatur sequela. Omnis vera lex est coactiva, atque adeo omnis potestas legislativa est coactiva : Sed Christus contulit Vicario suo potestatem legislativam : Ergo et coactivam.

Sequitur 1671. Regimen Ecclesiæ, quamvis sit revera monarchicum, esse tamen temperatum aristocratia.

Probatur sequela. Omne regimen humanum, ut sit optimum, debet quidem esse monarchicum, sed quia est hominum, et humano ac rationabili modo debet exerceri, debet esse temperatum aristocratia, id est, regimine optimatum, ut concedunt etiam philosophi : Atqui regimen Ecclesiæ est optimum, utpote a Christo Deo et homine institutum, ut diximus : Ergo debet esse temperatum aristocratia.

Sequitur 1672. In Ecclesia debere esse optimates et principes.

1672. — 2. q. 184. n. 6. ad 1.

Probatur sequela. Ubi est regimen monarchicum temperatum aristocratia ibi debent esse optimates et principes : aristocratia enim est regimen optimatum et principum, ut constat : Sed in Ecclesia est regimen monarchicum temperatum aristocratia, ex dictis : Ergo in Ecclesia debent esse optimates et principes.

Sequitur 1673. Hos optimates ac principes esse ac vocari Episcopos.

1673. — Ibidem.

Probatur sequela. Præfectus ac præpositus pluribus maxime civitatibus est ac rite vocatur Episcopus, ut etiam ipsi ethnici agnovere, et ex usu Ecclesiæ constat : Sed illi præsules, quos vocamus Episcopos, sunt præfecti ac præpositi pluribus etiam civitatibus, ut patet. Ergo, etc.

Sequitur 1674. Episcopatum jure divino esse institutum.

1674. — 1. 2. q. 185. a. 5.

Probatur sequela. In eo statu, in quo regimen monarchicum temperatum aristocratia institutum est jure divino, eodem jure instituta est auctoritas optimatum ac principum : Sed in Ecclesia institutum est jure divino regimen monarchicum temperatum aristocratia : Ergo in Ecclesia instituta est auctoritas optimatum ac principum, atque adeo Episcopatus.

Sequitur 1675. Auctoritatem regendi et gubernandi sub summo Ecclesiæ monarcha competere jure divino Episcopis.

1675. — Quodl. 18. a. 31.

Probatur sequela : In eo statu, in quo jure divino optimates instituti sunt, ut sit Monarchia temperata per aristocratiam, debet eodem jure illis auctoritas regendi et gubernandi sub summo Ecclesiæ Monarcha competere; non enim esset regimen monarchicum ipso jure divino temperatum aristocratia, nisi eodem jure optimatibus aliqua competeret auctoritas, ut est evidens : Atqui in Ecclesia Episcopatus institutus est jure divino, ut esset Monarchia temperata aristocratia, ut dictum est : Ergo debet eodem jure divino illis optimatibus sive Episcopis competere aliqua auctoritas regendi et gubernandi sub summo Ecclesiæ Monarcha.

Sequitur 1676. Hanc auctoritatem non consistere dumtaxat in charactere Episcopali.

1676. — In 4 dist. 24. q. 3. dist. 2. q. 3.

Probatur sequela : Auctoritas gubernandi sub summo Ecclesiæ Monarcha, quæ temperet ipsam Monarchiam, non est tantum potestas ordinis sive cha-

racter Episcopalis: Sed Episcopis competit auctoritas gubernandi sub summo Ecclesiæ Monarcha : Ergo non competit tantum illis potestas ordinis sive character Episcopalis.

Sequitur 1677. Hanc auctoritatem, quæ competit Epicopis jure divino, esse potestatem jurisdictionis.

1677. — Ibidem.

Probatur sequela: Auctoritas gubernandi sub summo Ecclesiæ Monarcha. ut temperetur Monarchia per aristocratiam, debet esse aliqua potestas jurisdictionis : Atqui Episcopis competit auctoritas gubernandi sub summo Ecclesiæ Monarcha, ut temperetur Monarchia per aristocratiam ex dictis : Ergo Episcopis competit jure divino aliqua potestas jurisdictionis, qualis est potestas dicendi sententiam in conciliis, potestas etiam aliqua in diœcesanos, etc.

Dices : Si ita est summus Pontifex non poterit hanc potestatem minuere, limitare, nec consequenter deffinire terminos diœceseon, nec auferre potestatem Episcopo alicui propter crimina etc. Hoc autem constat manifeste falsum, tum ex usu Ecclesiæ, tum ex ipso jure divino, quia jam summus Pontifex non haberet potestatem monarchicam.

Verum *neganda est sequela :* Certum enim est, summum Pontificem posse ista omnia, sed non potestate absoluta et illimitata, hoc sensu, quod possit ad nutum auferre ab Episcopis omnem jurisdictionem ; hoc enim esset immutare modum regiminis a Christo in Ecclesia instituti ; sed potest summus Pontifex limitare, deffinire, et ob crimina auferre ab illo vel illo Episcopo jurisdictionem, deponendo illum, etc., ut constabit ex dicendis.

Sequitur 1678. Hanc auctoritatem Episcoporum ipso etiam jure divino esse subordinatam auctoritati summi Pontificis.

1678. — Opusc. 1. c. 65.

Probatur sequela. In statu monarchico etiam temperato per aristocratiam, omnis auctoritas debet esse subordinata monarchæ : Sed status Ecclesiæ est monarchicus : Ergo in statu Ecclesiæ omnis auctoritas, atque adeo Episcopalis, debet esse subordinata auctoritati summi Pontificis ; alias enim per temperamentum aristocratiæ destrueretur monarchia : quod est falsum ; quia sicut per monarchiam non destruitur temperamentum aristocratiæ ; ita per aristocratiæ temperamentum non destruitur ratio monarchiæ.

Sequitur 1679. Posse summum Pontificem Christi Vicarium limitare diœceses, limitare auctoritatem Episcoporum, puta reservando sibi certos casus, concedendo privilegia exemptionis a jurisdictione Episcoporum, recipiendo appellationes provocantium ad ipsum, conferendo beneficia, etc.

1679. — 2. 2. q. 89. a. 9. ad 3

Probatur sequela. Omnis potestas monarchica, licet sit temperata per aristocratiam, potest limitare ac determinare potestates omnes sibi inferiores et subordinatas : Sed potestas Vicarii Christi in terris est monarchica, ex dictis : Ergo licet sit temperata per aristocratiam, poterit limitare ac determinare potestates omnes sibi inferiores et subordinatas, atque adeo episcopalem, cum hæc ut diximus, sit subordinata auctoritati summi Pontificis etiam ipso jure divino.

Sequitur 1680. Potuisse summum Pontificem sibi retinere auctoritatem circa Canonisationem Sanctorum, approbationem Religionum, largitionem Indulgentiarum, et alia similia, quæ spectant ad regimen totius Ecclesiæ et omnium fidelium.

1680. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui habet supremam in Ecclesia auctoritatem, potest sibi retinere auctoritatem maxime circa illa, quæ spectant ad regimen

et bonum totius Ecclesiæ : Atqui summus Pontifex habet supremam in Ecclesia auctoritatem : Ergo potest sibi retinere auctoritatem circa illa, quæ spectant ad regimen et bonum totius Ecclesiæ, cujusmodi sunt Canonizatio Sanctorum, approbatio Religionum, etc. Hæc enim ad commune bonum Ecclesiæ spectant : unde etiam in istis non potest errare, ut patet ex his, quæ diximus de decretis morum.

Sequitur 1681. Posse summum Pontificem ea omnia præstare per seipsum in tota Ecclesia, quæ possunt inferiores potestates.

1681. — Opusc. 1. c. 54 et seq.

Probatur sequela. Potestas continens omnes alias, potest quidquid possunt aliæ, et aliquid amplius : Sed potestas summi Pontificis continet omnes alias potestates, quæ sunt in Ecclesia, sicut potestas monarchica continet omnes alias potestates, quæ sunt in illo statu : Ergo potestas summi Pontificis hujusmodi est, ut possit summus Pontifex per seipsum præstare in tota Ecclesia, quæ possunt omnes aliæ potestates ipsi inferiores.

Sequitur 1682. Posse etiam summum Pontificem per sibi delegatos ea omnia præstare in tota Ecclesia, quæ ipse posset per seipsum, salva tamen semper ipsius principali et infallibili auctoritate.

1682. — Ibid. et 2 ad Corinth. 11. lect. 1.

Probatur sequela. Qui habet potestatem plenam summam et ordinariam, potest illam in toto districtu suæ jurisdictioni subjecto illam delegare, salva tamen semper principalitate, et ea auctoritate, quam non potest aliis committere : Atqui summus Pontifex habet in tota Ecclesia plenam, summam, et ordinariam potestatem, ex dictis : Ergo potest illam aliis delegare, salva tamen principalitate, qua potest delegatum revocare, illius acta annullare, etc., et salva infallibilitate, quam non potest aliis committere, quia est privilegium ipsi dignitati annexum.

Sequitur 1683. Posse summum Pontificem dispensare in omnibus, quæ sunt juris mere positivi.

1683. — In 4. dist. a. 7. q. 3. a. 3. ad 2.

Probatur sequela. Qui habet plenitudinem potestatis, potest dispensare in omnibus, quæ jure positivo statuta sunt : Sed summus Pontifex habet plenitudinem potestatis in Ecclesia : Ergo, etc.

Sequitur 1684. Non posse Pontificem dispensare in iis, quæ sunt proprie juris naturalis et divini.

1684. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia ista sunt omnino extra totam potestatem. Verum ut hæc intelligantur, advertendum est quod, sicut in ordine naturali et physico tres veluti gradus inveniuntur ; nimirum rei essentia, proprietas, et accidens commune, v. g. in homine reperitur essentia scilicet, quod sit animal rationale ; proprietas, quod nimirum sit risibilis ; et accidens commune, puta quod sit albus vel niger, etc., ita in ordine morali et in jure etiam naturali tria quædam reperiuntur ; *primo* principia prima et immediata, v. g. Bonum est amandum, malum est fugiendum ; Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris : *secundo* reperiuntur proprietates, id est, conclusiones immediate ex his principiis illatæ, v. g. Justitia est servanda, furtum est fugiendum, Res aliena non est invito ipso domino attrectanda, etc. *Tertio* reperiuntur quædam, quæ sunt veluti accidentia communia juris etiam naturalis, v. g. Standum est promissis, etc. Sed in ordine physico ea, quæ sunt prioris generis, sunt ita immobilia, ut nec Deus ipse valeat oppositum facere : non enim potest Deus efficere, ut homo non sit animal rationale : quæ vero sunt secundi generis, sunt quidem immobilia respectu omnium agentium inferiorum,

non tamen respectu Dei, qui potest propretatem saltem non vitalem tollere a subjecto, cujus est proprietas, ut etiam in primo principio diximus. Denique, illa, quæ sunt in tertio genere sunt mutabilia, et agentium inferiorum subdita virtuti, ita nihilominus ut quodlibet agens juxta majorem et universaliorem virtutem possit plura vel præstantiora præstare : Ergo similiter in ordine morali etiam juris quodammodo naturalis, prima principia ita sunt fixa et immobilia, ut nec Deus ipse possit illa immutare : quare non potest Deus efficere, ut bonum non sit amandum, malum fugiendum, etc. Proprietates vero, id est conclusiones ex hujusmodi principiis immediate illatas, potest aliquatenus Deus solus immutare : unde potest facere, ut justitia non sit semper servanda, quatenus saltem potest ob supremum dominium, quod habet, efficere, ut quod justum erat, ipso aliter disponente non maneat justum; et quod erat prius furtum, etc. Alia vero remotiora a primis principiis non sunt ita fixa, quin agentia secundaria, sub Deo et a Deo potestatem et jurisdictionem habentia, non possint juxta majorem et universaliorem virtutem et auctoritatem illa immutare : et sic potest aliquod agens inferius dispensare, ne quis stet promissis, etc. Quod ergo dicimus, est non posse summum Pontificem dispensare in his, quæ proprie sunt juris naturalis vel divini : illa vero dicuntur proprie juris naturalis vel divini in proposito, quæ pertinent ad primum vel secundum genus. Unde.

Probatur sequela. Quæ sunt prima principia practica, vel conclusiones ex his primis principiis immediate consequentes, sunt proprie juris naturalis : Sed summus Pontifex non potest dispensare in primis illis principiis practicis, vel in iis, quæ immediate ex illis consequuntur, ut satis patet ex dictis : Ergo summus Pontifex non potest dispensare in his, quæ sunt proprie juris naturalis. In aliis vero, quæ quidem habent fundamentum saltem remotum in jure naturali, magis tamen distant a primis principiis, vel determinantur per jus positivum, vel involvunt aliquid, quod auctoritatem superioris aliquo modo limitare videtur, potest summus Pontifex dispensare. Hinc est, quod potest quidem summus Pontifex dispensare in votis simplicibus, non tamen in votis solemnibus religionis approbatæ, de quo nos alias.

Sequitur 1685. Ad summum Pontificem spectare convocationem Conciliorum generalium, si illa sint utilia vel necessaria.

1685. — 1. p. q. 36. a. 2. ad 2. 33. q. 1. a. 10. pot q. 10. a. 4.

Probatur sequela. Ad illum, qui habet summam in republica potestatem, spectant omnia, quæ sunt utilia vel necessaria reipublicæ, ut patet : Sed summus Pontifex habet summam sub Christo in Ecclesia potestatem : Ergo ad illum spectat convocatio Conciliorum generalium, si illa sit utilis vel necessaria.

Sequitur 1686. Summum Pontificem debere præsidere in his Conciliis.

1686. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui habet summam in republica potestatem, debet præsidere in illis congregationibus, in quibus agitur de negotiis ad totam rempublicam spectantibus : Sed summus Pontifex habet summam in Ecclesia potestatem, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 1687. Summum Pontificem posse præsidere vel per se vel per suos legatos.

1687. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui debet præsidere, eo quod habeat summam potestatem ordinariam, potest etiam auctoritatem præsidendi delegare, ut patet ex dictis supra : Sed summus Pontifex debet in Conciliis præsidere, eo quod habeat summam in Ecclesia

potestatem eamque ordinariam, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 1688. Summum Pontificem posse ac debere confirmare sua auctoritate, quæ in conciliis statuta sunt.

1688. — 22. q. 184. art. 6.

Probatur sequela. Qui debet præsidere congregationibus tanquam caput et Monarcha, debet etiam confirmare, quæ in illis statuuntur : Sed summus Pontifex debet præsidere concilis tanquam caput et Monarcha : Ergo debet confirmare, quæ in illis statuuntur. Adde quod, ut statim dicemus, hæc Concilia non habent infallibilitatem, nisi quatenus sunt unum cum summo Pontifice.

Sequitur 1689. Concilia esse necessaria in Ecclesia.

1689. — De pot. q. 10. a. 4. ad. 13.

Probatur sequela. In statu monarchico temperato aristocratia sunt necessarii aliqui cœtus, ad quos optimates conveniant cum Monarcha ad negotia totius reipublicæ ; Sed Ecclesia est status monarchicus temperatus aristocratia : Ergo necessarii sunt aliqui cœtus ad quos optimates, id est, Episcopi conveniant cum summo Pontifice ad negotia Ecclesiæ.

Sequitur 1690. Hæc concilia posse esse vel omnino generalia, vel nationalia, vel provincialia.

1690. — In 1. dist. 44. q. 7. In 4. dist. 24. q. 3. a. 3.

Probatur sequela. Cœtus illi, ad quos optimates conveniunt, vel sunt omnium omnino optimatum reipublicæ, vel aliquorum, qui sunt in aliqua natione vel provincia. Atqui Concilia sunt cœtus, ad quos optimates, id est, Episcopi conveniunt : Ergo vel sunt omnium Episcoporum, et hos cœtus vocamus concilia generalia ; vel sunt non omnium simpliciter, sed omnium ex aliqua natione, et hos cœtus vocamus concilia nationalia ; vel sunt omnium ex aliqua provincia, et hos cœtus vocamus concilia provincialia.

Sequitur 1691. Hæc concilia, ut sint legitima, debere fieri ex auctoritate summi Pontificis.

1691. — De pot. q. 10. a. 4.

Probatur sequela. Nulli cœtus in statu msnarchico possunt fieri pro ipso statu nisi auctoritate illius, qui est verus Monarcha : Sed concilia sunt cœtus optimatum in Ecclesia, quæ vere est status monarchicus, et hi fiunt pro statu ipso : Ergo concilia debent fieri auctoritate summi Pontificis, qui ut Vicarius Christi est Monarcha. Adverte tamen, quod quandoque requiritur consensus expressus, quandoque sufficit tacitus et virtualis.

Sequitur 1692. Ad hæc concilia per se loquendo vocandos esse solos Episcopos.

1692. — Ibidem.

Probatur sequela. Ad cœtus pro bono totius reipublicæ, per se loquendo, soli vocandi sunt optimates, et principes reipublicæ : Sed Concilia sunt cœtus pro bono Ecclesiæ, quæ ut diximus est respublica monarchica temperata aristocratia : Ergo ad concilia vocandi sunt optimates et principes Ecclesiæ, qui, ut diximus, sunt Episcopi. Dixi autem per se loquendo, quia per accidens possunt etiam vocari alii, ut viri docti, et sancti, sicut etiam potest Pontifex tanquam supremus Monarcha tribuere aliquibus auctoritatem non solum assistendi, sed etiam deffiniendi in conciliis : et sic de facto videmus illam collatam esse Cardinalibus etiam non Episcopis, Abbatibus, Generalibus ordinum Religiosorum, qui omnes in conciliis deffinierunt nullo prorsus reclamante.

Sequitur 1693. Concilia generalia aliquando esse necessaria in Ecclesia.

1693. — Ibidem.

Ut probetur hæc sequela. Advertendum est tres esse causas, ex parte corporis Ecclesiæ, ob quas debent convocari Concilia, videlicet, quando

exoritur nova hæresis, quæ damnanda est; quando oportet reformare abusus quosdam generales; et quando necessarium est occurrere communi hosti reipublicæ Christianæ : Tres etiam sunt causæ ex parte ipsius summi Pontificis, propter quas convocanda sunt concilia; nempe schisma, hoc est, quando sunt plures in Ecclesia, quorum quilibet se gerit ut summus Pontifex; Hæresis vel suspicio non temeraria de hæresi in summo Pontifice; et dubium fundatum de electione ipsius summi Pontificis. Hinc ergo.

Probatur sequela. Quando causa convocandi concilium est omnino et absolute necessaria, ipsum etiam concilium generale est simpliciter et absolute necessarium : Sed causa convocandi Concilium generale potest esse aliquando simpliciter et absolute necessaria, ut patet in schismate, et in hæresi, aut suspicione non temeraria de hæresi summi Pontificis, vel etiam in dubio de electione : Ergo tunc absolute et simpliciter necessarium est Concilium generale.

Sequitur 1694. Concilia etiam provincialia vel nationalia, quandoque posse esse absolute necessaria.

1694. — Ibidem.

Probatur sequela. Nam quando v. g. ad extinguendam hæresim convocari non potest Concilium generale, ob varias causas, puta pestem, bella, etc. necessaria tunc sunt Concilia provincilia vel nationalia : quamvis enim possit Pontifex solus deffinire, ut jam superius ostendimus, nihilominus tenetur Pontifex summus adhibere consilium, ut mox dicemus, et potest contingere casus, in quo nisi adhibeat Concilium provinciale aut nationale, non poterit extingui hæresis.

Sequitur 1695. Concilia generalia legitima et legitime procedentia in doctrina fidei vel morum errare non posse.

1695. — 2. 2. q. 1. a 10.

Probatur sequela. Concilia generalia unita cum summo Pontifice in doctrina fidei vel morum non possunt errare : Sed Concilia generalia legitima et legitime procedentia sunt illa, quæ sunt unita cum summo Pontifice : Ergo Concilia generalia legitima et legitime procedentia errare non possunt circa doctrinam fidei et morum. *Major patet ex dictis :* quia summus Pontifex non potest errare in doctrina fidei et morum. *Minor etiam constat*, quia, ut diximus, Concilia generalia debent convocari a summo Pontifice, qui debet illis præsidere, eaque confirmare.

Explicatur : Præsidere Conciliis dupliciter potest intelligi, *primo* materialiter, quatenus summus Pontifex primus sedet, id est, primum occupat locum; et hoc debetur quidem illi, sed non sufficit. *Secundo* igitur præsidere est gubernare ac dirigere, ita ut Concilium procedat secundum instructionem a summo Pontifice acceptam; et hoc modo Concilia generalia procedunt legitime, quando summus Pontifex præsidet, et tunc Concilia illa errare non possunt; alias Pontifex erraret. Diximus autem illa errare non posse circa doctrinam fidei et morum; quia in ceteris non habent infallibilitatem, maxime vero in rebus facti non revelati, in quibus licet errarent, non sequeretur totam Ecclesiam errare circa fidem.

Sequitur 1696. Concilia etiam provincialia confirmata a summo Pontifice esse omnino certa et indubia, ita ut nullum errorem contineant.

1696. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia alias et ipse summus Pontifex erraret definiendo et confirmando.

Sequitur 1697. Summum Pontificem habere immediate potestatem a Christo.

1697. — Opus. 1. cap. 65.

Probatur sequela. ex dictis supra : Vicarius habet immediate potestatem

ab eo, cujus est vicarius, maxime cum iste, qui vices suas committit, nullum habet superiorem : Sed summus Pontifex est Vicarius Christi, qui in ratione summi Sacerdotis nullum omnino habet superiorem, ut ostendimus : Ergo summus Pontifex habet immediate potestatem et auctoritatem a Christo. *Major est evidens* : quia ad solum principalem Monarcham pertinet committere vices suas, et, ut supra dictum est, oportet, ut is, cui Christus commisit vices suas sit unus et singularis, ut regimen monarchicum, et unitas fidei conservetur : unde fieri non potest, ut Christus primo commiserit vices suas Ecclesiæ, quæ deinde illas transtulerit in aliquem singularem hominem.

Sequitur 1698. Potestatem, quæ est in Ecclesia seorsim considerata a summo Pontifice et Vicario Christi, non esse potestatem, quæ sit formaliter vel suppletive illa plena, quæ competit Vicario Christi.

1698. — Ibid. et 22. q. 89. a. 9.

Probatur sequela. Potestas monarchica non ab optimatibus vel populo originaliter derivata nunquam potest plena competere nisi Monarchæ, non autem optimatibus, vel populo formaliter vel suppletive : Sed potestas, quæ competit Vicario Christi est potestas monarchica, nec est derivata nisi ab ipso Christo immediate : Ergo potestas, quæ competit Vicario Christi non potest plena competere optimatibus vel populo formaliter, vel suppletive : atque adeo potestas, quæ competit optimatibus, vel populo et Ecclesiæ, ut consideratur seorsim a summo Pontifice et Vicario Christi, non est formaliter vel suppletive illa potestas plena, quæ competit Vicario Christi.

Sequitur 1699. In tantum posse dici, quod in Ecclesia est potestas Vicarii Christi suppletive, in quantum est in Ecclesia potestas eligendi illum Christi Vicarium.

1699. — Ibid. et hebr. 7. lect. 5.

Explicatur. Christus Dominus, ut Ecclesia visibilis visibili modo regeretur, non potuit constituere Vicarium suum nisi hominem mortalem, ut ex dictis colligitur : Igitur, ne ipsa Ecclesia usque ad finem sæculi duratura, recto ac visibili regimine destitueretur, oportuit necessario, ut moriente Petro, cui vices suas commiserat per seipsum immediate, esset in Ecclesia potestas aliqua, per quam aliquis alius morienti succederet, et sic regimen Ecclesiæ per successores Petri, usque ad finem mundi propagaretur; Christus vero non determinavit modum illum electionis, sed ipsi Ecclesiæ ac ejus Capiti juxta varias rerum circumstantias determinandum reliquit. Hæc autem potestas subrogandi alium Christi Vicarium loco defuncti est aliquo modo potestas Vicarii Christi suppletive, quia supplet et subrogat Vicarium Christi loco præmortui.

Probatur ergo sequela ex ista explicatione : qui potest supplere et subrogare in officio et auctoritate alium loco mortui, potest dici habere potestatem illius officii suppletive : Atqui in Ecclesia eet potestas supplendi et subrogandi in officio Vicarii Christi alium loco mortui : Ergo in Ecclesia est potestas suppletive ipsius Vicarii Christi. *Major patet. Minor probatur* quia, ut diximus, ad hoc, ut regimen Ecclesiæ duraret, necesse erat, ut in locum defuncti alius substitueretur

Sequitur 1257. Ecclesiam nec propterea conferre potestatem Christi Vicario, quia ipsum eligit.

1700. — Ibidem.

Probatur sequela. Qui habet potestatem immediate a Christo, non recipit illam mediante aliquo alio tam quam conferente potestatem, s

solum tanquam mediante conditione sine qua non ; Atqui Summus Pontifex habet immediate potestatem a Christo, ut probatum est : Ergo non habet illam mediante electione Ecclesiæ tanquam conferente potestatem, sed tantum tanquam mediante conditione sine qua non : atque adeo Ecclesia eligendo summum Pontificem non confert illi potestatem, sed solum ponit conditionem sine qua non. *Confirmatur* ex differentia inter Monarchiam Christi et alias monarchias, quia aliæ monarchiæ sunt institutæ jure gentium, et originem habent a populo consentiente; unde plures sunt diversi modi monarchiarum : Monarchia vero Ecclesiæ a solo Deo sumit originem, et debebatur Christo ex vi unionis hypostaticæ; unde ipse fundans rempublicam Christianam, immediate per seipsum et non ex solo consensu populorum confert potestatem Vicario suo.

Sequitur 1701. Potestatem Vicarii Christi esse summam omnium potestatum, quæ sunt in Ecclesia.

1701. — Opusc. 1. cap. 65.

Probatur sequela. Qui immediate habet plenam et monarchicam potestatem a Christo, habet summam omnium potestatum, quæ sunt in Ecclesia; habet enim potestatem, ut vice Christi visibiliter regat; unde est fere eadem potestas ipsius, ac potestas Christi : Atqui Vicarius Christi habet immediate a Christo plenam et monarchicam potestatem, ut probatum est : Ergo habet summam omnium potestatum, quæ sunt in Ecclesia militante.

Sequitur 1702. Potestatem Vicarii Christi, in hoc esse temperatam aristocratia, quia tenetur Vicarius Christi maxime in certis casibus adjungere sibi optimatum consilium tanquam directivum.

1702. — Ibidem.

Probatur sequela. Potestas plena et monarchica non potest alio modo esse temperata per aristocratiam, nisi ratione consilii et directionis optimatum, quam Monarcha tenetur in casibus urgentioribus adhibere; alias, ut diximus, per aristocratiam tolleretur et non solum temperaretur monarchica. Sed potestas Vicarii Christi est summa et monarchica licet temperetur aristocratia, ex dictis : Ergo, etc.

Sequitur 1703. Hanc potestatem Vicarii Christi esse hujusmodi, ut non possit seipsum subjicere potestati coactivæ extrinsecæ alicujus alterius.

1703. — Ibidem.

Probatur sequela. Summa et monarchica potestas, non potest se subjicere potestati coactivæ alterius, alias desineret esse summa : Sed potestas Vicarii Christi, quantum ad regimen visibile est summa et monarchica, ex dictis : Ergo non potest se subjicere potestati coactivæ alterius quoad spiritualia : quo non obstante, ipse Christo subjectus est, qui potest illum subjicere, sicut Vicarius supremi Monarchæ ipsi Principi subjectus est.

Sequitur 1704. In casu hæresis ipsius Vicarii convocandum esse Concilium ad declarandum, utrum sit hæreticus necne.

1704. — Ibidem.

Probatur sequela. In casu evidentis periculi reipublicæ, debent convocari optimates, ut ipsi consulant : Sed casus, quo Vicarius Christi esset hæreticus, est sine dubio casus evidentis periculi Reipubliæ Christianæ : Ergo in tali casu debet convocari Concilium.

Sequitur 1705. In casu schismatis posse, ac debere convocari Concilium.

1705. — Ex omnibus locis supra citatis.

Probatur sequela. In casu necessario debet provideri reipublicæ ab ipso, qui potest, et qui est supremus omnium : Sed casus schismatis est casus omnino necessarius, id est ca-

sus, in quo necessario providendum est saluti et unitati reipublicæ Christianæ, ut est evidens ex dictis : nec potest illi sufficienter provideri nisi convocando Concilium, ut constat ipsa experientia : Ergo, etc.

Sequitur 1706. In casu schismatis potestatem convocandi Concilium esse penes Episcopos, et iis nolentibus, vel non facientibus posse principes Christianos illud cogere.

1706. — Ex iisdem.

Probatur sequela. In casu periculi reipublicæ ob deffectum Monarchæ tenentur optimates congregari, et illis recusantibus possunt alii, qui habent aliquam auctoritatem, ut constat : Atqui Episcopi sunt optimates Ecclesiæ, ut diximus, et illis non providentibus principes Christiani tenentur tueri et conservare Eccclesiam. Ergo, etc.

Sequitur 1707. In eodem casu schismatis, nisi unus illorum, qui se gerunt ut summi Pontifices habeat jus clarum et evidens, omnes in schismate sibi arrogantes potestatem pontificiam tenentur sese deponere ac renunciare juri suo.

1707. — Ex iisdem.

Probatur sequela. Quia quilibet tenetur renunciare juri suo ad conservandam rempublicam : eo quod bonum reipublicæ est universalius et divinius; unde etiam videmus, quod in corpore naturali manus sese exponit pro bono corporis.

Sequitur 1708. In casu schismatis eos qui sibi arrogant potestatem, si nolint renunciare juri suo, deponendos esse, sive potius declarandum esse a toto concilio, illos non habere summam potestatem.

Probatur sequela. Quia hoc necessarium est ad bonum totius Ecclesiæ, ut constat. Unde Christus hanc in eo casu dedit potestatem Ecclesiæ; sicut et in casu, quo ipse Pontifex esset hæreticus aut de hæresi valde suspectus. In casu etiam dubii de electione, vel perpetuæ amentiæ deberet ab Ecclesia provideri.

Sequitur 1709. Romanum Pontificem esse Christi Vicarium.

1709. — Opusc. 1. cap. 65. Iren. lib. III. cap. III. Tert. cap. XXXII. de præscript ; Cipr. lib. I. Epist. I. et lib. IV. Epist. II. Euseb. in Chron. anno 44. Iren. loc. cit. Epiph. hæres. 68. Athan. in 2. Apologo. Basil. Ep. LII. Nazian. in carm. de vitasua. Chrisost. Epist. I. et II. ad Innoc. Theodoret. Epist. ad Leon.

Probatur sequela. Successor D. Petri est Christi Vicarius : Sed Romanus Pontifex est successor D. Petri : Ergo Romanus Pontifex est Christi Vicarius. *Major patet* : Quia D. Petrus fuit institutus a Christo, ut ipsius Vicarius, sicut constat Matth XVI, et Joannis XXI. juxta explicationem Patrum etiam Græcorum. Oportuit autem, quod Petrus moriens haberet successorem, ut ex dictis superius est evidens, quia in Ecclesia usque ad finem sæculi duratura, fuit necessaria illa potestas monarchica Vicarii Christi, ut demonstratum est : Ergo debuit Petrus habere successorem in hoc officio Vicarii Christi : successor ergo Petri est Vicarius Christi. *Minor vero probatur* : quia Petrus fuit Episcopus Romanus et Romæ mortuus est, ut testantur Irænæus, Tertulianus, Cyprianus, Eusebius et alii. Concilia quoque generalia, Nicænum can. 6, ut explicat Nicolaüs I Epist. ad Michaëlem Constantinopolitanum I apud Theodoretum, lib. V, cap. IX, Ephesinum apud Evagrium, lib. I, cap. IV et ipsum Concilium, Epist. ad Celestinum. Calcedonense act. I. II et III et in Epist. ad Leonem, Septima Synodus, act. II, Concil. Lateran; sub Innocentio III, cap. V, et Lugdunens sub Greg. X, cap. *Ubi periculum* d elect. Hæc inquam Concilia, Roma num Episcopum declarant esse Vicarium Christi. Idem docent Patre etiam Græci, ut Ireneus, Epiphanius Athanasius, Basilius, Nazianzenus Chrysostomus, Theodoretus et ali Præterea Romanus Pontifex exercu hanc auctoritatem Vicarii Christi, u

patet ex Concilio Chalcedonensi act. VII. Ex S. Leone ep. LIV, LXXXIV et LXXXIV, Greg. Lib. IV. Epist. XXXIV, Cyprian. Lib. III, Epist. XIII, Nicolao I, Epist. ad Michaëlem, Liberato in Breviario, cap. XXI, Zonara in vita Justiniani, Gelasio I, Epist. ad Episc. Dardaniæ, Theodor. lib. V, cap. XXIII, et aliis. Confirmatur ex legibus, dispensationibus, censuris latis ab ipso, ut patet ex Leone, Epist. I, Hilario in Conc. Rom., Anastasio epist. ad Anast. Augustino et aliis. Romanus etiam Episcopus constituit Vicarios per universum orbem. Leo epist. LXXXIV. Episcopum Thesalonicensem in Oriente, Celestinus Cyrillum Alexandrinum in causa Nestorii, Hormisdas Episcopum Hispalensem in Bœtica, Gregor. Arelatensem in Gallia. Ad Romanum Episcopum apellatum est, ut constat ex Concilio Sardicensi can. IV et VII, et ex Epiphanio hæres. XIII., Cypriano ep. III, et IV, lib. I, Zozomeno, l. III, c. VII, Chrysostom. epist. ad Innocen., Liberato in Breviario c. XII, Theodor. epist. ad Leonem, Gregor., l. II, Epist. VI. Denique Romanus Pontifex a nemine judicatur : Ergo habet summam in Ecclesia auctoritatem. *Consequentia est evidens. Antecedens patet* ex Concilio Sinuessano dicente. *Prima sedes a nemine judicatur.* Idem dicit Concilium Rom. sub Sylvestro can. ult. et aliud Roman. sub Sixto III, cap. V. Chalcedon. act. III, Roman. sub Adriano II, Concil. IV, Constantinopolitanum act. X, can. XXI. Romanus Pontifex dicitur Pater Patrum, Pontifex Præsulum, Princeps Sacerdotum, Vicarius Christi, Caput Ecclesiæ, Episcopus universalis in Concilio Calcedonensi act. III.

Sequitur 1710. Romanum Pontificem posse omnia, quæ supra diximus posse Vicarium Christi.

1710. — Opusc. 1. cap. 65.

Probatur sequela. Quia ipse est Christi Vicarius, ut jam dictum est.

Sequitur 1711. Romanum Pontificem jure divino nullum habere dominium temporale.

1711. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia licet Christus fuerit Rex et Monarcha, ob summam dignitatem humanitati ex unione hypostatica convenientem, nunquam tamen hanc suam dignitatem in Petrum transtulisse legitur; imo nec transferre proprie potuit juxta suavem providentiam; quia illa ipsi conveniebat ob unionem hypostaticam : unde Christus ipse dicit, *Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo.* Matth. XXII. Marc. II. Luc. XX. Adde, quod ipse Christus, quamvis ut homo esset verus Rex de jure, nunquam tamen de facto hujus dominii usum et exercitium habuit, imo cum vellent populi eum constituere Regem, fugit, ut constat ex Evangelio.

Sequitur 1712. Romanum Pontificem potuisse ex dono principum habere dominium temporale.

1712. — Ibidem.

Probatur sequela. Quia nullo jure repugnat, Romanum Episcopum donata sibi et Ecclesiæ nomine possidere : cur enim deterioris conditionis esset, quam cæteri hominum, qui jure naturali possunt possidere et acquirere.

Sequitur 1713. Falso et impie hæreticos dicere, quod Romanus Pontifex est Antichristus.

1713. — Ex eod. loco. Matth. XXIV et XXVII. Dan. II. VII. et XII. Apoc. XII. XV. et XX. II. ad Thess. II. Malac. IV. Eccli. XLIV. et XLVIII.

Probatur sequela. Impium omnino est asserere, quod Vicarius Christi sit Antichristus : Atqui, ex dictis Romanus Pontifex est Vicarius Christi : Ergo impium est asserere, quod sit Antichristus. *Confirmatur :* quia in doctrina fidei et morum Romanus Pontifex est omnino oppositus Antichristo : ut enim constat ex Scriptura :

Dan. II, Joan. V, 2, ad Thessal. II et I, Joan. II. Antichristus se solum Deum esse affirmabit, solum et verum Messiam, et Christum, adeoque recipietur a Judæis tanquam Messias; unde Christi nomen conabitur prorsus abolere : nihil autem horum docet Romanus Pontifex, imo plane oppositum : cum enim dicat se Vicarium Christi, quem colit, et præcipit colere tanquam verum Deum, sine dubio doctrina ipsius est prorsus opposita doctrinæ Antichristi. *Confirmatur secundo* . Ante adventum Antichristi Evangelium prædicabitur in universo mundo; desolabitur omnino Romanum Imperium; venient tempore Antichristi Helias et Henoch; tanta erit persecutio, ut cessent omnes publicæ religionis Christianæ ceremoniæ et sacrificia : Antichristus non regnabit nisi per tres annos et dimidium, et paulo post Antichristum erit mundi consummatio : hæc autem non possunt convenire Pontifici Romano, ut manifeste constat : Ergo, etc.

P. LETHIELLEUX, ÉDITEUR, 4, RUE CASSETTE, PARIS.

En souscription :

LA SAINTE BIBLE

AVEC COMMENTAIRES

THÉOLOGIQUES, MORAUX, PHILOLOGIQUES, HISTORIQUES, ETC.,
RÉDIGÉS D'APRÈS LES MEILLEURS TRAVAUX ANCIENS ET CONTEMPORAINS

Volumes parus (15 juin 1878) :

LE LIVRE DE JOSUÉ. Introduction critique et **Commentaires** par M. l'abbé **CLAIR**, prêtre du diocèse d'Autun, **Traducion française** par M. l'abbé **BAYLE**, docteur en Théologie, etc. — Prix pour les *souscripteurs* *net* **1.80**

Vendu séparément *net* **2.70**

LE LIVRE DES JUGES et LE LIVRE DE RUTH. Introduction critique et **Commentaires** par M. l'abbé **CLAIR**, prêtre du diocèse d'Autun, **Traduction française** par M. l'abbé **BAYLE**, docteur en Théologie, etc. — Prix pour les *souscripteurs* *net* **2.40**

Vendu séparément *net* **3.60**

L'ECCLESIASTE. Introduction critique, **Commentaires** et **Traduction française** par M. l'abbé **A. MOTAIS**, prêtre de l'Oratoire de Rennes, professeur d'Ecriture Sainte au grand séminaire. — Prix pour les *souscripteurs* *net* **2.40**

Vendu séparément *net* **3.60**

LES PROPHETIES D'ISAIE. Introduction critique et **Commentaires** par M. l'abbé **TROCHON, Traduction française** par M. l'abbé **BAYLE**. — Prix pour les *souscripteurs* *net* **4.40**

Vendu séparément *net* **6.60**

L'ÉVANGILE SELON S. MATTHIEU. Introduction critique et **Commentaires** par M. l'abbé **L. Cl. FILLION**, prêtre de Saint-Sulpice, professeur d'Ecriture sainte au Grand Séminaire de Lyon. **Traduction française** par M. l'abbé **BAYLE**, docteur en Théologie, etc. — Prix pour les *souscripteurs* *net* **9.00**

Vendu séparément *net* **13.00**

LES ÉPITRES DE SAINT PAUL. Introduction critique et **Commentaires** par M. l'abbé **P. DRACH**, docteur en Théologie, **Traduction française** par M. l'abbé **BAYLE**. — Prix pour les *souscripteurs* *net* **11.40**

Vendu séparément *net* **17.10**

LES ÉPITRES CATHOLIQUES DE S. JACQUES, S. PIERRE, S. JEAN, S. JUDE. Introduction critique et **Commentaires** par M. l'abbé **DRACH**. **Taduction française** de **M.** labbé **BAYLE**. — Prix pour les *souscripteurs* *net* **3.20**

Vendu séparément *net* **4.50**

L'APOCALYPSE DE SAINT JEAN. Introduction critique et **Commentaires** par M. l'abbé **DRACH, Traduction française** de M. l'abbé **BAYLE**. — Prix pour les *souscripteurs* *net* **2.20**

Vendu séparément *net* **3.30**

Pour paraître au cours de 1878, *et successivement, toutes les parties de la Sainte Bible, et d'abord:* 1° **JEREMIE et BARUCH, EZECHIEL et DANIEL**; 2° **LES ACTES DES APOTRES**; 3° **LES LIVRES DES ROIS**; 4° **L'EVANGILE SELON SAINT MARC**; 5° **TOBIE, JUDITH et ESTHER**; 6° **LES PSAUMES**; 7° **JOB**; etc., etc.

BREF DE N. S. P. LE PAPE PIE IX

Ardui laboris quem suscepisti in Sacræ Scripturæ libris explanandis oblatum a te specimen libenter accepimus, in eo volumine quod Commentaria in Epistolas Beati Pauli ad Romanos et ad Corinthios amplectitur. Et si nondum illorum lectioni vacare potuimus propter curas pastoralis officii, tamen intelligimus opus quod es aggressus, dignum esse non minus pietate quam peritia et industria tua; illudque confidimus non modo discentibus, sed et docentibus alios scientiam rerum divinarum non mediocriter profuturum. Illius autem opportunitatem maximam esse agnoscimus, cum multæ Sacrorum Bibliorum explanationes prodierint exaratæ a viris acatholicis, quorum studio quidam abripiuntur litterarum ornamentis illecti et variarum quæstionum admixtarum jucunditate. Interim vero ignorantes divinum eloquium esse velatum mysteriis et non compertum superbis, atque Ecclesiæ et Sanctorum Patrum magisterium contemnentes, in miseras deceptiones et noxios errores collabuntur. Expedit itaque rem pertractari a viris catholicæ veritatis studiosis, et scientiarum præsidiis quibus nostra ætas gloriatur instructis. Cum autem te utraque dote præditum meritò existimemus, vehementer optamus, ut, adspirante et favente Deo, inceptum opus feliciter ad exitum perducas. Interim divini favoris auspicem Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, die 6 aprilis 1870, Pontificatus nostri anno vigesimo quarto.

Pius PP. IX.

APPROBATIONS.

J'ai la ferme confiance que votre travail *sera d'une utilité très-grande* pour ceux qui voudront se livrer à l'étude de l'Ecriture-Sainte, et qu'avec la bénédiction d'en haut, il atteindra parfaitement le but que vous vous proposez.

Je ne puis que vous encourager dans l'usage si louable que vous faites des talents que le Seigneur vous a départis.

Signé: Al. C. Barnabo, pr.,
Préfet de la Congrégation de la propagande.

Monsieur l'Abbé,

... Je ne doute pas que votre ouvrage ne soit posé *sur les doctrines tout à fait saines que vous avez puisées à Rome.* Suivant votre désir, j'ai déposé aux pieds du Saint-Père l'exemplaire que vous m'avez confié pour lui, avec la lettre dont l'hommage était accompagné. Sa Sainteté a accueilli favorablement ce témoignage de votre amour filial, et il vous accorde déjà une spéciale bénédiction.

Je...

J. Cardinal Berardi.

Archevêché de Paris.

Paris, le 31 août 1869.

Monsieur l'abbé,

Je lis avec satisfaction les pages déjà parues de votre travail sur l'Ecriture sainte, et je crois devoir vous engager à poursuivre vos études et votre publication.

Cette œuvre me semble bien entendue et sera très-utile. Vous prenez soin de préciser le sens littéral de la Bible, à l'aide du texte primitif, des versions anciennes et des commentaires autorisés. Vous tenez compte des travaux philologiques qu'on a faits dans ces derniers temps et des résultats auxquels sont parvenus les savants les plus versés dans l'exégèse biblique. La doctrine, qu'elle intéresse le dogme ou la morale, est mise en relief par des notes courtes, mais dont l'origine exactement indiquée, permet au lecteur d'aller chercher les développements à leur source.

On vous saura gré d'avoir publié votre livre qui répond d'une manière plus directe que ceux de vos devanciers aux besoins présents. Je vous félicite d'avoir su trouver le temps de vous livrer à des études et des recherches si sérieuses, au milieu des occupations incessantes du ministère ecclésiastique, et je prie Dieu de bénir votre œuvre.

Agréez, cher Monsieur l'Abbé, l'assurance de mes sentiments affectueux et dévoués.

† G., *Archev. de Paris.*

Evêché de Châlons.

Châlons, 26 août 1869.

Mon cher Abbé,

J'ai reçu avec grand plaisir le spécimen intéressant de l'ouvrage auquel vous travaillez.

Je ne doute pas que votre science personnelle et le précieux héritage biblique de votre illustre père, ne vous mettent en mesure de contribuer pour une large part à la publication *d'un excellent ouvrage dont je suivrai les progrès avec le plus grand intérêt.*

Je vous remercie des bons sentiments que vous voulez bien garder et de mes livres et de moi-même.

Bien à vous, mon cher Abbé.

† G. *Ev. de Châlons.*

Evêché de Nancy et de Toul. Nancy, le 28 août 1869.

Bien cher monsieur Drach,

Je viens de parcourir avec un véritable intérêt les premières feuilles de votre remarquable commentaire des Epitres de Saint Paul, et je m'empresse de vous remercier de la bonne pensée que vous avez eue de me les envoyer. Je fais des vœux très-sincères pour que vous puissiez conduire à bonne fin le travail considérable que vous avez entrepris. *Vous devez interpréter ainsi toute la Bible.* CE SERA UN VÉRITABLE MONUMENT EN MÊME TEMPS QU'UNE BELLE ŒUVRE. Comptez-moi dès aujourd'hui au nombre de vos souscripteurs.

Croyez, bien cher monsieur Drach, à mon affectueux dévouement.

† JOSEPH, *Ev. de Nancy.*

Evêché de Verdun. Virofiay, le 10 septembre 1869.

Monsieur l'Abbé,

L'œuvre d'exégèse que *vous venez d'inaugurer si magistralement*, servira très-efficacement la cause de la vérité. *Noblesse oblige: Votre nom promet un travail d'érudition et de conscience et j'aime à déclarer que cette promesse est justifiée par le spécimen que vous m'avez adressé.*

Agréez, Monsieur l'Abbé, mes félicitations respectueuses.

† AUGUSTIN, *Ev. de Verdun.*

Je réponds bien tard à votre aimable lettre, je ne puis que vous encourager à poursuivre l'œuvre laborieuse que vous avez entreprise. Vous pouvez me compter au nombre de vos souscripteurs. Vos talents et vos connaissances acquises me sont une assurance que je ne serai point déçu dans l'espérance que j'ai de l'heureux succès de votre ouvrage.

Tout à vous en N. S.

† FLAVIEN, *Ev. de Bayeux.*

Rome, 3 mars 1870.

Monsieur l'Abbé,

L'hommage que vous avez bien voulu me faire de votre bel ouvrage sur la Sainte Bible, m'a été infiniment agréable. J'AI ÉTÉ HEUREUX D'Y TROUVER UNE EXEGÈSE ET UNE CRITIQUE SI SURES, UNE SI VASTE ÉRUDITION, UNE SI GRANDE CONNAISSANCE DES LANGUES SAVANTES. Veuillez donc, Monsieur l'Abbé, agréer mes sincères félicitations pour ce que vous avez déjà accompli, et j'espère qu'il vous sera donné de continuer bientôt ce qui vous reste encore pour mettre la dernière main à *votre précieuse et savante entreprise.*

Agréez, etc. J. PERRONE, S. J.

OPINIONS DE LA PRESSE.

« Nos lecteurs ecclésiastiques nous sauront gré de leur apprendre que M. l'abbé Drach, fils de l'ancien rabbin converti, vient de commencer un grand commentaire sur toutes les Saintes Ecritures. C'est là une de ces vastes entreprises auxquelles nous a habitué le retour en France, aux hautes études ecclésiastiques.

Le but de l'auteur est de placer sous les yeux du lecteur, par un commentaire perpétuel, et dans des proportions parfaitement adaptées aux exigences du ministère, les derniers résultats de l'Exégèse sacrée. Il se propose d'y grouper toutes les conclusions importantes, fruit des travaux bibliques contemporains, catholiques ou protestants, et de montrer qu'elles confirment et complètent la chaîne des interprétations traditionnelles.

L'idée est excellente; et M. Drach, en la réalisant, aura non-seulement comblé un vide qu'on déplore chaque jour dans le clergé, mais encore fourni aux élèves des séminaires UN VRAI MANUEL BIBLIQUE qui leur fait complètement défaut. *Nous avons examiné ce qui a déjà paru, et nous pouvons affirmer que l'exécution répond de tous points à l'idéal conçu...* »

(LE TABLET, Londres, 2 octobre 1869.)

.... Revêtue déjà d'un grand nombre d'approbations épiscopales, cette nouvelle Bible conquerra une véritable autorité, et nul doute que, si le restant de l'ouvrage justifie les espérances que la partie publiée a fait concevoir, elle est appelée à un long et sérieux succès.

Ajoutons, ce qui est important dans un pareil livre, que, sous le rapport matériel, la publication ne laisse rien à désirer. Le papier de fil, de première qualité, caractères magistraux pour le texte, commentaires en caractères plus fins, mais très nets, tout est digne de l'ouvrage.

(*Le Monde*, Paris, 23 novembre 1869).

On lit dans la *Revue des Sciences ecclésiastiques*, numéro 150, juillet, 1872 :

UN NOUVEAU COMMENTAIRE BIBLIQUE :

On sait que M. l'abbé Drach a entrepris la publication d'un commentaire complet de la Bible. C'est là un grand travail, qui demande toute une vie d'homme et l'application la plus soutenue. *Après une préparation de vingt ans d'étude, M. Drach s'est mis à l'œuvre avec courage et avec succès.....*

Le plan que M. Drach s'est tracé, il l'a fidèlement rempli. *Grâce à son zèle, la fleur de tout ce qui a été publié depuis de longues années sur les Epîtres de saint Paul est maintenant à la disposition du clergé français...*

La version de M. l'abbé Bayle serre de très-près le texte latin : elle le reproduit même avec une fidélité et une exactitude dont nous n'aurions point cru la langue française capable. Sous ce rapport, cette traduction n'a rien à envier à celle de..... caractérisée surtout par sa littéralité, mais elle a généralement sur cette dernière l'avantage de l'élégance.

. . . . . .

Quant aux notes elles-mêmes, nous ne saurions en faire assez l'éloge. C'est un véritable trésor exégétique, critique, théologique, parénétique. ON EST RAVI D'ÉTONNEMENT DE TROUVER TANT DE RICHESSES RÉUNIES DANS UN COMMENTAIRE QUI N'A PAS LES PROPORTIONS DES IN-FOLIOS DE CORNÉLIUS A LAPIDE ET D'ESTIUS...

Le sens des passages les plus difficiles de S. Paul est expliqué avec un rare bonheur.....

La partie critique est soigneusement traitée dans ce nouveau Commentaire de S. Paul. Toutes les variantes importantes de la Vulgate, du *tectus receptus* grec et des principaux manuscrits sont exactement signalées et mises à profit..... Les objections que peuvent faire naître divers passages des Epîtres de S. Paul *sont exactement discutées et pleinement résolues.....*

M. l'abbé Drach n'a pas négligé le Commentaire moral. Pour donner plus de poids aux réflexions morales, M. Drach les emprunte presque toujours aux Saints Pères, dont il a choisi avec bonheur les plus belles sentences, et les traits qui, par leur brièveté et leur force, sont les plus propres à faire impression et à se graver dans la mémoire. Ces perles, tirées de l'écrin de la tradition, sont d'un prix inestimable *pour le directeur des âmes et pour le prédicateur*, qui trouve là tout à la fois de quoi nourrir sa propre piété et de quoi nourrir les fidèles du suc et de la moelle des écrits inspirés, commentés par ce qu'il y a de plus grand, de plus saint, de plus autorisé dans l'Eglise de Dieu.

» *Mais la partie incontestablement la meilleure du Commentaire de M. Drach,* CE QUI LUI DONNE UNE VALEUR TOUT-A-FAIT SUPÉRIEURE, c'est la *partie dogmatique. On peut dire que nous avons ici* TOUT UN TRAITÉ DES DOGMES CHRÉTIENS. *Rien n'échappe sur ce point au savant théologien, et c'est surtout par ce côté que son travail sera utile au clergé en général et aux séminaires en particulier.* ON NE TROUVE NULLE AUTRE PART RIEN DE PAREIL DANS UN LIVRE MANUEL. L'auteur déduit des paroles de l'Apôtre toutes les vérités chrétiennes qui en découlent avec beaucoup de logique, de précision et de clarté. Il cite et éclaircit, quand il y a lieu, les définitions de l'Eglise, des Papes et des Conciles. Et, pour que le lecteur puisse approfondir davantage encore, s'il le désire, les questions les plus intéressantes du dogme chrétien, il renvoie aux théologiens les plus célèbres et les plus autorisés, surtout romains, qui ont le mieux traité le sujet dont il parle. Il faudrait citer le livre tout entier, si nous voulions indiquer tout ce qu'il renferme de remarquable en ce genre.....

Cette partie du travail de M. Drach a d'autant plus d'importance et de valeur, que, dans les Compendium de Théologie suivis dans beaucoup de séminaires de France, les preuves empruntées à la Sainte Ecriture et à la Tradition ne sont pas toujours bien choisies, ni bien exposées.

Le Commentaire que nous venons d'étudier avec quelques détails sera L'UNE DES PLUS GRANDES ŒUVRES DU CLERGÉ FRANÇAIS AU XIX^e^ SIÈCLE. Elle est digne de figurer à côté de l'*Histoire universelle de l'Eglise catholique* de l'abbé Rohrbacher.....

M. l'abbé Drach s'est acquis les droits les plus fondés à la sympathie et à la reconnaissance du clergé français et de tous ceux qui ont le goût et l'amour des Saintes lettres. *Puisse tous les prêtres de France trouver le temps de lire, d'étudier, de méditer ce volume qu'un de leurs confrères excité et soutenu par son dévouement à l'Eglise, par son respect pour la parole sainte, par sa charité envers ses frères, a trouvé le loisir de composer au milieu d'un des ministères les plus occupés et les plus absorbants de Paris.* CE COMMENTAIRE DE S. PAUL DOIT PRENDRE PLACE DANS TOUTE BIBLIOTHÈQUE ECCLÉSIASTIQUE. *Comme le dit si bien le Souverain Pontife, un ouvrage d'une telle importance,* fait à l'aide de toutes les ressources scientifiques dont se glorifie notre époque, « *presidiis quibus nostra ætas gloriatur,* » EST TRÈS-OPPORTUN, *mais il est très-laborieux.* « *arduus labor.* » Il faut donc que les encouragements de ceux au bien desquels l'auteur consacre ses veilles ne lui fassent point défaut. Soutenir le trop petit nombre de prêtres qui se vouent à des études aujourd'hui, par malheur, fréquemment négligées, *est un devoir véritablement sacré.* Nous avons la ferme espérance qu'un juste succès couronnera les efforts de M. l'abbé Drach et que les souhaits de l'immortel Pie IX seront accomplis : *Vehementer optamus ut, aspirante et favente Deo, incœptum opus feliciter ad exitum perducas.* » Al. GILLY.

.... Il nous semble que M. l'abbé Drach, fils de l'illustre rabbin converti, et pour qui l'étude de nos saints Livres est pour ainsi dire une tradition de famille, a parfaitement compris les besoins de notre époque. Docteur en théologie, nourri à Rome des pures doctrines de la sainte Église, familiarisé de longue date avec les langues hébraïque, grecque, latine et allemande, il a pu puiser largement dans tous les trésors antiques et contemporains de l'exégèse biblique, surtout dans cette Allemagne, parfois si nébuleuse, mais en même temps si savante et si patiemment studieuse....

Viennent ensuite l'Epitre avec le texte latin, et la traduction française en regard, et le commentaire, qui occupe environ les deux tiers de chaque page. En tête de chaque chapitre se trouve un sommaire qui le résume très-clairement, et qui permet de suivre l'enchainement des pensées de l'écrivain sacré. Le commentaire suit pas à pas le texte, et c'est ici que M. l'abbé Drach fait preuve d'une grande érudition exégétique : les passages de l'Ecriture qui se rapportent aux passages étudiés, les Pères, les commentateurs, anciens et modernes, même ceux qui ont paru parmi les protestants, viennent les uns après les autres, ces derniers, avec toute la discrétion et la réserve nécessaires, apporter leurs explications : M. l'abbé Drach compare, discute, indique son propre sentiment quand les sentiments diffèrent, et le lecteur se trouve complètement édifié sur le passage qu'il étudie. Les commentateurs juifs ne sont pas oubliés, et c'est avec une véritable profusion qu'il ouvre, sans que l'ordre et la clarté en souffrent, les trésors de l'érudition hébraïque, grecque, latine et germanique. Le même plan est suivi pour les autres épitres.

(*L'Univers*, 5 janvier 1870.) J. CHANTREL

Il existe beaucoup de traductions françaises de l'Ecriture sainte, mais on s'accorde généralement à les trouver fort défectueuses...

Il restait donc quelque chose à faire. Ce travail a été entrepris par M. l'abbé Bayle. Mettant à profit les versions précédentes, M. Bayle a entrepris une version française de toute la Bible.

A en juger par ce qui a paru, cette traduction sera plus exacte, plus claire et plus littérale que celles que nous possédions. Cette version est accompagnée d'une introduction spéciale à chaque livre et d'un commentaire perpétuel par M. l'abbé Drach, fils du célèbre rabbin converti. M. Drach s'attache à préciser le sens littéral de la Bible, à l'aide du texte primitif, des versions anciennes et des commentaires autorisés. Il tient compte des travaux philologiques qu'on a faits dans ces derniers temps et des résultats auxquels sont parvenus les savants les plus versés dans l'exégèse biblique. *Ce commentaire contient une explication substantielle et utile, qui servira au prédicateur comme au théologien.*

Cette publication formera 8 *volumes* grand in-8° à deux colonnes, et coûtera environ 60 fr. C'est un prix très-modique pour un ouvrage aussi considérable. *Nous ne pouvons que féliciter les deux auteurs d'avoir entrepris et si bien commencé un ouvrage aussi utile. Rien n'est plus désiré qu'une bonne traduction française de la Bible. L'ouvrage que nous annonçons nous fait espérer que bientôt ce désir sera satisfait.*

(Fév. 1870.) Le Dr **T. J. LAMY**, professeur d'Hermeneutique sacrée à l'Université catholique de Louvain.

MM. les abbés Drach et Bayle, continuent le grand ouvrage qu'ils ont entrepris ensemble, et dont nous avons déjà entretenu nos lecteurs. Aux *Epîtres de S. Paul* et aux sept *Epîtres* dites *catholiques*, ils viennent d'ajouter l'*Apocalypse de S. Jean*. On ne se plaindra pas que l'édition avance lentement, si l'on considère les difficultés sans nombre qu'ont rencontrées les auteurs dans l'interprétation de ce livre prophétique qui a exercé le génie des anciens et des modernes, sans que le voile qui en recouvre le sens mystérieux, ait pu être encore complètement soulevé. Il est facile de se convaincre, par la lecture de la *Préface* et des *Commentaires*, que **M. Drach n'a rien négligé pour mettre son travail à la hauteur de la science contemporaine.** On comparera avec profit la traduction nouvelle de M. Bayle avec les traductions déjà existantes.

Dans la préface, M. Drach démontre d'abord, par les nombreux témoignages de la tradition ecclésiastique, la canonicité de l'Apocalypse. Cette vérité a été attaquée de nos jours au nom de la critique. M. Drach y répond **avec une érudition aussi vaste que solide.**

L'auteur traite ensuite du texte original, du lieu, de la date, du but et des causes occasionnelles de l'Apocalypse. La suite, l'enchaînement et le caractère des visions de S. Jean, leur rapport avec les visions d'Ezéchiel et de Daniel, l'importance dogmatique et morale du livre et enfin sa forme littéraire, tous ces points sont successivement mis en lumière. . . . .

Nous devons cette justice à M. Drach, qu'il a fait un travail consciencieux et plein de recherches, qu'on lira avec intérêt et avec profit. **C'est une œuvre qui restera.**

T. LAMY, *Professeur à l'Université catholique de Louvain.* (*Janvier* 1874).

Voir l'article de la CIVILTA CATTOLICA. — Février 1874.

On lit dans la CIVILTA-CATTOLICA, 7 février 1874 :

(Nous ne pouvons donner ici que quelques extraits d'une magistrale et très-longue étude en sept chapitres).

.....

III

« Comme premier élément du Commentaire, en regard du texte de la Vulgate confronté au besoin avec les originaux, éclairci et défendu, se trouve une *nouvelle traduction française, plus exacte, plus claire et plus littérale que celles que nous possédons.* (Nous empruntons ici en les faisant nôtres, les paroles autorisées du savant docteur Lamy, dans la *Revue de Louvain*, février 1870), qui fait honneur à la science linguistique de M. l'abbé Bayle, digne collaborateur de M. Drach dans ce grand travail biblique. Le commentaire proprement dit répond parfaitement au titre : *La Sainte Bible* etc... La première qualité d'un commentaire exégétique consiste à être littéral, c'est-à-dire à éclaircir nettement le sens littéral du texte sacré; et le commentaire de M. Drach est, avant tout, littéral. Ce n'est pas à dire qu'il soit aride et sec, et s'arrête à l'écorce de la lettre, comme certains commentaires protestants; non, il pénètre pour ainsi dire jusqu'à la moëlle du texte scriptural, et c'est là le but des notes critiques, philologiques, historiques et par-dessus tout morales et dogmatiques, qui autorisent vraiment l'auteur à appeler son travail un *commentaire littéral, dogmatique et moral.*

« A bon droit il affirme qu'il l'a rédigé d'après les *meilleurs travaux anciens et modernes* sur chaque livre de la Bible. Ce n'est point toutefois une compilation quelconque, et son mérite tout particulier, consiste à être faite véritablement d'après les travaux nombreux et les mieux choisis de tous les âges, et, d'abord, **avec une vaste érudition et un sage discernement;** puis, **avec une brièveté savante qui résume, en un petit espace, la meillenre substance d'innombrables volumes.** Ce que nous y apprécions surtout, c'est une discussion raisonnée des opinions diverses, que notre auteur expose avec les raisons qui les appuient, tout en donnant les motifs qui lui font donner la préférence à l'une d'elles : et ainsi, bien que le titre du livre semble indiquer modestement une ample compilation plutôt qu'un travail original, il possède pourtant tout ce qui peut constituer l'originalité en fait de travaux théologiques et bibliques, dans lesquels l'invention, si ingénieuse qu'elle soit, doit toujours céder le pas à la tradition et aux interprétations les plus communément reçues. Quand les avis sont partagés, M. Drach compare, discute, indique sa manière de voir, et, parfois même, propose une interprétation nouvelle, sans prétendre l'imposer au lecteur. S'il s'agit d'applications dogmatiques et autorisées, M. Drach s'y arrête et les soutient, montrant ainsi sa soumission, non seulement au magistère infaillible de l'Eglise, mais encore à l'autorité des Pères, des interprètes et des docteurs catholiques.

« Animé de cet esprit sûrement orthodoxe, il a su choisir ce qu'il peut y avoir de bon jusque dans les commentaires des protestants et des rationnalistes, et, tout en réfutant les erreurs qui ont vogue, surtout parmi les exégètes protestants de l'Allemagne, il sait s'approprier les observations critiques, historiques, philologiques, dont ils se font si fiers. C'est ainsi, par exemple, que, dans les admirables visions de l'Apocalypse, quand l'apôtre affirme qu'il raconte ce qu'il voit, M. Drach, s'en tenant au sens littéral, réfute ces rationnalistes qui, abandonnant la lettre, n'y veulent plus voir que les allégories d'un poète qui écrit ses rêveries : aussi, quand il arrive à la comparaison entre la doctrine de l'Apocalypse et celle de S. Paul, sait-il réfuter victorieusement les folles idées de ces rationnalistes récents qui présentent l'Apocalypse comme le programme d'une prétendue école rivale d'une école Paulinienne. Et ce n'est pas tout; quand l'occasion s'en présente il sait finement discerner ce qu'il y a de vrai et de faux dans cette critique surfaite des protestants et des rationnalistes modernes et dans leurs travaux, soit sur les textes originaux, soit sur la Vulgate, et il ne ménage pas, par exemple, ces variantes arbitraires introduites par Tischendorf dans le texte reçu de l'Apocalypse.

On voit donc avec quelle habileté, ces commentaires résument toute la tradition catholique sur l'exégèse biblique, et tournent au profit des saines interprétations les travaux même de nos ennemis. L'auteur sait tirer le même profit des élucubrations judaïques dans lesquelles, digne fils de son illustre père, le chevalier Drach, il se montre profondément versé. . . .

Pour en venir au détail, nous voulons surtout attirer l'attention sur la partie *théologique* et *morale* de ses notes, où la doctrine est toujours sûre et rehaussée par un choix exquis de textes courts, opportuns et saisissants, empruntés aux saints Pères. Si M. Drach ne perd aucune occasion de mettre en relief la *théologie du texte sacré*, il semble qu'il s'arrête avec une affection particulière sur les endroits qui éclairent la *divinité de J.-C.* et les *doctrines surnaturelles de la grâce*, coopérant avec le libre arbitre, vérités fondamentales du christianisme dogmatique et moral. Et si, dans ses *explications critiques, philologiques* et *historiques*, il sait nous ouvrir les trésors de l'*érudition hébraïque, grecque, latine et allemande*, on sent bien pourtant que, **profondément maître de sa matière,** il ne devient jamais l'adorateur servile de la science moderne. Dans la *polémique*, il est bref et courtois : s'il n'hésite point en face de l'erreur évidente, il discute avec sagacité l'opinion dou-

teuse, **toujours sage dans celle qu'il adopte,** et assez heureux pour l'infiltrer doucement dans l'esprit de son lecteur. . . . . .

(*Vient ensuite une longue et savante étude de la Revue romaine, sur le commentaire de l'Apocalypse en particulier. Nous sommes obligés d'y renvoyer, faute d'espace.*)

VII

« Les louanges que nous avons données au Commentaire et à l'Introduction critique sur l'Apocalypse, s'appliquent en général aux Commentaires et aux Introductions critiques de **M. Drach** sur les autres livres de la Sainte Ecriture. Il a déjà publié les volumes qui contiennent les *Epîtres de S. Paul* et les sept *Epîtres catholiques*, et il en prépare deux autres qui contiendront les quatre *Evangiles* et les *Actes des apôtres ;* de la sorte nous aurons bientôt un commentaire complet de tout le Nouveau Testament, puis viendra celui de l'Ancien. Nous le désirons vivement, mais sans impatience, et nous disons volontiers, avec Léon Gautier : *Cette édition va lentement, mais sûrement. Ne nous plaignons pas d'une lenteur si profitable à la vraie science. Courage !* (*Le Monde* 31 mai 1873).

Comme autrefois Corneille Lapierre, M. Drach a commencé par les *Epîtres de S. Paul.* Nous en avons lu attentivement une grande partie, et nous y avons trouvé tout ce qui distingue le Commentaire de l'*Apocalypse*, et mieux encore s'il est possible. Aussi nous ne désirons rien tant que de posséder de la même plume un Commentaire de toute la Sainte Ecriture, et nous recommendons instamment au clergé d'Italie une œuvre qui fait si grand honneur à la France catholique, et qui a déjà été accueillie avec distinction par les principales Revues de Belgique, d'Angleterre et d'Allemagne. Nous avons toujours souhaité de voir aux mains du prêtre, et comme auteur favori, dans toutes les positions où il peut se trouver, Maldonat, Bellarmin, Berthier, Picquigny. On lira toujours ces auteurs, et ceux qui leur ressemblent, avec grand profit, non-seulement pour la piété, mais encore pour la science : mais à la science de nos aïeux, il convient de joindre la science de nos contemporains. Or, cet heureux mélange, **nous le trouvons réalisé le mieux possible,** dans les Commentaires de M. Drach ; il nous donnent la quintessence de la science biblique ancienne et moderne, et, ce qui vaut mieux, non pas la science qui enfle, mais celle qui édifie, en deux mots : **SIENCE ET PIETE.** Et notre appréciation n'est pas isolée ; nombre d'évêques, Pie IX en tête dans un bref, nous ont déjà précédés. . . . . .

(**La Civilta** *termine en citant tout au long le Bref du Saint-Père*)

L'ECCLÉSIASTE :

On lit dans le *Polybiblion* année 1877 :

... Le savant auteur examine successivement l'authenticité de l'Ecclésiaste, son orthodoxie, son inspiration et sa canonicité, sa forme, son but et son plan. toutes ces questions sont résolues de la manière la plus satisfaisante. — Le prétendu scepticisme de Salomon, ainsi que son fatalisme et son épicuréisme, les trois grandes erreurs qui n'ont pas craint de lui attribuer les rationalistes, sont discutés avec beaucoup de soin et de manière à lever toute difficulté.

Les notes par lesquelles M. Motais explique le texte sont claires, nettes et complètes...

... Tous ceux qui s'intéressent à la prompte publication de l'important ouvrage de M. Lethielleux verront avec une grande satisfaction ce nouveau commentaire, de même qu'ils seront heureux d'apprendre que l'éditeur annonce que des mesures sont prises pour continuer **sans interruption** et faire paraître dans un bref délai le grand travail qu'il a entrepris.

LE LIVRE DE JOSUE fait encore partie du **grand commentaire sur toute la Bible** publié par l'éditeur Lethielleux, et si heureusement inauguré par les remarquables travaux de M. l'abbé Drach sur les Epîtres de saint Paul, les Epîtres catholiques et l'Apocalypse. Le livre de Josué offrait une difficulté particulière : il a fallu les patientes recherches de M. l'abbé Clair pour mener à bonne fin l'œuvre qu'il avait entreprise. Une notable partie de l'Ecrit sacré contient des détails géographiques, des partages, des noms de villes, de montagnes, de torrents : comment fixer, après trente-quatre siècles, la position véritable de ces lieux, comment choisir entre les topographies fort incertaines tracées par les savants d'Allemagne, d'Angleterre ou de France ? Félicitons le nouvel interprète de la sage critique dont il a fait preuve.

... Une solide introduction critique précède le commentaire, proprement dit. C'est là que l'interprète résume tout le récit du *Livre de Josué* et détermine le but que s'est proposé l'écrivain sacré ; c'est là que sont démontrées l'authenticité et l'intégrité de ce livre. Les principales difficultés sont ensuite résolues.

LE LIVRE DE JOSUÉ :

Nous lisons dans l'*Echo bibliographique*, 5 septembre 1877 :

Aucune **œuvre ne mérite plus que celle-ci** l'attention du public sérieux. Au XVIIe siècle, la France tenait le premier rang dans l'exégèse sacrée. Il suffira, pour le prouver, de citer les noms illustres des Morin, des Cappelle, des Lamy, des R. Simon. Le XVIIIe siècle, un peu dégénéré, présente cependant encore les travaux sérieux des Houbigant, des Calmet, des Guénée. Mais la Révolution avait complètement arrêté ces études, et dans les cinquante premières années de ce siècle, si l'on excepte quelques dissertations savantes de M. Quatremère, et l'*Introduction* de M. l'abbé Glaire, il est difficile de citer des travaux importants. Ce n'est pas un esprit de dénigrement qui nous fait ainsi parler. Tout homme de bonne foi conviendra que des réimpressions de Ménochius et de Carrières ne sont pas suffisantes pour entretenir le goût des études scripturaires sérieuses, et que la France semblait déshéritée sur ce point, elle qui avait ouvert la voie et précédé toutes les autres nations dans ce vaste champ. Malheureusement, le rationalisme s'était emparée de la place laissée vide, et Hitzig, Gésénius, Knobel, après Rosenmüller, Griesbach, et tant d'autres dont les noms remplir aient ces pages, avaient étudié la Bible de manière à lui enlever tout caractère divin. La science de ces critiques est considérable ; mais leur méthode est vicieuse, et. si on peut sur beaucoup de points de détails utiliser leurs recherches, on doit avouer qu'au point de vue des doctrines ils sont d'une incroyable faiblesse.

Le point de départ de toutes leurs études est la négation du surnaturel. Trouvent-ils dans un prophète l'annonce d'un événement quelconque, ils concluent, avec une imperturbable assurance, que le livre où se rencontre cette prophétie est postérieur à l'événement lui-même. Ainsi, toute la seconde partie d'Isaïe où les conquêtes de Cyrus sont clairement annoncées, n'a été, suivant eux, écrite qu'après la captivité de Babylone. Ce seul exemple suffira pour faire comprendre leur méthode.

Il faut avouer qu'en France on a peu réfuté ces fausses théories, nous pouvons citer quelques travaux spéciaux de Mgr Meignan, du P. de Valroher, de M. Le Hir, de M. Vigouroux qui ont, depuis vingt ans, singulièrement fait pour l'honneur scientifique des catholiques, mais des œuvres plus considérables, des commentaires sur toute la Bible, tels que l'Angleterre et l'Allemagne peuvent en offrir, nous serions dans l'incapacité absolue de les présenter.

Un éditeur courageux a voulu combler cette lacune. Il a entrepris la publication d'une Bible complète, où toutes les difficultés d'interprétation seront franchement abordées et scientifiquement élucidées. Le but très-louable qu'il poursuit est de faire connaître en France tous les meilleurs commentaires, anglais et allemands, etc.

Tous ces travaux sont utilisés dans la *Bible* de M Lethielleux qui en sera comme un résumé très-complet, et bien entendu, toujours très-orthodoxe. L'Eglise ne s'oppose pas plus aujourd'hui que dans toutes les périodes de son histoire aux progrès de la véritable science.

Déjà plusieurs parties importantes de cette Bible sont publiées : les Epîtres de saint Paul, les Epîtres canoniques, l'Apocalypse.

Deux volumes viennent de paraître récemment. Ils sont remarquables à divers titres.

Le commentaire du *Livre de Josué* exige surtout des connaissances géographiques étendues. Dans ce domaine, disons-le à notre honneur, la France tient un rang considérable, et peut opposer aux *Recherches bibliques* de l'américain Robinson, les belles explorations de M. Victor Guérin, et les savantes et heureuses recherches de M. Clermont-Ganneau. M. Clair a mis à profit tous ces travaux : les identifications géographiques adoptées par lui nous paraissent reposer sur des bases solides.

L'Introduction est une œuvre sérieuse : on y remarquera particulièrement le chapitre me : *Examen des principales difficultés*. Rien de plus sage, de plus sensé, que les réflexions de l'auteur sur l'extermination des Chananéens et sur le miracle de Josué.

L'*Ecclésiaste* de M. l'abbe Motais est un travail d'un tout autre genre. Les questions d'Introduction doivent ici primer le commentaire. L'auteur l'a parfaitemedt compris. Son introduction est un travail considérable. Nous en citerons les principales divisions : Authenticité de l'Ecclésiaste, son orthodoxie et sa divinité, chapitre dans lequel l'auteur a traité à fonds les plus importantes questions : le scepticieme de l'Ecclésiaste, ses idées sur l'immortalité de l'âme et la résurrection future, son fatalisme et son épicuréisme. Rien de plus intéressant parce que rien aujourd'hui n'est plus discuté. C'est un excellent travail, qui, peut-être aurait du être condensé davantrge. Mais en France surtout, en fait d'érudition biblique, ce n'est pas l'excès que nous avons à craindre. L'exégèse est si peu cultivée chez nous que nous devons accueillir avec bonheur et saluer avec espérance tous les travaux destinés à la remettre en honneur dans nos universités, dans nos séminaires, aussi bien que dans le clergé.

La Bible que nous annonçons aujourd'hui, sera pour beaucoup dans ce résultat si désirable et si nécessaire. Il y a longtemps que saint Jérôme, ce père des études bibliques, a dit avec l'autorité d'un docteur de l'Eglise : **Ignorer les Ecritures, c'est ignorer Jésus-Christ même, *Ignoratio Scriptuarum, ignoratio Christi est.***

P. LETHIELLEUX, EDITEUR, 4, RUE CASSETTE, PARIS.

En souscription :

PRÆLECTIONES

JURIS CANONICI

AD METHODUM DECRETALIUM GREGORII IX EXACTÆ

QUAS

IN SCHOLIS PONTIFICII SEMINARII ROMANI

TRADEBAT

PHILIPPUS CAN. DE ANGELIS

Opus universum **quatuor tomis** comprehendetur, et **quisque tomus in** *duas partes* **dividetur**, constantibus singulis partibus *quatuorcentum circiter paginis in*-8 *magno*. *Primus tomus* currenti anno (1877) vulgabitur, aliique in *successivis tribus*. *Cujusque* **partis** *pretium hoc Parisiis* est *octo francorum*.

N.-B. — M. P. LETHIELLEUX, éditeur à PARIS, constitué, par acte spécial, **seul et unique vendeur** de ce livre **en France**, le livrera **aux souscripteurs**, à **6.00** *net* chaque partie, *prise à Paris*, au lieu de **8.00**, prix fixé ci-dessus.

A sæculo jam non sunt expositores Juris Ecclesiastici, quod ad methodum Decretalium Gregorii IX tradatur; sicque desunt moderni libri, qui canonicas quæstiones in complexum contineant et resolvant.

Antiqui autem expositores, etsi accuratissimi et doctissimi, in pluribus tamen pro opportunitate legentium deficiunt, cum in ea fuerint necessaria conditione, ut noviter inductas leges ignorarent, sive authenticas SS. Congregationum interpretationes deinde latas; hinc qui eorum auctoritatem invocet inscius recentiorum, veteres potius quam vigentes canones scire convincetur.

Accedit hoc ultimo sæculo longe gravissimam intervenisse in canonicis regulis mutationem ex diversis adjunctis humanæ societatis, in qua vivit Ecclesia, quamque juxta religionis leges dirigendam semper sibi proposuit. Hinc est, ut permanentibus in suo robore inconcussis juris principiis, disciplina ecclesiastica varias passa sit phases, quas hodie ignorare idem esset, ac extra nostrum ævum vivere, ac multo magis canonum prudentiam omnino dedeceret.

Demum cum ab hostibus Catholicæ Religionis ipsa prima principia religiosæ societatis penemota sint, atque in dubium omnia revocata, quæ a nostris majoribus in pacifica possessione retinebantur; hinc evenit, ut in expositione juris canonici positivi plura inseri debeant, quæ relationes respiciunt inter Ecclesiam et Statum, et quæ sanctæ Ecclesiæ jura defendant omnino despecta aut proculcata.

Ut huic defectui et novæ necessitati pro meis viribus supplerem, cum jam per viginti et amplius annos explanationi Textus Canonici in Universitate Romana, usque dum licuit, et in scholis Pontificii Seminarii Romani institissem, prælectiones illas evulgare ausus sum, in quibus jus in Ecclesia vigens exponitur habito respectu ad antiquas leges. Addentur plura de praxi SS. Congregationum et præsertim S. Pœnitentiariæ, in qua Officialis Majoris munere a quindecim annis fungor.

Ut decet, opus est a censura ecclesiastica probatum. Proinde [illegible] lo in lector[illegible]as eam invenire indulgentiam, quam ab auditoribus mearum lectionum sum constanter expertus.

PRÆLECTIONES JURIS CANONICI quas in scholis Pontificii Seminarii Romani tradebat Ph. Can. de Angelis.

4 vol. divisés en *huit parties*. Chaque *partie*, **8.00** — Pour les *souscripteurs*, *net* **6.00**

Epistola regnantis Pontificis maximi ad auctorem

LEO PONTIFEX XIII

DILECTE FILI, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Gratum acceptumque valde habuimus donum voluminum quæ hactenus edidisti de Jure Canonico. Et quamvis per tempus et negotia nonnisi aliqua raptim legere potuerimus, præclaram tamen in illis doctrinarum supellectilem in unum collectam, et multa nostris temporibus apprime opportuna invenimus. *Hoc autem expectandum erat ab eo quo polles ingenio, diuturno magisterii usu, et firmissimo in Ecclesiam catholicam sanctissimamque Nostram Religionem amore.* Perge igitur et contende, ut incæptum opus ad exitum adducas. Scribendi alacritatem tibi addant et misera temporum conditio, in quibus omnis generis errores in re etiam canonica grassari impune videntur, et gravitas quæstionum, quæ lucidum ordinem, acumen, et judicium, ut rite tractentur, maxime exquirunt, et necessitas illa, quæ quotidie augetur, adolescentium mentes salutaribus institutionibus imbuendi. Quæ omnia ut facilius annuente Deo consequaris, accipe quam ex animo peramanter impertimur Apostolicam Benedictionem.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, die 16 Augusti 1878, Pontificatus Nostri Anno Primo. LEO PP. XIII.

... L'auteur de ce livre n'est pas un homme ni un professeur ordinaires. Pendant vingt années et plus, il a enseigné le droit canonique au séminaire romain et à l'université pontificale de la Sapience. Il a vu des milliers d'élèves s'asseoir au pied de sa modeste chaire. Naguère encore d'illustres auditeurs, des évêques, des archevêques venaient se mêler à ses étudiants accoutumés. Depuis quinze ans, il exerce les fonctions d'official majeur au tribunal de la pénitencerie. **Son autorité est grande et son suffrage respecté dans les différentes congrégations dont il fait partie** ..

(*Revue des Sciences ecclésiastiques*).

Le nom seul de son auteur suffirait pour recommander avantageusement ce nouveau livre; mais l'œuvre n'est point au-dessous de la réputation du maître.....

... Le premier mérite de M. de Angelis dans son ouvrage est **une grande clarté**. Les gens de droit savent si c'est là un avantage à dédaigner. On voit que l'auteur a été longtemps en contact avec des étudiants. Sa doctrine est à la portée de tous.....

... Un second mérite de l'auteur, c'est **d'avoir su écarter toutes les choses inutiles**. Rompu à la pratique des affaires dans les congrégations romaines, il a sous la main et a mis à profit des documents précieux d'une importance extrême pour la solution des cas qui se présentent de nos jours.....

Dans le second volume, *la difficile question des vicaires-capitulaires-généraux, amovibles et inamovibles, est traitée à fond*.....

Dans le troisième volume, le droit de posséder de l'Eglise, solidement établi, et par là même, victorieusement vengé.....

Le quatrième volume paraîtra dans le courant d'octobre prochain (1878), et ainsi jusqu'à l'achèvement du traité, c'est-à-dire dans deux ans à raison de deux volumes chaque année.

Nous savons que l'auteur a reçu, dès l'apparition de son premier volume, des éloges extrêmement flatteurs des personnages de Rome les plus éminents et les plus autorisés par leur science et leur autorité. LL. EE. les illustrissimes cardinaux de Paris, de Lyon, de Rouen, un grand nombre de NN. SS. les évêques ont souscrit avec empressement à cet ouvrage et ont tenu à adresser leurs vives félicitations à M. le chanoine de Angelis.

(*L'Univers*, 20 *août* 1878).

1165 — Paris, imprimerie Laloux fils et Guillot 7, rue des Canettes, 7.

208.8
R 263
31658
REGINALDUS, ANTONIUS
AUTHOR
Tria Principia Doctrinae D. Thomae
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME
	Krestovich
	Kristovich
	STORAGE - CBEL

31658